Google

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:


+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

OAK ST. HDSF



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
875
D41
1896
v. 1

Digitized by Google

Return this book on or before the **Latest Date** stamped below.

University of Illinois Library

APR 30 1962

MAY 29 1962

JUN 29 1962

JUL 27 1962

AUG 24 1966

L161—H41

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

22

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS I

IN GENESIM, ET EXODUM (I-XIX)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

Digitized by Google

IMPRIMI POTEST

Fr. Michael, Prior Cartusiæ,

in festo B. Odonis Cartusiani, anno 1896.


IMPRIMATUR

Z. Liénard, Vic. Gen.,

Atrebati, in festo SS. Nominis Jesu, anno 1896.

Digitized by Google

Digitized by Google



DIONYSII CARTUSIANI EPISTOLA AD CARDINALEM CUSANUM MISSA.

(Ex Cod. ms. Cusæ asservato. — Vide infra p. LIV, *n. 37.)*





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN GENESIM, ET EXODUM (I-XIX)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVI





Digitized by Google

SS. D. N. Urbani Papæ VIII decreto, observantia et reverentia qua par est insistendo, profitemur nos haud alio sensu, quidquid in hoc libro allegamus, accipere aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate nituntur.

Digitized by Google

SANCTISSIMO · DOMINO

LEONI

DIVINA · PROVIDENTIA

PP · XIII

HANC · NOVAM

OPERVM · DIONYSII · CARTVSIANI

EDITIONEM

ALVMNI · ORDINIS · EIVSDEM

CVRATORES

OFFERVNT · DEDICANT

DEVOTI · ANIMI · ET · OBSEQVII

PIGNVS

a.

Digitized by Google

Digitized by Google

875
D41
1896
v. 1

DILECTO FILIO

MICHAELI BAGLIN

Priori Generali Carthusianorum

LEO P. P. XIII

DILECTE FILI,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quo semper in pretio Dionysii Carthusiani scripta sint habita perpetuae testantur laudes, quibus ea sapientes quique et sanctimonia insignes viri cumularunt. In iis enim elucet simul mira christianae asceseos peritia, simul singulare studium illustrandae tuendaeque fidei. Ad cetera autem religiosi auctoris merita illud etiam accedit quod cum scholasticam philosophiam calleret optime, inde hauserit sapienter quo et catholica dogmata confirmaret et pietatem impensius foveret. Jure igitur id erat doctorum hominum desiderium, ut quae multa ac varia Dionysius ediderat, ea ad faciliorem usum unica editione publicarentur. Quod cum vos, Dilecte Fili, haud exigui laboris opus perficiendum susceperitis, consilium vestrum probamus admodum, nullique dubitamus quin cura

Digitized by Google

diligentiaque vestra ea sit futura editio quae scriptoris rerumque dignitati respondeat. Vestrae autem ad Sedem Apostolicam devotioni tribuimus, quod susceptum opus dicandum Nobis decreveritis. De quo equidem, deque oblato nuper volumine dum gratias vobis pro merito habemus, coelestium munerum ubertatem universo Carthusianorum Ordini a Deo apprecamur. Nostrae demum benevolentiae testem Apostolicam benedictionem habete quam vobis omnibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 1ª Aprilis MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

Leo PP. XIII.

Digitized by Google

PRÆFATIO

HUJUS EDITIONIS

SAPIENTIAM *omnium antiquorum exquiret sapiens.* Ecclesiastici xxxix, 1.

Hæc quidem verba, etsi de sacris scriptoribus maxime intelliguntur, his tamen viris applicari possunt, « qui ad justitiam erudiunt multos[1], » et, scribæ docti in regno cœlorum, de thesauro suo nova et vetera proferunt[2]. Inter quos nemo numerare dubitabit Venerabilem Dionysium Cartusianum, qui in alta professione sua fuit excellens, et tot ac tanta scripsit, ut libri ejus « divi Augustini opera quantitate plus duplo superent[3] ».

Sed quoniam videntur hodie nimis multi ponere ingenii laudem in fastidio antiquitatis, quum tamen illa sit philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova, unaque simul sapientiam veterum non relinquere[4] : quid de Auctore nostro senserint viri docti, quæ sit hujus novæ editionis opportunitas, et quid simus præstituri, breviter exponendum est.

Dionysium nominare laudare est. Si doctrinam exquiris, jam anno 1530, postulante pio principe Carolo Duce Geldriæ, Decanus et magistri Facultatis theologiæ Coloniensis, examinatis operibus Venerabilis Dionysii, illum *virum undecumque doctissimum* pro-

[1] Dan. xii, 3. — [2] Matth. xiii, 52. — [3] Petr. Blomevenna, Cartus. Colon. Prior, in Epist. dedic. Comment. Ven. Dionysii *in Genesim,* circa finem. Cf. Ant. Possevin. in *Apparat. sacr.* — [4] SS. D. N. Leo Papa XIII, in *Epistola ad L. Vivès,* x Dec. 1889.

Digitized by Google

nuntiabant[1]. Si sanctitatem intueris, lege Vitam ejus a Theodorico Loer a Stratis, Cartusiæ Coloniensis Vicario, descriptam, quam ex priscis editionibus denuo recensuimus, et infra posuimus. Hæc autem ipsa Vita inserta fuit inter *Acta Sanctorum,* ab eximio et pio P. Joanne Bollando S. J., qui etiam pro suo erga Venerabilem affectu ac reverentia quasdam ejus reliquias ad annos sex et quadraginta religiose asservavit[2].

Doctrinam et eruditionem tanti viri, qui *quadraginta sex annis permansit assidue studiosus*[3], sanctitatemque ejus commendant multorum laudes : ex quibus flores aliquot excerpere liceat, ut juxta seriem temporis, Venerabili Cartusiano coronam quasi texere possimus.

Quis autem ignorat Summum Pontificem Eugenium IV, quodam Dionysii libro sibi oblato, exclamasse : *Lætetur mater Ecclesia quæ talem habet filium*[4]*!*

Hunc admirabatur, et reluctantem e monasterio sibi comitem deducebat, illustrissimus ille Nicolaus Cardinalis de Cusa, quum (1451) legatione per Germaniam fungebatur.

Hunc laudaverunt innumeri scriptores, et plures hujusmodi verbis : « Dionysius contemplator eximius, et scriptor uberrimus, in otio negotiosus, et in negotio otiosus esse scivit[5]. » — « Erat vir contemptor sui, cui tantus inerat fervor exercitii spiritualis, et labor infatigabilis ad studia Scripturarum, quod cibos suos sæpe negligeret[6]. » — « Natus annos viginti fit eremita Cartusianus : unde liquet eorum quæ postea suopte ingenio scripsit, parum ipsum ab homine recepisse, sed partim divina gratia, partim ingenii felicitate adjutum[7]. » — « Erat parcissimi somni, cibi et potus abstinentia mirabilis[8]. » — « Ejus scripta hoc peculiare habere videntur, quod non modo intellectum instruant, sed et affectum vehementer inflamment[9]. » — « Contemplationi et orationi ita assidue insistebat,

[1] Dionys. Cartus. Comment. *in D. Pauli Epistolas.* Colon., 1530. — [2] *Acta Sanct.,* XII Martii. Commentar. præv., n. 7. — [3] Verba Dionys. Cartus. in *Protestatione ad Superiorem.* — [4] O. Raynald. *Annal. Eccles.* Romæ, tom. XIX, ad annum 1471, n. 83. — [5] Arnold. Bostius Carmel. in libro *De illustr. viris O. Cartus.,* cap. XXIX. — [6] Petr. Dorland. *Chron. Cartus.,* lib. VII, cap. XXIV. — [7] Petr. Blomevenna. Epist. dedicat. Comment. Dionys. *in IV Proph.* Colon., 1534. — [8] Petr. Sutor. *De vita Cartus.,* lib. II, tract. 3, cap. VII. — [9] Joann. Host a Romberch O. Prædic. Epist. præfixa Comment. Dionys. *in Psalm.* Colon., 1531.

Digitized by Google

ut miraculum sit, hominem continua divinorum meditatione abstractum, tam magnum variumque voluminum numerum scribere potuisse[1]. »

Pari modo Surius noster, *eximia eruditione et vitæ sanctimonia celeberrimum* virum Dionysium dicit[2]; Joannesque Molanus, quem tanti fecit Cæs. Cardinalis Baronius[3], illum eruditione, sanctitate et revelationibus claruisse testatur[4]. — Non aliter Ven. Ludovicus Granatensis insignem ejus religionem et sanctitatem commendat[5]; et Odoricus Raynaldus volumina Dionysii Cartusiani magno pietatis sensu esse conscripta profitetur[6]. — Et quidem Dionysius « in ore omnium versatur, ait Arnoldus Havensius, eumque toti orbi celebrem fecit et posteritati immortalem cella sua[7] ».

Paulo post P. Nicolaus Serarius, S. J., theologus eximius, eum doctrina ac sanctitate multum pollere declarat[8]. Ita opinatur ex Oratorio S. Philippi Thomas Bozius[9], qui eminentissimis Germaniæ theologis, subtilitate ac soliditate doctrinæ conspicuis, illum adscribere non ambigit, præ admiratione exclamans : « Quid igitur non mirifice glorietur Germania tanto viro, quantum sanctimonia simul ornatum vix protulit ulla ætas, ulla gens, ab orbis ipsius fabricatione ? » Sic et clarissimus Antonius Possevinus, S. J., Venerabilem Dionysium inter auctores de Ecclesia Dei suis laboribus *bene meritos*[10] recensere non dubitat. Item P. Fr. Suarez, S. J., Cartusianum necnon et S. Bonaventuram cum quibusdam Patribus *valde contemplativis* conjungit[11]. Ejusdem Societatis Jesu P. Jac. Alvarez de Paz, Dionysium appellat « sanctissimum, gemmam pretiosam, et amplissimum omnium solitariorum exemplar... mire doctum et mire sanctum, propter insignes raptus et ecstases *Doctorem ecstaticum*[12] ». Cardinalis quoque Bellarminus, et notissimus Scripturæ commentator, Cornelius a Lapide, illum dicunt virum pium, *sanctissimum*

[1] Sixt. Senensis. *Biblioth. Sanct.* Colon., 1626, pag. 279. — [2] Admonitio ad lectorem, ante Opera J. Rusbrochii. Colon., 1552. — [3] Vide *De prosecutione operis Bollandiani,* 1838, pag. 12. — [4] Molanus. *Natal. Sanctor. Belgii,* XII Martii. — [5] Lud. Granat. *Concio 3 de Sanctiss. Trinit.* initio. — [6] O. Raynald. *Annal. Eccles.* Romæ, tom. XIX, ad annum 1471, n. 83. — [7] Arn. Havensius Cartus. Gandens. Prior. *Martyr. Patr. Cartus. Ruræmund.* in fine Exhortationis. — [8] N. Serarius, in Job, quæst. 15. — [9] Th. Bozius. *De signis Eccles.* lib. XXII, cap. IV, 51. — [10] Ant. Possevin. *Appar. sac.* — [11] Fr. Suarez. *De orat. mentali,* lib. II, cap. V, n. 23. — [12] Jac. Alvarez. *De vita spir.,* lib. II, part. IV, cap. XXXII; et lib. II, part. I, cap. VII.

Digitized by Google

et *doctissimum*[1], atque inter præstantiores S. Pauli interpretes numerandum [2].

Non est ergo cur miremur hæc S. Francisci Salesii, Ecclesiæ Doctoris, verba : « Habete semper ad manum quemdam egregiæ devotionis librum, ut sunt opera S. Bonaventuræ et Dionysii Cartusiani. » Et alibi : « Inter scholasticos, hi melius longiusque de amore Dei disseruerunt, qui pietate excellentiores fuerunt... : nempe S. Bonaventura et beatus Dionysius Cartusianus, qui plura de eo sub diversis titulis optima scripta ediderunt[3]. » Tot denique et tanta sunt testimonia quæ nomen Dionysii commendant, ut a laudibus ejus difficile sit conquiescere[4].

Ne multa, Ven. Dionysius « plenus est eruditione, copiosus varietate, pietate refertus ac sanctitate conspicuus[5] ». — « Devotissimus et doctissimus doctor[6]. » — « Πολυγραφώτατος[7]. » — « Librorum gurges, et miraculum scriptoris[8]. » — « Doctor ecstaticus, pius, sapiens[9]. » — Habens opera « valde utilia[10] ». — « Plenus sententiis et consiliis salutaribus, ac præ ceteris auctoribus mysticis gratus[11]. » — « De rebus mysticis tanquam expertus doctissime et sanctissime scripsit[12]. »

Ad laudem tanti viri illud quoque notandum est quod, inter libros a Magistro novitiorum in Societate Jesu consulendos, *Opuscula* Ven. Dionysii inscribuntur[13].

Cum his concinit Ecclesiæ Doctor, S. Alphonsus Maria de Ligorio, qui, præmissa decretis Urbani VIII obedientiæ protestatione, pluries Ven. Dionysium *sanctum* ac *beatum* appellare non diffidit[14].

Sed quem præterita tanti fecit ætas, non minoris duxerunt recentiores.

[1] Rob. Card. Bellarm. *De script. Eccles.,* ad annum 1450. — [2] Corn. a Lapide, *in Epist. S. Pauli.* Antverp., 1617, pag. 25. — [3] S. Franc. Sales. *Philothea,* part. II, cap. XVII. — Id. *De amore Dei,* in Præfat. — [4] Aubert. Miræi *Elog. illustr. Belgii script.* — [5] Valer. Andreæ *Biblioth. Belgica.* Lovanii, 1643, pag. 185. — [6] E. Nieremberg, S. J. *Obras Christ.* Madrid, 1665, t. II, lib. I, cap. X, § 33. — [7] Ph. Labbe, S. J. *De script. Eccles.* Paris., 1660, t. I, pag. 262. — [8] Th. Raynaud. *Hagiolog. exotic.,* punct. X, § 1, 3-4. — [9] D. Joann. Bona. *De divin. Psalm.* Notit. auctorum. — [10] D. L. d'Achery. *Asc. Opuscul. indicul.* Paris., 1671, in-4°. — [11] Ell. Du Pin. *Hist controv.,* XV s., Iᵃ part. Paris., 1698, 8°, pag. 350. — [12] D. Dominic. Schram, O. S. B. *Instit. theol. myst.,* t. I. Aug. Vindel., 1777, 8°, pag. 8. — [13] *Regul. Soc. Jesu.* Romæ, 1582, pag. 99. — [14] Opere di S. Alfonso Maria de' Liguori. Torino, Marietti, 1845-1860. T. I, *Opere ascetiche,* pag. 121, 139, 151, 185, 203, 271, 501, 569, 571. T. III, pag. 408, 453.

Digitized by Google

Primus testis erit Illustrissimus D. Georgius Darboy, Archiepiscopus Parisiensis, qui, S. Dionysium Areopagitam vertere suscipiens, in fronte operis scribit : « Dionysius Cartusianus, cujus prodigiosam eruditionem æquales homines mirati sunt, opera Areopagitæ commentariis illustravit. Ex hoc veluti fonte illam totius vitæ christianæ prudentiam, illas sublimes sententias hausit, quibus merito *Doctor ecstaticus* nominatus est[1]. » Non secus existimat, illud Angliæ et Ecclesiæ catholicæ decus, Illustrissimus Henricus Eduardus Manning, Cardinalis, Archiepiscopus Westmonasteriensis, ut testantur hæc gravissima verba : « Tractatus spirituales Dionysii singulari pulchritudine omnique doctrina nitent, in quibus subtilitas atque accuratio scholastica spirituali lumini et dulcedini mysticæ theologiæ junguntur[2]. »

Pretiosissimam vero gemmam coronæ Cartusiani insertam nunc admirare, Lector *Philodionysiane ;* Augustissimi poetarum lepido carmine ac suavi præconio delectare; atque, ob tantum honorem Auctori nostro concessum, in Domino exsulta.

AD FLORUM

Admissus nuper est ad Pontificem Maximum Leonem XIII quidam nobili genere adolescens, sextum decimum ætatis annum vix supergressus, idemque macilento ore et extenuatis viribus. Quod quum ipse licentioris vitæ intemperantia factum non dissimularet, et dolenter ferre videretur, admonitus est prospiceret saluti suæ, opportuneque in asceterium aliquamdiu secederet eluendis animi sordibus unice vacaturus. Id quo facilius assequeretur, suasit adolescenti Pontifex ut qua maxima posset attentione perlegeret aureum illum de *Quatuor hominis Novissimis* librum, cujus auctor Dionysius Cartusianus copia et sanctitate doctrinæ *divini* nomen invenit[3]. Eam vero rem Pontifex sequentibus versibus complexus est :

[1] Œuvres de S. Denys l'Aréopag. trad. du Grec. Paris, 1845. Introd., CLXVII. — [2] *The internal mission of the Holy Ghost.* London, 1883. Dedication., XI.

[3] Initio italicæ translationis hujus operis, Perusiæ nuper editæ, hæc verba legere est, ab Ill. et Rev. D. Frederico Foschi, Perusiæ Archiepiscopo, libro præfixa :

« Quo tempore fungebar honorificentissimo amanuensis officio Em. Card. Pecci, hodie feliciter sub nomine Leonis XIII regnantis, sæpius doctum et pium Pastorem de libello Quatuor Novissimorum disserentem audivi. Pro circumstantiis, hujus libelli sententias ad illuminandum intellectum et movendum cor aptiores libenter exprome-bat. Quæstiones summis labiis degustare non contentus, sed in omnibus intimam rerum

Digitized by Google

An. MDCCCLXXXIV.

Flore puer, vesana diu te febris adurit;
Inficit immundo languida membra situ.
Dira lues : cupidis stygio respersa veneno,
Nec pudor est, labiis pocula plena bibis.
Pocula sunt Circes : apparent ora ferarum,
Sus vel amica luto, vel truculentus aper.
Si sapis, o tandem, miser, expergiscere tandem,
Ulla tuæ si te cura salutis habet.
Heu ! fuge Sirenum cantus, fuge littus avarum,
Et te *Cartusi,* Flore, reconde sinu.
Certa tibi inde salus; *Cartusi* e fontibus hausta
Continuo sordes proluet unda tuas.

LEO XIII[1].

Post mortem D. Dionysii (qui sanctam animam Deo reddidit anno Domini 1471), vel etiam eo vivente, plura ejus opuscula ex incunabulis artis typographicæ prodierunt. Majora tamen opera, per sexaginta circiter annos, non nisi manu scripta propagata sunt.

Tandem, invalescente sexto decimo sæculo, Cartusienses « indignum rati Dionysium sub modio tam diu latuisse, hunc candelabro juxta dominicum præceptum imposuerunt, ut lumen Ecclesiæ Dei ab omnibus palam conspiceretur[2] ».

Jam anno 1531, in Epistola ad Reverendum Patrem et Dominum Guillelmum Bibaucium, Majoris Cartusiæ Priorem ac totius Ordinis

rationem investigare solitus, Cartusiani lectione summopere delectabatur, ideo quod Auctor ille, tractando de Quatuor hominis Novissimis, sic animam ad considerandum de se ipsa propriaque salute perducit, ut ultra progredi nequeat... Illo tanquam familiari consiliario utebatur. Et cum ad Ipsum, in arce Ecclesiæ constitutum, hujus opusculi translationem denuo recudendi propositum detulissem, Sanctissimus voto annuere et benedicere non dedignatus est, ratus, ut Ipse ait, non parvum inde profectum animarum fore. » *Del divino Dionisio Cartusiano, Trattato dei quattro estremi avvenimenti dell' uomo,* tradotto dal P. Plantedio, d. C. d. G. Perugia. Tipografia Boncompagni, 1886, in-32 di p. 444.

[1] Ex Diario catholico Perusino *Il Paese*. Cf. *Univers,* 11 Mars 1885. — [2] In principio Epist. dedicat. Petr. Blomevennæ. *In Sentent.,* tom. I. Colon., 1535.

Digitized by Google

præpositum Generalem, R. P. Joannes Romberch, Ordinis Prædicatorum[1], hæc scribere non diffidebat : « Injuria foret tam fructuosa opera D. Dionysii, quæ in utrumque Testamentum, in Sententias, in omnia quæ exstant divi Dionysii scripta, in Thomam nostrum, præter alia ferme innumera minora, diutius sub pulveribus delitescere[2]. » Idem auctor epistolæ narrat præclarum Gregorium Reischium, Friburgensem Priorem et Provinciæ Rheni Visitatorem, ad edenda Ven. Dionysii opera, in Capitulo generali, et apud insignes chalcographos Amorbachium et Frobenium, plurimum allaborasse ; non potuisse tamen multo ac diuturno conatu efficere quod Theodoricus paucis diebus, amicorum quos Dionysio conciliavit præsidio, actum iri curavit[3].

Theodoricus autem ille erat D. Theodoricus Loer a Stratis, alumnus Cartusiæ Coloniensis « quæ ea ætate viris eruditione et sanctimonia clarissimis abundabat[4]. »

D. Theodorico, tunc Coloniensis Cartusiæ Vicario, qui fuerat « excitator promotorque præcipuus impressuræ operum D. Dionysii[5] », a generali Capitulo commissum erat ut libros Venerabilis Patris in lucem revocaret. De quo gravi munere sic locutus est : « Multorum honestissimis suasionibus, imo Patrum nostri generalis Capituli decreto communi eo adactus sum, quatenus hanc provinciam evulgandorum D. Dionysii nostri librorum subirem. Licet autem hic non ignoraverim me ingenio et doctrina plurimis, imo ferme omnibus nostræ professionis viris inferiorem, malui tamen ego in hac parte experiri vires meas, quam inanes prætendere excusationes, sperans eum mihi in tam sancto opere non defuturum, cujus spiritus instinctu actum credo, ut hoc muneris mihi, licet omnium minimo, committeretur[6]. » *Ubi est humilitas, ibi et sapientia*[7]. Hæc non defuit ascetæ qui « laboriosam provinciam edendorum omnium operum D. Dionysii suscepit ingenti spiritu, et ferreo labore perfecit, vel hoc solo titulo bene meritus de republica litteraria[8] ».

[1] « Divinis humanioribusque instructus optime disciplinis... mirus efferbuit in ejus pectore fidei tuendæ ardor. » J. Quetif et J. Echard. *Script. O. Prædicat.* Lutet. Paris., 1721, II, 88. — [2] Epist. dedicat. Joann. Romberch. *Scalæ religios. Pentateuch.* Colon., 1531. — [3] Ibid. — [4] *Ven. Nicol. Eschii Vita et opuscul.* Ed. P. F. X. de Ram. Lovan., 1858, xxv. — [5] Epist. dedicat. Petr. Blomevennæ. *De IV Novissim.* Colon., 1535. — [6] Epist. dedicat. D. Theodor. Loer a Stratis. *Oper. minor.* II, f° 361, V°. Colon., 1532. — [7] Prov. xi, 2. — [8] Hartzheim, S. J. *Biblioth. Colon.* Colon., 1747, pag. 302-303.

Digitized by Google

Res quidem ardua erat, sed amicorum hortationes D. Theodorici animos excitabant. « In quo tam sancto negotio (scribebat ei doctus piissimusque Joannes Batmanson, Prior Cartusiæ Londiniensis), ut non fatigeris adhortor quantum possum... nec est certe cur fatigeris, quandoquidem opus tam pium est, multisque gravissimis ac doctissimis viris mirum in modum placens. Nec me latet opus illud futurum esse immensi oneris incredibiliumque impensarum : quanquam tam omnibus placent ea quæ jam exstant, ut non dubitem quin passim et summa cum voluptate emerentur[1]. »

Excitabat adhuc ad laborem Beatus Martyr Joannes Houghton, Cartusiæ Londiniensis Prior, scribens : « Scias odorem illum fragrantissimum eximii Patris nostri Dionysii esse, qui has litteras meas ad te (imo ad se apud te latentem) jam attraxit. Is enim adeo corda nostra suis sacratissimis scriptis et documentis sibi allexit, ut eo carere sine gravi molestia minime possimus. Nobis etenim sapiunt opera ejus melliflua et sanctissima præ ceteris pene omnibus sacris scriptoribus (quod ceterorum omnium pace dictum sit) quos hactenus legimus; adeoque eadem ejus opera apud nos rara sunt, ut votorum nostrorum in hac parte minime compotes esse possimus, videlicet in eis legendis et relegendis. » Et post pauca : « Perge, carissime Pater, strenue perficere quod incepisti, id est, non tepescat diligens illa et devota solertia tua, quam hactenus exhibuisti in præfatum sanctum Dionysium nostrum chalcographorum typis tradendum, donec omnia et novissima ejus videre mereamur. Utinam plane tum vobis, tum nobis arrideret tam abundans pecuniarum copia, quam abundat pia voluntas in omnia prædicta opera ejus edenda ![2] »

Inter præcipuos operis Dionysii fautores erat D. Joannes Zulre, Prior Cartusiæ Diestensis. Amicos, ut pecunias subsidiarias suppeditarent, ipse cohortabatur. « Quoties, ait D. Theodoricus, creberrimis suis epistolis pusillanimitatem meam erexit ! Quoties consolatus est ! Quoties denique ut forti animo in sancto opere pergam commonuit, nihil quod huic negotio sciret conducere intermittens[3] ! »

[1] Epist. D. J. Batmanson, 1531. *In Act. Apost.* Colon., 1532. — [2] Epist. B. J. Houghton, 23 Jul., 1532. *D. Dionys. Cartus. Vita.* Colon., 1532. — [3] Epist. D. Theodorici ad D. Petrum Sass, Cartus. Ultraject. Priorem. *D. Dionys. Opuscula aliquot ad theoriam* etc. Colon., 1534.

Digitized by Google

Cui scribebat ipse D. Theodoricus : « Ad evulganda D. Dionysii nostri opera mihi non solum consentaneus, verum etiam studiorum atque vigiliarum mearum omnium es patronus. Patrem nostrum D. Dionysium impense amas; nec tantum amas, sed omnem etiam operam navas ut typis excudantur ejus libri[1]. »

Nec minori studio flagrabat R. P. Joannes Romberch, de quo jam locuti sumus, et quem ita celebrabat D. Theodoricus : « Quo elimatiora, ait, D. Dionysii opera sub prælum mittantur, Theologum approbatum nobis cooperatorem conciliavimus. Qui pro suo in Ordinem nostrum pio affectu, hactenus nobis fideliter porrexit manum adjutricem, nulli parcens studio aut labori quatenus a scriptorum erroribus hæc opera liberentur[2]. »

Adjuvabant quoque D. Theodoricum germani ejus, D. Bruno, Cartusiæ Coloniensis Procurator, et D. Guillelmus, artium liberalium professor. Tum etiam D. Guillelmus Vuellenus, Cartusianorum Ruræmundensium bibliothecæ præfectus, lucubratiunculas Ven. Dionysii diligentissime conquirebat[3]. Nec defuerunt « Domini Cartusiani, præsertim Colonienses : utpote quibus potissimum secundum Deum debemus (ut scribebat Gerardus Moringus Lovaniensis[4]) quod nunc paulatim opera sanctissimi simul et eruditissimi viri Dionysii a Rickel, hactenus fere orbi incognita, in lucem prodeant, licet sumptu eorum immani et incredibili[5] ».

Talibus igitur fretus auxiliis obedientiaque nixus, D. Theodoricus in edendis Ven. Dionysii monumentis *totus* erat[6]. Sed ipse enumerat incommoda tam difficili negotio inhærentia, quæ nisi gravibus impensis resolvi nequeunt, « ut sunt, ait, dona patronis ac amicis Dionysii offerenda, quæve mecum laborantibus, et famulis typographorum, quo fidelem in operando navent operam, doctoribus denique largienda sunt, quos pro dubiis obscurisve locis, aut elucidandis, aut restituendis nonnunquam consuli est necesse; ad extremum quæ scriptoribus (omnia enim exemplaria rescri-

[1] Epist. ad D. Joann. Zulre. *Oper. minor.* II, f° 493, V°. Colon., 1532. — [2] Epist. dedicat. D. Theodorici. *Oper. minor.* I, f° 73. — [3] *Oper. minor.* I, f° 529. — [4] « Pastor et Lector ad S. Trudonem,... Vir multa lectione exercitatus, et latina eloquentia spectabilis. » Swertius. *Athen. Belgic.* Antverp., 1628, pag. 284. — [5] Epist. dedicat. Gerardi Moringi. *Summa fidei orthod.* lib. II (postremi). Colon., 1536. — [6] Epist. dedicat. D. Theodor., 1534. *De fide cathol. dialogion.* Colon., s. a.

Digitized by Google

benda [1], atque bis terve relegenda sunt) vel pro mercede, vel munere solvenda sunt [2] ».

Nihilo minus in proposito susceptoque consilio permanebat D. Theodoricus, quando videbat « libros D. Dionysii avidius coemi, quam sperare unquam potuisset [3] ». Illi argumento erat Ven. Dionysii opera non parum Ecclesiæ sanctæ Dei profutura, « impressio quæ post Coloniensem Lutetiæ Parisiorum cœpta erat, Venetiis, Lugduni et apud Anglos [4] ».

Aliarum civitatum bibliopolæ et impressores pro libris D. Dionysii excudendis *non leviter* certaverant. Verum hic honor Coloniæ debebatur, « cui nullus non debetur ab Ordine Cartusiensi, » ut scribebat ad Senatum Coloniensem D. Petrus Blomevenna Leydensis, Cartusianorum Agrippinæ Coloniæ Prior, quum ista civitas Ordini institutorem dederit, et quidquid ex eo frugis in Ecclesiam prodit, merito ad urbis patriæ gloriam referendum sit. Nec D. Dionysii producendi gloria fraudandus fuit civis senatorque ornatissimus, D. Petrus Quentel, qui ex officina sua vetustissima alios tam multos edidit auctores. Huic igitur committi decebat Dionysium qui ab eo exornaretur, atque posteris traderetur [5]. Ad hoc hortabatur primus omnium R. P. Conradus Kollin, Dominicanæ familiæ, in Theologia professor et regens [6], qui, licet grande opus ipse meditaretur, optavit tamen vehementer et persuasit ut præiret Dionysius [7]. Contra jus vero reticeretur nomen studiosi viri Bartholomæi Laurentis Noviomagensis, qui « typographiam in officina Quentelliana multis annis tum rexit, tum illustravit, præses et corrector eruditissimus ac fidelissimus [8] », et D. Brunonis Loer laudes meruit [9].

[1] « Maxime stupendum, asserebat Petr. Blomevenna, unde Ven. Dionysius obtinuerit tempus scribendi tot libros tamque grandia volumina. Quæ nisi manu sua (quod character proprius testatur) adhuc exstarent scripta, relecta atque correcta, quis unquam crederet unum monachum debitis Ordinis sui satis prægravatum, tot solidorum dogmatum flumina profundere potuisse? » Epist. dedicat. *In I V Proph. major.* Colon., 1534. — [2] Epist. dedicat. D. Theodorici. *Opuscul. aliquot ad theoriam* etc. Colon., 1534. — [3] Epist. dedicat. D. Theodorici. *Oper. minor.* I, f° 181. Colon., 1532. — [4] Epist. dedicat. R. P. Joann. Romberch ad D. Theodor., 1532. *VII Psalm. pœnit.* Colon., 1532. — [5] Epist. dedicat. *In V Mosaic. Leg. libros.* Colon., 1534. — [6] Conradus Kollin, Suevus natione, *vir ingenio acri,* plausu auditorum potissimum S. Thomæ placita explicabat. Hartzheim, S. J. *Biblioth. Colon.,* 1747, pag. 63. — [7] D. Petr. Blomevenna, loc. cit. — [8] Hartzheim, pag. 28. — [9] Epist. dedicat. D. Brunonis. *In V libros Sapient.* Colon., 1555.

Digitized by Google

Inter tutelares patronos quorum nominibus insignitæ sunt Elucidationes D. Dionysii, et quos enumerare longius esset, in memoriam revocare sufficiat Abbates, Canonicos, Officiales, Universitatem Lovaniensem, almam Universitatem studii Parisiensis, Cardinalem Erardum de Marka Leodiensem Episcopum, Mariam ab Hamal[1] Marchionissam de Aerschot, invictissimum Principem Carolum V Romanorum Imperatorem, et, quæ suprema laus est, Sanctissimum Patrem ac Dominum, D. Clementem VII, Romanæ Sedis atque universalis Ecclesiæ Pontificem.

Ab anno 1530 ad annum 1559, omnia Ven. Dionysii opera quæ reperiri potuerant, e prælis Schola gaudens suscepit, indefesso labore Patrum Cartusianorum D. Theodorici Loer a Stratis, D. Brunonis, ejus germani, D. Petri Blomevennæ, D. Francisci Talemanii de Edammis, D. Gerhardi Hammontani, D. Lamperti Pascualis.

Omnia igitur D. Dionysii opera ab illis editoribus impressa, separatim tamen et non in unum corpus collecta, viginti duo tomos in-folio complectuntur, pluribus aliis operibus et opusculis in forma minori non computatis. Unde laboriosum sane erat atque sumptuosum libros, tam diversis locis variisque temporibus editos, colligere.

Posterius integram omnium D. Dionysii operum editionem *a viris de re litteraria et pietate præstantius meritis* edendam, habebat in votis Henricus de L'Espy, SS. Lupi et Ægidii, Lutetiæ Parisiorum, Pastor, Illustrissimi ac Reverendissimi D. Andreæ Saussaii Tullensis Episcopi nepos. Illi vero exspectationem ejus frustrati sunt, « quod vel operosioribus detinerentur negotiis, vel ipsis tot voluminum quæ hic auctor ad prodigium exaravit, exemplaria non essent[2] ».

Paucis elapsis annis (1660), doctus P. Ph. Labbe, S. J., scribit : « Exspectatur in dies e prælis Lugdunensibus, ut audio, omnium operum D. Dionysii cumulatissima editio[3]. » Res vero contra spem abiit.

Tandem « anno 1718 (prout fert Foppens), conventum fuerat inter R. P. Josephum Engelgraeve Priorem Bruxellensem ac Visitatorem

[1] Quam D. Franciscus Talemanius de Edammis, Prior Domus Cartusianæ in Lovanio, nobilissimam heroem inter omnes hujus sæculi heroicas feminas, ac nostram patronam unicam dicebat. Epist. dedicat. *In Job.* Colon., 1534. — [2] Præfat. H. de L'Espy. *D. Dionys. De arcta via salut.* Paris., 1649. — [3] *De script. Eccles.* Paris., 1660. I, pag. 262.

Digitized by Google

Cartusianorum in Belgio, et Franciscum Foppens typographum Bruxellensem, de nova editione Operum omnium Dionysii Cartusiani, typis suis exhibenda, una cum quibusdam tractatibus ineditis, qui in Ruræmundensi Cartusia asservantur. Ast ubi de eadem editione actum fuit in generali Capitulo Majoris Cartusiæ, voluerunt PP. Galli eam fieri in Gallia, omniaque manuscripta illuc transferri. Quod dum recusarunt nostrates, conatus iste evanuit[1]. »

Attamen fortunæ tam adversæ non cedebat P. Josephus Cassani, S. J., qui Vitam D. Dionysii sermone Hispanico descripsit : intelligebat enim quantam tota Ecclesia ex integra editione operum omnium Cartusiani utilitatem perciperet. Quum autem propter antiquas abbreviationes, aliasque typorum imperfectiones, libros Doctoris ecstatici olim impressos difficile legi, illosque omnes neque inveniri neque emi posse animadverteret, merito in hanc querelam prorumpebat : « Utinam adveniat dies, in quo quis nobis hunc thesaurum absconditum pandat ! Et certe nostris, quam antiquis temporibus, facilius esset. Nonne omnia Cartusiani opera in unum corpus colligi possent, quum nostra ætate, opera omnia Suarezii, Bollandi et aliorum, immensæ molis, prælo committantur, et non sine lucro a bibliopolis per totam Europam diffundantur[2] ? »

Hæc tamen vota R. P. Cassani irrita manserunt : tunc enim temporis omnes sermonem scholasticum aspernabantur, et ad malesuadas novitates contendebant. « In veteris doctrinæ locum nova quædam philosophiæ ratio hac illac successerat... Adnitentibus enim novatoribus sæculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quælibet pro lubitu ingenioque excogitandi[3]. »

Nunc autem melior advenit ætas, spesque jam adest, sicut ait in Præfatione *Sententiarum* D. Dionysii D. Theodoricus, « aliquando tandem Christi gregem ad cor rediturum, nec semper pro veris falsa, pro piis impia, pro certis vana, ab impostoribus recepturum[4] ». Ad vocem Augustissimi præconis *Æterni Patris Unigeniti Filii,* renovatur ut aquilæ juventus philosophiæ scholasticæ. Favet rerum temporisque præsentis conditio ut ad lucem redeat Dionysius noster,

[1] J. F. Foppens. *Biblioth. Belgica.* Bruxellis, 1739. I, pag. 244, col. 2. — [2] P. J. Cassani, S. J., *Vida del P. D. Dionys. Rickel.* Madrid, 1738, pag. 351. — [3] SS. D. N. Leonis Papæ XIII Epist. encycl. *Æterni Patris.* — [4] *In Sentent.* IV. Colon., 1535.

Digitized by Google

scriptor (si quid Cartusiana potest solitudo) extra omnem ingenii aleam positus, quum eruditissimus, tum piissimus, atque inter Scholasticæ principes facile numerandus.

Hujus igitur universa opera, quotquot scilicet colligere potuimus, felicioribus auspiciis et certiori spe rem ad finem prospere deducendi, typis mandare, Deo favente, aggredimur.

Textum ex editionibus Coloniensibus, quas et accuratiores et manuscriptis conformiores esse constat, quum ab ipsis Auctoris discipulis præparatæ sint, plerumque accepimus, multo tamen labore recognitum, et ex aliis fontibus, quum opus fuerit, sedulo correctum, ut, quantum in nobis est, quam castigatissimus evaderet. Notetur etiam, indices antiquis locupletiores huic editioni annexos fuisse.

Opera autem Dionysii ita disponimus : Cuncta genuina scripta, hactenus edita, quadraginta quinque circiter tomis absolvuntur : quindecim tomi complectuntur opera exegetica in utrumque Testamentum ; tredecim, opera theologica et philosophica majora ; tredecim, opuscula minora, ascetica et polemica; quatuor, opera concionatoria. Quibus tandem, si Deo placet, per modum supplementi, addere intendimus tres vel quatuor tomos, qui inedita, si hujusmodi fors obtulerit, ac dubia, insuper et notitias quasdam, animadversiones annotationesque editorum, necnon et generales Indices colligent.

Sed ut benevolo lectori, tot inter scripta planum iter faciamus, hoc eum monitum volumus, nempe Auctorem nostrum, per totam vitam, operam in hæc tria impendisse :

1° Prope collapsam, atque ea ætate, ab hominibus novandi aliquid in doctrina studiosis, despectam Scholasticam instaurare, auribusque magis ac magis in dies prurientibus accommodare curavit. Ideoque majorum Doctorum vestigia insecutus, integrum scholasticæ disciplinæ curriculum amplecti non reformidavit, et in universam Scripturam, theologiam et philosophiam, commentaria edidit, Doctorum sententias miro artificio concilians [1], quo simul et antiquitati non derogaret et recentiori sapientiæ non detraheret, « singulas quæstiones ad theologiam spectantes, argumentis in utramque partem doctissime propositis disputans [2], » sed simplici sermone, « doctis

[1] **Epist. dedicat. D. Theod.** *Summa fidei orthod.* **tom. I. Colon., 1535. —** [2] **Th. Bozius,** ***De signis Ecclesiæ,*** **lib. XXII, cap. IV.**

Digitized by Google

et indoctis intellectu ne esset difficilis[1] ». Revera non diffitemur, et temporum cursu et inexspectato scientiarum progressu, mirifice abhinc illustratam fuisse sacræ Scripturæ exegesim, ut nimis facile foret e scriptis Dionysii nostri, auctorumque qui hisce vel anterioribus temporibus vixerunt, non excepto S. Thoma, antiquatas nonnullas sententias hinc atque illinc depromere ; sed si hoc ætati adhuc rudi concedas, ea profecto supererit vis, ea copia doctrinæ quæ minime possit annis consenescere. Merito igitur, et pro sua parte, illud Apostolicum encomium sibi vindicare potest Dionysius : « Neque prætereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicæ bonum provenerit : qui et novis usi subsidiis et variæ eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas majorum opes, sed quasi munierunt viam ad præstantiam subsecuti sæculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum ætas propemodum rediisse visa est[2]. » Quod ad sermonem pertinet, si cuipiam forsan incultior videatur, nobis liceat Auctoris nostri excusationem afferre : « Quemadmodum a Superioribus meis mihi injunctum est, propono stili colorem, loquendi difficultatem et impertinentes subtilitates vitare, et plano ac simplici modo procedere[3]. »

2° Corruptos Christianæ reipublicæ mores emendare, et Concilium generale (quod tunc omnium erat in votis, maxime vero Dionysii, ut ipsemet sæpissime testatur[4]) provocare satagebat. Huc spectant pleraque ex Operibus minoribus opuscula, ascetica videlicet et concionatoria, eaque omnia quibus fideles ex omni genere locoque credendi normam et vivendi præcepta edocentur.

Hoc probe intellexerunt primi editores, nam D. Blomevenna, in epistola qua primam Operum minorum seriem SS. P. Clementi VII dedicabat, talia asserere non verebatur : « Quid velim, præsentit, reor, Sanctitas tua. Neque enim meo tantum, sed multorum filiorum, ne dicam omnium, nomine Beatitudinem tuam convenio. Curam quam exposcimus, Reformationem vocamus Ecclesiæ... Quid enim

[1] Epist. dedicat. D. Guillelmi. *De perfecto mundi contemptu*. Colon., 1530 et 1533. — [2] SS. D. N. Leonis Papæ XIII, Epist. encycl. *Providentissimus Deus*. — [3] In fine Procemii Comment. *in Psalmos*. — [4] Vide infra *Revelationem secundam*, in Vita ejus, et *Epistolam ad Principes Christianos*.

Digitized by Google

in Ecclesia non est contaminatum, quid non corruptum, quid non inversum? Quid inter ecclesiasticos integrum hodie perseverat? Quid inter nobiles manet decorum? Quid sincerum inter plebeios?... Clamant pro Concilio universi... Tuum est remedium ponere; tuum est, o Pater, qui gregis dominici es pastor et custos, omnes ad universale incendium exstinguendum, quemadmodum olim a patribus factitatum est, convocare. Contagiosa hæc lues longius grassata est, quam ut absque generali reformatione possit eradicari... Hæc quomodo fiant, quomodo instituantur, quomodo serventur, beatissimus Pater Ordinis nostri Dionysius, secretorum divinorum, dum viveret, familiariter conscius, et in sacris litteris non minus illuminatus quam doctus, probe conscripsit. Siquidem hanc necessitatem (quæ ipsius quoque temporibus, licet minor atque modo, non defuit) providit, scribens propterea statui omnium quomodo suum unusquisque decorem servet incontaminatum. Hujus lucubrationes et opera, ut huic sancto Ecclesiæ negotio nos quoque inserviamus, B. T., Pater sanctissime, offerimus[1]. » Nec dissimilibus verbis, secundam Operum minorum seriem Imperatori Carolo V dedicans, idem D. Blomevenna Cæsaream Majestatem enixe rogabat ut Ecclesiæ unitatem fidei, integritatem morum pacisque tranquillitatem restitueret[2].

Demum, anno 1559, congregato jam dudum Concilio, D. Hammontanus, qui D. Blomevennæ in administrandam domum Coloniensem atque in edendos Dionysii libros successerat, tractatus omnes de variorum statuum reformatione conscriptos in unum colligens, opus R. D. Gebhardo de Mansfeld, Coloniensi Archiepiscopo, offerebat, ut notum foret « Dionysium hoc agere voluisse, ut Ordines omnes et Ecclesiæ catholicæ status, quantum in ipso esset, ad eam vitæ instituendæ rationem revocaret, quæ tum divinis tum humanis legibus omnibus præscripta sit[3] ».

Quousque vero tot ac tanti conatus profecerint, nunc tempus enarrandi non subest; sed quasi piaculum nobis merito objiceretur, XII illos Ruræmundanæ Cartusiæ alumnos prætermisisse, qui, eruditi disciplinis Dionysii (quippe qui Ruræmundæ monachus fuerat), anno 1572, pro Christo Jesu fortiter ac libenter mortem subierunt.

[1] Epist. dedicat. D. Blomevennæ. *Oper. minor.* tom. I. Colon., 1532. — [2] Epist. dedicat. D. Blomevennæ. *Oper. minor.* tom. II. Colon., 1532. — [3] Epist. dedicat. D. Hammontani. *Opera insigniora.* Colon., 1559.

Digitized by Google

3° Interdum omni ope atque opera enitebatur Dionysius ut infensos populi Christiani hostes retunderet. Neminem enim fugit quantas calamitates, hoc in tempore, ab ingruentibus Sarracenis passa sit Ecclesia, quanta pericula formidaverit. Quis autem, sicut Auctor noster, efficaciter mœstissimæ Matri condoluit? Secretorum Dei conscius, iram divinam in plebem Christianam noverat, et Constantinopolim diripiendam prædixerat : ideo tristitia magna illi erat et continuus dolor cordi pro fratribus suis. Sed quum parvi penderet dolorem cum lacrimis effundere super Orientalium Ecclesiarum, ac præsertim quatuor Patriarchalium sedium plaga[1], nec satis haberet novellam Cartusianæ familiæ in Geldria plantationem, cui Rector præfixus fuerat, *Sanctam Sophiam* nuncupasse, ut amissæ urbis quoddam vestigium remaneret[2], omnes insuper Christianos adversus communem hostem coadunare vehementissime exoptabat. Huc spectat opus majus in Alcoranum, atque, ut de aliis Epistolis, quæ decursu temporis exciderunt, taceamus, Epistola illa ad Principes, de instituendo bello adversus Turcas, qua reges omnes flens hortatur ut, sepositis discordiis et collatis signis, uno animo unoque impetu, in Christianæ reipublicæ hostem vires conferant. Habent utique sua fata libelli : obiit enim Dionysius anno Domini 1471 ; prima Operum ejus contra Turcas editio Ferdinando, Austriæ Archiduci, oblata est[3], et ecce, centum annis a morte Doctoris nostri revolutis, anno scilicet 1571, ab alio Austriæ Archiduce, prioris nepote, auspice Sanctissima Rosarii Regina, infidelium opes funditus confractæ sunt!

Obiit quidem pius Auctor antequam vota complerentur ; imo, ingravescente in dies temporum miseria, inanem operam insumpsisse morienti sibi videri potuit. Sed nos, quibus datum est oculis cernere quæ tot studiis quæsivit, et in exsultatione metere quæ sevit in lacrimis, Dionysium laude debita fraudari nefas habentes, scripta ejus e pulvere suscitare nostras partes esse duximus, rati qui in labore fuit certaminis, eumdem et in gloria triumphi esse decere. Ceterum in hac vita nunquam veritati datur summa victoriæ, quia devicto uno, alter succrescit hostis, et quasi de novo jugiter instauratur pe-

[1] *Epistola ad Principes*, art. III. — [2] *Annales Cartus. S. Sophiæ Constantinopolitanæ* a D. Gerardo Eligio. Ms. in Cartusia S. M. de Pratis. — [3] *Contra Alcoranum*. Colon., 1532.

renne illud inter Ecclesiam et principes tenebrarum prælium, cujus præmium est animarum salus. Porro e Scriptura didicimus quoniam militantibus in terra data sunt « verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi[1] », quibus scilicet et propria corda compungere et hostes confodere queant. Scimus denique quoniam Doctor quilibet catholicus in Ecclesia constitutus est tanquam paxillus in loco fideli super quem suspendant vasorum diversa genera[2]; et, attestante Propheta, si ablatus fuerit paxillus, « peribit quod pependerat in eo[3] ».

Hoc igitur Venerabilis Dionysii opus Magistris nostris et fratribus in Christo confidenter offerimus, quod, nec minoris momenti nec communis disciplinæ, plurimum Trinitatis gloriæ et animarum saluti (sicut ipse exoptabat Auctor) profuturum esse speramus. Res, ut nostra fert spes, ita feliciter succedat : et hoc nobis clementer præstare dignetur sanctissima Virgo et Mater, a qua Ordinem Cartusianum suam perseverantiam, Domum hanc suum nomen, et nos nostram sufficientiam accepisse gloriamur, et Cui hujusce Operis meritum, si quod est, et provectum libentissime adscribimus :

Totum muneris hoc Tui est;
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

[1] Eccle. XII, 11. — [2] Is. XXII, 23, 24. — [3] Ibid. 25.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA

BEATÆ MEMORIÆ

DIONYSII CARTUSIANI

AUCTORE THEODORICO LOER A STRATIS

VICARIO CARTUSIÆ COLONIÆ[1]

Commendatur Dionysius a discendi studio, a felicitate ingenii et memoria admirabili. Flagrat desiderio Cartusianæ religionis. Coloniæ disciplinis incumbit theologicis. Scriptorum Dionysii encomion.

DIONYSIUS, Cartusiensium Ordinis alumnus, vir magna sanctitate clarus, contemplatione sublimis, eruditione copiosus, mirabilis ingenio, memoria singularis, pietate incomparabilis, circa annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum, tam utilis mundo quam Deo carus floruit. Huic in Hasbania Leodiensis diœcesis, Rickel vicus patria fuit, distans ab oppido S. Trudonis stadiis non minus viginti. Parentes habuit admodum honestos, secundum sæculi fortunam non infimæ sortis, quibus avitum genus de Leuwis indidit cognomen. Ab his adhuc puellus extra patriam litteris traditur erudiendus. Inerat autem illi incredibile discendi desiderium, adeo ut noctu quoque (quemadmodum in libro de Munificentia Dei confitetur[2]) ad fulgorem lunæ sæpenumero excitatus, surgeret ad scholas exiturus, atque diem æstimasset, nisi domus fores invenisset obseratas. Erat etiam memoria præditus admirabili, qua semel quidquid legerat, sine gravi labore tenebat. Unde factum est, ut tam felicitate ingenii quam studii assiduitate, brevi mox tempore, non sine multorum admiratione, tam doctus evaserit, ut perfectis philosophis possit annumerari.

Verum quia optimæ indolis adolescentulo, non solum scientia, verum etiam pietas cum ætate accreverat: quod ab infantia meditatus fuerat, jugo Domini statuit innocentiæ suæ colla submittere. Cupiebat enim ante relinquere mundum, quam mundi laqueis irretiretur. Eam ob rem Cartusianæ eremi desiderio flagrans, quid ageret, quomodove id impetraret, nesciebat : nam vicesimum necdum attigerat

[1] Ex editionibus Coloniæ ann. 1530, 1532, 1535. — [2] Art. XXVI.

Digitized by Google

annum, quam ætatem Ordo ille in suscipiendo exquirit alumno. Porro in sæculo manere, et inter castitatis naufragia tutum enatare, haud possibile videbatur. Itaque amore Cartusiani instituti in dies crescente, visum fuit, licet nimium adhuc adolescenti, duabus in domibus Cartusiensium instando tentare, si illorum sodalitio ac institutis sociari mereretur. Festinat igitur ad Cartusiam montis S. Joannis Baptistæ in Zeelem prope Diest; inde Ruræmundam, quæ est Geldriæ oppidum, concedit : in utraque preces offerens; sed utrobique ab earumdem domorum Patribus, quia per ætatem aliter non licuit, receptio ejus potius differtur, quam negatur. Itaque desiderio suo tunc frustratus Dionysius, quod animo cœperat, non propterea abjecit, sed in tempus magis distulit opportunum.

Verumtamen quid ageret interea, quomodove tutus mundo imponeret, et Cartusianæ aptiorem se redderet solitudini, dum animo tractare cœpisset, in mentem ei venit, quod post exercitia illa spiritus ad Deum affectiva, quæ maxime in Ordine illo, quem erat ingressurus, frequentantur, nihil sibi foret dulcius, nihil commodius, quam intelligentia Scripturarum. Igitur nihil moratus, evestigio Coloniam Agrippinam se contulit, ubi Academiam noverat Germaniæ celeberrimam : in qua Theologiæ studiis se applicans, ut fieret doctissimus, operam omnem navavit. Ubi quantus evaserit, testatur liber quem de Ente et essentia illico post adepta magisterii insignia scripsit; testantur et libri ejus ceteri, quos in Ordine subinde scripsit Cartusiano, a doctis semper laudati, potissime super utriusque Testamenti paginis, aliique varii ac pene innumeri : adeo, ut in Ecclesia Dei, qui tantumdem scribendo sudaverit, qui tot libros eruditione juxta ac pietate refertos ediderit, parem habuerit neminem. Cui tametsi Abbas Spaenhemensis[1] solum præferat Augustinum, quem nos quoque, si de eruditione ac pietate certetur scribentium, præferimus, certissimum est tamen, ex his quos ipse in suo de ecclesiasticis scriptoribus recenset libro, neminem quanta Dionysius hic Cartusianus, scripsisse. Unde conjicio Abbatem Spaenhemensem Dionysii libros non omnes vidisse. Quorum profecto tantus est numerus, ut juranti etiam mundo non crederem possibile fore, tot libros eodem auctore natos prodiisse, inter quos grandia plurima sunt volumina, nisi unius Dionysii et ingenium et stilum, manum quoque ac characterem, prorsus eadem ubique conspexissem. Suos enim ipse conscripsit libros, relegit, correxit, rubricaque illuminavit. Quæ omnia notissima, singularis manus ejus et character testantur. Et hoc quidem pro constanti relinquimus.

Unde neminem audivi qui viri hujus laborem sine stupore viderit, qui non senserit mecum, absque ingenti miraculo fieri non potuisse, ut unus vir tot scripserit libros, quantum ipse æstimandus est non habuisse temporis, imo (ut verius dicam) quantum incredibile videtur etiam quemlibet alium ab omnibus feriatum posse legere. Nam, ut ceteras ejus occupationes quibus a scribendo fuit remoratus taceam, certe in Ordine illo vixit Cartusiano, a cujus divino Officio, quod satis est prolixum, nunquam abfuit, in quo Procurationis et Prioratus officia aliquanto tempore obivit. De monasterio abstractus a Domino Cardinale Nicolao de Cusa, Summi Pontificis Legato, aliquamdiu Ecclesiæ negotiis servivit. Contemplationi præterea ac

[1] Trithemius.

Digitized by Google

orationi modo peculiari fuit deditissimus. Porro lectioni ac studio (quod in libris ejus est manifestissimum) pene assedit continuus. Ad hæc ex tota pene Germania pro consiliis ad eum confluebant innumeri, adeo ut in dandis consiliis et epistolis scribendis fere nunquam non fuerit impeditus. Accedit postremo, quod in monasterio tunc suo non habuit quibus indigebat, quibus et usus est libris. Inde illi occupatio immodica parabatur pro codicibus aliunde conquirendis.

Verum hæc de multitudine librorum, in quibus si diligens sit lector, si non invidus spectator, perinde inveniet quod possit mirari : adeo namque plenus est eruditione, adeo copiosus varietate, adeo pietate refertus, ut nihil supra. Videbis plane, quam nihil quod ceteris perspicuum fuerit, illum fugerit ; quam multa insuper quæ non quæsieris, quæ non speraveris, ad suavitatem et pro desiderio tuo administret. In lucubrationibus tamen suis ubique circa Scripturæ textum versatur, nec ostentandi se ullam admittit occasionem, qua ab instituto divagetur. Accedit præterea ad Dionysii laudem, quod in illius libris nihil fucatum, nihil tumidum, nihil habeatur a piis moribus alienum, sed, ut dixi, eruditio tam lucida quam abundans : adeo ut nihil in illius libris tibi desiderandum restet, nisi fortasse elegantia verborum stilusque venustior. In quo tamen potest excusari, quippe qui suo scripsit sæculo, suæ ætatis hominibus, atque eo tempore, quo lingua Latina, præsertim politior, neque in usu, neque in pretio doctis fuit. Nam si in nostra incidisset tempora, si præceptores litteratos et libros sortitus fuisset Latinos, quum ipse fuerit litterarum desiderantissimus, crederemus etiam in politioribus illum vix alicui fuisse secundum. Obsecro autem eos qui hæc sunt lecturi, per Christum, ne ita me putent velle extollere Dionysium, ut ceteros deprimam, aut quibus anteferendus non est, hunc anteponam. Manet singulis sua præminentia, quæ non superatur ab aliis. Pari modo huic nostro Dionysio tribuendum est, ut in ipso præmineat aliquid eidem singulare, quod desideretur in ceteris. Hunc virum, o lector, hujusque eruditionem, et Cartusiana religio et Ecclesia omnis catholica, acceptum referre merito debet Academiæ Agrippinensi, in qua studia sua initiatus, tantus evasit, ut in eremo etiam Cartusiana postea toti fieret notus orbi, cunctisque et doctis et piis celebris haberetur. Nam de illo Summus etiam Pontifex Eugenius[1] dixisse fertur, quando librorum ejus quemdam sibi vidit oblatum : « Lætetur mater Ecclesia, quæ talem habet filium. »

Rurœmundœ monachus factus Dionysius, devotione, humilitate et abstinentia admirabilis fuit.

Igitur, ut ad enarrandam vitæ ejus conditionem pergamus, ab Agrippina Colonia recedens, Ruræmundam concessit; ibi Cartusiam desideratam repetens, posthabitis omnibus, monachum se Deo consecravit. Ubi mox ut sacrum habitum suscepit, tam religiose, tamque integre vixit, ut etiam perfectis viris in se ostenderet quod dignum foret imitari. Adeo namque se a mundi amore abstraxit, adeo ab otiosis

[1] Eugenius IV (1431-47.)

Digitized by Google

congrediens vincebat. Dejiciebat equis tenera mulier armatos viros, et suo clam adjuta amatore, mundo sic diu illusit. Sed quid misericordia divina profundius? Quid consiliis ejus super filios hominum investigabilius? Hæc tandem in se reversa, consilio viri Dei, quum Reverendissimus dominus Cardinalis de Cusa adesset, quem (ut supra dixeram) comitabatur jam Dionysius, ad pœnitentiæ remedia confugit. Siquidem Dionysii monitis et orationibus confortatam, non propria facinora, non sacrilega promissa, non scriptum chirographum, non denique ex amatore jam hostis minæ poterant illam a spe divinæ miserationis absterrere. Sed post innumera flagitia, post fœdissimas abominationes, post spurcissima cum diabolo commercia, rupto sacrilego fœdere, ad divinæ clementiæ sinum peccatrix lacrimabunda cucurrit. O Dionysii zelum ac sapientiam! O mulieris fidem! O Christi infinitam misericordiam! Quis crederet hanc diaboli jam faucibus absorptam, posse aliquando emergere? Quis speraret eam, quæ diabolo se dediderat, ex illecebroso ejusdem stupro, quo fuerat polluta, in adoptionem filiorum Dei posse redire? Verum quod hominibus videtur impossibile, facillimum benignissimo est Creatori. Itaque hæc infusa lacrimis, ad Cardinalem est adducta. Ibi amatori suo diabolo abrenuntians, iterum se Christo devovit, factaque eidem criminum suorum confessione, et pœnitentiæ haud exiguo labori adstricta, a peccatis omnibus et diaboli pactis absoluta est. Et ita quidem licet esset Christo reconciliata, non tamen ab improbissimi incubi est penitus vexatione liberata : divina, quod reor, justitia id permittente, ut cui se olim ultro consignaverat ad culpam, per hunc modo vel invita peteretur ad pœnam. Itaque sæpenumero improbus ille ad eam veniens, aut futura nuntiabat, aut quocumque poterat modo, a pietatis studiis illam impediebat. Unde venerandus Pater Dionysius (quia tunc morabatur extra monasterium suum cum Cardinale, et libertate, qua potiebatur, servire Christo cupiebat), quum Fratres suos in Ruræmunda adiret, sæpius quoque hanc pœnitentem mulierem confortaturus visitabat.

Verum diabolus invisum habens Dionysium, quod præda hac tam nobili et aliis compluribus per eumdem fuisset spoliatus, quum illum sentiret advenire, præcurrens ad Gebulam : « Ecce, inquit, *der Taterbek unde wynsuper compt uch besueken.* » Quod Latinis sonat : Impeditæ linguæ homo, vinique ingurgitator, invisurus te accedit. Hæc autem dicebat, nitens Dionysium aut probris ad indignationem commovere, aut ab ejus veneratione mulierem avertere. Revera enim Dionysius minus expeditam habuit linguam, minusque facundam. Utebatur etiam tunc vino ad refocillationem corporis, ex labore studiorum exercitiorumque aliorum attenuati : quamobrem calumniam illi diabolus struere nitebatur. Verum nihilo minus parum diaboli calumnias vir Dei formidabat, quin etiam magnopere illa agere contendebat, quæ diabolus calumniaretur. De hac muliere Dionysius in secundo, quem super Sententias scripsit, libro refert se vidisse cicatricem, unde sanguinem ipsa homagium diabolo scriptura eduxerat.

Postulat nunc res, ut huic facto simile aliud virtutum ejus referam, licet non eodem tempore gestum. Est castrum Hornæ, non longe a Ruræmunda trans Mosam ædificatum, cui præfuit olim generosus dominus Godefridus de Ulodorp, Cartusiæ Ruræmundensis et amicus et benefactor. Ad hunc locum Dionysius, dum ex Busco-Ducis (ubi Cartusiæ jampridem ædificari cœptæ præfuerat) reverteretur, amicitiæ

Digitized by Google

gratia quasi ex itinere divertitur. Contigit tunc Præfecti uxorem, dominam Catharinam, gravi infirmitate tentam, et paulo post morituram, horribilibus signis motibusque se huc illucque in lectulo vertere, et quasi aut fugæ aut defensionis præsidium quærere. Erat enim timore nimio perculsa, et propemodum desperatione victa. Adductus Pater Dionysius, confestim ut intrat cubile, videns multitudinem horrendorum spirituum, haud aliter atque examen apum volitantium, exituramque animam exspectantium, magna voce clamavit: « Filioli, quid video? Sine mora, omnes, quæso, accurrite. Festinate, et ad orationem genua flectite ; hic locus, ut atomis radii solis, dæmonibus plenus est. » Hæc dicens, quum exire vellet cubile, mulier ægrota, qua tum poterat virtute, vestes Dionysii apprehendens, tenuit illum et clamavit : « Heu ! Pater, noli me derelinquere, in fide tua hodie serva me. » Conversus Dionysius stetit ; et fide solita in dæmones armatus, oratione qua potuit ardentissima ad Deum fusa, vi devotionis ac caritatis pugnabat. Ad cujus orationem divina mox virtus adveniens, turmam illam immundorum spirituum omnem profligavit. Nam dæmones orationum ejus violentiam quum diutius non possent ferre, clamaverunt : « Heu heu ! quam violentiam ab hoc cucullato patimur sene ! » Et excutientes baculum, cui innitebatur, de ejus manibus, procul jecerunt. Cunctis quoque adstantibus reliquis (licet nullus horum dæmones videret) et rei finem exspectantibus, spiritus infernales oranti Dionysio alapam dederunt violentam, vehementerque gravem, cujus vestigiis cicatriceque, dum vixit, visus est nunquam carere. Ad hanc tamen injuriam nihil motus Dionysius, perstitit in oratione. Spiritus vero maligni, patientia ejus territi, fugerunt, mulierem deserentes.

Rediit igitur interea ad spem veniæ, et animosior fâcta est, quæ paulo ante desperatione fuerat perculsa, nec aliud exspectabat quam infernali se puteo jam jamque absorbendam : fuerat enim in vita non minus vitiis quam opibus abundans. Amori quoque sæculi, ceterisque vanitatibus, atque adeo illecebris carnis servierat nimium occupata. Verumtamen Dionysii orationibus (ut dixi) munita, fugatis tenebrarum ministris, tranquillitati mentis et fiduciæ bonæ in Deum restituta est. Tunc adstantibus dicit Dionysius : « Laudate, carissimi, et magnificate misericordiæ viscera Dei nostri, qui huic animæ donavit salutem. » Mulier etiam magna contritione et spe veniæ roborata, mox spiritum in manus reddidit Creatoris. Post hæc descendens de castro Dionysius, advenientem habuit obvium dominum Godefridum, defunctæ maritum. Cui blandiendo apprehensam illius trahens auriculam : « Quid agis (inquit) hic, o fili ? Non tibi hic expedit diutius morari. Festina hinc egredi, ne te pejora involvant. » Paruit ille jussionibus viri Dei, atque locum continuo mutavit.

Hæc pauca dicta sint ex multis, ne videatur mirum quamobrem virum Dei Dionysium diabolus odio sit persecutus. Continua enim inter illos versabatur pugna, quorum studia fuere contraria. Diabolus enim moliebatur animas dispergere, Dionysius studebat colligere ; ille vulnerabat, hic sanabat ; ille jugulabat, hic per gratiam Dei resuscitabat. Atque ideo sanctis non solum orationibus et exhortationibus Dionysii invidebat diabolus, sed etiam quibuslibet ejus piis studiis erat molestus. Maxime autem ferebat moleste, quod Dionysius scribendis libris piis, elucidandisque Scripturis sanctis assidue adsisteret : inde enim sibi formidabat majorem spoliorum suorum jacturam. Quapropter aliquando terrore, aliquando strepitu,

Digitized by Google

interdum ad ostium cellulæ ubi scribebat, pulsu, Dei hominem ad impatientiam aut tædium, aut ut a scribendo cessaret, nitebatur perducere. At Dionysius fide munitus, semper illum contempsit. Semel etiam quum dæmonis tanta urgeret improbitas, atque quam placuit Dionysio foret molestior, surrexit vir Dei, et occurrens contra diabolum se ingessit, dicens : « Quid tibi visum est, improbe, famulum Dei tanta præsumptione inquietare, atque tuis incursibus molestiisque impedire? Tu animosum te simulas, quum sis bulla et nihil; nobis vero Deus dedit animum et virtutem præstigia tua contemnere. Abi igitur hinc ocius, et posthac non rediturus ab hac dementia tua desiste. » Paruit ille licet invitus, nec deinceps scribenti Dionysio molestus fuit.

Utilius in solitudine quam in mundi vivitur perturbatione. Efficacia orationis Dionysii declaratur miraculo. Episcopus quidam a Dionysio corripitur. Prævaluit Dionysius oratione contra episcopum. Ostenduntur Dionysio episcopi crudelissimæ pœnæ.

Dicet fortasse quis, illum profuisse mundo, dum extra monasterium, vel auctoritate Cardinalis evocatus, vel ab Ordinis sui Superioribus ad officia institutus, inter homines moraretur; non item profuisse, dum in cella sederet solus. Haudquaquam. Quin potius multo uberiorem frugem credendus est intulisse in solitudine, quam si vixisset in mundi perturbatione : quandoquidem tunc et animus ejus ad Deum purior, et oratio potuit esse ferventior. Nam discursus, labores, curas, sermones, ad extremum conatus omnes, quis nesciat arduis in rebus sæpenumero fuisse inanes, donec viri cujuspiam Deo dilecti, vel procul constituti fervida ad Deum fusa oratio iis robur daret et fructum? Moysis, Eliæ, Elisei, Danielis (ut priscos aliquot ex multis recenseam) orationes, dicat, quæso, quid valuerint mundo, hoc est, quid afflictis contulerint liberandis, quid nocuerint adversariis superandis, quæ beneficia impetraverint mundo, quæ mala sustulerint e medio, quoties denique mundum reconciliaverint Deo : et inveniet externis curis atque laboribus, quibus distrahitur animus, longo intervallo anteire orationem, hanc videlicet, quæ cum fervore devotionis ac puritate cordis funditur. Quæ profecto solitudine, silentio, corporis castitate, continentia sensuum, ceterisque quum eremi, tum monasticis institutis juvatur atque fulcitur maxime. Hæc namque oratio, utpote pura ac fervens, mox cœlos penetrat, vim facit Omnipotenti; cogit invincibilem, et immutabilem Deum a justitia ad misericordiam flectit. Atque ideo, qui orationi atque contemplationi hoc modo vacant, haudquaquam in Ecclesia Dei otiosi sunt, sed utilissimi, quamlibet abditissimis etiam fuerint locis inclusi.

Hæc dicta sint in eos, qui quum dies suos nugis et fabulis conterant, aut gloriolæ humanæ studeant, audent quasi occupati contemplativorum sanctum otium calumniari. Quod si etiam absque malo animo plerique cum Martha in his conquerantur, non oportet tamen illorum dictis offendi, quæ Christus olim refellens, Mariæ partem, hoc est contemplationis et orationis officium, prætulit actioni. Eam ob rem adamavit Dionysius noster Rachel suam, prætulitque Liæ : nec sine

Digitized by Google

stomacho ferre poterat, si quis vel de monachorum statu, vel de religione minus digne videretur sentire. Quare cuidam monasticæ religionis æmulo doctori scribens, temeritatis illum arguit his verbis : « Dole de tam usurpatis et periculosis judiciis, nec pronus sis judicare religiosos. O quam parum agnoscis quid operetur Altissimus in veris solitariis! quos abscondit in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, et protegit eos a contradictione linguarum; quos ducit in solitudinem, ut loquatur ad cor eorum; quorum mentes perstringit, et ducit eas ad gaudia silentii, ad diem qui est sine tumultu, in regionem lucis immensæ, ad mysticas visiones, et theoriæ contemplationis sinceritatem, ad raptum et ecstasim : ita ut in sanctæ Deitatis, in æternæ veritatis abyssum demersi, supernaturales fidei veritates et ordinem credendorum ecclesiasticæque hierarchiæ, ineffabiliter clarius ac certius intueantur, quam ex scholastica notitia conspici queat. Nonne fortius est lumen gratiæ, quam naturæ; illuminatio, quam exercitatio; supernaturalis inspiratio, quam scholastica disputatio? Certe sicut in statutis nostri Cartusiensis Ordinis fertur, baptismata lacrimarum, fervores orationum, excessus contemplationum, nulla re magis quam solitudine juvantur. Non ergo despicias talium scripta ac monita. » Hæc Dionysius. Quibus revera non alia testatus est, atque in se fuerat expertus. Nam in cella quamlibet inclusum, compertum est orationibus suis homines et loca varia sibi ignota protexisse. E quibus ne omnia simul tacere videar, unum aut alterum commemorasse sufficiet.

Illustrissimus dux quidam, cujus nomen modestiæ causa tacemus, misso nuntio rogabat Dionysium, ut Omnipotenti supplicans, revelationem sibi fieri peteret, atque instructionem de fine eventuque belli, quod parabat in Adolphum filium sibi rebellem, simulque oraret, ut bello gloriam daret patris victoria. Jam enim palam factum erat, Dionysium sua apud Deum oratione posse multa, revelationibusque dignum haberi. Itaque accepto nuntio, vir sanctus id nullo modo se facturum respondit, nec posse huic impietati, cujus inter patrem et filium auctor esset diabolus, orationibus suis opitulari. Oravit tamen per integram ferme noctem, satagens calamitatem hanc infelicissimam imminentem, futurasque inde belli ærumnas, animarum excidia, ac postremo miserabilem patriæ destructionem deprecari. Neque enim id quod dux rogaverat, sed quod Deo dignum, quod patriæ foret salutare, æstimabat orandum. Orabat igitur, ne tam horrenda mala, cædes corporum, perditiones animarum, ne denique tot injurias atque contemptus nomini suo glorioso fieri sineret Deus. Orabat ne pater suas manus filii sanguine, aut e diverso filius sanguine se paterno pollueret. Sic oranti ac flenti ecce apparuit angelus Domini, qui Dionysio, si non resipiscant ad pacem principes, et nisi cum clero vulgus ad pœnitentiæ lamenta emendationemque vitæ se convertant, mala futura per ordinem cuncta prænuntiavit. Docuit præterea quemadmodum præmoneret principes furore obstinatos, ac quomodo patria ipsa placatum sibi redderet Deum, jam olim sceleribus offensum. Ad hæc nihil moratus Dionysius, ducibus epistolam scripsit, haud satis accuratam, tamen virtute et spiritu plenam; eamdemque tam patri quam filio misit. Interim vero, ut illorum corda emollirentur, Dominum rogavit. Paruerunt principes monacho æque humili ac sancto, nec aliter ab eo quæcumque monuit, quam Dei jussa, ut erant, acceperunt. Multum certe ac sæpius ante fuerat tentatum per principes,

Digitized by Google

per proceres, per doctores, idque modis omnibus quibus tractari poterat humanis, ut non solum manifesta persecutione, verum etiam simultate quacumque exstincta, pater et filius naturæ fœdera non violarent. Sed excludebatur omne consilium, nihilque erat reliqui, quam ut sanguine manus impias commacularent. At Dionysius, imo virtus divina in servo suo Dionysio, quem glorificare coram gente illa instituerat, orando hortandoque, bello finem, principibus amicitiam, patriæ reddidit pacem. Mirabantur omnes, ac novis gaudiis tripudiabant, quod invisus bellorum apparatus felici omine in pacem subito mutaretur. Nec tamen diu patriæ incolas latere potuit pacis auctor. Quapropter ad viri Dei venerationem conversi, vocabant eum, rustico more, Virum qui angelo loquitur.

Non ab re putari debet, quoniam principum fecimus mentionem, si de episcopo etiam Leodiensi narrationem historiæ prosequamur. Fuit hic, de quo loqui volumus (neque enim nominatim traduci par est), vir sæculo quidem idoneus, at qui minus quam par fuit præstaret episcopum. Hic spectacula, torneamenta, ceterosque id genus ludos militares in pia illa instituit Ruræmunda. Sic enim placet, nec immerito quidem, pium illud vocari oppidum, quod hactenus prædicatum fuit devotioni aptius quam vanitati ; nec hodie puto tam refertum armis, quam doctis piisque viris. Itaque ad hanc Ruræmundam undecumque advocatos nobiles dum ipse in oppido exspectaret, necessariaque theatricis his ludis vir ecclesiasticus provideret, accidit illum interea Cartusiam petere : ubi postquam cum Dionysio (quem sanctitatis opinio magnum atque multis effecerat celebrem) varia contulisset, non erubuit se jactitare, quam magnis impensis militaribus his ludis inhiaret, quamque daret operam nobilibus excipiendis et magnifice tractandis. Ingemiscens Dionysius : «O, inquit, Reverendissime Pater, hæc et si admittenda sunt principibus, ecclesiasticis tamen viris, et præcipue episcopis penitus non conveniunt. Indignissimum est ac prorsus iniquum, ut Christi patrimonium in scenicos hos usus profundas. Parce igitur, quæso, reverentiæ tuæ, Pater : episcopus es. Parce honestati clericali ; parce vel tandem pecuniis, et ab hac dementia prorsus desiste. » Ad hæc episcopus : « Scio me episcopum, cui hæc profana spectacula jam olim sacri canones interdicunt. At fatearis etiam necesse est, me principem esse, ducem, marchionem atque comitem, quos arma venustant, quibusque judicia imperiaque temporalia subsunt. Horum nunc munus mihi obeundum est.» Cui Dionysius : « Non propterea, Pater, episcopus es factus, ut principem geras aut ducem ; sed ut præstantior digniorque habearis episcopus, utque malis terribilior, atque ad tuendas Christi Ecclesiæque leges sis potentior, datus est tibi ab Ecclesia principis et gladius et honor. Itaque officium tuum est gregis dominici curam agere, diaboli laqueis irretitas animas eruere, oves tibi commissas Dei verbo pascere, aberrantes reducere, resipiscere nolentes ad ovile compellere, præstare te Christi vicarium, non mercenarium sed pastorem animarum agere, ovibus exempla sanctæ conversationis quasi iter ad sequendum ostendere, odore bonæ famæ præire : atque, ut simul multa dicam, gregem tibi commissum cœlis introducere, non ad inferna detrudere. Inter hæc autem, quum omnia etiam bene feceris, scire quod servum te vocat inutilem Dominus. Unde tibi cavendum est, nobisque vehementer mirandum, quum tua sollicitudo pro singulis animabus tibi commissis rationem sit redditura ne vel una pereat, quomodo per ignaviam tuam

Digitized by Google

quasi securus possis vel audeas de ludis et spectaculis militaribus cogitare. Quid, quæso, Pater, Deo respondebis pro creditis tibi animabus, quas interea hoc diabolico negotio tu ipse scandalizas? Qua fronte audebis apparere coram judice Christo, cui tu animas, pretioso ejus sanguine redemptas, abducis, ac morti æternæ tradis, quorum lacte et lana abstractis, tu in deliciis vivis? Ut quid Ecclesiæ bona, quæ pauperibus et divino cultui erogare deberes, in scenica hæc spectacula, ad Christi opprobrium, ad Ecclesiæ dispendium, in perditionem animarum luxu tuo profundis? Quod si omnino, quæ digna sunt pontifice, renuis agere, parce saltem ovibus : quandoquidem minoribus impensis ac laboribus potes tu solus æterna tibi tormenta comparare. »

Hæc episcopus audiens, tam indignabundus quam sui propositi pertinax abiit. Cui jam recedenti dixit Dionysius : « Rogavimus te, Pater, ut, quoniam in religionis positus es exemplum, spectacula hæc vana non perficias in perniciem animarum, sed audire contemnis. Rogabo potentiorem Dominum, cui te quoque (velis, nolis) subjectum esse oportet : hic me exaudiet, hic insipientiæ tuæ conatus, etiam te invito, impediet. » Surrexit episcopus, et nescio quid secum stomachans, relicto Dionysio, quod cœperat moliebatur perficere. At contra Dionysius illum prævenire festinat. Siquidem ad Dominum conversus, eisdem utitur et contra diabolum et contra episcopum armis, fletu videlicet et oratione. Quid moror? Nihil profuit episcopo inflata potestas; nihil contulit ei, quod perficeret, industria accelerans. Plus valuit oratione Dionysius. Nam episcopus, mox ut abierat, antequam pervenisset ad domum suam, podagræ doloribus vehementissimis corripitur, adeoque pedibus dolet, ut ludos et torneamenta, quæ ante noluerat intermittere rogatus, nunc cogatur non exsequi, etiam invitus. Itaque post inutilem magnæ pecuniæ erogationem, post infamiæ notam, quidquid episcopus præparaverat, quidquid instituerat, quidquid cœperat, intermissum desiit. Ipse vero postea doloribus aliquantulum remissis, quamprimum gressum potuit recuperare pedum, plenus irarum Cartusiam accessit; et conquerens cœpta sua Dionysii orationibus destituta, se vero doloribus propterea ac ignominia etiam affectum, verbis eumdem asperioribus mulctavit. Verum æquanimiter hæc Dionysius toleravit, gaudens etiam, quod pro Christi gloria dignus esset vel ab episcopis contumelias pati.

Utinam tales hodie multi essent Dionysii, quomodo huic episcopo nimium similes inveniuntur pontifices. Atqui si miserabilem postea hujus defuncti sortem attenderent, nec aulicorum adulationibus acquiescerent, ad meliora fortasse quamprimum se mutarent. Nam hunc, quem præfati sumus episcopum, postea defunctum (quum pro eodem Dionysius, post Matutinas in festo divæ Catharinæ virginis in cella vigilans oraret) vidit duobus teterrimis giganteæ formæ spiritibus ante se adductum, ac ardentibus flammis circumseptum. Qui dixerunt : « Ecce, pro quo oras, dominus tuus. » Intuens illum Dionysius diligenter, vidit circa ventrem et genitalia ejus immensum agmen serpentium et bufonum, qui miserum corrodebant. Fuerat enim in vita, præter vanitates alias episcopo indignas, in concupiscentiis feminarum, virginumque stuprator. Expavit vehementer vir sanctus, admirans æquitatem judiciorum Dei; et cogitans illud, quod potentes potenter tormenta patientur, advertit illum esse damnatum, quippe quum nihil pro se miser flagitaret suffragii, nihil orationis, et subito a nigerrimis illis Æthiopibus ab oculis intuentis abriperetur.

Digitized by Google

Defunctis debita nulla ratione differenda, miraculo ostenditur Dionysio. Familiaritas cum Deo fiduciam Dionysio parit orandi pro patre suo. De Joanne Lovaniensi visio.

Ceterum quia hic defuncti unius memoriam fecimus, de spiritibus defunctorum hoc generaliter tenendum est, sæpissime Dionysio hos apparuisse, quæsisse etiam pœnarum remedia, quæ ille vir spiritu et corpore infatigabilis, liberalissime impertiebatur. Interrogatus aliquando a Fratre Carolo, ministro suo admodum dilecto, Deoque devoto, an sæpenumero animæ illi apparuissent defunctorum, respondit : « Etiam : imo centies atque centies. » Novitius quidam, non longe ab oppido sancti Trudonis natus, Ruræmundæ in Cartusia ex infirmitate ad extrema vitæ devenit. Huic Dionysius promisit post mortem duo legere psalteria, quæ ille novitius, nisi morte fuisset præoccupatus, solvere debuisset. Verum quia multorum tunc dubia conscientiarumque scrupuli variis ex locis ad Dionysium continue deferebantur, quibus sine mora fuerat respondendum, contigit Dionysium sic occupatum quod promiserat differre. Defunctus igitur novitius, quia suffragiis egebat, ad Dionysium rediit ; et tarditatis illum arguens, dure objurgavit. Ad hæc Dionysius quum se justam putabat excusationem producturum, adeo ad novitii hujus increpationem subito obriguit, ut ne hiscere quidem auderet. Itaque intelligens defunctis suffragii debita nulla esse ratione differenda, et ipse deinceps tarditatem cavit, et alios ut caverent præmonuit.

Fratrem quemdam suæ domus, ex eorum professione quos Donatos vocant, jampridem sepultum, post Matutinas in cella sua reperit flammis ardentem. Quem interrogans, quis esset quidve peteret, audivit : « Frater sum tuus, nuper hac luce defunctus. Conqueror autem quod negligentius justo mecum agunt Fratres. Nam non solum caritate exuberante non mihi subveniunt, verum etiam vincente socordia, quæ mihi debent ex obedientia Ordinis, differendo non exsolvunt. Quapropter nisi correxerint se, et suas et meas postea dabunt pœnas. » Correpti Fratres hortatu Dionysii, defuncto suffragia ocius impenderunt.

Venerabili cuidam sacerdoti, in ordine Cartusiano tunc novitio, spiritus quidam in illius cella molestus fuit. Siquidem strepitu et pulsu Fratrem a quiete somnoque deturbabat. Perlata est querimonia ad virum Dei Dionysium. Qui respondens : « Dicite, inquit, novitio, ut in hunc modum spiritui imperet : Vade ad Fratrem Dionysium. » Res mira ! Paruit Dionysio novitius, paruit et novitio spiritus. Nam relicto novitio, ad Dionysium venit. Dionysius vero hunc adesse sentiens, tanto mox orationum fervore flagellavit, ut jam illi neque novitium neque Dionysium liberet repetere ; sed abiens pœnisque omnibus solutis, ad Deum avolaret.

Captus est aliquando Dionysius magno desiderio sciendi quomodo haberet anima patris sui jampridem defuncti. Fiducia igitur, quam familiaritas quædam ad Deum illi pepererat, roboratus, post Vesperas die quadam in cellæ suæ oratorio procidens, ubi esset anima patris sui certiorem se fieri precabatur. Quum autem diu hoc desiderio in oratione perstitisset, vocem audivit sibi respondentem : « Quid pro anima

Digitized by Google

patris tui adeo te sciendi curiositas torquet? Numquid non pium est pro defunctis orare? Ora igitur pro tuo patre, qui si in pœnis est, et in gratia Dei e vita excessit, tua oratione refrigerabitur; sin minus, in sinum tuum oratio redibit. » Hoc responso cœlitus accepto, Dionysius perseverat nihilo minus pro patre orans; non tamen quomodo ante, de secretis Dei investigando, sed ut requies detur defuncto. Interea quadam nocte dum levi teneretur somno, vidit patrem suum inter duos spiritus Æthiope nigriores teneri medium, atque valida ad se voce clamantem : « Fili amantissime, miserere mei, et tuis orationibus patri succurre. » Quod verbum statim ut emisit, abstractus a dæmonibus, et camino ardenti injectus, cæditur, virgisque ferreis flagellatur. Hæc licet in somnis viderit Dionysius, cujusmodi visionibus nunquam arbitratus est tutum credere, nihil tamen de veritate hujus dubitavit. Quapropter non destitit orare pro patre donec ille desiit esse miser.

Alia multa ex spiritibus sibi apparentibus didicit, multa quoque illis laborum et orationum suarum impendit, quæ nemini manifestavit. Hæc enim sola non tacuit, quæ ne taceret, necessitas imperavit. Sæpe namque necessarium fuit nonnullis indicari, cur torquerentur certæ animæ defunctorum, ut viventes et negligentiæ suæ pœniteret et mortuis opem ferrent. Quapropter operæ pretium est de Magistro Joanne Lovaniensi adhuc referre, cujus post mortem ærumnam nec Dionysio licuit omnibus tacere. Hic ævo suo venerandus, vir bonæ ac integræ vitæ fuit, sobrietatis quoque, honestatis ac pudicitiæ custos, religionis amator, justitiæ tenax, et (quod rarissimum est) qui magnopere publicum bonum suo anteferret. Hujus hic laudem recenseo propterea, ut discatur, quibus meritis pericula evaserit æternæ damnationis. Siquidem nisi tam præclaræ fuissent in eo inventæ virtutes, nisi tanta etiam contritione pœnitens sæculo emigrasset, ob ecclesiastica beneficia quæ multa posséderat, supplicium æternum, quod multi hodie non formidant, non evasisset. Et licet ex beneficiis congestas pecunias in piissimos expendisset usus (nam Canonicorum Regularium in Ruræmunda ædificavit dotavitque cœnobium, et Coloniæ atque Daventriæ S. Hieronymi collegia), post mortem tamen diu et gravibus est cruciatus purgatorii pœnis. Nam et quia sepultus in choro Cartusiensium fuerat Ruræmundæ, anniversarium pro animæ ejus salute annis singulis ab ejusdem loci Patribus celebrabatur. Itaque dum primum ejus ageretur anniversarium, et jam in Officio defunctorum ad canticum Zachariæ ventum esset, Dionysius vigilantibus oculis contuitus est super defuncti sepulcro, in modum feretri flammas igneas se conglobasse, quæ fumi obscuritate atque sulphuris fœtore visu erant horribiles. Exterritus Dionysius, Fratrem qui juxta stabat pulsans, admonuit ut respiceret; sed illo nihil vidente, spiritualis visionis esse mysterium intellexit, atque vehementer doluit, recolens defuncti sobrietatem atque integritatem. Flebat autem potissimum, quod nesciret purgatoriine an gehennæ incendia hæc visio significaret. Redit sequenti anno anniversarius dies, quo perinde ac superiori speciem ignis juxta defuncti monumentum Dionysius conspexit; flamma tamen erat magis tenuis, clarior ac mitior. Porro tertio anno raptus Dionysius in ecstasim mentis, jam non ut ante, corporeis oculis, nec imaginaria, sed intellectuali (ut ita dixerim) visione didicit futuram defuncti salutem, videns simul judicia Dei mirabilia, occulta investigabiliaque, et certa alia, quæ fas non erat nec possibile effari. Quapropter scripsit cuidam, qui defuncti

Digitized by Google

testamentum curare debuerat et exsequi, admonens ut omni mora posthabita, defuncto suffragia acceleraret.

Optarem hic plura ad legentium ædificationem narrare, ex his quæ per virum Dei circa defunctorum animas gesta sunt, nisi quorumdam formidarem de prolixitate fastidium, tametsi præter hæc supersint alia pene innumera non circa defunctos tantum, sed etiam circa viventes, quæ illi revelavit Deus, ab eodem semper abscon-sa, nobisque penitus occulta. Hæc enim sola de futuris aut etiam præsentibus manifestavit, quæ ut manifestaret, a Domino præceptum habuit. In quorum tamen revelatione mirum quam humilis fuit, nihil sibi tribuens præter vilitatem ; quam ipse quoque expavit, admirans providentiæ divinæ consilium, cui placeret uti se indigno et universorum quæ ad sæculi prudentiam attinent imperito, tanquam ministro, ad Ecclesiæ ædificationem.

Nobilissimo modo multis horis sæpius in raptu ecstatico fuit Dionysius. Capta Constantinopoli hortatur omnes ad emendationem vitæ. Senectutis incommodis ad patientiam exercetur. Tria infirmus frequentabat cantica.

Fuit in ecstasim mentis sæpenumero raptus ad multas horas : quod dum potuit, celavit. Verum ubi Fratrum suorum aliquo aut conventu præsente fuisset abstractus ad Deum, et ad humana mansisset velut mortuus ac immobilis, doluit, verecundus quod latere non potuit. Quid tamen interea senserit, quid didicerit, quid sibi revelatum fuerit, nemini aut paucissimis, idque rarissime, patefecit. Quæcumque etiam illi fuere revelata, quæcumque ostensa, non per similitudines, non per rerum imagines aut sensibiles visiones tradita sunt; sed nobiliori modo docebatur, sublimiorique ac puriori. Siquidem intellectus ejus ut divino lumine fuit illustratus, atque a se ipso mens ejus deficiens, per amorem in Deum absorpta Deoque unita, didicit quæcumque divinitatis radius illum docere voluit. Juvabatur autem, imo (ut verius dicam) etiam renitens rapiebatur, occasione externa quacumque præstita, unde ad cœlestium contemplationem, aut ad investigabilis sapientiæ Dei admirationem, aut bonitatis ejus amorem mens ejus erigeretur. Quapropter quandoque dum Ecclesiæ inciperentur cantica, ut sunt : Veni, Sancte Spiritus, aut, Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, atque id genus alia ; aliquando dum in turbis esset et frequentia hominum, interdum in castris coram nobilibus (qui ejus consuetudine, eruditione atque consiliis vehementer oblectabantur) inter loquendum de Deo, rapiebatur ipse in regionem lucis inaccessibilis et immensæ, aliis qui aderant, interim circa sua humana hic relictis. Nonnunquam etiam, ut alter Eliseus, dum organorum suavem audiret melodiam, facto in se Spiritu Dei, ad cœlestis illius melodiæ concentum adspirabat. Hinc subito mens ejus, quia intra se contineri non potuit, ad eorum gustum, quibus æstuanter inhiabat, secessit : atque adeo secessit, ut per aliquot horas fixa non reverteretur.

Buscum-Ducis oppidum est Brabantiæ nobilissimum, in quo divi Joannis templum habetur miro modo ornatum. Siquidem nihil in illo cernitur neglectum, nihil

Digitized by Google

desideratur, quod ad pietatem, ad devotionem, ad collectionem denique spiritus juvandam pertinet. In hoc Dionysius forte ingressus, quia ad divina tunc in organis canebatur, melodia suavi auribus hausta, confestim corde cœpit liquefieri, vultu et mente mutari, a se ipso deficere, et collectis animæ viribus totus in Deum ire. Aderat ei tunc Abbas S. Martini in Colonia : qui intelligens quod futurum erat, traxit illum in sacellum quod juxta aderat, ubi rigidus immobilisque horis ferme tribus mansit.

Hoc autem eo tempore illi accidit, quo cœpta est Cartusia extra ipsum oppidum ad honorem sanctæ Sophiæ ædificari : cui idem, licet jam senex, propter sanctitatem suam initiator institutus fuerat et Rector. Revelatum fuerat Dionysio jampridem, eo in loco quo nunc ædificatum cernitur, construendum esse Cartusiense cœnobium, ubi Deo sanctificarentur animæ et laudes canerentur divinæ. Porro occasionem huic cœnobio exstruendo magnam dedit Dionysii sanctitas vulgata. Eam ob rem monasterii fundator ab Ordinis primate hunc novæ plantationi Rectorem impetravit. Quamdiu autem morabatur ibi Dionysius, Philippus magnus ille Burgundionum dux, in magna eum habuit veneratione, evocatumque ad se in magnis, arduis ac secretis negotiis consuluit. Ceterum, quia nova hæc ædificatio distrahebat ejus animum, et ipse jam senex viribus erat exhaustus, obtento Superiorum assensu, ad suæ tandem professionis domum rediit.

Tradunt ad hujus reditum tunc chorum templi Cartusiæ Ruræmundensis aliquot noctibus sub Matutinis luce cœlitus superfusa illustratum. Ignorantes monachi quid portenti hoc foret, attoniti stabant. Quidam egressi, cœlum contemplabantur ; verum nihil insueti videntes, tandem Dionysii reditum (qui Ordinis lux erat et mundi) intellexerunt. Videbat ipse quoque Dionysius sæpe post Matutinas ad cellas regredientes monachos comitari spiritus candidos, atque cum eisdem eorum intrare cellas, quos angelos illorum non dubitabat esse custodes.

Eo tempore Mahometus Turcarum rex Constantinopolim omnesque orientalis imperii fines abstulit Christianis. Unde fides christiana fere omnino concidit in Græcia, magnusque inde timor ac dolor omnibus Christianis ortus est, præcipue viro Dei Dionysio, qui diu noctuque jam senex flebat, quod cultu Dei abrogato, contumelia fieret nomini christiano. Videbat præterea in occidente a priscis illis moribus sanctis Ecclesiam degenerare, atque a fidei calore caritateque tepescere. Eam ob rem formidabat iram Dei eis etiam locis venire, quæ Romano parent Imperio. Contra hæc mala unum erat illi remedium oratio. Hac enim Dei iram ab Ecclesia avertere, hac inter Ecclesiæ calamitates studebat semetipsum consolari. Revelaverat autem illi Deus peccata Christianorum, præcipue prælatorum et cleri, justitia sua impune diutius tolerari non posse, sed e duobus alterum fore necesse : aut semetipsos prælati et clerus corrigerent, aut per eos indigne sinerentur castigari, quibus nulla esset in clerum reverentia, nulla auctoritas. Ad hæc quum Dionysius illorum nomine emendationem Deo promitteret, atque vehementius hoc pacto pro misericordia flagitaret, audivit : « Juxta mensuram emendationis vestræ, temperabitur justitiæ meæ censura. « Addensque Dominus : » De emendatione, inquit, quod promittis nomine prælatorum, hoc teneas : Etiam si juraverint in nomine meo, Vivit Dominus, hoc ipsum falso jurabunt. » In hac autem revelatione, de futuris malis atque Ecclesiæ

Digitized by Google

calamitatibus, nonnulla didicit secreta, quæ fas non erat manifestari. Mittebat tamen epistolas ad pontifices, ad principes, ad Ecclesiæ prælatos; et quoscumque poterat, ad vitam correctiorem invitabat. Nec sua tantum oratione contentus, hortabatur omnes, quibus potuit modis, ad emendationem vitæ, et ut a se Dei iram deprecarentur. Fuere tunc, licet pauci, ex primatibus, qui hujus monitis credentes, ad meliorem se vitam receperunt. Reliqui, quamvis usque ad Summum Pontificem revelationes Dionysiique consilia nuntiata fuerint, surdis auribus et corde duro audierunt. Nec mirum, quum hodie quoque (licet anno superiori Romæ et in Germania aliquot jam annis clerus ferat non modo calamitatem, sed pene etiam excidium exspectet) pauci corrigantur. Quotus est enim hodie in monasteriis aut canonicorum collegiis, qui ex persecutione cleri, ceterisque malis quibus atteritur mundus, factus sit melior? Crebrescunt mala, premit nos profana potestas, persequitur violentia, et nihilo minus vitia nostra perseverant. Verum hæc majoribus relinquimus prædicanda; nobis ad Dionysium nostrum est redeundum.

Hic inter ejusmodi studia, incommoda incidit senectutis, quæ deinceps crebris infirmitatum augebatur molestiis. Nam assiduis ex paralysi, calculo atque vesica doloribus torquebatur. Accedebant præterea ulcera, quæ utrumque crus corroserant. Verum inter hæc non est tacenda patientia Dionysii : qui licet graviter, nec raro (ut fit) læderetur, dum ligamina a ministro aut solverentur aut stringerentur, haudquaquam tamen tunc vocem emisit aut gemitum; sed velut insensibilis ad dolores, nihilo minus orando scribendove perseverabat. Agebat tunc quadragesimum septimum annum, ab eo quo Cartusiano initiatus fuerat instituto, nec hactenus scribere desierat, licet corpore esset imbecilli, ac pene effeto : quippe quod vigiliis, abstinentiis, infirmitatibus, atque exercitiis spiritus continuis fuerat consumptum. Crescentibus quotidie molestiis, ipse manum Domini patienter ferebat. Ad hæc etiam exsultans, Domino gratias agebat, qui, quod suis omnibus largitur amicis, non negasset illi, videlicet argui et castigari, bona agere et mala pati. Itaque anno ultimo vitæ suæ, paravit se, ut media nocte venienti exiturus occurreret Sponso, intraretque cum illo ad nuptias. Et tunc etiam cessavit scribere. Siquidem ultimus librorum ejus fuit, quem de Meditationibus inscripsit : in cujus fine, post innumeros alios jam editos libros, post ingentes labores ad quietem adspirans, in hæc verba desinit, dicens : Hoc meditationum mearum opusculum, quas non tam habeo quam merito haberem, gratanter suscipite, Fratres carissimi, atque pro me jugiter exorate : qui de cetero ad securæ taciturnitatis portum me transferre intendo, et ad securum exitum (prout Dominus dederit) plus solito parare, præsertim quia et vires corporis multum deficiunt, et istud opusculum anno vitæ meæ LXVII finio, anno Domini MCCCCLXIX.

Hactenus Dionysius ab eo tempore, quia mortem sibi vicinam noverat, quam etiam semper ut præsentem fuerat meditatus, lætus perinde ac olor canendo illam exspectat. Unde sciens certissime hoc se anno moriturum, inter infirmitates quibus premebatur, tria frequentabat cantica; et nunc unum, nunc aliud repetens, canendo animum solabatur. Primum horum, quod illi assiduum erat, fuit : Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Ad hanc enim sortem maxime adspirabat, ut lucis æternæ beatitudine frueretur. Alterum, quo ad devotionem compun-

Digitized by Google

gebatur, fuit : Maria ergo unxit pedes Jesu ; et haud dubium Mariæ devotionem erga Jesum, atque rursus dulcedinem cordis Jesu erga dilectricem suam recolens. Exin amorem eorum mutuum, quo sese alterutrum vulnerabant, contemplabatur. Quibus ipse quoque sui cordis amorem ad illos, et quasi inter utrumque tertium se intermiscebat. Carmen tertium quod canere solebat, fuit : Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. Hoc excitabat spiritum, fiduciamque suam pascebat, ut abjecta sarcina carnis, propediem esset avolaturus, assecuturusque quod tot annis desiderarat, pro quo certaverat, sudaverat, omnesque vires suas impenderat.

Itaque crescente infirmitate, mortem non longe abesse sentiens, in festo S. Thomæ Aquinatis, in sacellum S. Dionysii ubi Missæ sacrificium Deo multo tempore offerre solitus erat, ductus est. Ibi qua solebat ardentissima devotione audita Missa, et sumpto vivifico corpore Domini nostri Jesu Christi, tanquam viatico jam præmunitus, ad iter quo visurus erat salutare Dei, accinxit se. Reductus ad cubiculum, adstantibus Fratribus dixit : « Adest, carissimi Fratres, tempus quod prædixi, quod desideravi, quod denique exspectavi. Si diutius vixero, aliorum me duci manibus necessum est, eroque Fratribus onerosus. » Post hæc omnem fastidiens cibum, ægritudine ingravescente, et viribus semper magis deficientibus, ad extrema vitæ pervenit. In festo igitur divi Gregorii Dionysius virtutum ac meritorum plenus, circa duodecimam horam, superatis omnibus vitæ hujus miseriis, sanctam Deo animam reddidit, anno Domini MCCCCLXXI, postquam in Ordine Cartusiano octo et quadraginta annos Christo militaverat.

Exprobratur Ordini Cartusiano, quod suorum non evulgat opera.

Hæc de vita beati Patris Dionysii, viri scientia pariter ac virtute clarissimi. Cujus scripta cur hactenus lateant, vehementer admiror : quippe qui in Ecclesia Dei scribendo fere plus omnibus laboravit ; cujus libri uberrima etiam scatent eruditione, atque adeo lucida, ut sua ætate doctissimus ac plane admirabilis habitus sit. Quare, ut dixi, miror quod lateant, quandoquidem aliorum scriptorum interim undecumque nobis copia offertur : quorum tamen neque ingenium, neque eruditio quidquam ad hunc Dionysium accedit. Verum hoc tua incuria atque negligentia fit, Ordo Cartusiensium, qui innumeros habuisti viros doctissimos pientissimosque : quorum bona pars quum in vita tum post mortem claruerunt miraculis ; reliqui doctrina excellentes posteris sui nominis immortalitatem dederunt (si per te id liceret, hoc est, si in medium tu illorum libros dares). Itaque hos tu intra sinus tuos recondis, perinde ac si tibi dumtaxat aut uni monasterio tantum, non item posteris, atque cunctis vixerint mortalibus ; aut quasi quod ad universæ pertinet Ecclesiæ decorem utilitatemque, abscondere pietas sit. Verum quid pro Dionysio hic expostulo, quando Institutori tuo divo etiam Brunoni primo Cartusiano, reliquisque tuis alumnis fere omnibus itidem feceris ? Nam hunc Brunonem, quem omnis Calabria (illic enim curiam Urbani Papæ, cujus fuerat olim præceptor, simulque

Digitized by Google

sarcinam pontificalem fugiens, diem obiit extremum) veneratur, ut atrium etiam illud, quod pœnitentiæ et amoris lacrimis rigaverat, flexis circumeat poplitibus osculisque lambat, hactenus tu adeo servabas ignotum, ut extra illam patriam, quis Bruno, quisve Ordinis tui fuerit auctor, pene mundus ignoraverit. Unde factum est, ut non pauci historiæ veritatem ignorantes, illum ipsum doctorem, qui Parisiis post mortem damnatum se revelavit, cujusque judicio territus Bruno cum aliis sex, hoc genus vivendi quod Cartusianum dicitur, instituit, falso putaverint fuisse Brunonem. Quem propterea tantum abfuit existimari Sanctum, ut etiam impie dicerent et damnatum et a Deo prorsus fuisse alienum. Interea tu satis tibi putabas, quod miracula Brunonem tuum vivere loquerentur, nec quid mundus ignoraret, advertebas. Quid quod præclarissima ejus opera, præcipue in Paulum, Psalterium et nonnulla alia, nunquam dedisses in lucem, nisi studiosorum tibi sagacitas imposuisset, eaque e manibus tuis prudenter satis eripuisset?

Adde nunc sanctissimos illos duos episcopos Hugones, quorum alterum Gratianopolitanum, nisi Innocentius sua sponte, alterum vero, nisi instante Anglia, Honorius III tunc Pontifex, miraculorum eminentia permoti, Sanctos etiam te dissimulante declarassent, quem, quæso, hodie illorum ædificarent sanctitatis exempla? Taceo nunc Guigonem, Basilium, ceterosque primæ Cartusiæ tuæ Priores, qui hactenus te magna sanctitatis opinione gubernarunt, quorum multi etiam tam claruere miraculis, quam fulsere doctrinis. Quos tamen præter te, licet innumeros, nemo novit. Prætereo dominum Bernardum, Priorem Portarum, quem ad vitam redeuntes mortui, tacente te prædicant, alia quoque complura, quæ per illum Dominus fecit prodigia, ejus sanctitatem laudant. Huic divus Bernardus Clarevallensis vix habuit, quem tantopere diligeret, similem. Nam ad hujus preces Canticorum Cantica exposuit, et apud Romanum Pontificem vehementer egit (quod epistolæ quoque ejus testantur), ut Bernardus ad episcopatum de monasterio extraheretur. Omitto Stephanum miræ sanctitatis episcopum Diensem; Anthelmum quoque episcopum Bellicensem, cujus sanctitatem præter alia miracula testabantur lumina ad ejusdem funus cœlitus accensa. Deficeret me tempus, si recensere vellem reliquorum illustrium virorum aliquot legiones, sanctitate conspicuorum, eruditione præstantium: quos quum alieni magis laudibus efferunt, tu quasi in gremio absconsos tuos filios hactenus siluisti.

Verum novi quid respondeas: Humilitatis tutandæ gratia, tuos nulla velle gloria ostentari, nulla eminentia efferri. At quæ ista est humilitas, quæ religio, sub modio faces abscondere ardentes, ne luceant iis qui in domo sunt; subtrahere oculis lumen, ne aut loci spectetur amœnitas, aut sine offendiculo ambuletur? Non injuria hac ex parte eruditissimus quidam (quod tua pace dicam) te coarguit, quod pietas in te lateat; et adeo lateat, ut vix conspici possit. Sanctissimorum virorum doctorumque libros, animarum thesauros penes te servas absconditos; nec producis, ut ex te multi gaudeant, multi reficiantur. Quapropter, quod Sapiens monet, Deriventur fontes tui foris, et in plateis aquas tuas divide.

Verum hæc tua pace dixerim, idque quam institueram diffusius. Equidem unius Dionysii gesta enarranda susceperam. E quibus tamen sola quæ certissima veritate et gesta et scripta comperi, huc congessi. Nam referuntur alia quædam

Digitized by Google

sanctitatis ejus argumenta, non minus præclara quam stupenda : de quorum etiam veritate nihil prorsus ambigitur ; quia tamen narratione sola nobis tradebantur, haudquaquam huc inserenda decrevi.

Revelationes D. Dionysio factæ.

Revelationum Dionysio divinitus factarum, eo maxime tempore quo Turca Constantinopolitanum sibi subjugavit imperium, unam aut alteram ædificationis gratia annectere hic placuit, propterea quod in hæc ipsa quoque nostra tempora respicere viderentur : quarum veritatem sentimus, heu ! jam magis quam credimus. Has inter complures alias, sua manu ac stilo scriptas reliquit Dionysius, suo tamen suppresso nomine, idque humilitatis gratia, ne suam non Dei gloriam quæsisse videretur.

Revelatio I. — Quidam religiosus, in solennitate Purificationis beatissimæ Virginis, in summa Missa, toto conventu præsente et inspiciente, ab exterioribus sensibus alienatus atque in spiritu factus, et mente ad Dominum raptus, post aliquantulam increatæ lucis ac superbeatissimæ Trinitatis contemplationem, more sibi solito cœpit mox totis præcordiis divinam exorare clementiam pro tota militanti Ecclesia, et ejus reformatione in omnibus. Cui Dominus majestatis in visione intellectuali et anagogica statim respondit : « Quid vis ? et quid oras pro Ecclesia ? » Et ille : « O benignissime Deus, ut digneris eam piissime intueri ac reformare, atque de manibus perfidorum, a quibus nunc crudelissime devastatur, eruere, ad pristinum quoque gratiæ decus reducere. » Ad hæc Dominus universitatis protinus dixit : « Ecclesia quasi tota aversa est a me et deformata ; et a summo usque ad infimum, a vertice usque ad calcaneum non invenitur in ea integritas ulla, pro maxima parte. Attamen multi boni, imo sancti aliqui sunt in ea. »

Ad quod Frater respondit : « Misericordissime Deus, petimus misericordiam. Duplex est via veniendi ad te : via misericordiæ, et via justitiæ. Petimus ut supermisericordissime agas nobiscum. » Cui Dominus ait : « Et vis ut tot et tanta scelera Ecclesiæ dimittam prorsus inulta ? vis ut non agam juxta tenorem sapientiæ meæ ? » Ad quod Frater : « O clementissime Domine Deus, rogamus ut superpiissime prævenias nos, et corda nostra compungas, emollias, et convertas ad te. Major est in infinitum bonitas tua, quam pravitas nostra. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam[1]. Non secundum peccata nostra facias nobis[2]. » Ad quod Dominus : « Quamvis ego omnia possim, tamen juxta censuram sapientiæ meæ omnia ago, et in operibus meis misericordiam justitiamque contempero. Hoc ipsum quoque protestatus sum, maximam esse misericordiam, quod per flagella et aspera visito in præsenti, sicque hominum corda admoneo et converto. Indurata sunt corda vestra, nec per sola pietatis beneficia vultis converti ad me. Diu susti-

[1] Ps. cxv, 1, sec. Hebr. — [2] Ps. cii, 10.

nui, frequenter admonui, et imminentia hæc adversa prænuntiavi ; et quia non sequitur emendatio, necesse est ut visitem per adversa, quatenus vexatio tandem det intellectum auditui[1]. »

Ad hæc Frater respondit in spiritu : « O superdulcissime Deus, etsi nos omni miseratione tua sumus indigni, tamen parce nomini tuo magno, parce locis sacratis. Ecce jam multæ ecclesiæ miserabiliter sunt destructæ, loca sanctissima profanata, vasa sacra et Christi sacramenta impiissime conculcata, et christiana Religio blasphematur. » Ad quod Deus : « Tu miraris et defles, quod materialia templa, et vasa sacra, et sacramenta conculcari et profanari permitto : et non potius, quod immaterialia templa, videlicet ecclesiasticæ personæ seu animæ mihi in Baptismate consecratæ, in quibus per fidem et veram gratiam habitavi, ab invisibilibus hostibus taliter conculcantur et violantur? Nonne hoc est mihi maxime injuriosum? Imo, quid mirum si illud juste permitto, quando vos ipsi sponte sic subditis vos spiritualiter constuprandos ac violandos adversariis mei honoris ac vestræ salutis ? » Ad quod Frater : « O benignissime Deus, in his persecutionibus perfidorum, multi simplices et quodammodo innocentes lamentabiliter opprimuntur et trucidantur : sed et cultus tuus minuitur; et ubi paulo ante christiana Religio viguit, et Christi celebrabantur mysteria, jam sacrilega Mahometi figmenta coluntur, et bestia illa spurcissima contra Agnum mundissimum videtur quodammodo prævalere. » Ad hæc Dominus dixit : « Oppressionem illam simplicium ego bene scio eis ordinare in melius, et per temporalia hæc adversa eos in perpetuum salvo. Ego demum tam bonus et sapiens sum, quod pessima mala quæ tangis a perfidis fieri, nequaquam permitterem, nisi decrevissem maxima bona ex eis elicere. Et quo majora sunt hæc adversa, quo obscuriora sunt tempora ista, eo prosperiora sequentur, et aurea post hæc tempora erunt. Non ita permitterem Ecclesiam deprimi, nisi hac occasione vellem eam erigere. Ecclesia ad extremam quamdam deformationem, ruinam, perversitatem, ingratitudinemque pervenit, nec facili disciplina potest purgari. Qui optimi essent in ea, pravissimi facti sunt, et sine rubore prævaricantur. Sed et nomen meum intolerabilius inhonoratur ab his qui fideles se nominant, quam ab his qui eos impugnant. »

Ad hæc locutus est Frater : « O Deus altissime, non est qui sapientiæ tuæ valeat respondere[2]. Attamen scire desidero, an perfidi isti sanctam civitatem Romanam obtinebunt, an principes etiam christiani contra eos præliaturi succumbent in præliis. » Ad quod Dominus : « Hoc tibi dici vel aliis prænuntiari non expedit. Sed et si succubuerint in præliis, melius vincent quam si corporaliter prævalerent. »

Ex hac responsione Frater aliquid intellexit, quod non putavit huic schedulæ inserendum. Propter quod ardentissima affectione conversus ad Dominum, rursus cœpit pro communi bono Ecclesiæ exorare. Et ecce vidit in spiritu totam triumphantem Ecclesiam divinæ majestati humillime inclinatam, et pro tota militanti Ecclesia devotissime deprecantem, et quasi conantem tenere manum Omnipotentis extentam ad percutiendum Ecclesiam in exsilio isto degentem ; nec aliud potuit obtinere Ecclesia triumphans responsum a Domino nisi hoc : « Juxta mensuram emendationis Ecclesiæ, erit mensura temperationis imminentium persecutionum[3]. »

[1] Is. xxviii, 19. — [2] Job ix passim. — [3] Deut. xxv, 2; Apoc. xviii, 6, 7.

Digitized by Google

Ex hac responsione Frater aliquantulum consolatus et confortatus, clamavit in spiritu : « O benignissime Deus, omnes emendabimus nos. Summus Pontifex, curia ejus, ceteri tam superiores quam inferiores se emendabunt. » Ad quod Dominus : « Etiam si juraverint in nomine meo, Vivit Dominus, hoc ipsum falso jurabunt[1]. » Qua responsione diffusius intellecta quam in schedula hac tangetur, Frater non mediocriter animo consternatus, sensit quod cœpit sibi ipsi dimitti, atque eodem momento clamavit repente ad Dominum : « In quo igitur, o Deus benignissime, in quo stat finalis conclusio? » Et responsum est ei a Domino : « Juxta mensuram emendationis vestræ, erit mensura temperationis castigationis meæ. » Quo audito, finita est visio ista, qua Deus dignationis immensæ cum homuncione pauperculo, cum fragili ac luteo vasculo, dignatus est ex sua pietate immensa, taliter se habere et sic loqui.

Conclusio. — Cœpitque Frater ad se ipsum reverti ac sibi restitui, viresque corporis paulatim resumere ac sensibus reddi, non sine gravi fragilis carnis afflictione. Deinde post hoc etiam in aliorum præsentia a lacrimis se continere non valens, sic mansit ex præscripta visione compunctus et debilitatus, quod in prandio manducare nequivit, sed distulit refectionem in cœnam. Duravit autem hæc visio per totum fere tempus Missæ conventualis hoc anno. Præterea in tota hac visione Deus habuit se per modum regis ac judicis indignantis, irati et amaricati propter nimia peccata Ecclesiæ : ita quod videbatur non posse flecti a rigore suæ justitiæ, nisi per emendationem condignam populi christiani. Itaque religiosus, cui ostensa sunt ista, quantum ad suam pertinet parvitatem, totis præcordiis universos et singulos exhortatur, et affectuosissime rogat, ut unusquisque juxta suæ exigentiam vocationis efficaciter se emendet : quia revera valde ac summe necessarium est ut non solum temporalia hæc adversa, sed et æterna tormenta evadere mereamur, atque perpetuam beatitudinem obtinere.

Nec quisque miretur, quod Frater hanc visionem personaliter publicavit, quoniam dona gratiæ gratis datæ ad communem dantur utilitatem[2] : idcirco sunt publicanda prout causa requirit et expedit. Hinc enim sancti Prophetæ, quamvis humillimi, tamen visiones suas diligentissime descripserunt, totique mundo insinuaverunt : sicut et Vas electionis, beatissimus Paulus apostolus, raptum suum usque ad tertium cœlum et revelationem arcanam toti significavit Ecclesiæ[3].

Revelatio II. — Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, dominica in Passione, in ipso Missæ officio, religiosus præfatus, adstante et conspiciente conventu, ab exterioribus sensibus alienatus, pro communi bono Ecclesiæ Dominum exoravit in spiritu, dicens : « Usquequo, o supermisericordissime et superdignissime Deus, non est invenire diu desideratam ac frequenter postulatam misericordiam coram te ? Quamdiu claudis oculos benignitatis tuæ immensæ a calamitatibus, oppressionibus ac ruinis tuæ Ecclesiæ, nec preces pauperum servulorum tuorum exaudis? Ecce adversa pessima mala excrescunt, augentur et invalescunt quotidie. Ordo juris subvertitur, et dies imminere videntur de quibus diu

[1] Jer. v, 2. — [2] I Cor. xii, 7. — [3] II Cor. xii, 1-4.

Digitized by Google

insonuit rumor. » Ad hæc verba mentalia mox divinum responsum factum est Fratri in spiritu, dicens : « Quidquid de hac re audisti et cogitasti, ita in veritate habet. » Audierat autem Frater iste paulo ante tristes rumores de quibusdam tribulationibus magnis, in aliquibus terris paulatim nascentibus ; cœpitque cogitare hæc esse præambula tribulationum majorum in Ecclesia paulo post futurarum, de quibus quidam diu prædixisse leguntur.

Itaque responso illo audito, locutus est Frater : « Confido, o Domine, quod prænuntiatio illa de imminentibus illis malis ad comminationis pertineat prophetiam, quæ non semper impletur. » Respondit Dominus : « Viam misericordiæ pœnitentibus non præcludo ; atque, ut ante aliquot annos contestatus sum tibi in simili visione, secundum mensuram vestræ emendationis erit mensura mitigationis meæ castigationis seu futuræ afflictionis. Revelationem tunc tibi factam undique propalasti, et usque ad Romam insinuasti : et quæ interim emendatio est secuta ? Nonne tu ipse sentis ac dicere soles, quod incomparabiliter magis expediat genti peccatrici, ac deformatissimæ plebi Ecclesiæ temporaliter castigari, suppeditari, depauperari, quam in hac pessima vita, quæ non est vita, sed mors, sæculariter prosperari, ac damnabilissime perdurare atque impune peccare ? » Ad hoc Frater prædictus respondit : « Nil verius dici potest. Sed utinam reformatio ecclesiastici status fieret ordinate, et absque tua offensa ! » Ad quod responsum est Fratri : « Etsi hi ad quos ex jure et officio spectat, Ecclesiæ diligentiam debitam non impendant pro reformatione eadem, et in primis pro emendatione propria et condigna, nonne justo id putas permitti judicio ejus qui universa moderatur ac temperat, ut dispositive fiat per eos qui ad hoc auctoritatem non sortiuntur? » Respondit Frater : « Etiam, Domine Deus omnipotens, in cujus dispositione et gubernatione cuncta sunt posita[1]. Hoc certissime constat, quod summa, perfectissima et supergloriosissima providentia tua, sine justa et rationabili causa nil mali sinat fieri : imo interdum gravissima et generalia fieri mala permittis, quatenus ex eisdem præclarissima atque communia bona elicias. Verum, o gratiosissime Deus, de hoc nunc cupio plenius edoceri, quid tot tantisque malis imminentibus restet populo christiano, potissime clero, agendum. » Respondit Dominus universitatis : « Quid quæris quod ex Scripturis agnoscis? Nonne scis scriptum, Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit[2]. »

Hac responsione suscepta, Frater conversus introrsum, et quasi in regione lucis immensæ se positum cernens, suavissime cum ingenti tranquillitate clamavit secreto, non perstrepente aut foris sonante clamore, ad secretissimum et vere absconditum incomprehensibilem Deum : « O superamabilissime Deus, tu ipse lux es et regio lucis, in te ipso lux es, regio quoque lucis, in qua tui electi dulciter conquiescunt, repausant, soporantur, obdormiunt. Tu velut supervastissima, planissima ac impermeabilis eremus, in qua mens vere devota, et a privato amore prorsus purgata, desuper illustrata ac valide inflammata, inenarrabiliter deviat, atque indeviabiliter errat, feliciter deficit, indeficienterque convalescit. Nempe in te neque principium invenit, neque finem, sed omnimodam potius incomprehensibilitatem. Te supersplen-

[1] Esther XIII, 9. — [2] Job XXXIII, 14.

Digitized by Google

didissimo totius sapientiæ fonte mentem illustrante, repente veritas innotescit; teque piissime illustrante, nunc cerno quid nobis miserrimis restet agendum : hoc utique, ut unusquisque fidelium secundum suæ exigentiam vocationis tibi condigne servire conetur, ac reformare se ipsum, et tuum metuendissimum formidare judicium.

Conclusio. — In his et consimilibus collocutionibus mentalibus ac internis fuit prænominatus in prætacta abstractione, et mansit Frater ille per totum fere officium Missæ : in qua multa audivit et vidit, quæ nec audet nec expedit in ista conscribere schedula. Et certe nec ista sine grandi tangit rubore. Nec enim hujusmodi mentis secretum esset pandendum, nisi magnitudo exigeret causæ, et bonum efflagitaret commune. Hinc nemo hæc legens seu audiens interpretetur sinistre. Siquidem et Frater iste propriæ sibi conscius defectuositatis, occultum quoque Dei expavescens judicium, mallet quantum in ipso est, quod ista et consimilia per alios ipso multo meliores Deus gloriæ revelaret ac nuntiaret. Porro dispositioni voluntatique ejus nemo valet resistere, qui sua utitur creatura liberrime veluti instrumento.

Nunc igitur Frater iste universos ac singulos hortatur et deprecatur fideles, potissime clerum et præsidentes ac prælatos, ut se protinus cum omni diligentia et conatu emendent et reforment, reconcilientque Deo : ne tantis ac talibus plagis, flagellis ac cladibus visitentur, quod ab exordio Ecclesiæ usque in præsens nunquam hujuscemodi contigerunt ; imo potissime, ne æternaliter condemnentur. Brevis namque est vita præsens, et arcta omnino via salutis [1]. Denique modo verissime dicitur illud Psalmi : Nisi conversi fueritis, gladium suum (summus Judex) vibrabit ; arcum suum tetendit et paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit [2]. Et quod ait in Evangelio Salvator : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis [3]. Et denuo quod sanctificatus in utero Jeremias prædixit: Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini usque dum faciat et impleat cogitationes cordis sui [4]. Dabitque impios in vexationem et maledictionem, et in stuporem ac sibilum et opprobrium sempiternum, eo quod non audierunt verba ejus, nec præcepta ejus impleverunt [5].

Postremo in visione præfata vidit Frater præfatus futuram reformationem Ecclesiæ, et omnem spiritualem ejus decorem designatum per pulcherrimam ac pretiosissimam vestem indicibili venustate artificiosissimæ varietatis colorum ac picturarum perfusam, juxta illud : Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis. Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate [6]. Verum de hoc tantumdem tetigisse sufficiat. Et illud Michææ prophetæ formidolose pensemus, ac de proximo imminere sciamus, nisi emendatio jam præscripta interveniat : Ecce ego cogito malum super familiam istam, dicit Dominus, de quo non auferetis colla vestra ; et non ambulabitis superbi, eo quod tempus pessimum sit [7].

[1] Matth. VII, 14. — [2] Ps. VII, 13, 14. — [3] Luc. XIII, 3, 5. — [4] Jer. XXIII, 19, 20. — [5] Ibid. XXIX, 18, 19. — [6] Ps. XLIV, 9, 10. — [7] Mich. II, 3.

Digitized by Google

Revelatio III. — Quamvis secreta divina soleant frequentius servis Dei revelari non in medio hominum, aut in præsentia plurimorum, sed in solitudine aut seorsum (propter quod ad Ezechielem prophetam Dominus dixit : Egredere in campum, et ibi loquar tecum [1]); interdum tamen in præsentia aliorum manifestat Altissimus incerta et occulta sapientiæ suæ [2] ac futurorum, quatenus servis Dei, quibus talia ostenduntur, celerius certiusque credatur, atque hi quos revelata concernunt, formidolosius audiant ea, et se diligentius emendare conentur. Porro revelatio talium ad dona pertinet gratiæ gratis datæ : ideo ordinantur ad utilitatem communem, ut supra dictum est. Et si occultentur vergit in detrimentum boni communis. Hinc manifestatio horum non vanitati, sed virtuti est adscribenda. Sic ergo accipiantur hic recitanda.

In dominica tertia post octavas Paschæ, in prima celebratione cujusdam devotissimi Fratris, Frater præfatus ab exterioribus sensibus alienatus, et factus in spiritu solito sibi more, tanto affectuosius cœpit mentaliter deprecari fontem pietatis immensæ, Deum excelsum, pro pacificatione atque concordia principum christianorum, quanto tunc tristiores audivit rumores de imminente gravi conflictu præcipuorum totius christianæ Religionis magnatum, regum ac ducum. Sicque Frater iste in precibus suis affatus est Dominum : « O misericordissime Deus, usquequo non succurris Ecclesiæ tuæ? quamdiu permittes eam sic conculcari? Ecce principes isti magni, qui modo essent primi in defensione fidei et expugnatione adversariorum Ecclesiæ tuæ, in dilatatione fidelium et cultus tui divini, in confortatione populi christiani, nunc (ut fertur) disponunt se ad impugnandum se invicem. Heu ! quanta strages inde consequeretur ! Nonne totus populus christianus esset unus exercitus ad dimicandum concorditer contra christianæ Religionis ac fidei inimicos? Et quid tam pravum, tam periculosum in ipso exercitu, sicut divisio, discordia et impugnatio mutua? O quantum gaudent perfidi Turcæ, increduli Sarraceni, omnesque hostes evangelicæ legis, quum tale ac tantum esse malum audiunt in populo christiano! Nonne in sua roborantur malitia? Celeriter quoque ac feliciter prævalituros se jactant, insipientiamque derident Christianorum. »

Ad hæc et multa consimilia querulosa et deprecatoria verba interna, responsum est desuper Fratri quasi ex ore Christi, deinde ex persona universalis Ecclesiæ. Dixit quippe Salvator : « Videsne ingratitudinem populi christiani et principum horum? Pro modica hereditate terrena exacuunt corda et arma, quum tamen aliter ac melius ad justam suæ dissensionis concordiam possent pertingere. Porro pro recuperanda hereditate mea electa et sancta Terra, in qua redemptionis humanæ complevi mysteria, nullo aut modico fervent zelo. Interim in suis lasciviunt stratis, et longos capiunt somnos, quasi pacata jam sint omnia; nec fratrum suorum, ab infidelibus crudelissime oppressorum, calamitatibus condolent aut succurrunt. Numquid per tales expugnabo incredulos, qui ipsis incredulis sunt pejores? Indecentissime quoque sunt vestiti. Ideo nisi jam resipiscant, arguam eos in furore et rigore justitiæ ; et quibus plura donavi, et majora commisi officia, acerbiora infligam supplicia. » Ad hæc et plura hujuscemodi Frater respondit : « O clementissime Christe, Verbum

[1] Ezech. iii, 22. — [2] Ps. l, 8.

Digitized by Google

æternum propter nos incarnatum et crucifixum, parce, quæso, ignosce et subveni plebi tuæ; præveni, tange, converte corda nostra quamvis excæcata et indurata, ut quæramus et sapiamus quæ tua sunt, sicque unanimiter resistamus hostibus tui honoris, nostræque fidei ac salutis. » Ad hæc Judex respondit supernus : « Scriptum nosti, Semel loquitur Deus [1]. Quoniam in Scripturis suam aperit voluntatem, quid tibi amplius habeo respondere ? quid restat consulere ? Adverte Scripturam, audi matrem tuam, sponsam meam, sanctam Ecclesiam, quæ inhabitantem se habet Spiritum meum, Spiritum Sanctum, qui omnem docet et suggerit veritatem [2]. »

Conclusio. — Tunc repente quasi ex persona Ecclesiæ insonuit vox interioribus auribus Fratris : « Audi, fili mi, voces et gemitus matris tuæ, perpende singultus et lamentationes dolorosissimæ, fidelissimæ et affectuosissimæ matris. Pungunt et penetrant me intolerabiles amarissimique dolores, ipsis quoque inferni doloribus quodammodo graviores. Nonne dolor compassionis frequenter excedit dolorem passionis, quemadmodum et in Sponso ac Domino meo propter me et vos cruci affixo ? Qualiter putas me excruciari, affligi, imo doloribus absorberi, dum recolo qualis fuerim olim, quam gloriosa, potens et inclyta, omnibus divinorum charismatum affluentiis decorata, toto orbe terrarum longe ac late diffusa, sanctis prælatis undique fulgens, strenuissimis ac virtuosis principibus gaudens, et per eos de adversariis meis præclare triumphans, innumerabilibus turmis devotissimorum religiosorum utriusque sexus coruscans, collegiis quoque innumeris et personis constitutis in sacris Ordinibus, in timore Dei et observantia regulari conversantibus, perornata? Ex quibus omnibus plebs communis mirabiliter ac salubriter ædificabatur, et numero ac merito crevit, in tantum quod et infideles passim et undique convertebantur ad Christum, et mihi incorporabantur. Insuper in quatuor Mendicantium ordinibus gloriabar, in quibus abundavi personis litteratis ac fervidis, regulariter exemplariterque viventibus, per quos saluberrime fructificavi ad conversionem, profectum ac beatitudinem plurimorum. Sed, heu heu heu! jam omnia sunt eversa, deformata et lapsa. Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus [3]. Et ego ipsa olim tam gratiosa et pulchra, tam potens ac splendida, deformis effecta sum, exsanguis et hispida, egena, infirma et conculcata, atque ad hunc angulum occidentis redacta et coarctata. Nec tanta mea calamitas, angustia et pressura sufficit hostibus meis : quinimo in hoc etiam angulo me conantur opprimere et delere. Jam quatuor patriarchales amisi Ecclesias, et perfidi illi Romanæ quoque Sedis locum et urbem præsumunt adipisci ac demoliri.

« Præterea hoc nunc super omnia me contristat, et viscera caritatis ac pietatis meæ transfodit, dilacerat et extorquet, quod non obstantibus tot ac tantis adversitatibus, cladibus et dimembrationibus mei, video filios meos contra se invicem inflammari, dissidere, confligere, sicque hostium suorum manus juvare, ac illis cooperari, in diminutione conculcationeque mei, imo in dilaniando ac persequendo me matrem suam mœstissimam. Nunc ergo, o filii, redite ad cor, audite me et acquiescite mihi. Ignoscite mutuo, et causas vestras secundum tenorem justitiæ pro-

[1] Job XXXIII, 14. — [2] Joann. XIV, 26; XVI, 13. — [3] Thren. IV, 1.

Digitized by Google

sequamini caritative, confugiendo ad superioris vestri judicium, id est Romani Pontificis, aut synodi generalis, quæ certe a Spiritu Sancto dirigitur. Nolite me matrem vestram in filiis meis, proximis vestris, igne et gladio devastare, egenos opprimere ac invicem trucidare. Imo potius per veram contritionem reconciliamini Deo, et condolete proximis et confidelibus vestris, qui ab infidelibus et tyrannis sævissimis quotidie devorantur, gladio, fame, captivitate, tributo vastantur. Quorum filii et filiæ adhuc infantes ad infidelium terras mittuntur, quatenus a sanctissima atque mundissima Christi lege abstracti, imbuantur lege, imo turpissima fæce, superstitiosis figmentis, falsissimisque doctrinis spurcissimi ac immundissimi Mahometi. Hanc fidelissimæ ac desolatissimæ matris vestræ benignæ admonitionem gratanter obedienterque suscipite, et implete. » Ad laudem et gloriam Omnipotentis. Amen.

— Et hæc quidem de Dionysii vita. Ceterum de ipsius scriptis, ut cognoscas librorum ejus elenchum, operæ pretium est illum quem sua manu scriptum ipse reliquit, afferre ut sequitur.

Digitized by Google

ELENCHUS

OPERUM V. P. DIONYSII[1]

A RELIGIOSIS aliisque venerandis personis, frequenter atque per plures annos, ego frater Dionysius Cartusiensis rogatus sum scribere eis nomina seu titulos opusculorum meorum. Distuli autem hucusque, reputans apud me ne forte hoc ipsum vanitati, non virtuti adscribatur : præsertim quum quidam magnorum sua legantur occultasse opuscula pro posse, quoadusque vixerunt in carne. Sed reclamavit synderesis virtus, submurmurans et affirmans : Etsi bonum est talia ex humilitate celare, melius tamen et fructuosius est ex caritate hujusmodi propalare et communicare ; quum et sacratissimus dicat princeps Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes[2]. In Ecclesiastico quoque legitur : Thesaurus invisus et sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisque[3] ? Ad hoc accedit et confert quod Gabriel dixit archangelus : Qui multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates[4]. Interea forsan quis dicet : Jam tot et tanta a sanctis catholicis viris, illuminatis doctoribus conscripta sunt, ut opus non sit plura conscribere. Verum ad hoc Joannes Cancellarius Parisiensis respondet : « In mensa sapientiæ, in refectorio militantis Ecclesiæ, in convivio Christi, condecet assidue nova fercula exhiberi, diversaque alimenta proponi, ut cujus internum palatum unum pabulum, aut non, aut minus delectat, aliud provocet. Nam juxta varietatem gustus corporei, invenitur differentia gustus interni ; et quosdam vetera, quosdam nova magis oblectant. »

Hinc inductus, statui prætactæ obtemperare petitioni, potissime tamen ob hoc, quoniam scio quam multa mihi adscribuntur opuscula, quæ non feci : quæ utique tantæ eminentiæ esse queunt, ut tantæ imperitiæ defectuositatisque homini ipsa indecens sit adscribi. Nihilo minus quædam illorum talia forte sunt, ut non mihi dumtaxat, sed et Ordini sancto scandalum consisteret, talia edita esse a fratre religionis tam sanctæ.

Verum, quando ista scribo, ad discernendum opuscula mea ab aliis, non reor sufficere titulos seu nomina opusculorum exprimere, nisi et eorumdem exordia finesque tangantur. Siquidem et a diversis frequenter conscripti sunt libri nominum eorumdem et de eisdem materiis. Istud tamen pro nunc nequeo adimplere, quoniam opuscula ipsa mea, pro maxima parte jam aliis sunt concessa, nec exordiorum ac terminorum ipsorum recordor, nisi quod omnia vel pene omnia finiuntur his verbis :

[1] Ex editionibus Coloniæ ann. 1530, 1532, 1535. — [2] I *Petr.* IV, 10. — [3] *Eccli.* XLI, 17. — [4] *Dan.* XII, 3.

Digitized by Google

« Qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. » Per articulos quoque procedo. Ex stilo, item tenore et forma poterunt probabiliter saltem discerni.

Insuper ad vitandam prolixitatem ac jactantiæ speciem, possem multa summatim perstringere, ita scribendo : Super totam Bibliam scripsi ; sed quoniam multi hoc ipsum egerunt, et plures super quosdam Bibliæ libros scripserunt, ex illa brevi summaria perstrinctione expositiunculæ meæ seu commentariola ab aliorum expositionibus et commentariis discerni non possent, cogor sigillatim exprimere [1].

Denique quantum occurrit memoriæ, primo scripsi :

Super librum Psalmorum [2].

Quinquagenæ primæ Procemium : *Dixit David filius Isai ; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* (II Reg. XXIII.)

Quinquagenæ secundæ Procemium : *Testimonium perhibens* Deus David, *dixit : Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* (Act. XIII.)

Quinquagenæ tertiæ Procemium : *Dedit* David *confessionem Sancto et Excelso,* et *de omni corde suo laudavit Dominum, qui fecit illum.* (Eccli. XLVII.)

Et librum illum Psalmorum, quantum desuper datum est, litteraliter, allegorice, tropologice et anagogice exposui, quantum textus ipse permisit.

Editum Coloniæ 1531, 1534, 1558.
Parisiis 1539, 1542, 1547, 1553, 1639.
Monstrolii 1892.

2. Super septem Psalmos Pœnitentiales [3]. Procemium : *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos inique egimus et ad iracundiam provocavimus Deum.* (Thren. III.)

Colon. 1530, 1532.

[1] Non unum dumtaxat elenchum, sed, diversis temporibus, pro variis personis, plures scripsisse videtur Dionysius noster. Etenim reperitur Oxonii, in Bodleiana bibliotheca, Codex ms. XV sæculo exaratus (Rawl. C. 564), cujus exordium sic habet : « Anno MCCCCLXVI, circa festum Nativitatis Domini, fuit venerabilis frater Dionysius Cartusiensis in domo Brugensi, Ordinis Cartusiensis, et portavit secum sequentes hos titulos librorum suorum : qui tunc fuit rector novæ plantationis Ordinis ejusdem, prope Buscum-Ducis. » Deinde leguntur verba Dionysii supra relata : « A religiosis aliisque venerandis personis... » et post hæc, tituli operum CXVIII, sine Procemiis.

Pari modo, Augustæ Trevirorum, Codex ms. 631 (sæc. XV), exhibet *Registrum librorum Patris Dionysii Cartusiensis in Ruræmunda,* ab ipso descriptum, articulos complectens CXLI, cum plurimis Procemiis. Item in libro Trithemii abbatis *De scriptoribus ecclesiasticis* (Basileæ, 1494) fol. 117 habetur : « De cujus (Dionysii) opusculis ipse per se subjecta quodam indiculo recensuit. » Sequuntur tituli operum CXLIV.

Tribus illis elenchis quandoque utemur ad illustrandum catalogum, ampliorem licet et pleniorem, a Theodorico Loer traditum.

Quum autem non semper eodem ordine procedat nec iisdem verbis constet, in editionibus annorum 1530, 1532 et 1535, Dionysianus ille catalogus ; neque, quid genuinum in eo, quid (ut ita dicam) Loerianum sit, satis appareat : quod clarius atque ordinatius in hisce editionibus videbitur, eligemus. Ceterum in ipso textu nihil invenies quod Dionysii non sit aut Loerii.

[2] Anno 1434 scripsit Dionysius in Psalmos, ut patet infra, t. V, p. 508B ; universa autem commentaria super Bibliam absolvit anno 1457, ut videre est in fine Comment. lib. Baruch.

[3] In Oxon. elench., secundo loco ponuntur Prophetæ (dempto Baruch), deinde Job, Pauli Epist., IV Evang., VII Epist. can., Actus Apost., Apocalypsis. Post hæc : Pentateuch., Josue, lib. Judicum, etc., lib. Machabæorum et Baruch. — Cf. Cod. ms. Ultraject. (n. 187), in quo legitur : « Expositio in Josue, lib. Judicum, etc., lib. Machabæorum et Baruch. » Item cf. Cod. Lovan. (n. 213).

Digitized by Google

3. Super Isaiam. Procemium : *Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei, spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes usque in sempiternum.* (Eccli. XLVIII.) Hunc librum sicut et ceteras veteris Testamenti scripturas, litteraliter spiritualiterque exposui.

Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

4. Super Genesim. Procemium : *Dilectus Deo et hominibus Moyses. Dedit illi Dominus legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum, et judicia sua Israel.* (Eccli. XLV.)

Colon. 1534, 1548, 1566.

5. Super Exodum. Procemium : *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.* (Prov. VIII.)

Colon. 1534, 1548, 1566.

6. Super Leviticum. Procemium : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum; et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* (Prov. III.)

Colon. 1534, 1548, 1566.

7. Super librum Numerorum. Procemium : *Qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat.* (Is. XL.)

Colon. 1534, 1548, 1566.

8. Super Deuteronomium. Procemium : *Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam.* (Prov. VII.)

Colon. 1534, 1548, 1566.

9. Super librum Josue. Procemium : *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysis in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel.* (Eccli. XLVI.)

Colon. 1535, 1552, 1577.

10. Super librum Judicum. Procemium : *Judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non sunt aversi a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione.* (Eccli. XLVI.)

Colon. 1535, 1552, 1577.

11. Super librum Ruth. Præfatio : Teste sancto Hieronymo, etc.

Colon. 1535, 1552, 1577.

12. Super quatuor libros Regum. Procemium : *Reges ex te egredientur.* (Gen. XVII.)

Colon. 1535, 1552, 1577.

13. Super libros Paralipomenon. Procemium : *Deus fecit ex uno* homine. (Act. XVII.)

Colon. 1535, 1552, 1577.

14. Super Esdram. Procemium : *Lex veritatis fuit in ore ejus.* (Malach. II.)

Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

15. Super Nehemiam. Procemium : *Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.* (Eccli. XLIX.)

Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

Digitized by Google

16. Super Tobiam. Procemium : *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* (Proverbiorum xxii.)
Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

17. Super Judith. Procemium : *Hæc vocabitur virago.* (Gen. ii.)
Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

18. Super Esther. Procemium : *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.* (Eccli. xxvi.)
Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

19. Super Job. Procemium : *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* (Prov. iii.)
Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

(Super Psalterium, ut supra, n. 1.)

20. Super librum Proverbiorum. Procemium : *Dixit Dominus Salomoni : Quia postulasti sapientiam, ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* (III Reg. iii.)
Colon. 1533, 1536, 1539, 1555.
Paris. 1541, 1548, 1549.

21. Super Ecclesiasten. Procemium : Quemadmodum Salomon tria sortitus sit nomina, et juxta illorum trium nominum interpretationem tria ediderit volumina, ad tres hominum status spectantia, introductum est supra[1].
Colon. 1533, 1536, 1539, 1555.
Paris. 1541, 1548, 1549.

22. Super Cantica Canticorum. Procemium : *Gaudebit sponsus super sponsam.* (Is. lxii.)
Colon. 1533, 1536, 1539, 1555.
Paris. 1541, 1548, 1549. — Monstrolii 1896.

23. Super librum Sapientiæ. Procemium : *Disce ubi sit sapientia.* (Baruch iii.)
Colon. 1533, 1536, 1539, 1555.
Paris. 1541, 1548, 1549.

24. Super Ecclesiasticum. Procemium : *Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* (Luc. iv.)
Colon. 1533, 1536, 1539, 1555.
Paris. 1541, 1549.

(Super Isaiam, ut supra, n. 3.)

25. Super Jeremiam. Procemium : *Hic est fratrum amator et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei, vir ætate et gloria mirabilis, et magni decoris habitudine.* (II Mach. xv.)
Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

[1] In exordio expositionis libri Proverbiorum.

Digitized by Google

26. SUPER THRENOS. Procemium : *Videns Jesus civitatem, flevit super eam.* (Luc. XIX.)
Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

27. SUPER BARUCH. Procemium : *Dixit Baruch* ad principes Juda : *Ex ore suo loquebatur Jeremias, quasi legens omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento.* (Jer. XXXVI.)
Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

28. SUPER EZECHIELEM. Procemium : *Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* (Sap. VII.)
Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

29. SUPER DANIELEM. Procemium : *Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* (Amos III.)
Colon. 1534, 1543, 1548, 1557.

30. SUPER DUODECIM PROPHETAS MINORES. Procemium : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit.* (Eccli. XXXIX.)
Colon. 1533, 1539, 1549, 1568.

31. SUPER LIBROS MACHABÆORUM. Procemium : *Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Catulus leonis Juda.* (Gen. XLIX.)
Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

32. SUPER MATTHÆUM. Procemium : *Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* (Eccli. L.)
Colon. 1532, 1533, 1538, 1543.
Paris. 1536, 1539, 1541, 1542, 1545, 1548, 1549, 1552, 1554, 1555, 1641 [1].
Venet. 1569, 1576, 1578, 1586. — Lugd. 1579.

33. SUPER MARCUM. Procemium : *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* (Sap. VI.)
Colon. 1532, 1533, 1538, 1543.
Paris. 1536, 1539, 1541, 1542, 1548, 1549, 1552, 1554. 1555, 1641.
Venet. 1569, 1576, 1578, 1586. — Lugd. 1579.

34. SUPER LUCAM. Procemium : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum, et illuminabo omnes sperantes in Domino, et relinquam illam quærentibus sapientiam.* (Eccli. XXIV.)
Colon. 1532, 1533, 1538, 1543.
Paris. 1536, 1539, 1541, 1542, 1545, 1548, 1549, 1552, 1554, 1641.
Venet. 1569, 1576, 1578, 1586. — Lugd. 1579.

35. SUPER JOANNEM. Procemium : *Ego sicut aquæductus exivi de paradiso, et fluvius meus appropinquavit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus.* (Eccli. XXIV.)
Colon. 1532, 1533, 1538, 1543.
Paris. 1536, 1539, 1541, 1542, 1545, 1548, 1549, 1552, 1554, 1555, 1641.
Venet. 1569, 1576, 1578, 1586. — Lugd. 1579.

[1] Hæ omnes sunt, multæ licet, veræ proprieque dictæ *editiones*.

Digitized by Google

36. SUPER OMNES DIVI PAULI APOSTOLI EPISTOLAS. Procemium : *Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum, et aperientur labia mea ut recta prædicent. Justi sunt omnes sermones mei.* (Prov. VIII.)

Colon. 1530, 1532, 1533, 1538, 1540, 1545, 1565.
Paris. 1531, 1535, 1537, 1538, 1539, 1540, 1542, 1543, 1545, 1548, 1551, 1552, 1555.
Venet. 1573.

37. MONOPANTON, seu REDACTIO OMNIUM EPISTOLARUM BEATI PAULI in unam ad materias, instantia D. Cardinalis de Cusa. Procemium : Reverendissimo in Christo Patri [1].

Antverp. s. a.
Colon. 1531.
Paris. 1551, 1631, 1642.
Lugd. 1547, 1549, 1555. — Venet. 1534.

38. SUPER ACTUS APOSTOLORUM. Procemium : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* (Prov. III.)

Colon. 1530, 1532, 1533, 1536, 1545, 1546, 1565.
Paris. 1537, 1539, 1540, 1541, 1542, 1548, 1551, 1552, 1554, 1555.

39. SUPER SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS. Procemium : *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.* (Cant. V.)

Colon. 1530, 1533, 1536, 1545, 1546, 1565.
Paris. 1537, 1539, 1540, 1541, 1542, 1548, 1551, 1552, 1554, 1555, 1592.

40. SUPER APOCALYPSIM. Procemium : *Ecce puer meus electus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ; ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit.* (Is. XLII; Matth. XII.)

Colon. 1530, 1533, 1536, 1545, 1546, 1565.
Paris. 1537, 1539, 1540, 1541, 1542, 1548, 1551, 1552, 1554, 1555, 1592.

41. EPITOME sive nobiliores sententiæ totius Bibliæ. Procemium : Tota sacræ Bibliæ scriptura distinguitur in duo Testamenta, vetus videlicet et novum [2].

Colon. 1532.

TITULI OPERUM DOCTRINALIUM ET DE DIVINIS.

42. IN LIBROS B. DIONYSII AREOPAGITÆ [3].

Super Angelicam seu cœlestem hierarchiam. Procemium : *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam.* (Hebr. XII.)

[1] Hoc Procemium una est Epistolarum ad Card. de Cusa, de quibus infra, n. 170.

[2] Vide notam primam ad n. 186.

[3] In indice operis cui titulus est: *Histoire générale des auteurs sacrés,* par le R. P. Dom Remy Ceillier, Paris, Vivès, 1868, legitur pag. 316 : « DENYS LE CHARTREUX. Son commentaire sur les sept lettres de saint Antoine, III, 392. »
Errat indicis auctor. Nunquam Epistolas S. Antonii commentatus est Dionysius Cartusianus; sed hæ Epistolæ sequuntur S. Dionysii Areopagitæ opera, quæ cum commentariis Ven. Dionysii Cartusiani, Coloniæ anno 1536 edita sunt.
Fatendum est verba ipsius R. P. D. Remigii Ceillier (III, 392, col. 2) non omni ambiguitate carere.

Digitized by Google

Super Ecclesiasticam hierarchiam. Procemium : *Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo.* (Hebr. VIII.)

Super libros de Divinis nominibus[1]. Procemium : *Quis ascendit in cœlum atque descendit? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus? et quod nomen filii ejus, si nosti?* (Prov. XXX.)

Super Mysticam theologiam. Procemium : *Dominus dixit ut habitaret in caligine.* (II Par. VI.)

Super undecim epistolas Dionysii. Procemium : *Videte quoniam non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.* (Eccli. XXIV.)

Colon. 1536, 1556.

43. In quatuor libros Sententiarum.

Super quatuor libros Sententiarum scripta doctorum scholasticorum famosissimorum reduxi in unum, videlicet Alexandri de Hales, sancti Thomæ, Alberti magni, Bonaventuræ, Ægidii de Roma, Petri de Tarentasia, Richardi de Mediavilla, Guillelmi Parisiensis, domini Guillelmi Antisiodorensis, Henrici de Gandavo, Ulrici, Scoti et Hannibalis.

Collectaneum in primum librum Sententiarum. Procemium : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* (Eccli. XXXIX.)

Collectaneum in secundum librum Sententiarum. Procemium : *Quis ignorat quod hæc omnia manus Domini fecerit? in cujus manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis.* (Job XII.)

Collectaneum in tertium librum Sententiarum. Procemium : Dixit Gabriel ad Danielem : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Et occidetur Christus.* (Dan. IX.)

Collectaneum in quartum librum Sententiarum. Procemium : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis.* (Osee XIV.)

Colon. 1535.
Venet. 1584.

44. Summæ fidei orthodoxæ libri IV, [alias] Enterione, id est medulla Operum S. Thomæ.

Exhelcosis, id est excerptum primæ partis Summæ. Procemium : *Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.* (Sap. VII.)

Exhelcosis primæ partis secundæ. Procemium : *Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam.* (Eccli. III.)

Exhelcosis secundæ partis secundæ. Procemium : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* (Ps. XLIV.)

Exhelcosis tertiæ partis. Procemium : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* (Prov. III.)

Supplementum Summæ ex scripto ejusdem sancti Thomæ super quartum Sententiarum. Procemium : *Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei*[2]. (Sap. XIII.)

Colon. 1535-1536.
Paris. 1548.
Venet. 1572, 1585. — Antverp. 1569.

[1] Ven. Dionysius noster, in elencho anni 1466 (Cod. Oxon.), antepenultimo loco hæc scripsit : « Super librum de Divinis nominibus, *pro parte, et adhuc occupor.* »

[2] Hoc Procemium deest in editis.

Digitized by Google

45. Sacræ theologiæ epitome [seu] Exhelcosis ex Summa D. Guillelmi Antisiodorensis [1]. Procemium : Sicut vera dilectione diligitur Deus super omnia.

46. Super Boetium de consolatione philosophiæ, litteraliter et mystice. Procemium : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur* [2]. (Eccli. xxvii.)

Colon. 1540.

47. Expositio librorum Joannis Climaci [3]. Procemium : *Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, angelosque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus*, etc. (Gen. xxviii.)

Colon. 1540.

48. Translatio librorum Joannis Cassiani ad stilum facillimum. Procemium : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* (Ps. cxviii.)

Colon. 1540.

49. Enarratio Hymnorum præsertim veterum. Procemium : *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus.* (Ephes. v.)

Colon. 1533, 1546, 1558.
Paris. 1537, 1539, 1540, 1541, 1542, 1548, 1551, 1552, 1554, 1555.

50. De exemplis et documentis authenticis. Procemium : *Sapientiam* Sanctorum *narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia.* (Eccli. xliv.)

Colon. 1532.

51. De ente et essentia. Procemium : Quemadmodum Aristoteles profitetur, rerum aliquæ sunt universales, aliquæ particulares [4]. (Aristot., Peri hermen. 7.)

52. De scientia universalium [5]. Procemium : Desiderabilius est de sublimibus, imo de uno alto ente paucum scire, quam de declivibus multam habere agnitionem. (Aristot., in 2 Cœli.)

53. Compendium philosophicum, seu elementatio philosophica. Procemium : *Pretiosior est sapientia cunctis opibus : et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* (Prov. iii.)

Colon. 1532.

[1] Deest in editis. — Summa D. Guillelmi Antisiodorensis sic incipit : « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sicut enim vera dilectione diligitur Deus propter seipsum super omnia, etc. »

[2] Hoc Procemium deest in editis.

[3] In elencho anni 1535, pro n. 47 et 48 habetur : *Archetypus salutis,* duobus libris admiranda majorum facta, posteris imitanda describens. Libri primi Procemium : Vidit Jacob... Libri secundi Procemium : Declaratio sermonum...

[4] H. de L'Espy, in Vita D. Dionysii Cartusiani quam præmisit tractatui ejusdem *De contemptu mundi* (Parisiis 1649), loquens de libro *De ente et essentia,* addit : « Qui etiamnum inter opera ejus reperitur. » Verum tractatus *De ente et essentia* inter opera D. Dionysii edita hucusque non reperitur. — Hunc tractatum Dionysius, antequam monachus fieret, « illico post adepta magisterii insignia scripsit ». (Supra, p. xxiv.) In prima elenchi editione nulla est hujus mentio.

[5] Deest in editis.

Digitized by Google

54. Compendium theologicum, seu elementatio theologica. Procemium : *Comparate vobis* sapientiam *sine argento, et collum vestrum subjicite jugo* ejus. (Eccli. li.)

Colon. 1532.

55. De lumine christianæ theoriæ [1].

Procemium libri I : Omnis processio secundorum a primo, et conversio eorumdem, per similitudinem efficitur utrorumque.

Procemium libri II : *Beatus homo quem tu erudieris.* (Ps. xciii.)

Hos duos libros præclarissimos, nuper in exordio secundi tomi Minorum operum Dionysii [Colon. 1532], dedimus in lucem : tametsi articulo lii offenderimus mutilum exemplar. Si cuipiam integrum occurrerit, in gratiam piorum proferat in lucem. Quod et de libris de Divina essentia perditis [2] petitur.

Colon. 1532.

56. Dialogus inter philosophum et theologum [3].

57. Dialogion de fide catholica contra gentiles, continens octo libros partiales. Procemium : *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te et magnificabit nomen tuum? quia tu solus pius es. Tu* enim, Domine, *creasti omnia, et propter voluntatem tuam creata sunt.* Tu solus omnium dominaris, et *in ditione tua cuncta sunt posita,* quoniam tu solus æternus et independens es. (Apoc. xv; iv; Esther xiii.)

Colon. 1534.

58. Contra perfidiam Mahometi, et contra multa dicta Sarracenorum libri quatuor. Procemium : Regi magno ac præpotenti Imperatori Sarracenorum, omnibusque legis Mahometi doctoribus atque cultoribus, quidam christianus religiosus, etc.

Colon. 1532, 1533.

59. Dialogus disputationis inter Christianum et Sarracenum de lege Christi et contra perfidiam impiissimi Mahometi [4]. Procemium : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Joann. iii.)

Colon. 1532, 1533.

60. Epistola ad Principes catholicos parænetica de instituendo bello adversus Turcam. Procemium : Universis Principibus christianis, etc.

Colon. 1530, 1532, 1533, 1559.

61. Contra artes magicas et errores Waldensium. Procemium : *Cave ne imitari velis abominationes illarum gentium; nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria,*

[1] Sic in Codice Trevirensi, et apud Trithemium. In Codice autem Oxoniensi legimus : *De lumine theoricæ intuitionis.*

[2] Vide infra, n. 64. Mirum quod in *Oper. minor.* t. II, Coloniæ, 1532, ad titulum tractatus *De lumine christianæ theoriæ* adjungitur : *seu De divina essentia.*

[3] Ita habetur in prima editione catalogi, in Cod. Trevir., et in elencho Trithemii. Deest in editis.

[4] Ad n. 58 et 59 : Prodierunt Coloniæ, anno 1533, *Dionysii Cartusiani contra Alcoranum et sectam Mahometicam libri quinque.*

Digitized by Google

nec sit maleficus neque incantator, nec qui pythones consulat, neque divinos, et quærat a mortuis veritatem. Omnia enim *hæc abominatur Dominus.* (Deut. XVIII.)[1]

62. CONTRA SUPERSTITIONES. Procemium : *Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli servies.* (Deut. VI.)

Colon. 1532, 1533.

63. DE NATURA ÆTERNI ET VERI DEI. Procemium : *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum.* Ipse enim Unigenitus Dei Patris *in hoc natus est, et ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhibeat veritati.* (I Joann. V ; Joann. XVIII.)

Colon. 1532.

64. DE DIVINA ESSENTIA. Procemium : *Omnis processio*[2]. Nondum est inventum[3].

65. DE VENUSTATE MUNDI ET PULCHRITUDINE DEI. Procemium : *Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex metuendus nimis, sedens super thronum, dominans Deus.* (Eccli. I.)

Colon. 1532.

66. CREATURARUM IN ORDINEM AD DEUM CONSIDERATIO THEOLOGICA. Procemium : *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* (Ps. XCI.)

Colon. 1532.

67. DE DISTANTIA PERFECTIONIS DIVINÆ ET HUMANÆ. Procemium : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* (Matth. V.)

Colon. 1532.

68. DE MUNIFICENTIA ET BENEFICIIS DEI. Procemium : *Anima mea desideravit te in nocte,* o Unigenite Patris æterni, *sed et spiritus meus in præcordiis meis* sitivit in te. (Is. XXVI.)

Colon. 1532.

69. DE LAUDIBUS SUPERLAUDABILIS DEI. Procemium : O Deus præstantissime, tu bonus naturaliter, Dominator altissime.

Colon. 1532.

70. LAUDES DEI DEVOTISSIMÆ. Procemium : Tu, Domine Deus noster, naturaliter bonus es.

Colon. 1532.

[1] In volumine cui inscribitur : *D. Dionysii Cartusiani contra Alcoranum...* (ut supra, n. 59 in nota), ad calcem Procemii auctoris, editor D. Petrus Blomevenna ait : « Statueram, hisce libris, ea quæ idem auctor contra artes magicas et errores Waldensium scripsit adjicere, quibus habetur exordium : Cave ne imitari velis. At quum nusquam gentium reperire possim, cogor proposito abstinere. Oro tamen te, pie Lector, si uspiam investigari queant, eorum nobis copiam facias. »

[2] Hoc Procemium legitur in prima editione elenchi ; in ceteris vero, nullum. Apud Trithemium, Procemium est : Scimus quoniam...., ut in tractatu præcedenti (n. 63) ; imo in Codice Ultrajectensi, sub titulo *De divina essentia* datur præcedens tractatus.

[3] Vide n. 55 in fine. — In Cod. Oxon. et Trevir. notatur (sine Procemio) liber *De divina essentia.*

Digitized by Google

71. De donis Spiritus Sancti libri IV. Procœmium : *Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de* cœlis. (Sap. ix.)

Colon. 1532.

72. Horæ de sanctissima Trinitate. Procœmium : Adsit nobis semper immensa tua clementia, Deus omnipotens, Trinitas adoranda.

Colon. 1532.

73. Horæ devotissimæ de Passione Domini nostri Jesu Christi. Procœmium : *Deus, in adjutorium meum intende.* (Ps. lxix.)

Colon. 1532.

74. Meditationes sive de modo recordationis dominicæ Passionis.

Hunc librum aliqui eumdem asserunt jam olim evulgatum sub titulo : *De vita et beneficiis Salvatoris*, cujus orationes habent plerumque exordia : Benedico et gratias ago tibi, Domine. Procœmium autem est : Si desideras perfecte mundari a vitiis, si nobiliter ditari in virtutibus, si altissime illuminari in Scripturis, si gloriose triumphare de inimicis, si copiose consolari in adversis, si devote conversari in terris, si frequenter compungi in cubilibus, si dulciter flere in orationibus, si frequenter accendi in meditationibus, si perseverare in bonis actibus, si repleri spiritualibus gaudiis, si rapi in excessu mentis, si diversis frui secretis, si feliciter mori in extremis, si perenniter regnare in cœlis : exerce te in vita et in passione Jesu Christi Filii Dei[1].

75. Expositio dominicæ Passionis secundum quatuor Evangelistas[2]. Procœmium : *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* (Rom. v.)

Colon. 1533, 1537, 1542.
Paris. 1544.

76. Expositio Missæ. Procœmium : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* (Ps. cx.)

Colon. 1532.

77. Dialogus de celebratione et Sacramento altaris[3]. Procœmium : *Quicumque manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* (I Cor. xi.)

S. l. et a.
Colon. 1532.

78. Dialogus aureus inter Christum et sacerdotem[4].

79. Tractatus de sacra communione frequentanda. Procœmium : *Qui præest, in sollicitudine* præsit. (Rom. xii.)

Colon. 1532.

[1] Tractatus *De vita et beneficiis Salvatoris* editus est s. l. et a.; et Paris. 1502.

[2] Inter Sermones de Sanctis.

[3] In elencho Oxoniensi additur : « Impressus est. » Vide supra, p. l, nota 1.

[4] In prima editione elenchi, in Cod. Trevir., et apud Trithemium, a præcedenti distinguitur. Deest in editis.

Digitized by Google

80. Sermones sex de venerabili Sacramento. Procemium : *Caro mea vere est cibus.* (Joann. vi.)

Colon. 1532.

81. De laudibus beatissimæ Virginis Mariæ libri IV. Procemium : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol,* etc. (Cant. vi.)

S. l. et a.
Colon. 1532.

82. De præconio et dignitate ejusdem libri IV. Procemium : *Inimicitias ponam inter te et mulierem ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* (Gen. iii.)

Colon. 1532.

83. De mutua cognitione Beatorum in patria. Procemium : *Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus.* (Ephes. i.)

Colon. 1532.

84. De Sanctorum reliquiarumque veneratione, et modo agendi processiones. Procemium : *Zelus domus tuæ comedit me.* (Ps. lxviii.)

Colon. 1532.

TITULI OPERUM QUIBUS FORMANTUR STATUS HOMINUM.

85. De causa diversitatis eventuum humanorum [1]. [Procemium : « Quæstio parvitati meæ ab Excellentia vestra (D. Card. de Cusa), o Reverende Præceptor. »] [2]

Colon. 1534, 1551, 1572, 1573.

86. De deformatione et reformatione Ecclesiæ [3]. Nondum inventum.

87. De auctoritate et officio Summi Pontificis. Procemium : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* (Matth. xi.)

Colon. 1532.

88. De potestate et jurisdictione Summi Pontificis. Procemium : *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te.* (Eccli. iv.)

Colon. 1532.

89. De auctoritate generalium conciliorum. Procemium : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* (Eccle. xii.)

Colon. 1532.

[1] Editum est ad calcem Enarrationum in Job.
[2] Quæ in elencho omissa sunt, sed alias inveniuntur, uncis [ ] inclusa posuimus.
[3] Citatur in Cod. Oxon., et Trevir., et apud Trithemium.

Digitized by Google

90. De vita et regimine præsulum. Prooemium : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* (Act. xx.)

Colon. 1532, 1559.

91. De officio, vita et regimine archidiaconorum. Prooemium : *Judicium durissimum in his qui præsunt fiet.* (Sap. vi.)

Colon. 1532, 1559.

92. De regimine prælatorum. [Prooemium : *Præbete aures, vos qui continetis multitudines.* (Sap. vi.)]

Aschaffenburgi 1620.

93. De officio Legati. Nondum inventum [1].

94. De vita et statu canonicorum, sacerdotum et ministrorum Ecclesiæ. Prooemium : *Maledictus* homo *qui facit opus Dei* negligenter. (Jer. xlviii.)

S. l. a. et typ. n. — S. l. et a. (Jehan Frellon). — S. l. et a. (Jehan Petit).
Colon. s. a., 1532, 1559, 1670, 1683.
Paris. 1531. — Antverp. 1517, 1529, 1532. — Gandavi 1645. — Leodii 1706. — Lovanii 1712.

95. Dialogus sive colloquium inter patronum et canonicum [seu De plurium beneficiorum usurpatione] [2]. Prooemium : Quoniam me peccatorem gravem intueor, quid mirum si per me ipsum Deum judicem justum accedere vereor.

Colon. 1530, 1532, 1540.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576.

96. De vita et regimine curatorum. Prooemium : *Sacerdotes sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* (Lev. xxi.)

Colon. 1532, 1559.

97. De honesta conversatione clericorum. Prooemium : *Obsecro vos in Domino* [3]. (Ephes. iv.) Nondum inventum [4].

98. De doctrina scholarium. Prooemium : Quemadmodum Aristoteles in libro ait Politicorum : Sicut omnium animalium optimum est homo, si scientiis atque virtutibus decoretur, sic inter animantia universa vilissimum pravissimumque consistit, si rationis gubernaculo derelicto, per vitiorum devia gradiatur, ignorantiæ tenebris se involvens.

Colon. 1532, 1559.
Paris. 1632.

[1] Hunc tractatum inter codices manuscriptos bibliothecæ Cardinalis Nicolai de Cusa, in xenodochio Cusano (Cues) asservatos, reperire sperabamus, sed frustra. Vide *Serapeum*, n. 23, 1864 : Die Handschriften-Sammlung des Cardinals Nicolaus von Cusa. Von Dr Fr. Xav. Kraus.

[2] Vide *Oper. minor.* t. I (1532), fol. 469.

[3] Sic in elenchi editione anni 1530 ; in ceteris vero non datur Prooemium.

[4] In opusculo *De arcta via salutis* (n. 139), articulus xxxv hunc titulum præfert : De honesta conversatione clericorum : *Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* (Ephes. iv.)

Digitized by Google

99. De vita nobilium. Procemium : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* (I Reg. II.)
Colon. 1532, 1559.

100. De regimine principum libri III. Procemium : *Audite, reges* ac duces, *et intelligite,* principes; *discite, judices finium terræ : diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. Si delectamini sedibus et sceptris, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* (Sap. VI.)
Colon. 1532, 1559.

101. Dialogus inter Christum et principem. Nondum inventum.

102. Dialogus inter Christum et principissam [seu De vita et regimine Principissæ]. Procemium : *Illumina, Domine Deus meus, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* (Ps. XII.)
Colon. 1532, 1559.

103. De vita militarium. Procemium : *Labora sicut bonus miles Christi.* (II Tim. II.)
Colon. 1532, 1559.

104. De vita mercatorum, et justo pretio rerum. Procemium : *Nolite facere iniquum in judicio, in regula, in pondere, in mensura; nec decipiet unusquisque proximum suum.* (Lev. XIX.)
Colon. 1532, 1559.

105. De regimine politiæ. Procemium : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* (Eccli. X.)
Colon. 1532, 1559.

106. De laudabili vita conjugatorum. Procemium : *Dixit Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus* ergo *ei adjutorium simile sibi.* (Gen. II.)
Colon. 1532, 1559.

107. De [laudabili [1]] vita viduarum. Procemium : *Eo quod castitatem amaveris.* (Judith XV.)
Colon. 1532, 1559.

108. De laudabili vita virginum. Procemium : *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* (I Cor. VII.)
Colon. 1532, 1559.

109. Inter Jesum et senem dialogus. Procemium : *Ne indigneris, quæso,* bone Jesu, *si loquar ad* te *Dominum* Deum *meum, quum sim pulvis et cinis.* (Gen. XVIII.)
Daventriæ 1491.
Colon. 1532, 1559.

110. Inter Jesum et puerum dialogus. Procemium : *Complexans Jesus parvulos, imposuit manus super illos, et benedixit eos.* (Marc. X.)
Daventriæ 1491.
Colon. 1532, 1559.

[1] Vide *Oper. minor.* t. II (1532), fol. 340 V°.

Digitized by Google

111. De vita et exemplis patrum antiquorum. Nondum inventum [1].

112. Instituta et collationes patrum secundum Dionysium [2].

113. De institutione et regula Ordinis Cartusiensis [3].

114. De præconio sive laude Ordinis Cartusiensis. Procemium : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* (Galat. v.)
Colon. 1532, 1559.

115. Enarratio in tertiam regulam sancti Francisci. Procemium : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei.* (Galat. vi.)
Colon. 1534.
Neapoli 1619.

116. De reformatione claustralium [4]. Procemium : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* (I Cor. xiv.)
Colon. 1532, 1559.

117. De reformatione monialium. Procemium : Vox sponsi : *Aperi mihi, soror mea sponsa.* (Cant. v.)
Colon. 1532, 1559.

118. De vita solitaria [5]. Procemium : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se.* (Thren. iii.)

119. De vita et fine solitarii. Procemium : *Super quem requiescet spiritus meus, ait Deus benedictus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (Is. lxvi.)
Colon. 1532, 1559.

120. De laude et præconio solitariæ vitæ [6]. Procemium : Dixit Jesus discipulis : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* (Marc. vi.)
Colon. 1532, 1559.

121. De vita inclusarum. Procemium : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* (Ps. xxx.)
Colon. 1532, 1559.

[1] Cf. opusculum superius memoratum (n. 50), cui titulus est : *De exemplis et documentis authenticis.*

[2] In prima tantum editione elenchi citatur. Deest in editis.

[3] Citatur etiam in elencho Trevirensi et apud Trithemium. Deest in editis.

[4] *Epistola scripta monachis S. Trudonis, O. S. B.* (sic in fine Cod. ms. Bruxellensis 9685; item in Cod. Cartusianæ domus Siligniaci.)

[5] Deest in editis. Verum tractatus *De laude et præconio solitariæ vitæ* (n. 120) habet articulum v, sic incipientem : Sedebit solitarius, etc. Imo in opusculo *De arcta via salutis* (n. 139), articuli xxxiv initium est : Sedebit etc., et titulus : De vita solitaria.

[6] In Codice ms. Ultrajectensi n. 85, sæculi xv, tractatus hujus titulus est : *De vita solitaria sive solitariorum,* cum Procemio : Dixit Jesus discipulis.

Digitized by Google

TITULI EORUM OPERUM QUÆ PRÆMISSOS STATUS IN FELICEM DIRIGUNT FINEM.

122. Sermonum opus primum de tempore, cum enarrationibus evangeliorum et epistolarum dominicalium ad sæculares. Procemium : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* (Malach. II.)

Colon. 1533, 1537, 1542.
Paris. 1544.

123. Secundum opus ad eosdem eodem modo de Sanctis. Procemium : *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros.* (Eccli. XLIV.)

Colon. 1533, 1537, 1542.
Paris. 1544.

124. Sermonum opus tertium de tempore ad religiosos. Procemium : *Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis* vestræ *Jesum.* (Hebr. III.)

Colon. 1533, 1537, 1542.
Paris. 1544.

125. Quartum opus sermonum ad religiosos de Sanctis. Procemium : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* (Jacob. I.)

Colon. 1533, 1537, 1542.
Paris. 1544.

126. Summa de vitiis et virtutibus, sive Illuminatorium salutaris scientiæ. Procemium : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* (Jacob. V.)

Colon. 1533.

127. Contra pluralitatem beneficiorum. Procemium : *Lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam !* (Matth. VII.)

Colon. 1532, 1559.
Paris. 1670.

128. Contra simoniam liber primus. Procemium : *Gratis accepistis, gratis date.* (Matth. X.)

Colon. 1532, 1559.

129. Contra simoniam liber secundus. Procemium : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* (Act. VIII.)

Colon. 1532, 1559.

130. Contra avaritiam, [ad quamdam viduam [1]] epistola. Procemium : Venerabili ac devotæ personæ.

Colon. 1532, 1559.

[1] Vide *Oper. minor.* t. II (1532), fol. 348 V°.

Digitized by Google

131. Contra ambitionem. Procemium : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.* (Luc. xxii.)

Colon. 1532, 1559.

132. Contra vitium proprietatis monachorum[1]. Procemium : Primo videndum quid dicatur peculium.

133. Contra detestabilem cordis inordinationem in divinis laudibus, alias inscriptum Laus Cartusiana. Procemium : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* (Eccle. x.)

Colon. 1534.
Monstrolii 1894.

134. De modo devote psallendi[2]. Procemium : *In omni opere* David *dedit confessionem* Deo *sancto et excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum.* (Eccli. xlvii.)

Colon. 1531, 1534, 1558.
Paris. 1539, 1553.
Monstrolii 1892, 1894.

135. De modo et ordine judicandi et corripiendi. Procemium : Quæstionem mihi proposuisti.

Colon. 1532.

136. De actu visitationis. Nondum inventum.

137. De gravitate et enormitate peccati. Procemium : Deus *solus est, et nemo avertere potest cogitationes ejus. Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.* (Job xxiii.)

Colon. 1530, 1533, 1540.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576.

138. Speculum sive Dialogus de conversione peccatorum[3]. Procemium : *Convertere ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua.* (Osee xiv.)

Alosti 1473. — Bisuntii 1488.
Amstelodami s. a. — Lovanii s. a.; 1576.
Colon. 1530, 1533, 1540.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608. — Antverp. 1551.

139. De arcta via salutis, et contemptu mundi. Procemium : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* (Mich. vi.)

Colon. 1530, 1533, 1534, 1540, 1577.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1570, 1579, 1585, 1587, 1601, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576. — Leodii 1854.

[1] Deest in editis. Vide tamen articulos viii-xvii opusculi *De reformatione claustralium* (n. 116).

[2] Editum in fine Commentariorum super Psalmos, pro Conclusione, et inter *Opuscula ad theoriam mysticam.*

[3] In elencho Oxoniensi additur : « Impressus est. » Vide supra, p. l, nota 1.

Digitized by Google

140. SPECULUM AMATORUM MUNDI. Procemium : *Videte quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* (Ephes. v.)

S. l. et a.
Colon. 1530, 1533, 1540, 1577, 1587, 1601.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576.

141. INSTITUTIO SIVE EXHORTATORIUM NOVITIORUM. Procemium : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* (Luc. IX.)

Daventriæ 1491.
Colon. 1531, 1534, 1559.
Paris. 1621. — Antverp. 1556. — Monachii 1603. — Monstrolii 1891.

142. DE VOTIS ET PROFESSIONE RELIGIOSORUM [seu DE PROFESSIONE MONASTICA [1]]. Procemium : *Excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* (I Cor. XII et XIII.)

Colon. 1531, 1534, 1559.
Paris. 1621. — Antverp. 1556. — Monachii 1603. — Monstrolii 1891.

143. [DE OBEDIENTIA SUPERIORIBUS PRÆSTANDA TRACTATULUS FRUCTUOSISSIMUS. Procemium : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII [2].]

Colon. 1534.
Neapoli 1619.

144. DE FRUCTUOSA TEMPORIS DEDUCTIONE. Procemium : *Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* (Ps. CXVIII.)

Colon. 1531, 1534.
Paris. 1621. — Antverp. 1556. — Monachii 1603. — Monstrolii 1891.

145. DE TRIPLICI VIA. Nondum inventum [3].

146. DE VIA PURGATIVA. Procemium : Volens purgari de peccatis, gratiam et indulgentiam consequi salutarem, in Scripturis illuminari, et tandem Christo totus inardescere.

Colon. 1532, 1559.

147. DE VIA PURGATIVA EXERCITIUM. Procemium : Sicut dicit Apostolus : *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi,* mundus enim stultam reputat sapientiam Dei. (I Cor. I.)

Antverp. 1492.
Colon. 1532.

148. DE MORTIFICATIONE VIVIFICA ET REFORMATIONE INTERNA. Procemium : *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* (II Cor. v.)

Colon. 1531, 1534.
Paris. 1621. — Antverp. 1556. — Monachii 1603. — Monstrolii 1891.

[1] Vide *Opusc. aliquot...* (ut in nota 3) fol. 64.

[2] Editum ad calcem Dialogi *De fide catholica* (n. 57).

[3] In ipso volumine cui titulus est : *D. Dionysii Cartus. Opuscula aliquot quæ spirituali vitæ* etc., Coloniæ, 1534, Tractatus VIII hunc titulum habet : *De triplici via ad sapientiam, Hugonis Cartusiani.*

Digitized by Google

149. De fonte lucis ac semitis vitæ. Procemium : *Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis, prævaricatores vero corruent in eis.* (Osee xiv.)

Colon. 1530, 1540.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576.

150. De remediis tentationum. Procemium : *Militia est vita hominis super terram.* (Job vii.)

Colon. 1532, 1559.
Dilingæ 1589.

151. De discretione spirituum. [Procemium : *Spírituum ponderator est Dominus.* Prov. xvi.]

Aschaffenburgi 1620.

152. De passionibus animæ. Procemium : *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* (I Cor. xv.)

Colon. 1533.

153. De puritate et felicitate animæ. Procemium : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (Matth. v.)

Colon. 1533.

154. Cordiale sive præcordiale. Procemium : *Quid, dilecte mi? Quid, dilecte* cordis *mei? Quid est, amantissime frater? Ne dederis cor tuum vanitati, neque dispergas animam tuam in multis.* (Prov. xxxi.)

Colon. 1530, 1540, 1577.
Paris. 1649. — Lugd. 1561, 1564, 1579, 1585, 1587, 1608.
Antverp. 1551. — Lovanii 1576.

155. De custodia cordis et profectu spirituali. Procemium : *Gratia super gratiam mulier sancta, pudorata et tacita.* (Eccli. xxvi.)

Colon. 1531, 1534.
Paris. 1621. — Antverp. 1556. — Monachii 1603. — Monstrolii 1891.

156. De gaudio spirituali. Procemium : *Deus spei repleat nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe et virtute Spiritus Sancti.* (Rom. xv.)

Colon. 1532.

157. De pace interna. Procemium : *Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* (Rom. xv.)

Colon. 1532.

158. De elevatione mentis in Deum. Nondum inventum.

159. De oratione. Procemium : *Oportet semper orare et non deficere.* (Luc. xviii.)

Colon. 1532.

160. De meditatione. Procemium : *Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.* (Job xx.)

S. l. 1530. — Colon. 1534.
Monstrolii 1894.

Digitized by Google

161. De contemplatione libri III. Procemium : *Sapientiam amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius.* (Sap. VIII.)

Colon. 1534.
Monstrolii 1894.

162. Sonus epulantis. Procemium : *Omnes qui credebant erant pariter et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* (Act. II.)

Colon. 1532, 1534.

163. Inflammatorium divini amoris. Procemium : Quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut diligas eum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex omnibus viribus, et ambules in viis ipsius? (Deut. VIII et XI.)

Colon. 1532, 1605.

164. Dialogus de caritatis profectu. Nondum est inventum.

165. Dialogus de perfectione caritatis. [Procemium : *Super omnia caritatem habete,* etc. Coloss. III.]

Colon. 1534.
Monachii 1603.

166. De regulis vitæ Christianorum libri II. Procemium : *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* (I Joann. II.)

Colon. 1559, 1577.

167. De particulari judicio in obitu singulorum. Procemium : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* (II Cor. V.)

Delphii 1491.
Colon. 1532, 1535, 1571, 1591, 1595, 1602.
Paris. 1543, 1547, 1551, 1555. — Venet. 1574, 1578.
Lugd. 1591. — Duaci 1638.

168. De quatuor hominis novissimis. Procemium : *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent.* (Deut. XXXII.)

Gebennis, s. a. — S. l. 1486. — Delphii 1487.
Colon. 1532, 1535, 1546, 1568, 1573, 1578, 1591, 1595, 1602, 1608, 1614, 1626, 1693.
Paris. 1543, 1547, 1548, 1551, 1555. — Lugd. 1558, 1566, 1574, 1579, 1588, 1591.
Venet. 1568, 1574, 1578. — Antverp. 1554. — Duaci 1627, 1638, 1639. — Lovanii 1578.
Augustæ Vindelicorum 1756. — Neapoli 1844.

169. Collationes duæ pro Capitulo generali Ordinis Cartusiani [1].

170. Collatio missa Capitulo generali Fratrum Minorum de observantia [2].

171. Epistolæ multæ ad Cardinalem Nicolaum de Cusa Legatum [3].

[1] Deest in editis.
[2] Ann. 1464. Deest in editis, sed excerptum exstat Monachii (Cod. ms. 9068).
[3] Cf. n. 37 et 85.

Digitized by Google

172. Epistola ad episcopum Leodiensem Joannem de Hynsberch [1].

173. Epistola ad episcopum Leodiensem Ludovicum de Burbon [2].

174. Epistola ad episcopum Monasteriensem, Ducem Bavariæ [3].

175. Epistola ad episcopum Trajectensem David de Burgundia [4].

176. Epistola ad exsecutores testamenti Doctoris divi Joannis de Lovanio.
Colon. 1532.

177. [Epistola ad magistrum quemdam Coloniensem [5].]
Colon. 1608.

178. Epistola ad Principes Geldriæ [6].
Colon. 1608.

179. Epistola de cursu puerorum ad S. Michaelem. Procemium : Desuper illustrari [7].

180. Epistola contra desperationem [8].

181. Epistola pro quodam tribulato. Procemium : Carissime pater, vestræ afflictioni multum condoleo; tamen si informationem accipere vultis, in promptu est medicina [9].

182. Epistola consolatoria ad quamdam viduam [10].

183. Epistola ad Arnoldum Campion advocatum et Juris doctorem, qua respondet quibusdam satis arduis quæstionibus [11].
Colon. 1532.

184. [Libellus supplex Duci Carolo Audaci oblatus pro nova Cartusia S. Sophiæ Constantinopolitanæ apud Duacum construenda [12].]
Duaci 1632.

185. Elegia de judicio mortis, et variis casibus ejus. Procemium : Lex metuenda premit, mortalibus omnibus una.
Daventriæ 1491.
Colon. 1532, 1559.

[1] Deest in editis.
[2] Item. — [3] Item. — [4] Item.
[5] Apud Dorlandum, *Chron. Cartus*: lib. VII, cap. xxii et xxiii.
[6] Ibid. lib. VII, cap. xiii.
[7] Deest in editis.
[8] Item. — [9] Item. — [10] Item.
[11] In fine hujus legitur : « V. P. N. Visitator jam in ultima visitatione mihi commisit ut apud me servem copiam epistolarum hujusmodi seu responsionum et opusculorum quæ aliis mitto. Sed quia mihi non bene vacat talia exscribere, opto ut copiam hujus epistolæ, alterius quoque in qua nuper respondi ad quædam dubia mihi a tua probitate proposita, scilicet de petrinis, etc., et multis quæ exciderunt memoria, remittere mihi dignemini. »
[12] Apud Raissium, *Origin. Cartusiar. Belgii*, p. 131.

Digitized by Google

186. Et varia item alia Carminum genera; Sermones [1], Collationes, Epistolæ [2] et Solutiones dubiorum sine numero.

187. Apocalypsis sive Revelationes sibi a Domino Deo factæ [3].
Colon. 1530, 1532, 1533, 1535, 1559.

[1] In editione elenchi prima (Colon. 1530), plures citantur sermones qui aliud non sunt nisi excerpta tractatuum quorumdam, puta secundæ partis Epitomes (n. 41). In ceteris vero editionibus, hos omittere maluerunt.

[2] Cf. n. 116 et 130.

[3] Reperiuntur hæ Revelationes in *Epistola ad Principes* (n. 60), et, partim, in *Vita* Ven. Dionysii.

N. B. — Usque ad annum 1783, asservati sunt Ruræmundæ, in domo Cartusianorum, codices ab ipso Auctore conscripti non minus quadraginta sex (operum scilicet relatorum supra n. 1, 4, 5, 9-19, 25-36, 38-42, 44, 47, 48, 69, 70, 72, 73, 81, 114, 117, 120, 122-125). Ex quibus quinque (n. 25, 26, 28, 39, 47) nuper A. M. P. Ingold in bibliotheca Universitatis Lovaniensis recognovit. Si quis ubi ceteri sint nobis indicaverit, de Ven. Dionysio bene meritus erit.

Digitized by Google

D. DIONYSII CARTUSIANI

PROTESTATIO AD SUPERIOREM SUUM

QUO MOTIVO SUA IN UTRUMQUE TESTAMENTUM CONSCRIPSERIT COMMENTARIA, OPERAQUE RELIQUA

EGO frater Dionysius toto corde profiteor quod sacram Scripturam exponere, parvitatem meam omnino transcendit, tam quantum ad scientiam et rationem professionis (quia monachus sum, cujus est lugere et illuminari, potiusquam docere vel illuminare), quam ratione vitæ meæ, in tantum imperfectæ et miseræ. Sed in bonitate et gratia Spiritus Sancti, qui abjecta et contemptibilia et ea quæ non sunt, infirma quoque et stulta mundi[1] eligere consuevit, confidens, hucusque exercitium istud continuavi, et quantum in me est, paratus sum prosequi, dummodo sapientiæ vestræ judicio placitum fuerit. Deprecor autem bonitatem Spiritus Sancti, ut in id quod est magis ad gloriam suam, et meum et aliorum profectum, mentem vestram inclinare dignetur.

Præterea fateor, quod quantum me ipsum pro viribus examinando deprehendere queo, non sum mihi conscius quod ex aliqua vanitate, vel propter finem vilissimum, scilicet propter famam, vel aliquid tale privatum temporaleve commodum, exercitium istud assumpserim vel prosequi optem : imo potius, ut occupando me quotidie in Scripturis, secundum eas vivere valeam, veniendo ad veram humilitatem, mansuetudinem, patientiam, quibus summe indigeo. Et si aliter est, vel alio fine hæc ago, tunc sum bene et nimis miserrimus, utputa documentis sacræ Scripturæ tam inaniter et insipienter abutens.

Totis tamen præcordiis Deo gratias ago, quod tam juvenis Religionem ingressus sum, utputa viginti unius anni exsistens. In qua nunc per gratiam Dei quadraginta sex annis permansi : in quibus assidue, Deo laus, exstiti studiosus, et multos legi auctores : scilicet super Sententias, Thomæ, Alberti, Alexandri de Hales, Bonaventuræ, Petri de Tarento, Ægidii, Richardi de Mediavilla, Durandi et aliorum. Libros etiam sanctorum : Hieronymi super omnes Prophetas, et alia multa volumina ejus, Augustini, Ambrosii, Gregorii, Dionysii Areopagitæ doctoris mei electissimi, Origenis, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Basilii, Chrysostomi, Damasceni, Boetii, Anselmi, Bernardi, Bedæ; Hugonis, Gersonis, Guillelmi Parisiensis.

[1] I *Cor.* I, 27, 28.

Digitized by Google

Præterea Summas omnes vulgares et Chronicas, totum Jus, canonicum et civile, quantum mihi conveniebat, multos commentatores utriusque Testamenti, et quidquid naturalium Philosophorum habere potui, Platonis, Procli, Aristotelis, Avicennæ, Algazelis, Anaxagoræ, Averrois, Alexandri, Alphorabii, Abubatheris, Evempote, Theophrasti, Themistii, ac aliorum. Verum quo exercitium istud magis est spirituale, laboriosum, studio et negotio plenum, eo videtur mihi salubrius, sive accommodatius ad mortificationem sensualitatis et carnalium desideriorum. Fecit etiam libentius me manere in solitudine.

Quamvis insuper Scriptura sit multum evidenter et copiose exposita a magnis doctoribus, sanctisque Patribus : tamen (ut Gerson scribit) sicut exterior gustus secundum personas et tempora diversificatur, et nunc isto nunc illo cibo delectatur, interdum quoque vilioribus eduliis amplius exhilaratur et confovetur ; ita et de interioris gustus palato censetur. Unde in fine secundi Machabæorum inducitur, quod alternis uti delectabile est, et nunc aqua nunc vinum delectat. Postremo Gerson docet, quod in mensa sapientiæ nova semper fercula proponi debent. Absit tamen a me, abjecto atque vilissimo, ut arbitrer me in mensa sapientiæ recentia fercula posse ponere. Sed, ut S. Hieronymus ait : In domo Dei unusquisque offert quod potest, nec aliorum opes aliorum inopia queunt fœdari, imo magis ornantur : quia opposita juxta se posita magis illucescunt. Item, secundum Augustinum in libro de Trinitate, Expedit de eadem materia plures fieri libros, quia non omnium scripta ad omnes deveniunt. Et secundum eumdem, Nova aliquibus amplius placent et conferunt.

Sunt autem et aliæ causæ me moventes, quas propter brevitatem omitto, et ne me ad obtinendam licentiam videar nimis armare. Nec istas tetigi intentione armandi me, etc., sed ut juxta Vestræ Paternitatis commissionem scriberem, atque ostenderem vobis quid cordis in isto exercitio geram. Itaque sub Paternitatis Vestræ correctione scripta sunt hæc, quia et hæc scribere mihi commisistis.

Digitized by Google

EPISTOLÆ

B. JOANNIS HOUGHTON[1] ET THEODORICI LOER

QUÆ IN SECUNDA EDITIONE VITÆ VEN. DIONYSII PRODIERUNT

Religioso Patri Theodorico Loer a Stratis, Vicario domus Cartusiensis in Colonia, Joannes Houghton. S. P. D.

MIRABERIS forsan, religiosissime Pater, quid sibi velint ignotæ hæ litteræ, e longinqua regione ad te missæ. Sed ut cito mirari desinas, scias odorem illum fragrantissimum eximii Patris nostri Dionysii esse, qui has litteras meas ad te (imo ad se apud te latentem) jam attraxit. Is enim adeo corda nostra suis sacratissimis scriptis et documentis sibi allexit, ut eo carere sine gravi molestia minime possimus. Nobis etenim sapiunt opera ejus melliflua et sanctissima præ ceteris pene omnibus sacris scriptoribus (quod ceterorum omnium pace dictum sit) quos hactenus legimus; adeoque eadem ejus opera apud nos rara sunt, ut votorum nostrorum in hac parte minime compotes esse possimus, videlicet in eis legendis et relegendis. Nam quandocumque aliqua eorum huc venerint, adeo ab aliis piis eruditisque viris mox rapiuntur, ut nos pauca eorum acquirere possimus, sed famelici remanere cogamur.

Porro Venerabilis Pater Prior de Henton in hac provincia, qui dudum in Majori Cartusia apud Capitulum nostrum generale fuerat, reversus nobis referebat, Paternitatem tuam ibidem ei promisisse, te huc ei velle transmittere quotquot prædictorum operum desideraret, si ea emere vellet. His nuntiis auditis animatus ego, sperabam me brevi voti futurum compotem.

Rogo igitur (ut ad compendium veniam), imo obsecro Paternitatem tuam, ut mihi tam tibi ignoto, transmittere velis quam cito commode potueris, omnia opera ejusdem piissimi Patris nostri Dionysii decies, id est decem volumina ex omnibus et singulis operibus ejus hactenus impressis. Et præter ista mittere digneris etiam, rogo, viginti libros illius opusculi, quod nos *De contemptu mundi* appellamus, et totidem etiam illius opusculi, quod *Scala religiosorum*[2] intitulatur. Nec dubites quin hoc faciendo, plurimum apud Deum promereberis. Mittasque, obsecro, pretia

[1] B. J. Houghton pro fide martyr occubuit anno 1535. Lege *Histor. aliquot martyr. Anglor.*, auctore Mauritio Chauncy. Moguntiæ, 1550. Monstrolii, 1888.

[2] Sive *Pentateuchus*, complectens n. 141, 142, 144, 148, 155 elenchi.

Digitized by Google

omnium prædictorum operum sigillatim per se. Et in partem solutionis pro eisdem, accipies ab harum bajulo pecunias ad valorem sex librarum, tredecim solidorum et octo denariorum sterling, facientes apud vos, ni fallor, 52 aureos, 5 stuferos Brabantiæ[1]. Et quidquid solvendum fuerit amplius, si tuo rogatu V. P. Prior vestræ domus pro me dignatus fuerit exponere, ego cum multa gratiarum actionum usura polliceor per hæc scripta, me quam brevissime potero ei easdem pecunias transmissurum, postquam summam cognovero. Vel si maluerit (id quod ego quoque multo malim ob pericula in itinere), solvam hic cuicumque ipse mihi mandare dignabitur. Præterea quidquid deinceps de prædicti Reverendi Patris Dionysii piis operibus contigerit imprimi, si duodecim libros de singulis mihi transmittere digneris, ego polliceor me sine mora pecunias redditurum, statim postquam per litteras tuas summam cognovero.

Denique, et tu perge, carissime Pater, strenue perficere quod incepisti, id est, non tepescat diligens illa et devota solertia tua, quam hactenus exhibuisti in præfatum sanctum Dionysium nostrum chalcographorum typis tradendum, donec omnia et novissima ejus videre mereamur : nil omnino dubitans, quin a pio Domino pro mercede, cumulum benedictionis accepturus sis in cœlestibus. Et utinam plane tum vobis, tum nobis arrideret tam abundans pecuniarum copia, quam abundat pia voluntas in omnia prædicta opera ejus edenda : tunc sperarem certe ecstaticum illum Dionysium nostrum mortalibus quasi stellam matutinam splendidum ac fulgidum brevi appariturum, et a plurimorum cordibus tenebras illas hæreticæ pravitatis effugaturum; verumque fidei lumen, cum piis operibus decoratum, eorumdem cordibus cito inducturum. Sed de his satis. Vale in visceribus dulcissimi Salvatoris, carissime Pater.

Ex ædibus nostris Cartusianis prope Londonias in Anglia, X calendas Augusti, 1532.

Per fratrem tuum in Christo Joannem Houghton ibidem Priorem indignum.

Venerabili ac religioso Patri D. Joanni Houghton, Cartusianæ domus prope Londinum in Anglia Priori vigilantissimo dignissimoque, F. Theodoricus Loer a Stratis, ejusdem sacri Ordinis apud Coloniam et monachus et Vicarius. S. P. D.

Quantam ex tuis litteris hauserim voluptatem, Pater Venerande, verbis consequi non possum. Primum quidem, quod post eximium illum virum, in omni tum scientia tum virtute præstantem, Joannem Batmansonum antecessorem tuum hac luce defunctum (qui impense Dionysio favebat), te sacer ille tuus conventus sibi præfecit in Priorem : cujus virtutibus ac laudi, jure is qui te præcessit, si posset, invideret. Quippe qui Ordinis nostri censuram, qui litteras, qui denique virtutes adeo colis et observas omnes, ut nihil supra. Taceo autem loco non infimo censen-

[1] 52 gulden,... Cf. Cangii *Glossar*. V[is] Aureus et Stuferus.

Digitized by Google

dum, quod meum Dionysium tanti facis, ut si angelicæ illi tuæ Angliæ notus non esset, per te solum posset satis juxta merita prædicari. Quare quum sciam Angliam illam universam tot doctissimis viris refertam, qui omnes Dionysium percupiunt, vel propter illos, si alius esset nemo, nullus mihi erit labor gravis. Jam vero tu ultro currentem invitas. Quid dicam? Puto jam nobis in te, quod Isaac usu venerat, accidisse : nempe quod adeo in te sumus consolati, ut luctus quem ex antecessoris morte incidimus, novo gaudio obliteraretur.

Accessit hinc aliud mihi gaudium, quod quam hactenus navavi operam in evulgandis Dionysii operibus, merito non pœnitere me debeat, sentientem adeo doctis gratam Dionysii lectionem : potissime quum ad hanc provinciam, qua ante nos non pauci celeberrimi viri fuere deterriti, nil adeo me pertraxit, ut obedientiæ studium, honor Dei, zelusque animarum, et ut eruditis juxta ac piis servirem. Quorum aliquod an sim assecutus, plane nescio, nisi quod doctorum tot litteræ, tot monita Superiorum me assidue confortant, ne operi cœpto subtraham vires.

Petis subinde in epistola tua Dionysii Vitam, petis omnes Dionysii libros tibi mitti. Nihil magis cupio quam ut id fiat. Utinam hunc diem vivam, quo Dionysii opera omnia videam typis excusa. Edita sunt jam operum ejus nonnulla, at nihil ad ea quæ hucusque latent. Vincit typographos, vincit præla, quorum non minus sex aut septem in studiosorum piorumque gratiam Dionysio excudendo occupantur, vincit denique marsupium nostrum operum Dionysii multitudo. Et quum omnia rei magnitudine pene succumbant, animus mihi permanet invictus, quo tuo ac aliquot piorum suffragio fretus non desinam ante (nisi me vita deficiat) quam Dionysii omnia opera dederim in lucem. Ceterum ut tuo satisfaciam desiderio, omnes Dionysii tibi libros mitto : haud quidem, ut tu desideras, typis excusos planeque editos, sed nomina sola, nudosque titulos librorum : ut quos amas desideres ardentius, hocque librorum ejus elencho videas quid habeas desiderare.

Magna certe industria, magna vigilantia, nec minori labore conatus sum operum Dionysii catalogum comportare, at in dies librorum ejus copia major administratur, quos Dionysii esse, et phrasis et pietas ejus in Deum singularis, et (quod his certius est) manus ejus, qua omnes quos elucubravit scripsit, indicant. Nihilo minus tamen adhuc non exstare dolemus plures, quos certissime Dionysio scimus auctore prodiisse. Quorumdam vero, quos in lucem dedimus, titulos minus Latinos mutavimus, subscribendo integras exordiorum sententias, ne sub Dionysii nomine etiam aliena prodeant, et etiam ut curioso huic sæculo nonnihil servire videamur. Nihil enim vel in hac vel in alia quacumque re laboris industriæve Dionysio nostro deerit ex parte nostra, quod in ejus laudem possit desiderari. Tuum quoque posthac erit nihil intentatum linquere, quod in ejus possit, quem amas, frugem accedere.

Vale, Pater multum dilecte, et (quod soles) perge promovere Dionysium illum tuum juxta ac meum. Vicarium tuum Guillelmum Exmew [1], reliquosque omnes istic Dionysii ac nostros amicos, potissime autem Venerabilem et integerrimum Patrem Priorem de Henton Convisitatorem, nostris verbis saluta. Iterum vale. Ex Cartusia Coloniensi, ipsa die octavarum Nativitatis gloriosissimæ Virginis Mariæ. Anno 1532.

[1] Unus fuit ex octodecim beatis martyribus Cartusianis in Anglia interemptis.

Digitized by Google

DE INVENTIONE

RELIQUIARUM VENERABILIS DIONYSII

ARNOLDUS Havensius, Prior Cartusiæ Gandensis, in Commentario de novorum in Belgio episcopatuum erectione, lib. III, cap. 10 et 11, studium laudans Henrici Cuyckii secundi episcopi Ruræmundensis, in inveniendis reliquiis sive ossibus venerabilis Dionysii, hæc narrat :

Præterea non minus Antistite dignum opus aggressus est : quodammodo imitatus S. Ambrosium Mediolanensem episcopum, qui admonitus per visum a Deo, SS. Gervasii et Protasii sacra corpora inquisivit, invenit, ac debito honore elevavit, atque in basilicam, quam Ambrosianam appellant, transtulit... Similiter Episcopo nostro Ruræmundensi Deus in mentem dedit, ut serio cogitaret, omnemque operam navaret, orationibus aliisque piis operibus incumbendo, ut Deus signo aliquo dignaretur ossa quæ adhuc laterent demonstrare, beatæ memoriæ Dionysii Rickelii, viri nimirum vitæ sanctimonia et doctrina clarissimi, Cartusiani Ruræmundensis, ut videlicet possint elevari et a Sede Apostolica canonizatio impetrari. Talia enim tamque præclara ipsius merita esse judicabat prudentissimus Antistes, ut ejuscemodi illi honos jure debeatur ad augmentum gloriæ Dei, Ordinisque nostri Cartusiensis, cujus ipse est perquam studiosus, honorem : ideoque litteras dedit ad nostrum Reverendum Patrem totius Ordinis Ministrum Generalem [1], exstimulans eum ad omnia pietatis officia per totum Ordinem obeunda et exercenda : quatenus a divina bonitate hoc ipsum, quod ipse intendit et summis votis exoptat, obtineamus, hoc est, ut quamprimum viri sancti ossa signo aliquo divino queant inveniri...

Itaque Reverendissimus Cuyckius, mense Octobri [2], veniens ad monasterium nostrum Cartusianorum, altare illud, in quo beatæ memoriæ Dionysius olim solitus fuit sacrificare,quodque per temporum injuriam et bellicos motus neglectum destructumque erat, curavit renovari et restaurari, et in festo S. Brunonis, Ordinis Cartusiani primi post Christum institutoris, novo et integro superposito lapide, solenni benedictione episcopali denuo consecravit, quatenus in eo frequentius sacrosancta hostia corporis et sanguinis Christi Deo Patri offeratur, et divinum Officium peragatur ad memoriam S. Dionysii Areopagitæ juxta ac Dionysii Rickelii, ea nimirum intentione ut ejus sacra ossa inveniri possint et elevari, ad majorem Dei gloriam, sacrique Ordinis incrementum. Quod ipse Episcopus primum sequenti die fecit, et deinceps se facturum sæpius decrevit, uti sui voti et desiderii compos efficiatur, propter singularem amorem et devotionem, quibus erga tantum tamque præclarum et excellentem virum, singulari vitæ sanctitate atque exquisita doctrina ornatum, afficitur. Atque hoc quidem initium fecit

[1] Vide hanc epistolam in *Ephemer. Ord. Cart.*, auctore Leone Le Vasseur, t. I, p. 327. Monstrolii, 1890.

[2] Ann. MDCVII.

Digitized by Google

inquisitionis sacrarum reliquiarum viri sancti, insuper litteras dans ad eos, quos pietati deditos et orationibus suis apud Deum plurimum posse confidebat, ut pium hoc suum institutum Deo in suis ad eum precibus sedulo commendarent.

Porro quantum profecerit Reverendissimus Dominus Cuyckius in investigandis et reperiundis ossibus beati Patris nostri Dionysii Rickelii, ex subjecta epistola vel copia illius, quam ipse ad Reverendum Patrem nostrum Generalem, Priorem scilicet Majoris Cartusiæ, hoc anno MDCVIII dedit, quæ ita habet, manifestum evadere poterit.

« Admodum Reverende Pater Prior. Non sine fructu Cartusiani Patres et Fratres pro D. Dionysii Rickelii reperiundis ossibus Deum orasse videntur. Qui in hac Cartusia Ruræmundensi hactenus superfuit senior sacerdos, Frater Henricus Kerckenus, quinquagesimum annum in Ordine superans, et locum quietis Rickelii, uti a majoribus acceperat, in quadam latitudine designare solebat; nuperrime vero, hoc est vicesimo secundo mensis Martii die, anno MDCVIII in Domino obdormivit. Quam occasionem prudenter accipiens venerandus hujus Cartusianæ familiæ Prior, Dionysianæ sepulturæ a Kerckeno demonstratum locum aperiri jussit et investigari, ut Kerckenum (qui Dionysii quoque cellam ad mortem usque inhabitarat) eodem in loco, quem Dionysii esse dixerat, conderet : idque ex adverso altaris illius, in quo vivens Dionysius sacrificare solitus erat : quod ante quinquaginta quatuor annos, quando universa pene Ruræmundensis civitas cum monasterio ac templo illius incendio conflagravit, fissum, diruptum profanatumque erat : quo eodem in loco ante proximos sex annos in die S. Dionysii Areopagitæ et Martyris ac ad illius memoriam, aliud est erectum, et a nobis consecratum altare. Quum ergo vicesimo secundo Martii die (qui stilo veteri Magni etiam Gregorii et Rickelii mortis fuisset dies) e vivis excessisset Kerckenus, perticas seu stipites duos eo in loco, ubi Dionysiana ossa quiescere putabantur, defixit Prior : quibus post profundam admodum fossionem (cui incendii rudera ansam dedisse videntur, ut jam altius multo et elevatius sit cœmeterium, quam fuerit antea) Dionysii cranium et plantæ e directo inferne respondebant : reliquis etiam totius corporis ossibus, ordine et naturali situ, post centum et triginta septem exactos annos, concinne adhuc dispositis; iisque omnibus inde extractis, in loculum Dionysii Frater Henricus Kerckenus humatus est. Calvaries autem Dionysii et reliqua ossa proceri et robustissimi viri specimen referunt, et signum habent hominis balbutientis propter prominentes anteriores mandibularum dentes : quo vitio Dionysium laborasse auctor est, qui Vitam illius conscripsit Theodorus Loerius Stratensis. Ossa ergo hæc religiose nunc in Ruræmundensi Cartusia asservantur, donec divina bonitas illustrioribus ea miraculis coruscare fecerit : quo possint ad majorem Dei gloriam, Sedis Apostolicæ interveniente auctoritate, honorificentius elevari. Quod superest, oro clementissimum Deum, ut Cartusias omnes, per universum Christianum orbem diffusas, suis donis adaugeat, et me meritorum omnium faciat participem. Ruræmundæ, X Aprilis, anno MDCVIII. »

Porro eximius Magister noster, Doctor Petrus Pollino, Decanus Ecclesiæ cathedralis Ruræmundensis, nostris enarravit, caput cui peculiaris reservatus est honos, perpulchre exornatum, etiam insignem odoris fragrantiam redolere. Et sane mirabile est, quod cum magno labore sublatis prius ruderibus, corpus erueretur, illud inventum fuerit integrum, suis adhuc pro majore parte membris cohærens, post annos, quibus vir sanctus obdormivit in Domino, centum triginta septem : et præsertim pollex et index, duo nimirum librorum scribendorum instrumenta quam maxime necessaria, quibus ille usus est ad Ecclesiæ utilitatem et multorum salutem, integriores sunt reperti.

Digitized by Google

Hic opportunum videtur inserere quædam documenta quæ Rev. Rector D. H. Welters edi curavit in suo opere cui titulus est : Denys le Chartreux. Sa vie et ses ouvrages. Ruremonde, 1882, in-8°, pag. 108-110.

« Anno Domini 1858, die 28 Augusti, clausimus atque sigillo nostro munivimus ut in posterum debita cautela servetur, capsam ligneam, in qua continetur cum documentis authenticis, Caput Divi Dionysii Carthusiensis, ex qua extraximus maxillam inferiorem cui inhæret dens una grossa molaris, et particulam ossis sphenoidalis, scilicet processus pterygoidus sinister, uti relatum est in Instrumento ad longum pro ejusdem capitis servi Dei authenticitate adinstruenda, per illustrem Dominum Van Halen, Doctorem medicum Ruræmundæ, de nostro mandato confecto, eodem die quo supra, quæ ossa dono dedimus Domui Majoris Carthusiæ Gratianopolitanæ Diœcesis in Gallia. Super autem cooperculum dictæ capsæ inscribi jussimus manu Secretarii Episcopatus nostri : *Caput D. Dionysii Carthusiani.*

« Interfuerunt DD. Stephanus Moonen, Ecclesiæ Cathedralis Parochus et Decanus, et prælaudatus et perillustris Dominus Van Halen, qui ambo cum Secretario nostro, tam capsam ligneam quam præsentes subscripserunt.

« Datum Ruræmundæ in Ædibus nostris Episcopalibus, Anno, mense ac die ut supra.

Pro R^mo ac Illmo Episcopo ac Domino Meo

F. A. H. Boermans, secretarius.
Sig. S. Moonen Par. Decanus.
Sig. Dr Van Halen.
Joannes Augustinus etc. »

Testamur ex testimoniis auctorum ad calcem præsentium citatis :

« Caput P. Dionysii, Carthusiani Ruræmundensis Carthusiæ, quem beatum varii auctores appellant, maxime inter eos qui de rebus Belgicis commendati sunt, in Ecclesia Cathedrali hujusce Nostræ Diœcesis fuisse aliquando adservatum non multo post elevationem corporis Servi Dei, factam anno 1608, tempore nempe Ill^mi Domini Henrici Cuyckii, Ruræmundensis Episcopi, illudque dictum Caput perpulchre exornatum ac insignem odorem redolens, peculiari honore fuisse custoditum.

« Testamur insuper Caput ejusdem Servi Dei, qua nescimus occasione, fuisse Coloniam Agrippinam translatum, illudque ibidem remansisse donec seriæ ac perseveranti voluntati Ruræmundensis Episcopi morem gerens Prior Carthusiæ Coloniensis illud restituerit Ecclesiæ Cathedrali, anno scilicet 1785. Quod autem sit Caput D. Dionysii illud quod nunc asservatur in Eadem Nostra Cathedrali, omnia probabilitatis argumenta probant. Id quippe eruitur : 1° Ex Litteris pro ejusdem restitutione datis, ac inscriptione manu propria Domini Theunissen, Secretarii Episcopi Ruræmundensis facta, cui appositum sigillum videtur. 2° Ex habitantium hujusce civitatis ætatis provectioris testimonio, qui ab epocha qua fuerit restitutum, usque nunc, a suis majoribus semper audierunt pro Capite D. Dionysii haberi illud quod custoditur in loculo ligneo asservato in Cathedrali, cujus in operculo sub initialibus L. T. inscriptum legitur : *Caput Dionysii Carthusiani.* 3° Ex processu de nostro mandato per prænobilem D. Van Halen, doctorem medicum in hacce civitate confecto pro identitate adstruenda Capitis Servi Dei, ex quo constat descriptionem ab eo factam concordare eis quæ ab auctoribus relata sunt.

Digitized by Google

« Volentes de cætero Ordini Carthusiano, de summa animi nostri propensione signum præstare ac pignus pro promovenda apud S. Sedem Servi Dei causa, Majori Carthusiæ tanquam Matri ac totius Ordinis Carthusiani Sedi, dono dedimus maxillam inferiorem et illud os prout melius describuntur in processu confecto ab eodem perillustri D. Van Halen, quæ omnia pro identitate tuenda nostro sigillo munivimus.

Datum Ruræmundæ, 28 Augusti 1858.

Sig. J. A. PAREDIS qui supra.
De Mandato Ill^{mi}
Fr. A. H. BOERMANS, Secret.
Testor hanc copiam esse conformem originali.
Ruræmundæ, hac 23 sept. 1881.
Episc. Ruræm. Secretarius
G. F. VAN MEIJEL. »

EX ACTIS SANCTORUM

Martii tom. II. Antuerpiæ, 1668, XII Martii.

Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii compendium ejus (Havensii) exhibet, XII Martii, sub hoc titulo : Appendix de Elevatione corporis Beati Dionysii Rickelii Cartusiani : at quem ille titulo Beati indigetat, solum beatæ memoriæ et virum sanctum appellarat Havensius. Inscriptus etiam est ad XII Martii Natalibus Sanctorum Belgii Joannis Molani, Fastis Belgicis Autberti Miræi, Martyrologio Germanico Canisii [1], Calendario Mariano Balinghemii, Catalogo generali Sanctorum Ferrarii, Martyrologio Gallicano Saussaii [2] et Gallobelgico Willotii, aliisque similibus Fastis : et fere, beatæ memoriæ, sanctitate conspicuus, aut Venerabilis habetur, quo eum nos solum titulo honoramus. Ceterum ossa venerabilium reliquiarum hoc tempore Ruræmundæ post altare asservantur honestæ cistulæ imposita et loculo inclusa : varia tamen ex iis distracta sunt et aliis communicata.

1 « Item Ruræmundæ obiit Dionysius Rickel Cartusianus beatæ memoriæ, qui vita et scriptis suo tempore insignis fuit. »

2 « Obiit Dionysius Cartusianus, Doctor ecstaticus, cujus corpus miraculis coruscans, nuper e terra levavit Henricus episcopus Ruræmundensis. »

Digitized by Google

AD LECTOREM

Quod attinet ad canonem textumque Scripturarum, et alia quædam : semper advertendum est, Auctorem nostrum ante Tridentinum Concilium scripsisse. Textum autem sacræ Scripturæ, prout ab eo citatur, servavimus ; nisi certum aut saltem verisimile sit, mendum obrepsisse.

Ubicumque in priscis editionibus capita Scripturæ sacræ memorantur, nos, multo labore, versiculorum numeros subjunximus, juxta Vulgatam editionem.

Quæ dubia videntur, hoc signo † notavimus.

Digitized by Google

ENARRATIONES

IN QUINQUE MOSAICÆ LEGIS LIBROS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN QUINQUE MOSAICÆ LEGIS LIBROS

HOC EST

GENESIM, EXODUM, LEVITICUM, NUMEROS,

DEUTERONOMIUM

Josue I.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis
in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias
omnia quæ scripta sunt in eo.

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL, MDXXXIV; JOANNIS QUENTEL, MDXLVIII; HEREDUM
JOANNIS QUENTEL CUM GERVINO CALENIO, MDLXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆSTANTISSIMIS, MAGNIFICIS, AC INTEGERRIMIS DOMINIS CONSULIBUS, QUÆSTORIBUS, MAGISTRATIBUSQUE ALIIS, UNIVERSOQUE SENATUI FLORENTISSIMÆ ET AMPLISSIMÆ CIVITATIS AGRIPPINÆ COLONIÆ, F. PETRUS BLOMEVENNA LEYDENSIS, CARTUSIANORUM IN EADEM URBE PRIOR, AC CIRCA RHENUM VISITATOR, FELICITATEM.

QUANTA sit Scripturæ hujus, videlicet quam canonicam vocamus, auctoritas, quanta item majestas, P. C., neminem unquam puto addubitasse, nisi qui aut prorsus inscius, aut omnino impius, Spiritui Sancto, quo (ut Petrus ait) *II Petr. I.* locuti sunt sancti Dei homines, resistere maluerit quam credere. Neque enim voluntate (quod ait) humana allata est aliquando Prophetia, nec opera Dei admiranda alio nobis doctore revelata sunt, quam eo, quo et auctore sunt facta. Qui quum mentiri nesciat, utpote veritas, tantum abest etiam ut falsitatis quidpiam lateat in *Joann. XIV.* Scriptura. Hoc Salvator quoque noster confirmat, non parum Scripturæ tribuens, quando quod solvi hæc nequeat, dixerit. Proinde quidquid alioqui in controver- *Ibid. X* siam posset venire, citata Scriptura pro illius testimonio et sententia, mox roboratur. Eam ob rem non solum Ecclesiæ Doctores, verum Apostoli etiam, atque adeo Christus ipse, Scripturæ non semel usi sunt testimoniis, quibus vel ea quæ adstruenda erant, roborarent, aut quæ confutanda, convellerent. Porro quid Scripturæ debeat nomine censeri, si quis interroget, nihil ex nostro, sed Ecclesiæ judicio arbitror proferendum : nempe quum veteris tum novi Testamenti libros, eos videlicet, quos Concilium recenset Carthaginense tertium, cap. XLVII, cui præter alios tum doctissimos tum sanctissimos viros, divum constat interfuisse Augustinum, et qui communi sunt Ecclesiæ consensu recepti, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numerorum, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, libri duodecim Prophetarum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo; Novi autem Testamenti libri viginti septem : Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli apostoli epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Petri apostoli duæ, Joannis apostoli tres, Judæ apostoli una, et Jacobi una, Apocalypsis Joannis Apostoli. Concordat his per omnia Concilium Tridentinum, quod nostra hac ætate celebratur, præterquam quod librum Baruch Jeremiæ nominatim annectit et approbat, atque deinde post enumeratos hosce, qui de canone dicuntur Ecclesiæ Catholicæ, libros, ista subjungit : Si quis autem libros

Digitized by Google

ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. Hos vero libros quum tanta ornet majestas, tantaque fulciat auctoritas, ut nemini unquam iis non modo refragari, sed nec de eorum veritate dubitare hactenus licuerit, in iis tamen omnibus, quemadmodum de Paulinis
II Petr. III. epistolis Petrus testatur, quum sint quædam obscura ac difficilia intellectu, quæ indocti instabilesque, præsertim hodie, depravent : quanta putamus laude dignos eos, qui suis vigiliis, sua opera atque labore, quæ obscura, lucida ; quæ abstrusa sunt, nobis manifesta reddidere ? Quantæ sunt item illis gratiæ agendæ, qui juxta
Joann. IV. Salvatoris testimonium, nobis laboraverunt, nobisque seminaverunt, ut nos eorum messem introituri, atque segetem uberem capturi, alienis sudoribus epularemur ? Fuere enim qui in Bibliorum unum alterumve librum scripserint commentarios : fuere qui complures sint interpretati Scripturæ libros. At vero qui in utrumvis Testamentum scripserint, atque Scripturam sacram omnem nobis elucidaverint, perpauci habentur. Inter hos tamen egregie hoc ipsum fecisse constat Dionysium, nostri Ordinis Cartusiani virum eruditissimum, nec sanctitate minori conspicuum : qui præter alios pene innumeros quos edidit libros, nullum ex canonicis sacræ Scripturæ libris prætermisit, quem suis non illustrarit lucubrationibus, plerumque quadruplici sensu, quod nemo ante ipsum præstitit, nempe litterali, allegorico, tropologico, et anagogico. Huic præterea id laudis accedit, tametsi nulli non ceterorum sit quoque sua præeminentia singularis, quod explanatio ejus quum sit lucidissima, nec parum solida, adeo tamen est nihilo minus fecunda, ut nihil ad rem faciens, ab aliis dictum, prætermiserit. Unde accidit ut adagii pene loco receptum sit, nempe : Qui Dionysium legit, nihil non legit. Itaque nos omnem navamus operam, nec corporis viribus, nec sumptuum impensis parcentes, quo novos semper esurienti lectori cibos, eosque cumprimis suaves, ingeramus : idque vel propterea tanto sedulius, quanto homines impii, iidemque ab Ecclesia apostatæ et in fide reprobi, quotidie sacram Scripturam perperam interpretari, ejusque sensum genuinum, quem Spiritus Sanctus loquitur, nobis abscondere, corrumpere, atque mutare nituntur. Nostrum enim arbitror esse, contra hos virum producere Dei Spiritu plenum, qui velut alter David, non unius Philistæi tantum, sed omnium etiam Allophylorum, de Scriptura nobis exprobrantium, audeat valeatque confutare, expugnare, ac confringere audaciam. Illi namque in ingeniorum suorum viribus astuque fallendi confidunt, utpote superbi ac versipelles : qui
II Cor. X. quum vel nolunt vel nequeunt (juxta Paulum) intellectum suum captivare in obsequium Christi, non possunt etiam Spiritui veritatis quem Ecclesia habet, se subdere, dum Christus nobis interim, qui ejus veritati ac testimoniis nitimur, utpote parvulis, humilibus atque bonis consentientibus, dignatur ea quæ superbis hæreticis abscondit, revelare. Nos enim eos dumtaxat sequimur sacrarum Scripturarum elucidatores, quorum vita casta et sancta, quorum eruditio Ecclesiæ consentanea, atque ei Spiritui veritatis, qui Ecclesiam regit ac docet in omnibus, est subjecta. Cujusmodi hic vir erat Dionysius, dum viveret, Deo plenus : quod in eo testantur vitæ sanctitas, contemplationum excessus, ac miraculorum gloria. Porro illi quum sint unitatis divisores, contemptores Ecclesiæ, rebelles potestati, in Deum quoque

Digitized by Google

ac in homines fidefragi, utpote legum desertores, atque suorum transgressores votorum, et ne minimum quidem de Spiritu habeant, audent tamen pro sua temeritate Scripturam sanctam tractare, atque hæreses et impia dogmata, quæ olim ab Ecclesia magna sunt auctoritate damnata, revocare. Ab iis felix tu, Agrippina Colonia, te hactenus servasti, servabisque perpetuo (quod speramus) incorruptam, utpote tot sanctissimis, tot doctissimis, tot denique clarissimis, sapientissimis et integerrimis viris referta. Nec est revera vulgare hoc, quod laudi tuæ propterea accedit, præconium, quod ferme sola inter reliquas civitates in fide constantissima, etiam eas quæ nutare videbantur, tua soliditate servaris. Facis plane quod tuum est. Siquidem tuo more, ut olim semper, ita et hodie fidei intemeratæ palmam tenes. Eam ob rem regio circumjacens omnis, in te unam civitatem hactenus spectat, parata tuum judicium sequi, parata quocumque tu applicueris, sese conferre. Quid hac laude speciosius, quid præclarius hoc honore, quid denique hac gloria venustius, ad unius civitatis judicium, ad unius Agrippinæ sententiam, Principes, civitates, regionesque amplissimas pendere? Nec tamen id immerito : quippe quum in te sint Consules sapientissimi, integerrimus Magistratus, Senatus prudentissimus, Academia celeberrima, frequentia Cleri, qui honestate atque modestia, quam alibi, vivit majori : cives denique optime Christiani, qui omnes non aliter atque ad commune incendium exstinguendum, certatim cuivis suspecto invisoque dogmati occurrunt. Neque enim leviter prospiciendum putant, ubi consulto maxime opus est : quandoquidem non modo tibi, verum civitatibus quoque aliis et regionibus multis ex te præberetur ansa deserendæ Ecclesiæ, si, quæ antehac nunquam levitate usa es, nunquam a veritate visa es vacillare, modo in communem fidei jacturam ac multorum perniciem rueres. Verum meliora ac gloriæ tuæ viciniora de te exspectamus, felix Colonia, cui præter fidei constantiam, obedientia nihilo minus Ecclesiastica adeo inhæret radicitus, ut nulla promissa, nullæ minæ, nulli pseudodoctores, nullæ denique sæpius tentatæ fraudes, hanc tibi potuerint eripere. Quis enim integritatem tuam corrumpere potuit unquam ? Hæc vos, sapientissimi laudatissimique Consules et Magistratus, hæc vos ornat constantia, hæc vos decet, o cives optimi, hæc vos adeo prædicat fidei soliditas, ut nulla sitis propterea laude satis mirandi, quod majorum vestrorum virtute certatis haudquaquam reperiri inferiores. Neque enim degeneres avitam illam civitatis vestræ vultis relinquere aut nobilitatem, aut gloriam, quibus olim vestri fulsere majores, qui inter quoscumque hæreticorum turbines, inter quascumque tyrannorum regumve persecutiones, eam qua semel Christiane fuerunt imbuti, haudquaquam fidem deseruere. Unde quemadmodum ipsi vobis, ita vos posteris vestris eamdem quasi per manus inconcussam tradere curatis. Eapropter, felix Agrippina, non frustra nec absque divino credimus omine factum, ut tribus Magis atque Regibus in fide gentium olim primitiis, tibi missis, tribus pariter coronis tu quasi cœlitus tibi destinatis, insignia tua religiosissime venustares : quippe quæ Imperii prima civitas atque fidei corona, et appellari et esse, tua virtute et constantia meruisti. Habeant igitur aliæ civitates vel hodie in Imperio magnos, tamen vacuos, honorum titulos, utpote quibus earum opera non respondeant. Tu interim virtutum laudem ac honorum culmina posside : quippe quæ meritorum præeminentiam tibi fere sola vindicaveris, cunctisque propterea

Digitized by Google

(quod par est) civitatibus anteferaris. Vides nunc, ni fallor, quantum tibi profuerit consiliorum tuorum maturitas, qua nihil præcipitanter, nihil temere, nihil denique oscitanter (ut ubique) agere soles : ita in fide quoque nihil abjeceris, nihil a Patrum Ecclesiæque placitis recesseris, nihil detraxeris cærimoniis piis, nihil denique in ritu officioque mutaveris Ecclesiastico. Quæ omnia, si hodie etiam a morte resurgerent Apostoli, neque meliora, neque castiora possent statuere, tametsi sacratissima quæque impium abusum, bonis omnibus exsecrabilem, sentiant. Itaque vides nunc ipsa tuam prudentiam, quam consulte egeris, in germana illa fide, in vera obedientia Ecclesiæ (qua quotquot sancti, quotquot martyres, quotquot clari fuere miraculis, vixerunt) perstans : quando etiam e diverso cernis interim tot civitates, olim quidem dum in fidei et Ecclesiæ unitate perstiterunt, florentissimas, nunc vero, quia pestifera hæc dogmata receperunt, in priscis illis hæreticis a Patribus atque universa Ecclesia damnata, et e Luthero hujusque viperæ geniminibus jampridem renata, quomodo confestim ab omni pietate, a Dei cultu, ab amicitiarum fœdere, a pace, a fide, a virtute, ab omni denique honestate factæ sint alienæ, atque quovis humano questu deplorandæ. Pater contra filium, et filius a patre divisus est. Uxor a marito dissidet. Inter amicos jurgia permanent, atque juxta Salvatoris testimonium, Inimici hominis, domestici ejus. Quid enim tam cito humanam solvit amicitiam, quid magis discordiam fovet, quid minus potest conciliare homines, quam fidei disparilitas? Nullam hodie paganus init gratiam cum fideli, Judæo cum Christiano haudquaquam convenit, nec Judæo Mahometanus consentit. Lutheranus vero Christiano nunquam esse potest amicus, imo ne Zuingliano quidem. Hoc enim in Lutheri virulento fetu satis est manifestum, quam se mutuis concidant vulneribus, quam nihil consentiant, nisi ubi orthodoxæ pariter queant nocere fidei. Quocirca ubicumque ab Ecclesiæ unitate deficitur, omnem amicitiam Christianam exsulare necesse est : quandoquidem inveniuntur qui in fide perseverent, quibus ea de re non major potest esse fiducia ad hæreticos, quam ovibus ad lupos. Hæc tu videns, et solita circumspectione tua perpendens, quam omni sint honore spoliatæ civitates, ubi fidei præcessit defectus, Ecclesiæve desertio, quamque cives boni illic inter se ipsos contabescant, ubi sub jugum pessimorum nebulonum atque helluonum fuerint redacti, quos in tres quatuorve impietatum turmas divisos tolerare coguntur, alieno periculo prudentior facta es. Perinde enim tibi eadem jamdudum contigissent, nisi prudentissimis atque Deum timentibus gubernata esses viris : qui patriæ patres, atque optimorum civium tutores effecti, civitatem te augustissimam a pestifera hac contagione servaverunt, et hominum corruptores zelo Christianissimo exterminaverunt. Semper enim in te (quod ad gloriam tuam taceri non debuit) persecutionem sunt passi hæretici, quo boni pacem haberent. Porro, quod incorrupta manes et tuta, integerrimis ac spectandæ virtutis Optimatibus atque Consulibus tuis acceptum referas oportet, qui labem hæreticam omnem, maxime vero Lutheri dogmata, et alia ex his pullulantia, non aliter atque civitatis certissimam pestem, aversantur atque propulsant. Quid multa ? Senatus omnis, quo vix hodie est alibi prudentior atque integrior, mavult suorum majorum atque assuetæ probitatis tenere vestigia, quam novi aliquid, quod tam constat esse pestiferum, investigare. Felix igitur nunc et es et diceris, Colonia Agrippina, quæ justitiæ semitas, quas tanquam

Mich. VII.
Matth. X.

Digitized by Google

hereditarias tibi relictas tenes, etiam exteris tuo exemplo commonstras; sensura tandem, quantam tibi ipsi gloriam, quantam civibus pacem, quantam denique universis qui te incolunt, compares concordiam : ut taceam interim, quale quantumve a Deo acceptura sis virtutis præmium. Siquidem ad nihil aliud videris exstructa, quam ut divinæ humanæque leges in te doceantur, et tua universo orbi eruditio prosit. Nam ad omnes fidei tuæ exemplar jamdudum pervenit. Nec est quem famæ tuæ odor bonus non reficiat. In orbe universo fama olim es celebratissima : nec gens est hodie, quæ opinatissimam non audierit Coloniam, nimirum fidei tuæ constantia et morum integritate ubique te divulgante; quamvis, quod compertissimum est, non hac tantum laude sis celebris, sed omnifariam inter reliquas caput efferas urbes. Quid est enim quod pietatem redolens, in te non abundet? Aut quis splendor, quæ claritas, quæ divitiæ, quæ merces, quæ disciplinæ, quæ artes tibi desunt? Aut quid est alibi præclarum, mirandumve, quod in te non præmineat? Quippe quæ non solum cum aliis certare, sed etiam præstantissima quæque vincere vales. Verum quum nostri non sit instituti, singula hic recensere, nec panegyricon scribere, ut nihil unde queas laudari, taceamus : idcirco non hic æquissimam civitatis Politiam recensemus, non civium laudatissimos mores, utpote modestia prudentiaque singulari insignes, non denique pulcherrima templa Sanctorum reliquiis refertissima, nec monachorum virginumque Deo dicatarum greges, sed ne superbissimas quidem ædes, amplissimaque palatia, quibus tota es ornatissima, referimus. Olim hæc fecimus, ubi Francis, quasi totam depictam ob oculos quo potuimus sermone, te commonstravimus. Interim tamen non est prætereundum, quod quum doctissimi viri quotidie in te nascantur, quum libri quoquoversum ex te mittantur ad Christianæ pietatis eruditionem et ædificationem Ecclesiæ, nobis omnino videbatur necessarium, qui tuam maximopere gloriam zelamur, Dionysii libros, utpote Ecclesiæ suffragium, ex te in medium dari. Est enim Doctor non inter infimos censendus, utpote qui plus omnibus laboravit, imo cui in librorum editione, in sacri studii assiduitate, in frugis quam Ecclesiæ attulit ubertate, non facile quispiam est anteferendus. Certabant igitur jampridem non leviter aliarum civitatum bibliopolæ et impressores pro Dionysii libris excudendis. Verum hic tibi debebatur honor, cui nullus non debetur ab Ordine Cartusiensi, quippe cui tu jam olim dederis Initiatorem. Siquidem beatissimus Bruno primus omnium Cartusiensium, qui ad stupendum olim miraculum, dum in Theologia Parisiis magister legeret, compunctus, ad eremum intra Sabaudiæ fines confugiens, primus Ordini et nomen et exordium dedit, hic tuus ex nobilibus parentibus natus est civis. Eam ob rem quidquid ex Ordine hoc nostro frugis in Ecclesiam prodit, post Deum huic tuo est civi tribuendum, atque in tuam gloriam referendum, cui nostra pariter omnia serviunt studia. Nec debuit hujus nostri Dionysii producendi gloria fraudari, civis tuus ac senator ornatissimus D. Petrus Quentel, qui ex officina sua litteraria vetustissima, alios tam multos dedit auctores, idque suis impensis, suis periculis, suis denique sudoribus, ne thesauros mundo non produceret absconditos. Quid enim vir ille non faceret ad patriæ suæ decus, ad civium gloriam, ad perpetuam denique posteritatis suæ memoriam, qui suopte animo paratissimus est studiosis omnibus prodesse? Huic igitur committi debuit exornandus Dionysius, atque sæculis evulgandus, hoc præ-

Digitized by Google

sertim ævo, quo vetus novumque Testamentum quanto avidius legitur, tanto utilius explanatur. Hortabatur ad hæc quoque, et non parum promovit primus omnium reverendus Pater Conradus Kollin, Dominicanæ familiæ in Theologia Professor ac Regens, vir certe et pietate et eruditione incomparabilis. Qui licet ipse (præter multa alia) grande opus, studiosis omnibus utilissimum, nec suo vel Ordini vel ætati inglorium meditetur, optavit tamen vehementer et persuasit, ut præiret Dionysius. Hunc itaque Dionysium vobis, integerrimi Consules, Magistratus, Senatores, civesque universi, præsertim quidquid circa Moysis Pentateuchum lucubravit, tanquam Bibliorum caput, nuncupandum servavimus, quo simul nos Ordinemque nostrum universum vestræ tutelæ, vestroque patrocinio commendaremus. Cui enim magis congrue debuit sacræ Scripturæ caput, Genesis videlicet ac Moysis lex, dedicari, quam ei civitati et genti, quæ non solum Scripturam, verum etiam Scripturæ sensum, quem Ecclesia Spiritu Dei erudita, nobis contradidit, præcipua devotione tenet? Unum hoc postremo supplices oramus, P. C. præstantissimi, ut hanc operum nostri Dionysii, qui olim in vestra civitate et studuit, et publice prælegit, novam editionem, nobis non tam laboriosam, quam multis civium vestrorum (ut ita dicam) lucrosam, in bonam partem accipiatis. Etenim spes nobis optima est, per horum operum editionem (divi Augustini opera quantitate plus duplo superantium) multo plures ædificatum iri, non solum in doctrina sana, verum etiam in pietate vera et morum probitate, quam ædificati sunt jam quindecim annis et ultra, per libros contentiosos, et per supervacuas de rebus fidei disputationes. Faxit Deus Opt. Max. ut recuperata pace et unitate Ecclesiæ, otiosis et amarulentis circa fidem contentionibus nihil amplius sit opus. Id fiet, speramus, ubi adversarii nostri in se reversi, corde contrito et humiliato cœperint priscis potius et sanctis Patribus credere, quam propriæ prudentiæ inniti. Hoc enim multo et salubrius et tutius fuerit. Illi namque Patres antiqui procul ab omni suspicione harum contentionum remoti, absque omni affectu pravo et perverso, nudam fidei Catholicæ veritatem in sacris Litteris perquisierunt, ac perquisitam, in scriptis post se absque invidia reliquerunt, in profectum cujuslibet, in odium nullius. Pietas etiam actionum et sanctitas vitæ indicat, eos propius attigisse et gratiam Christi, et afflatum Spiritus Sancti, ut merito debeamus eorum expositionibus et sententiis plus tribuere, et securius acquiescere, quam nostris propriis. Valete felices, honoratissimi Consules, Quæstores, Magistratus, Senatus, ac cives optimi universi.

Digitized by Google

CLEMENS PAPA VII

DILECTIS FILIIS SENATUI ET POPULO COLONIENSI

Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Quod semper a vestra pietate exspectavimus, supplicesque a Deo imploravimus, ut vestra civitas, olim Romani imperii insignis Colonia, deindeque Christianæ pietatis solida in istis regionibus columna, pollens opibus, robusta viribus, celebrata litteris, in tanta circumstantium hæresum propinquitate se illæsam Deo conservaret, et si qua sui parte corruisset, Dei munere cito consurgeret, id cum summa nostra lætitia, vestra maxime filii Senatus pietate et constantia factum esse et continue fieri audimus : idque ad nos jam undique nuntiatur. Agimus itaque Divinæ misericordiæ gratias, quod insignem ac percelebrem vestram civitatem a satanæ venenis tutata est, sanctamque Coloniam re et nomine effecit. Vobis autem filii quas possumus laudes paterno affectu reddimus, quanquam multo impares eas vestris meritis judicamus. Vestra enim virtus et constantia, non solum sibi ad salutem, verum ceteris proficiet ad exemplum, secuturis auctoritatem tam insignis tamque eximiæ (nedum in Germania, sed etiam in cuncta Europa) civitatis. Vos vero filii dilectissimi, utinam occasionem aliquando habeamus nostrum erga vos paternum ac peculiarem amorem exhibendi : cuncta vobis quidem anniteremur signa ostendere paternæ nostræ erga vos ac ferventissimæ caritatis. Hortamur, magis ex abundantia affectus nostri, quam quod necesse id vobis arbitremur, ut in cœpto pietatis cursu persistatis. Primum consulturi saluti, deinde etiam gloriæ vestræ, atque a Deo ipso (cujus veram religionem a patribus acceptam tuemini) immarcescibiles meritorum cumulos adepturi. A nobis vero, et serenissimo Cæsare omnia exspectaturi, quæ ab amantissimis parentibus in pientissimos filios conferri possint. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX Novembris MDXXXI, Pontificatus nostri anno IX.

EX SANCTORUM HISTORIIS ET CHRONICA

FELICIS COLONIÆ AGRIPPINÆ

Collegiatæ ecclesiæ XI.

PRÆNOBILIS totius Alamanniæ civitas, et sancta metropolis Agrippina Colonia, undecim habet ecclesias collegiatas. Quarum prima est ecclesia summa archiepiscopalis, fundata in honorem S. Petri apostoli. In qua requiescunt venerabilia corpora trium Regum Magorum, trium martyrum Felicis, Naboris, Gregorii Spoletani, sanctæ Irmgardis, et caput S. Sylvestri Papæ, superior medietas baculi et catena S. Petri.

Secunda est fundata a S. Helena imperatrice in honorem S. Gereonis et sociorum ejus 318 Thebæorum, et sanctorum Gregorii et sociorum ejus 360 Maurorum, quorum corpora cum multis aliis martyribus in eadem ecclesia honorifice reservantur. Tertia est S. Severini, secundi archiepiscopi Coloniensis, qui floruit circa annum Domini 400, cujus sanctissimi corporis sacræ reliquiæ in pretiosissima reconditæ tumba, singulis secundis feriis ab incolis devotione præcipua visitantur.

Quarta est S. Cuniberti, qui fuit septimus archiepiscopus Coloniensis, in deaurata tumba ibidem, cum duobus martyribus presbyteris, Evaldo albo, et altero Evaldo nigro, etiam in deauratis et argenteis tumbis quiescentes. Quinta est S. Andreæ. Sexta est sanctorum Apostolorum, in qua quiescunt sancti martyres Felix et Adauctus cum reliquiis aliis multis. Septima vocatur MARIÆ ad Gradus, in qua

requiescit S. Agilolphus, quartusdecimus archiepiscopus Coloniensis.

Octava est S. Georgii gloriosissimi militis et martyris CHRISTI, cujus brachium et gladius, quo draconem interfecit, et multæ aliæ reliquiæ Sanctorum devote a populo ibidem conspiciuntur. Nona est undecim millium Virginum, in qua thesaurus sanctarum virginum et martyrum, et corpus S. Hippolyti martyris, continentur. Decima, ad S. Cæciliam, ubi quiescit S. Evergislus martyr, et tertius archiepiscopus Coloniensis, et S. Paulinus, in tumbis deauratis. Undecima, ad S. MARIAM in Capitolio, ubi corpus S. Vitalis martyris, et multæ Sanctorum reliquiæ annue cum magnis indulgentiis ostenduntur populo.

Cœnobia virilis sexus XV.

Habet etiam Colonia XV monasteria virorum. Primum est S. Pantaleonis, Ordinis S. Benedicti, ubi quiescunt S. Albinus, S. Maurinus, S. Pantaleon martyres, quod fundavit Bruno vicesimus quintus archiepiscopus Coloniensis, frater Imperatoris Othonis primi, ibidem sepultus. Secundum, ad S. Martinum majorem, ejusdem Ordinis, ubi gloriosum corpus S. Eliphii martyris decentissime reservatur, et similiter plures reliquiæ per singulos annos palam exhibentur.

Tertium est Cartusiensium, apud quos est portio tunicæ Domini Salvatoris, cujus fimbriam mulier sanguine fluens tetigit, unde usque hodie multarum infirmitatum fiunt curationes; mappa integra, quam B. Virgo MARIA suis benedictis manibus in templo contexuit, usaque fuit; mandibula cum sex dentibus B. Simonis apostoli; brachium S. Annæ, et S. Georgii, et dens ejus; B. Mariæ Magdalenæ brachium, cum innumerabilibus pene reliquiis aliis. Quartum Joannitarum, apud quos est corpus S. Cordulæ, unius ex sodalitate undecim millium Virginum, cum reliquiis aliis multis. Quintum, ad S. Catharinam, in quo domini sunt Ordinis Hospitalitatis MARIÆ Teutonicorum. Sextum est regularium (quos vocant) Canonicorum, vulgo propter miraculum ibi factum, ad Corpus Domini, dictum. Septimum est S. Antonii. Octavum, Cruciferorum.

Nonum est Franciscanorum, qui vocantur Minores, ubi reservantur multæ reliquiæ, et præsertim superior pars capitis S. Barbaræ, et unus puerorum ex Innocentibus propter JESUM necandum Herodis jussu trucidatis. Decimum, Prædicatorum seu Dominicanorum, quorum templum multis est multorum Sanctorum reliquiis illustratum. Undecimum, Carmelitarum, apud quos inter alias reliquias est caput S. Dorotheæ, caputque S. Apolloniæ, virginum ac martyrum.

Duodecimum, Augustinensium : ubi cum multis aliis reliquiis habetur maxilla S. Sebastiani. Tertiumdecimum, Hieronymianorum, qui vulgo ibi a loco quem incolunt, Widenbachenses vocantur.

Quartumdecimum, Cellitarum ad S. Alexium in foro novo, qui sub patrocinio S. Augustini, ægrotos per urbem cives, ipsorum operæ cupidos, custodiunt, morientibus adsunt, mortuosque frequentant ac sepeliunt, Longenses (aut zur Longen) vulgo dicti. Quintumdecimum, ad Olivas post curiam Cæsaream, eorum qui sunt de tertia Regula S. Francisci, manibus suis, præsertim texendo, vitam trahentes.

Habet præterea Colonia complura virginum (demptis tribus supra dictis, ad S. Ursulam, ad S. Cæciliam, ad S. MARIAM in Capitolio) cœnobia : videlicet, ad Machabæos, quorum corpora ibidem requiescunt cum Salomona eorumdem matre; ad S. Maximinum, ad S. Claram, ad hortum MARIÆ, ad S. Gertrudim, ad S. Mauricium, ad S. Mariam Magdalenam, ad S. MARIÆ speculum, ad S. Agathium seu Acacium, ad S. Agatham, ad S. Apram seu Afram, ad S. Nicolaum, ad S. Michaelem, ad S. Vincentium, ad S. Ignatium, ad S. Bonifacium, virginum in Nazareth, ad Agnellum in Muro castrensi, cœnobiolum in der Riemersgassen, item aliud Horto MARIÆ contiguum, aliud in der Strytgassen, aliud præter S. Ignatium in der Stollichsgassen, ad S. Reinoldum, claustellum parochiæ Baptistanæ templo contiguum, Conversarum seu Pœnitentium, quod vulgo zu der Bussen dicitur.

Cœnobia fœminei sexus XXV.

Præter cœnobia prædicta, sunt intra Coloniam devotæ aliquot congregationes mulierum, sub obedientia et Patrum statutis viventium : quatuor ex his, ad ægrotantes seu morientes custodiendum ordinatis. Item Hospitalia XII.

Parochiæ.

Sunt etiam in eadem hac urbe XX ecclesiæ parochiales : B. MARIÆ in Pasculo, S. Joannis evangelistæ, S. Lupi, S. Cuniberti, B. MARIÆ indulgentiarum, S. Pauli, S. Christophori, SS. Apostolorum, S. Mauricii, S. Petri, S. Columbæ, S. Laurentii, S. Brigidæ, S. MARIÆ in Lyskyrchen, S. Albani, S. Martini minoris, S. Jacobi, S. Joannis Baptistæ, S. Severini, S. Benedicti in Capitolio. Quæ quidem ecclesiæ omnes sunt ornatæ et dotatæ variis Sanctorum reliquiis. Sunt postremo in hac sancta Agrippina Colonia supra centum sacella, dedicata ad Dei ac Sanctorum honorem, cum infinitis reliquiis et indulgentiis.

Sacella.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN GENESIM

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

DILECTUS *Deo et hominibus Moyses... Dedit illi Dominus legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum, et judicia sua Israel.* Eccli. XLV, 1, 6.

In his verbis propheta ac legislator præclarus, mansuetissimus Moyses, sublimiter multipliciterque laudatur. Primo, ab excellentia donorum gratiæ gratum facientis, quum dicitur, Dilectus Deo, etc., videlicet quoniam tanta sanctitate, gratiositate et mansuetudine fuit ornatus, ut Deo atque hominibus carus et acceptus esset. Secundo, ab eminentia munerum gratiæ gratis datæ, quum additur, Dedit illi Dominus legem vitæ, hoc est, legislatorem populi sui et mediatorem inter se ac populum suum constituit eum. Porro legislatio et prælatio, ad dona pertinent gratiæ gratis datæ, quemadmodum apostolatus ac prophetia. Tertio, commendatur a sublimitate sui officii, quum subditur, Docere Jacob, etc., id est, doctorem Israeliticæ plebis ipsum effecit; quia ad hoc dedit ei legem, ut plebem Judæorum doceret Testamentum vetus et divina præcepta.

Præterea, quamvis inter legem evangelicam atque Mosaicam ista assignetur distinctio, quod lex evangelica continet confertque gratiam, utpote quia includit sacramenta gratiæ contentiva ac collativa, quæ efficiunt quod designant, non autem lex Moysis. Propter quod Apostolus eam appellat ministrationem damnationis ac mortis ; *II Cor.* III, 7.
non quod directe, sed occasionaliter, exstitit talis, non dando gratiam ac virtutem implendi quæ jussit. Unde per Ezechielem protestatus est Dominus : Dedi eis præcepta non bona, et legem in qua non vivent. *Ezech.* XX, 25.
Nihilo minus lex eadem vere vocatur lex vitæ, in quantum continuit divina præcepta, præsertim moralia, per quorum impletionem vita gratiæ fovebatur, et vita gloriæ merebatur, non vigore aut virtute legis, sed per fidem formatam Christi venturi. Hinc quippe fatetur Apostolus : Lex quidem bona et sancta. *Rom.* VII, 12.
Insuper eadem lex fuit lex disciplinæ, id est rigoris et castigationis, quoniam transgressoribus suis rigorosas inflixit punitiones, prout ad Hebræos asseritur : Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione, duobus aut tribus testibus moritur. *Hebr.* X, 28.
Ideo dicitur lex timoris. Dicitur quoque lex disciplinæ, id est salutaris doctrinæ, quoniam fuit renovatio ac declaratio legis naturalis, idololatriamque prohibuit, et varios exclusit errores : imo et Christi atque Ecclesiæ præsignavit ac prænuntiavit mysteria, et erat ad evangelicam legem dispositio magna. Propter quod dixit Salvator Judæis : Si crederetis Moysi, crederetis forsan et mihi ; de me enim ille scripsit. *Joann.* V, 46.

Digitized by Google

Itaque, Deo jubente ac edocente, Moyses legem et pertinentia ad eam, in quinque libris descripsit, ac populo suo proposuit. In quibus libris aliqui passus obscuri atque difficiles continentur, et aliqui passus clari ac faciles : quorum omnium expositioni, quantum Spiritus veritatis præstare dignabitur, intendere nunc propono, difficilioribus diffusius immorando, faciliora vero celerius pertractando. Ad quæ omnia idonee peragenda, illuminationem et confortationem invoco adorandi paracleti Spiritus Sancti, qui cum Patre æterno et unigenito ejus Filio unus est Deus æternus, verus ac summus.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN GENESIM
HEBRAICE BERESITH

IN QUA DE CREATIONE MUNDI, DE EXORDIO GENERIS HUMANI,
DE DIVISIONE TERRÆ, DE CONFUSIONE LINGUARUM ET GENTIUM,
USQUE AD EXITUM SCRIBITUR HEBRÆORUM.

ARTICULUS PRIMUS

DE VARIIS TRANSLATIONIBUS SCRIPTURARUM VETERIS TESTAMENTI,
ET DE COMPARATIONE TRANSLATIONUM LXX INTERPRETUM AC SANCTI HIERONYMI AD INVICEM,
ATQUE DE HIS, IN QUIBUS HIERONYMUS ET AUGUSTINUS CONSENTIRE ET DISSENTIRE VIDENTUR
CIRCA TRANSLATIONEM LXX INTERPRETUM.

SCRIPTURAM veteris Testamenti transtulerunt diu ante Christi incarnationem Septuaginta interpretes, quorum translatione utebatur Ecclesia usque ad tempus Hieronymi. Porro, post Christi adventum alii plures transtulerunt easdem Scripturas. Primo videlicet Aquila, deinde Theodotion, postmodum Symmachus. Fuit quoque translatio alia, cujus auctor nescitur, quæ vocatur quinta editio. Hi omnes transtulerunt de Hebræo in Græcum. Fuerunt etiam alii plures, qui de Græco transtulerunt Scripturas has in Latinum. Tandem B. Hieronymus, multis rationabilibus inductus motivis, præfatas Scripturas ex Hebraico transtulit in Latinum. De hac autem materia infra magis dicetur.

Denique de LXX interpretibus et translatione eorum ait Augustinus octavodecimo de Civitate Dei, quod dum missi fuissent ab Eleazaro tunc Judæorum pontifice, Ptolemæo regi Ægypti, ipse rex A Ptolemæus tanquam vir prudens, volens explorare fidelitatem illorum interpretum, jussit ut unusquisque eorum seorsum solus transferret Scripturam eamdem : quo facto, inventi sunt omnes tam concorditer transtulisse, quod nec in aliquo verbo, neque in ordine verborum alter discreparet ab alio ; sed ita omnes interpretati sunt unum et idem, quasi fuisset dumtaxat unus interpres : quod fuit revera valde mirabile et stupendum atque divinum, nec aliter fieri potuit, nisi a Deo. Vere B etenim Spiritus unus erat in omnibus illis viris, et ideo tam mirabile donum acceperunt a Deo, quatenus etiam per hoc commendaretur auctoritas Scripturarum illarum tanquam veraciter divinarum, non humanarum, ad profectum gentium crediturarum : quod post Christi adventum videmus impletum. Hæc sententionaliter asserit Augustinus libro præallegato, capitulo 42.

Digitized by Google

Præterea, ejusdem libri capitulo 43, scribit in hæc verba : Fuerunt et alii qui Scripturas illas transtulerunt in Græcum, translationem tamen LXX interpretum recepit Ecclesia, quasi alia non sit, et ea utuntur Græci fideles, quorum plerique ignorant aliam esse. Nostris quoque temporibus fuit Hieronymus presbyter, homo doctissimus, qui easdem Scripturas non ex Græco, sed ex Hebræo eloquio in Latinum vertit. Et quamvis Judæi fateantur translationem ejus esse veracem, LXX vero interpretes asserant in multis errasse, tamen Ecclesiæ Christi judicant, nullum translatorem esse præferendum auctoritati et translationi LXX interpretum. Nam, quamvis non apparuisset in eis unus Spiritus Dei, sed more hominum eruditorum contulissent inter se verba suæ translationis, ut id permaneret quod eis omnibus placuisset, tamen nemo unus interpres esset eis anteponendus ; sed quum tantum signum deitatis in eis apparuit, quod scilicet (sicut prætactum est) omnes seorsum tam concorditer transtulerunt, constat quod quicumque alius Scripturas illas veraciter transtulit, concors est translationi illorum LXX, aut LXX illi aliter transferendo, prophetice sunt locuti. Idem quippe Spiritus, qui fuit in Prophetis quando verba Scripturarum locuti sunt, fuit in LXX dum eadem transtulerunt : qui Spiritus per LXX interpretes aliud dicere potuit, et per eosdem aliqua prætermittere et aliqua addere, ostendens utrosque, videlicet Scripturarum auctores, et LXX interpretes, fuisse prophetas. Denique, quintodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Merito creduntur LXX interpretes accepisse Spiritum Dei, ut si quid mutarent aut aliter dicerent, non dubitaretur id esse divinitus factum. Idem asserit Augustinus in aliis pluribus locis. Nam et quarto libro de Doctrina christiana fatetur, quod LXX interpretes, qui divino interpretati sunt Spiritu, idcirco nonnulla aliter transtulerunt quam in Hebræo habetur, quatenus ex hac diversitate moveretur lectoris intentio ad perscrutandum sensum spiritualem.

Itaque, his præmissis, videndum est quid de LXX interpretibus et translatione ipsorum Hieronymus senserit. In prologo quippe proprio super Genesim, inter cetera ait : Nescio quis primus septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo construxerit : in quibus (interpretes illi) divisi, eadem scripserint, quum Aristæus Ptolemæi hyperaspistes (id est protector vel custos), et Josephus, nil tale retulerint, sed quod congregati fuerint in eadem basilica, et de transferendis contulerint, non prophetaverint. Aliud est enim esse vatem, aliud interpretem. LXX illi interpretati sunt Scripturas ante Christi adventum, et quod nesciebant, dubiis protulerunt sententiis. In his verbis videtur Hieronymus discordare ab Augustino in tribus. Primo, quia affirmat confictum seu mendosum esse quod LXX dicuntur seorsum in cellulis seu cameris transtulisse. Secundo, quoniam asserit eos non esse interpretatos spiritu prophetali. Tertio, quia testatur eos nescivisse seu non intellexisse quædam verba quæ transtulerunt, ideoque ea protulisse ambigue.

Præterea in prologo super Job : Fieri, inquit, non potest, ut quos plura intermisisse conspexerint, non eosdem etiam in aliquibus errasse fateantur, præcipue in Job. In his verbis dicit Hieronymus oportere concedi, quod LXX, qui aliqua omiserunt, in aliquibus etiam erraverunt : quod tamen prima facie non videtur bene sonare, nec etiam verbis Hieronymi alibi positis concordare, præsertim quoniam sancti Apostoli et Evangelistæ inveniuntur usi fuisse translatione LXX interpretum, imo et universalis Ecclesia usque ad tempus Hieronymi. In prologo quoque super Paralipomenon librum scribit Hieronymus : Si editio (id est translatio) LXX interpretum permaneret pura, et prout ab eis in Latinum versa est, superflue impelleres me, Chromati, ut Hebræa volumina Latino sermone tibi transferrem. Et paulo post subdit ibidem : Nunc autem germana et

Digitized by Google

antiqua illa translatio, corrupta est et violata. In quibus verbis insinuat, ipsos LXX vere et sufficienter transtulisse Scripturas, sed eorum translationem postmodum esse corruptam : quod etiam in prologo super Esdram innuisse videtur.

ARTICULUS II

QUID SENTIENDUM SIT CIRCA PRÆHABITA.

Circa inducta posset quæri, cujus assertioni sit magis consentiendum, Hieronymi an Augustini. Ad quod respondet Henricus de Hassia super Genesim, quod positio Hieronymi verisimilior esse videtur, eo quod ipse B. Hieronymus videatur fuisse homo majoris auctoritatis ex parte vitæ atque scientiæ et item experientiæ, præsertim circa divinas Scripturas et circa linguas atque historias. Unde et Augustinus de Hieronymo dixit, quod et in Decreto habetur : Quanquam secundum vocabula quæ usus obtinuit, episcopatus sit presbyterio major, Hieronymus tamen major est Augustino. Ad idem valent rationes, quas in prologo super Genesim introducit Hieronymus, quæ tamen secundum præfatum Doctorem parum concludunt. Non enim sequitur : Aristæus et Josephus nil referunt de cellulis illis, ergo LXX non transtulerunt seorsum in cellis.

Verumtamen, quantum capere queo, argumentum illud Hieronymi apparentiam magnam sortitur. Quum enim factum illud, quod recitat Augustinus, de tam concordi singulorum translatione divisim peracta, fuisset mirabilissimum ac divinissimum opus, valde apparet quod Aristæus et Josephus describendo processum, quo facta est LXX translatio, nequaquam præterissent illud silentio. Porro Augustinus nihil allegat pro se, sed solum generaliter dicit : Traditur sane quod LXX in totidem cellis transtulerint, et non exprimit a quo vel quibus hoc traditum sit. Quocirca scribit Henricus de Hassia : Sed mirum est revera, si tantus Doctor absque historia aut scriptura valde credibili, tam constanter asseruit LXX interpretes transtulisse Spiritu Dei, et prophetali gratia claruisse, translationem quoque eorum esse translationi Hieronymi præferendam.

Verum (ut tactum est) S. Augustinus forte sumpsit præcipue argumentum ex hoc, quod Apostoli et Evangelistæ allegaverunt frequenter Scripturas secundum translationem LXX : similiter ex hoc, quod sancti Patres primitivæ Ecclesiæ in Græcia fundaverunt fidem ex Scripturis secundum præfatam translationem. Officia quoque divini cultus ordinaverunt secundum eamdem. Et non est verisimile, quod Spiritus Sanctus qui tam copiose direxit et abundavit in Ecclesia primitiva, permiserit fidem religionemque christianam fundari super translationem erroneam. In Scholastica quoque fertur historia, quod datæ sunt LXX interpretibus cellulæ singulæ. (Petrus Comestor.) Præterea cum Augustino consentio in hoc, quod LXX translatio vera et efficax fuit, et quod Spiritus Sanctus direxit interpretes illos ad transferendum idonee : quoniam Spiritus Sanctus prævidit primitivam Ecclesiam Christi, imo et totam Ecclesiam, per longum tempus uti debere translatione virorum illorum ; ideo eos direxit, etsi non propter Ptolemæum, tamen propter commune Ecclesiæ bonum.

Denique S. Hieronymus sæpe fatetur, translationem LXX sibi non displicere, nec se in reprehensionem LXX de novo

Digitized by Google

transferre. Quod vero in prologo super A Job innuit eos in quibusdam errasse, exponendum est pie, ut dicantur errasse, id est aliqua omisisse : quod tamen ex certis causis fecerunt, ut infra partim tangetur. Postremo, quod Henricus de Hassia asserit, Hieronymum fuisse majoris auctoritatis ex parte vitæ atque scientiæ, quam Augustinum, non arbitror certum, quanquam constet Hieronymum fuisse vitæ rigorosioris, et magis exercitatum in linguis et historiis ac Scripturis veteris Testamenti. Nihilo minus Augustinus fuit vir singularis acu- B minis in considerando ea quæ fidem et Scripturas concernunt, et multi doctores comparant eum soli inter Doctores Ecclesiæ, quem et S. Bernardus vocat linguam Ecclesiæ. Imo in quibusdam arduis difficillimisque materiis, in quibus inter se dissensisse videntur Hieronymus et Augustinus, videlicet an Paulus restitit Petro ex intentione vel simulatione, et utrum qui ante Baptismum duas habuit conjuges, seu unam ante Baptismum, et aliam postmodum, reputandus sit bigamus post Baptismum, et consimilibus, doctores communiter magis sequuntur Augustinum. Unde et in Decreto habetur 26 dist. can. Acutius, et can. Una tantum : et extra de bigam. cap. A nobis, et cap. Nuper. Hæc tamen sine derogatione gloriosi Hieronymi dico.

ARTICULUS III

EXPOSITIO BREVISSIMA PROLOGI BEATI HIERONYMI SUPER GENESIM.

PENTATEUCHUM, id est quinque libros C Moysis, transtulit Hieronymus ad magnam instantiam S. Desiderii præsulis. Ideo ait : *Desiderii mei desideratas accepi epistolas,* hoc est, epistolam gratam et diu affectatam seu caram, directam mihi a Desiderio, quem familiariter ac specialiter diligo, suscepi, *qui* Desiderius *sortitus est nomen quodam præsagio futurorum cum Daniele,* hoc est, ita vocatus est ad præsignandum mystice quædam futura. Quemadmodum enim Daniel vocatus est ab Angelo
Dan. IX, 23. vir desideriorum, quoniam ardentissima D desideria habuit pro communi bono populi sui, ita episcopus iste vocatus est Desiderius, ad præsignandum re ipsa quod ardentissimos habiturus esset affectus ad commune bonum totius Ecclesiæ, et quia desiderabilis fuit, carissimusque Hieronymo. Nam et libros Moysis postulavit sibi ex Hebræo pure et integre, fideliterque transferri propter magnum et generale bonum totius populi christiani.

Deinde dicit Hieronymus, quod translationem talem assumere, sit opus periculosum, quia difficile fuit et arduum, in quo posset quis deficere et errare. Detractores quoque Hieronymi, asserebant eum *nova pro veteribus cudere,* id est, novam translationem pro antiqua efficere *in suggillationem,* hoc est in condemnationem et reprehensionem veterum translatorum, videlicet LXX. *Ita ingenium quasi vinum probantes.* Hoc aliqui sic exponunt : Ipsi detractores probantes, id est, approbantes ingenium quasi vinum, ita quod sicut vinum antiquum est melius novo, sic ipsi affirmant ingenia antiquorum perspicaciora fuisse, et melius conscripsisse ingeniis modernorum. Vel, probantes ingenium quasi vinum, quoniam sicut vinum novum est inflatione spumaque plenum, sic asserunt ingenia horum qui nunc sunt, esse repleta elatione et præsumptionis impuritate. Verumtamen videtur istud melius posse ita intelligi, Ingenium quasi vinum

Digitized by Google

probantes. Quemadmodum enim qui vina probant, modicum inde gustant, et colorem ejus forinsecus intuentur; sic detractores translationem Hieronymi superficialiter atque cursorie attendebant, nec ejus valorem et efficaciam intrinsece ac perfecte scrutati sunt.

Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, id est, labor et diligentia Origenis animavit me ad transferendum Scripturas, *qui editioni antiquæ,* videlicet translationi LXX, *translationem Theodotionis miscuit,* hoc est, ex translatione Theodotionis translationem LXX perfecit, addendo ex Theodotione quæ in translatione LXX erant omissa; *asterisco et obelo, id est stella et veru, omne opus distinguens,* hoc est, totam LXX translationem hinc inde notans ac discernens. Ubi enim addidit omissa, posuit stellam pro signo, ad insinuandum quod sua additio tanquam stella illuminavit et supplevit sensum Scripturæ. Porro, ubi invenit aliqua superflua in translatione LXX, posuit pro signo veru sive sagittam, ad innuendum quod talia transfoderet tanquam superflua seu mendosa. Verumtamen (ut patet ex verbis Augustini præhabitis) ea quæ LXX addiderunt in sua translatione supra Hebraicam veritatem, non erant absolute superflua neque mendosa, sed rationabiliter et mystica significatione apposita. Aliunde tamen per varios translatores et transcriptores corrupta fuit LXX translatio, sicut ex verbis Hieronymi jam probavi. Ex his patet sensus verborum sequentium: *dum aut illucescere facit quæ minus ante fuerant,* id est diminuta et ante omissa declarat, *aut superflua quæque jugulat et confodit, et maxime,* supple elucidat, *quæ Evangelistarum et Apostolorum auctoritas promulgavit,* hoc est, quæ Evangelistæ atque Apostoli ex veteri Testamento allegant, nec tamen in LXX translatione habentur. Ideo addit : *in quibus,* videlicet Evangelistis et Apostolis, id est in scriptis eorum, *multa de veteri Testamento legimus,* hoc est, multa invenimus allegari ex veteri Testamento, *quæ in nostris codicibus,* id est in libris continentibus translationem LXX interpretum, *non habentur, ut est illud : Ex Ægypto vocavi Filium meum,* etc. Osee xi, 1. *Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta sectantur,* hoc est, fatua et abusiva in libris non authenticis, imo et falsa aliqua continentibus posita sequuntur; *et Iberas næenias,* hoc est fabulas ab Hispanis inventas, seu apud Hispanos vulgatas, quæ in apocryphis continentur, *libris authenticis præferunt.* Nam ea quæ Evangelistæ et Apostoli ex veteri Testamento allegant, nec tamen in translatione LXX habentur, isti indocti ac detractores non quærebant in Scripturis canonicis atque Hebraicis veteris Testamenti, sed potius in scripturis apocryphis. Porro Iberus est fluvius, a quo Hispania appellatur Iberia.

Causas erroris non est meum exponere. Hoc aliqui referunt ad LXX, quasi Hieronymus dicat : Mihi non incumbit exprimere ex quibus causis acciderit error translationis LXX. Quod si ita accipiatur, per errorem intelligenda est omissio seu variatio, qua LXX aliqua omiserunt, quæ in Hebræo habentur, et aliqua aliter transtulerunt quam Hebraica continet veritas : quod tamen ex rationabili causa fecerunt, sicut subjungitur : *Judæi prudenti consilio factum dicunt.* Verumtamen particula illa, Causas erroris non est meum exponere, posset ad præfatos detractores et indoctos referri. Itaque Judæi excusant LXX interpretes de hoc quod aliqua omiserunt, et aliqua aliter transtulerunt, dicentes quod fecerunt hoc cum examinato consilio, *ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet.* Hoc aliqui sic exponunt, quod LXX omiserunt aut aliter transtulerunt ea loca Scripturarum veteris Testamenti, in quibus aliquid tangebatur de Patre et Filio, ne Ptolemæus (ad cujus instantiam transtulerunt Scripturas) consideraret, quod etiam ipsi Judæi ponerent duos deos, cum ipse

Digitized by Google

esset cultor unius Dei. *Quod idcirco maxime faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur.* Quidam habent, legunt et exponunt hæc verba pluraliter, quia sic habent : Quod idcirco maxime faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbantur, ut sit sensus, quod LXX potissimum ideo talia verba Scripturarum omiserunt, aut aliter transtulerunt, quia videbantur cadere in dogma Platonis, hoc est, si talia transtulissent, sicut in Hebræo habentur, Ptolemæus rex putasset eos cadere in Platonis doctrinam. Nam Plato in libris suis B invenitur locutus de summo Deo, quem nominat Patrem, et de νοῦ, per quem aliqui dicunt eum intellexisse Filium Patris : sicque Ptolemæus æstimasset Scripturam veteris Testamenti esse contrariam fidei, cultuique unius Dei, cujus oppositum percepit ac tenuit Ptolemæus, et ita fuisset scandalizatus. Hinc subditur: *Denique ubicumque sacramentum aliquod Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto,* id est, ubicumque in Scripturis veteris Testamenti secretum aliquid C legitur de superbeatissima Trinitate, *aut omnino id tacuerunt, aut aliter interpretati sunt, ut et regi satisfacerent, et arcanum fidei non vulgarent.*

Hanc expositionem sequuntur magister Adam de S. Victore, et Henricus de Hassia. Contra quam argui potest : Plato enim non posuit nisi unum summum verum Deum, sicut infra ostendam ; et quidquid locutus videtur de νοῦ et anima mundi, seu quacumque vi regitiva hujus mundi, intellexit de substantiis essentialiter divisis a sum- D mo Patre et inferioribus eo, imo et puris creaturis, quemadmodum demonstrabo. Non ergo Ptolemæus putasset LXX incidere doctrinam Platonis, si locuti fuissent de divinitate Patris ac Filii, quoniam Ptolemæus cognovit quod Plato non posuit nisi unum verum Deum. Denique Ptolemæus fuit pro magna parte Platonicus, sicut ex diversis scriptis posset probari. Rursus, libri correctiores habent, secundum quod primo commemoravi, utpote :

A *Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur ;* ut sit sensus, quod Ptolemæus idcirco præcipue coluit unum Deum, quia in hoc sequebatur Platonem. Verumtamen an Ptolemæus ita coluit unum Deum, quod non etiam coluerit alios inferioresque deos, an simul cum diis aliquibus Ægyptiorum coluerit summum Deum, quemadmodum quarto Regum refertur de Samaritanis a rege Assyriorum adductis, quod coluerunt Dominum, et nihilo minus servierunt diis suis, certum non habeo. Est itaque sensus, quod LXX interpretes idcirco subticuerunt, aut aliter transtulerunt ea quæ in Scripturis de deitate Filii aut Spiritus Sancti continentur, ne Ptolemæus unius Dei cultor, putaret Judæos colere duos aut tres deos, scilicet Patrem et Filium, aut etiam Spiritum Sanctum. Non enim capere potuisset mysterium supergloriosissimæ Trinitatis in una essentia : ideo hoc arcanum fidei noluerunt pandere ei.

Præterea, quod Plato posuerit unum solum verum ac summum Deum, universorum principium, nullam habet difficultatem apud eruditos in philosophia Platonis et Platonicorum. Augustinus quoque in pluribus locis et Boetius id affirmant. Octavo namque de Civitate Dei asserit Augustinus : Unum summum et verum bonum Plato disseruit esse Deum. Sed et nono de Civitate Dei : Secundum Apuleium, inquit, Platonicum, summus Deus creator omnium sic a Platone laudatur, quod ipse solus non potest humano sermone vel modice comprehendi. Amplius Plato in Timæo docet, totum universum a summo Deo esse productum, et ipsum Deum altissimum, incomprehensibilem ineffabilemque consistere : Genitorem, inquiens, atque opificem universi tam difficile invenire, quam inventum impossibile digne profari. Hinc Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica contestatur : Omnia entia procedunt ab una prima causa. Et iterum : Omnium entium principium et prima causa est bonum. Et denuo ait

Digitized by Google

A quod sit unum αὐτόθεον, id est ex se et per se Deus ac summum bonum, cui comparari non potest tota catena * deorum. Quamvis autem Plato et ejus sequaces posuerint unum summum Deum independentem, tamen posuerunt sub eo diversos gradus ordinesque deorum, quos omnes dixerunt a summo Deo procedere, et omnem suam perfectionem ab illo participare. Præterea, quidam doctores recitant Platonem esse locutum de νοῦ et τοῦ ἀγαθοῦ et anima mundi, ita quod per νοῦν intellexit Patrem, per τὸ ἀγαθόν, paternum intellectum, seu B mentem a Patre manantem, videlicet Filium; per animam vero mundi, Spiritum Sanctum, aut vim quamdam increatam mundi rectivam. Verum hæc recitatio non invenitur conveniens. Ait enim Augustinus decimo de Civitate Dei : Plotinus Platonicus disputans de tribus principalibus substantiis, ponit Deum Patrem, et mentem paternam, quam nominaverunt νοῦν, et animæ naturam. Porro per animam mundi Plato intellexit formam creatam, quoniam totum sensibilem mundum posuit animatum et C animal maximum, cujus animam vocavit animam mundi, prout tertiodecimo de Civitate Dei Augustinus enarrat, et in primo Timæi, atque in Elementatione Procli habetur. De hac materia loquitur Thomas in Summa contra gentiles, libro quarto.

* caterva

Insuper, qualiter ad instantiam Ptolemæi missi et interpretati sunt LXX interpretes, recitat Augustinus octavodecimo de Civitate Dei : quod etiam in Scholastica historia plenius continetur, ubi devotio et copiosæ oblationes Ptolemæi regis, quas D misit ad templum Jerusalem, describuntur. De quibus etiam loquitur S. Hieronymus super Danielem. Itaque libro præallegato, capitulo 42, recitat Augustinus : Post mortem Alexandri Magni cœpit Ægyptus habere reges Ptolemæos, quorum primus Lagi filius, multos ex Judæa captivos transtulit in Ægyptum. Cui succedens Ptolemæus Philadelphus, liberos remisit Judæos, quos ille captos abduxerat. Insuper et dona regia misit in templum Dei, petens ab Eleazaro tunc Judæorum pontifice, dari sibi Scripturas, quas fama prædicante audivit esse divinas, et ideo concupivit eas habere in sua bibliotheca, quam nobilissimam fecerat. Quas quum pontifex ille misisset ei in idiomate Hebræo, postea ipse Ptolemæus postulavit interpretes, et dati sunt ei LXXII, videlicet sex de singulis duodecim tribubus, qui Hebrææ ac Græcæ erant linguæ doctissimi.

Porro in Scholastica historia fertur : Post Ptolemæum Soterem regnavit in Ægypto Ptolemæus Philadelphus, qui studiosus, librorumque cupidus, Demetrium bibliothecæ suæ præfecit. Demetrius ergo regi dixit, sibi esse denuntiatum, apud Judæos esse legem ore Dei editam, et digito ejus scriptam. Atque ad ostendendam hujus legis sanctitatem, adjecit, quod transferri non posset nisi a cultoribus Dei viventis. Nam et Theopompus, quum voluisset eam inserere historiis quas scribebat, in amentiam versus est per dies triginta; Theotecus quoque pro eadem causa factus est cæcus : qui pœnitentes, sanati sunt. Suggessit itaque regi quatenus Judæorum pontifici scriberet, ut sibi Judæos Hebrææ et Græcæ linguæ peritos transmitteret, qui ad transferendam legem sufficerent. Quod ut impetraret, suasit munera cum epistolis esse mittenda. Aderat ibi Aristæus, qui calamitati Judæorum captorum diu compassus, opportunitate liberandi eos inventa, dixit ad regem : Quomodo quod postulas obtinebis, tot Judæis in tuo servientibus regno? Solve itaque eos, et nihil gratius erit pontifici Judæorum. Liberavit ergo rex eos, utpote centum viginti millia Judæorum, dans dominis eorum pro unoquoque capite centum viginti drachmas argenti. Tunc Ptolemæus rex scripsit Eleazaro pontifici : Gentem tuam quæ apud nos erat, libertate donavi, arbitrans hoc Deo esse jucundum, quorum quosdam assignavi militiæ, alios (quorum fidem probaveram) constitui in palatio. Legem vero tuam in bibliotheca nostra decrevi reponere. Bene ergo facies,

Digitized by Google

mittendo nobis viros seniores qui eam (A) valeant nobis interpretari. Misi quoque centum talenta argenti pro immolationibus faciendis. Et separavi quinquaginta talenta auri ad crateras et libatoria facienda, gemmasque sine numero ad artificum optionem. Tunc pontifex misit ei interpretes, quos rex coram universis principibus cum grandi honore suscepit atque magnifice honoravit. Quo facto, manserunt cum eo diebus duodecim. Interrogavitque eos præcipue de Dei cognitione et regni gubernatione. Cumque instruxissent (B) eum de regni administratione, disputaverunt cum eo diffuse de uno Deo colendo. Postea introducti sunt in domum secretam secus mare, et datæ sunt eis singulæ cellulæ. Diluculo autem egrediebantur ad optandum regi bona, deinde interpretabantur usque ad nonam horam, deinceps transibant ad cibum et requiem corporis. Translatione completa, et ab universis Judæis peritis qui erant convocati, approbata, remisit rex interpretes muneribus honoratos, et Eleazaro munera misit. Denique, (C) præter vasa misit in templum auream mensam gemmis impretiabilibus insignitam, cujus crassitudo seu spissitudo erat dimidii cubiti ; attamen opus superavit materiam. Hæc in præfata Historia.

Ex quibus probatur, verum non esse quod aliqui dicunt, Ptolemæum ex quadam curiositate aut vanitate inductum ad postulandum legem atque interpretes. Ex his item posset videri, quod Ptolemæus factus fuerit cultor veri Dei dumtaxat. Insuper, de his scribit Hieronymus in expositione (D) capituli 11 Danielis : Sub Ptolemæo Philadelpho LXX interpretes Alexandriæ Scripturam sanctam in Græcum dicuntur vertisse sermonem, qui Eleazaro pontifici multa Jerosolymam et in templi donaria vasa transmisit. Narrant historiæ habuisse eum ducenta millia peditum, viginti millia equitum, millia curruum, quadringentos elephantes, quos ex Æthiopia primus adduxit, naves longas mille quingentas, et alias mille ad cibaria militum deportanda. Insuper aliqui asserunt quod tantus sapientiæ fuit amator, quod omnium gentium libros in sua congregavit bibliotheca. Cancellarius quoque Parisiensis in tractatulo suo de Laude scriptorum, refert quod quinquaginta millia librorum in bibliotheca sua habuerit. Cujus studiositate, religiositate ac diligentia condemnantur carnales et negligentes principes ac prælati christiani. Gerson.

Postremo Hieronymus ad reprobandum septuaginta cellulas, dicit quod Aristæus et Josephus nil inde conscripserunt. Ad probandum quoque quod LXX interpretes non habuerunt spiritum prophetiæ, assumit : *Nisi forte putandus est Tullius Œconomicum Xenophontis, et Platonis Protagoram, et Demosthenis pro Ctesiphonte, afflatus rhetorico spiritu transtulisse.* Quasi dicat : Si LXX vates fuerunt quoniam transtulerunt, ergo et Tullius fuit vates qui transtulit Œconomicum, id est librum de dispensatione domus, quem Xenophon discipulus Socratis, vir magnæ facundiæ, edidit : qui Tullius etiam transtulit librum Platonis intitulatum nomine Protagoræ sui discipuli. Plato enim libros suos intitulavit nominibus discipulorum suorum, propter quos edidit eos. Iste tamen Protagoras, Platonis discipulus fuit, non autem famosus ille Pythagoras, quemadmodum in vulgatis bibliis legitur. Qui Tullius item transtulit librum Demosthenis, quem pro defensione Ctesiphontis composuit. *Aut aliter de eisdem libris per LXX interpretes, aliter per Apostolos Spiritus Sanctus testimonia texuit, ut quod illi,* scilicet LXX, *tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint.* Ista est alia argumentatio Hieronymi, quasi dicat : Si LXX spiritu prophetico transtulerunt, ergo Spiritus Sanctus aliter locutus est per LXX, aliter per Apostolos, qui ea quæ LXX omiserunt, scripta allegant. Ista argumenta (secundum Henricum de Hassia) non sunt magni vigoris, et qualiter a sequentibus Augustinum solverentur, tactum est ante. Cetera in prologo isto contenta, facilia sunt et clara.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

DE MULTIPLICI DISTINCTIONE ATQUE DIVISIONE TOTIUS DIVINÆ SCRIPTURÆ.

SICUT in prologo super libros Regum sanctus ait Hieronymus, viginti duo sunt libri veteris Testamenti. Hebræi enim dividunt Scripturam veteris Testamenti in tria, hoc est in legem, in Prophetas, et in hagiographa. Itaque quinque libros Moysis vocant legem, alios octo libros, videlicet Josue, et librum Judicum, sub quo comprehendunt et librum Ruth, et libros Regum quos dividunt in duo volumina, Isaiam quoque, Jeremiam, Ezechielem ac librum duodecim Prophetarum, appellant prophetales. Ad hagiographa vero asserunt pertinere alios novem libros, utpote librum Job, Psalterium, tria volumina Salomonis, Paralipomenon, Esdram et Esther. Hagiographon autem dicitur ab ἅγιος, quod est sacrum, et γραφή, scriptura, quasi scriptura sacra. Hos libros vocant canonicos, alios vero apocryphos.

Insuper, Scriptura sacra dividi potest in duas partes principales, hoc est, in Scripturam veteris Testamenti, atque in evangelicam legem, seu in Scripturam novi Testamenti. Et quamvis utraque Scriptura principaliter sit de Deo, tamen Scriptura veteris Testamenti specialius est A de Deo ut creatore ac provisore seu gubernatore; Scriptura autem novi Testamenti præcipue est de Deo ut salvatore et remuneratore. Rursus, utriusque Testamenti Scriptura partitur in libros legales et historiales, ac sapientiales et prophetales. Nam quatuor Evangelia, quæ sunt libri legales novi Testamenti, correspondent quinque libris Moysis, qui sunt libri legales veteris Testamenti. Liber Actuum Apostolorum, correspondet libris historialibus Testamenti antiqui. Epistolæ Pauli B et aliæ septem canonicæ, correspondent libris sapientialibus veteris Testamenti. Apocalypsis vero, prophetalibus libris Testamenti prioris. Postremo, quoniam lex directe communitatem, non singularem personam concernit, ut dicit Isidorus, idcirco in primo Moysis libro enarratur congregatio seu adunatio Israeliticæ plebis, sub fide et cultu unius Dei; deinde describitur ipsa legislatio huic populo facta, quod fit in tribus libris sequentibus, scilicet Exodo, Levitico, et libro Nume- *Exod.* xx, *et seq.*
C rorum, in quibus tamen alia multa miscentur. Tertio, fit repetitio ac elucidatio *Lev.* xix, *Num.* xvi.
legis ejusdem, quod fit in Deuteronomio.

ARTICULUS V

DE EXPOSITIONE EXORDII GENESIS, SCILICET, IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM ET TERRAM, SECUNDUM AUGUSTINUM.

BEATISSIMUS Moyses legifer Judæorum, volens plebem Israeliticam sibi commissam, ad unius veri Dei notitiam, cultum, honorificentiamque reducere, ita D exorsus est librorum suorum scripturam : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Quasi dicat : Solus Deus increatus est atque æternus; cetera omnia proflu-

Digitized by Google

xerunt, et condita sunt ab eo. Ideo ipse A solus adorandus est et colendus. Et valde convenienter ita incepit, quoniam tempore suo idololatria undique viguit, ita ut veri Dei cognitio et cultus in perpaucis remanserit hominibus. Nam et ipsi filii Israel in Ægypto pro maxima parte ad idololatriam erant dilapsi. Diversi quoque tunc eruperunt errores de mundo, quem aliqui æstimabant increatum, quidam vero creatum sive productum, et tamen Creatori coæternum : quorum omnium Moyses exclusit errorem, In principio, inquiens, creavit B Deus cœlum et terram.

Præterea, sicut Thomas ait in prima parte Summæ suæ, quæstione 46, exordium istud tripliciter explanatur, ad removendum tripartitum errorem circa mundum et ejus initium. Quidam enim dixerunt mundum non habuisse temporalem inceptionem. Ad quod reprobandum exponitur primo sic : In principio, scilicet temporis, creavit Deus cœlum et terram. Alii posuerunt duo principia rerum, videlicet summum et per se bonum, a quo dixerunt C spiritualia, invisibilia, et incorruptibilia emanasse, videlicet Manichæi ; et summum ac per se malum, a quo dixerunt corruptibilia et corporalia omnia, quantum ad suam substantiam esse creata. Ad quorum confutandam insaniam, rudissimumque errorem, exponitur sic secundo : In principio, hoc est in Filio, creavit Deus cœlum et terram. Filius namque est Patris imago, (*II Cor.* IV, 4.) et omnis rei creatæ exemplar. De quo ait Apostolus : Per ipsum et in ipso condita (*Coloss.* I, 16.) sunt omnia. Hinc Filio convenit ratio D principii exemplaris. Propter quod scriptum est : Omnia per ipsum facta sunt, et (*Joann.* I, 3.) sine ipso factum est nihil. Sicque exponit Origenes, dicendo : Quod est principium, nisi Dominus noster et salvator omnium Jesus Christus, primogenitus omnis creaturæ? (*Coloss.* I, 15, 18.) In hoc ergo principio, hoc est in Verbo suo, fecit Deus cœlum terramque. Quidam dixerunt corporalia non esse immediate creata a Deo, sed per angelos aut intelligentias quasdam. Ad quod destruendum, exponitur tertio : In principio, id est ante cetera omnia, juxta illud in Psalmo : Initio tu, Domine, terram fundasti, (*Ps.* CI, 26.) et opera manuum tuarum sunt cœli. Itaque juxta primam et hanc tertiam expositiones, per Deum intelligitur tota Trinitas unus Deus, quum dicitur, In principio creavit Deus, etc. In secunda vero expositione, per Deum intelligitur Pater, qui dicitur universa creasse in Filio sive per Filium. Non quod ipse Pater non sit immediata causa ac fontale rerum principium, sed quoniam Filio appropriatur causalitas exemplaris : imo tota superincomprehensibilis Trinitas est una omnium causa, et unus creator, ac unum principium universorum, quum sit unus Deus, et trium supervenerabilium Personarum sit una natura et una potestas.

Denique hæc triplex expositio hujus propositionis, In principio erat Verbum, (*Joann.* I, 1.) specialiter respicit hoc, quod dicitur hic : In principio. Id quoque quod subditur, Cœlum et terram, multipliciter a sanctis Patribus doctoribusque catholicis invenitur expositum. Quocirca pensanda sunt multa : et primo, quod in multis locis tangit S. Hieronymus, dicens : Principium Genesis et Canticum canticorum, prima quoque ac ultima visio Ezechielis, tot sunt difficultatibus involuta, ut ab Hebræis ante tricesimum ætatis eorum annum non legantur. Quod quam verum sit, ostendit diversitas expositionum textuum horum. Nam et principium Genesis a doctoribus Hebræorum et Græcorum ac Latinorum tam diversimode explanatur, ut Magister Sententiarum secundo libro (Petrus Lombardus.) testetur : Quidam sanctorum Patrum, qui verba Dei atque arcana Scripturæ excellenter scrutati sunt, circa hunc passum quasi diversa scripsisse videntur.

Secundo pensandum, quod undecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Divini sermonis, id est sacræ Scripturæ, obscuritas ad hoc utilis est, quod plures veritatis sententias parit, atque in notitiæ lucem producit, dum alius intelligit eum sic,

Digitized by Google

alius sic; ita tamen, ut quod in obscuro loco intelligitur, attestatione rerum manifestarum aut aliis locis Scripturæ non dubiis comprobetur. Et iterum Augustinus effatur : In expositionibus et quæstionibus istis circa litteram Genesis, duo sunt observanda : Primum est, ut inviolabiliter teneamus Scripturam sacram esse veracem. Secundum, ne quis nimis uni expositioni adhæreat, quando Scriptura multipliciter potest exponi. De hoc diffuse et humiliter, imo et sapientissime scribit duodecimo ac tertiodecimo libro Confessionum, quemadmodum ad indagandum sensum scripturæ Geneseos debeamus accedere sine temeraria assertione hujus aut illius expositionis.

Tertio est pensandum, quod super secundum Sententiarum, distinctione 12, scribit Thomas : Eorum quæ spectant ad fidem, quædam sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse unum ac trinum, et in talibus omnes sancti Patres atque catholici expositores concordant, nec licet in talibus diversimode opinari. Alia vero non sunt per se de substantia fidei, sed per accidens se habent ad eam, in quantum videlicet in Scriptura traduntur, quam fides præsupponit esse a Spiritu Sancto, et in talibus Sancti quandoque diversimode sentiunt. Sic quoque circa principium mundi aliquid ad substantiam fidei pertinet, ut quod mundus per creationem a Deo incepit, et hoc omnes Catholici unanimiter tenent.

Porro, quo modo ac ordine factus sit mundus, non pertinet ad fidem, nisi per accidens, utpote in quantum hoc traditur in Scriptura, quæ diversimode potest exponi, et veritas ejus per diversas expositiones salvatur. Sicque circa creationem mundi doctores diversimode sentiunt, variis modis exponendo Scripturas, non tamen recedentes a fidei veritate, nec sibi invicem præjudicantes aut derogantes incauta assertione. Hinc ait Albertus libro de IV Coæquævis : Spiritus Sanctus duobus modis inspirat expositores Scriptu-
A ræ. Primo, quantum ad consentaneum rationi, et non contrarium fidei, hoc est, ut sequantur id quod ratio magis dictat, nec tamen est contra fidem. Secundo inspirat eos, quantum ad consentaneum auctoritati. Primo itaque modo motus est ac processit Augustinus, exponendo exordium Genesis, prout rationi magis consentaneum esse videtur, non tamen negando quod auctoritas exigit. Alii vero expositores magis secuti sunt quod auctoritas Scripturæ videtur prætendere, non tamen
B negantes quod secundum rationem est consequens.

His præmissis, tangendæ sunt expositiones celebriores hujus, quod dicitur, In principio creavit Deus cœlum et terram, quantum ad ultimam istam particulam, scilicet cœlum et terram; et etiam quantum ad textum sequentem, cujus intelligentia ex intellectu et expositione particulæ hujus pro magna parte dependet. Deinde propositio ista, In principio creavit Deus cœlum et terram, per se sumpta, non videtur ad
C intelligendum difficilis; sed verba textus statim sequentia, difficultatem ejus inducunt. Mox enim subjungitur : Tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. In quibus verbis insinuatur, quod cœlo et terra creatis, abyssus et aqua pariter exstiterunt, de quorum creatione non videbatur aliquid tangi in verbis his, In principio creavit Deus cœlum et terram. Rursus paulo post legitur, firmamentum quod vocatum est cœlum, esse factum secunda die : idcirco
D obscurum fit de quo cœlo dicatur, In principio creavit Deus cœlum et terram.

Sanctus igitur Augustinus, considerans quod littera Genesis, quantum ad superficiem suam, patet irrisioni calumniisque infidelium, et eos a conversione ad fidem avertere potest, eo quod videatur instar poetarum et quorumdam philosophorum ab Aristotele satis reprobatorum, ponere quoddam chaos confusum in exordio mundi, excogitavit quamdam expositionem subtilem, per quam defendit Scripturam

Digitized by Google

ab irrisione hujusmodi, et tamen salvavit Scripturæ ac fidei veritatem. Itaque dixit, quod sicut Deus omnipotens omnia in se ipso unico actu intelligendi perfecte et distincte concipit et cognoscit, ac intra se exprimit, sic in eodem instanti omnia opera sex dierum simul et distincte produxit, eadem practice intelligendo atque ut essent jubendo. Cui expositioni videtur

Ps. xxxii, 9; cxlviii, 5. consonare illud in Psalmo : Ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt.

Eccli. xviii, 1. Et quod in Ecclesiastico legitur : Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Quod

Deut. xxxii, 4. item Moyses ait : Dei perfecta sunt opera. Et quod in hoc ipso Genesis libro paulo

Gen. ii, 4, 5. post subditur : Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die qua creavit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri, omnemque herbam regionis, quum tamen virgulta et herbæ infra legantur tertia die producta.

Hæc ergo intuens Augustinus, dicit opera sex dierum simul facta distincte. Unde ait Albertus libro de Coæquævis : Augustinus revera ponit omnia simul creata in materia et forma, quæ scilicet natura non potest per se producere motu superiorum, videlicet cœlestium corporum et commixtione elementorum. Et ideo cœlum a principio factum est cum suis stellis, et terra cum animalibus suis, aqua quoque cum natatilibus atque volucribus : et breviter, omnia in speciebus suis simul educta sunt, quæ per simplicem virtutem motus cœli, et per virtutem stellarum, educi non poterant sine alio motore, id est particulari agente univoco, utpote speciei ejusdem, sicut sunt homo, leo, equus, et consimilia, quæ præter virtutem cœli et elementorum, requirunt specialem motorem ad sui generationem. Sunt tamen quædam non habentia magnam diversitatem in partibus corporis, ut plantæ et animalia aliqua, præsertim quædam reptilia et aliqui pisces, quæ non oportuit primo fieri in propriis speciebus, sed tantum in rationibus suis causalibus, id est seminalibus suis virtutibus, quia ad

A horum productionem sufficit motus cœli atque stellarum ex materia diversimode commiscibili. Propter quod dicit Avicenna in libro de Diluviis, quod mures quandoque generantur ex terra, et serpentes ex capillis. Hæc Albertus.

Denique, ut Thomas super secundum Sententiarum fatetur, Augustinus vult quasdam creaturas in ipso creationis principio, id est primo instanti, fuisse in propria natura distinctas per species suas, ut elementa et corpora cœlestia ac angelos.

B Alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas et hujusmodi, quæ omnia in naturis propriis sunt producta illo opere, quo Deus post sex dies illos naturam prius conditam administrat. De quo ait Salvator : Pater meus usque *Joann.* v, 17.

modo operatur, et ego operor. Nec in distinctione rerum attendendum esse ordinem temporis, sed naturæ atque doctrinæ: naturæ, sicut sonus præcedit cantum, sicque quæ naturaliter sunt priora, prius facta scribuntur, quemadmodum terra prius-

C quam animalia, et aqua priusquam pisces; ordine vero doctrinæ, sicut patet in docentibus geometriam. Quamvis enim partes figuræ sine ordine temporis figuram constituant, nihilo minus geometria docet constitutionem figuræ, lineam post lineam protrahendo. Et istud fuit exemplum Platonis, ut dicitur primo Cœli. Sic quoque secundum Augustinum, Moyses rudem instruens populum de mundi creatione, divisit per partes quæ facta sunt simul. Hæc Thomas.

D Sed circa hæc oritur quæstio, quoniam verba horum doctorum videntur ab invicem discordare, ita quod opinionem Augustini contrarie recitant, ut apparet. Albertus etenim ait, quod secundum Augustinum terra facta est cum animalibus, et aqua cum piscibus, etc. Porro Thomas refert, quod secundum Augustinum, elementa et cœlestia corpora sanctique angeli simul producta sunt, animalia vero et plantæ postea. Et respondendum, quod Albertus loquitur de animalibus, piscibus ac avi-

Digitized by Google

bus, primo et immediate a Deo productis : A et illa simul esse producta cum terra et aqua, secundum Augustinum, ostenditur ex præhabitis Thomæ verbis. Nam ait terram præcedere animalia, et aquam pisces ordine naturæ, non temporis, quemadmodum sonus cantum. Rursus circa hoc quæritur, quot animalia et pisces ac volucres, secundum istam opinionem, fuerint simul cum terra et aqua tunc facta. Ad quod pro nunc breviter dici potest, quod in qualibet specie duo individua, loquendo de his quæ ex commixtione maris ac fe- B minæ naturaliter producuntur.

Præterea, quia nunc dictum est, quod secundum Augustinum omnia opera sex dierum sunt simul producta : quærendum, quid Augustinus ad litteram intelligat per cœlum et terram, quum dicitur, In principio creavit Deus cœlum et terram. Ad quod concorditer dicunt expositores, et super secundum Sententiarum doctores, quod per cœlum intelligit naturam angelicam seu angelos ; per terram vero, materiam prorsus informem omnium corporalium rerum, tam elementorum quam cœlestium corporum ac mixtorum, utpote materiam primam, ab omni forma per intellectum abstractam, quam dicit corporalia præcessisse ordine naturæ, non temporis, quia materia non potest realiter stare nuda, id est, ab omni forma substantiali abstracta. Per cœlum vero, intelligit naturam angelicam ut informem, seu in se consideratam. Cujus tamen informitas non præcessit tempore formationem ejus per dona gratuita, secundum Augustini doctrinam, qui dicit quod Deus fuit in angelis, simul condens naturam, et largiens gratiam. Quod autem ista sint de mente Augustini, patet aperte ex verbis ipsius super Genesim ad litteram, et in libris Confessionum, atque in libro de Civitate Dei, et infra tangetur.

ARTICULUS VI

DE EXPOSITIONE EJUSDEM VERBI, SECUNDUM ALIOS SANCTOS.

QUEMADMODUM Bonaventura ait in C scripto suo super secundum Sententiarum, circa intellectum litteræ hujus, diversæ fuerunt opiniones Sanctorum. Quidam enim Sancti in hac re magis secuti sunt theologicam viam, trahentes rationem ad ea quæ fidei sunt. Quidam vero, inter quos præcipuus exstitit Augustinus, magis secuti sunt viam philosophicam, ea ponentem quæ magis sunt consona rationi. Unde Augustinus intellectum hujus scripturæ ad rationis attestationem atque dictamen flectit ac trahit, dicendo omnia D simul esse producta. Et expositio ejus fuit multum rationabilis et valde subtilis. Verumtamen, quia ex ea videtur intellectus Scripturæ distrahi, et securius est magisque meritorium, proprium intellectum et rationem Scripturæ omnino subjicere, quam Scripturam aliquo modo distrahere, idcirco communiter alii doctores, tam qui Augustinum præcesserunt, quam qui eum secuti sunt, intellexerunt et exposuerunt scripturam hanc sicut sonare videtur, dicentes opera sex dierum non simul esse producta nisi in materia, sed per intervalla dierum ea esse producta, quantum ad formam et speciem.

Rursus eadem distinctione loquitur Bonaventura : Quamvis multæ sint expositiones hujus verbi, In principio creavit Deus cœlum et terram, quatuor tamen sunt prin- Quatuor expositiones.

cipales. Prima est, quod cœlum et terra [A] eamdem nominant informem materiam omnium corporalium rerum, prout de ipsa fieri debebant duplicia corpora, puta cœlestia et elementaria, ut sit sensus : In principio creavit Deus cœlum et terram, id est materiam ex qua debebat fieri cœlum et omnia elementa. Hæc autem expositio confirmatur per litteram mox sequentem, quæ describit qualiter factum sit cœlum. Secunda expositio, per cœlum intelligit naturam angelicam, per terram vero materiam primam. Tertia expositio, et quasi media [B] inter has, est Hugonis, qui per terram intelligit elementum terrenum, atque per cœlum tria alia elementa, quæ secundum eum, erant super terram per modum nebulæ circumquaque oppansa, in una confusione permixta, seu potius in una permixtione confusa, et circumquaque suspensa, quæ extendebantur tam alte, sicut pertingit nunc summitas corporalis naturæ. Hinc libro de Sacramentis ait venerabilis Hugo : Nomine terræ significatum puto terrenum hoc elementum. Eratque [C] elementum hoc subsidens seu situm in imo ac medio loco, ceteris in confusione permixtis. Quarta expositio per cœlum hoc loco intelligit cœlum empyreum, quod statim in sua creatione angelis est repletum. Per terram vero, materiam omnium corporalium, sive cœlestium, sive terrestrium, sub cœlo empyreo contentorum. Et ista positio est Bedæ et Strabi, imo et S. Basilii in suo Hexaemeron, saltem quantum ad id, quod dictum est de cœlo empyreo. De quo ait Basilius : Sicut damnati [D] in tenebras ultimas abiguntur, ita pro dignis operibus remuneratio restauratur Beatis in ea luce, quæ est extra hunc mundum, ubi quietis domicilium sortiuntur. Strabus quoque : In principio, inquit, creavit Deus cœlum et terram. Cœlum, non hoc visibile firmamentum, sed empyreum, hoc est igneum, non ab ardore, sed a splendore, quod statim repletum est angelis. De quo cœlo loquitur Beda : Hoc superius cœlum, quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est, sanctis angelis est repletum, quos Dominus protestatur in principio conditos cum cœlo et terra, dicens : Ubi eras quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ? Ubi per astra matutina, intelliguntur angeli ac filii Dei. *Job xxxviii, 4, 7.*

Præterea, Nicolaus de Lyra scribit hoc loco : Circa principium Genesis sunt tres expositiones solennes, ad quas aliæ videntur reduci. Prima est Augustini, de qua præcedenti articulo dictum est, quæ expositio videtur Lyræ valde longinqua a littera : propter quod, inquit, dimittatur. Aliæ duæ expositiones videntur sibi * textui consonare. Ad quarum declarationem præmittit tres opiniones philosophorum de materia. Prima est opinio Commentatoris, qui in libro de Substantia orbis, dicit in corporibus cœlestibus non esse materiam proprie dictam, quæ scilicet pars sit essentialis compositi, et subjectum formæ substantialis ; sed quod ibi dicitur esse materia, dicit esse intelligendum de materia improprie dicta, utpote eam sumendo pro subjecto motus localis, et prout ipse orbis est in potentia ad Ubi. Secunda opinio est, quod in corporibus cœlestibus est materia proprie dicta, tamen alterius rationis a materia mixtorum et elementorum. Hanc opinionem sequuntur Albertus, Thomas, et alii multi. Tertia opinio est, quod omnium corporalium sit una seu ejusdem rationis materia prima. Hæc est opinio Avicennæ, quam sequitur Bonaventura.

(* ipsi) (Tres opiniones de materia.) (Averroes.)

His prolixe ab eo præmissis, ponit duas expositiones prætactas, quarum prima est, quod partes hujus sensibilis mundi principales, videlicet omnia cœlestia corpora et quatuor elementa, fuerunt a principio per creationem simul producta distincte in suis substantialibus formis ; quod item totum opus distinctionis, et etiam opus ornatus cœlestium corporum, quod factum est quarto die, quæ infra describuntur, intelligenda sint quantum ad qualitates, proprietates, et virtutes acciden-

Digitized by Google

tales, superadjunctas præfatis operibus creationis. Secunda expositio est, quod materia omnium corporalium, primo creata sit solum sub una forma substantiali communi, videlicet sub forma corporeitatis, et diebus sequentibus sit distincta secundum diversas sui partes per formas substantiales specificas, tam cœlestes quam elementares.

Insuper dicit, quod illi qui sequuntur Commentatorem, et qui dicunt materiam cœlestium corporum specie distinctam a materia inferiorum, non possunt tenere expositionem istam secundam, sed primam. Porro qui dicunt omnium corporalium esse unam materiam, sequi possunt expositionem istam secundam.

Denique Nicolaus de Lyra, ista scribendo, affirmat quod intellectus operum sex dierum, dependet ex cognitione prætactæ simplicis opinionis de materia prima. Sed contra hoc scribit Rabbi Paulus, ex Judaismo conversus, qui fuit Burgensis episcopus, atque in multis redarguit Lyram. Itaque contra prætactum verbum testatur, quod inconvenienter sit positum, quoniam philosophi diversimode opinando de materia, non habuerunt rationes demonstrativas, sed persuasivas, unde non debet sensus Scripturæ propter hoc variari. Et ideo sancti doctores modicum curaverunt de diversitate talium opinionum in præsenti materia, sicut nec refert ad articulum creationis credendum, an cœli sint immateriales, vel habeant materiam ejusdem rationis cum inferioribus istis, an non. Ad istud dicendum, quod præhabitum verbum Nicolai rationabiliter potest salvari. Quemadmodum enim omnis creatura servit Creatori, ita naturalis scientia deservit theologicæ veritati. Unde asserit Augustinus, quod cognitio proprietatum naturalium rerum, pandit abdita Scripturarum. Quamvis ergo veritas Scripturarum non dependet a notitia opinionum et scientiarum philosophicarum, attamen intellectus ejuscemodi veritatis in tantum dependet ex cognitione talium opinionum et scientiarum, in quantum cognitio talium confert ad intelligendum limpidius ipsas Scripturas. Nec Lyra dicit, quod propter diversas opiniones philosophorum varietur sensus Scripturæ.

Ps. CXVIII, 91.

Præterea, quod Rabbi Paulus ait, sanctos doctores parum curasse de talium varietate opinionum, non videtur satis considerate prolatum, quia non solum S. Thomas, Bonaventura, Albertus, et similes super secundum Sententiarum, sed Ambrosius quoque, Basilius, aliique antiqui expositores, ubertim ac diligenter recitant philosophorum opiniones, in quantum hoc confert ad intelligendum Scripturas. Verumtamen in præfata positione, Lyra dicit aliud quiddam quod patet calumniæ. Siquidem ait : Illi qui dicunt quod in corporibus cœlestibus non est materia, consequenter dicere habent, quod omnia corpora cœlestia a principio sint producta in suis substantialibus formis distincte. Nempe qui dicunt in corporibus cœlestibus non esse materiam, dicunt et dicere compelluntur, quod corpora cœlestia non habent formas substantiales, quum forma substantialis non dicatur, nisi respectu materiæ cui dat esse. Nec aliquid dicitur proprie forma substantialis, nisi sit pars compositi. Cœlum autem, secundum istam opinionem, non est compositum ex forma et materia. Commentator quoque in libro de Substantia orbis, dicit quod ipse orbis seu corpus cœleste sit actu ens, etiam per intellectum excluso suo motore, seu qualibet forma substantiali.

Amplius, ad intelligendum perfectius præhabitam duplicem expositionem de informitate materiæ, seu qualiter fuit creata sub forma corporeitatis, aut sub propriis substantialibus formis elementorum atque cœlestium corporum, advertendum quod super secundum, distinctione 12, recitat Thomas : Quidam antiqui philosophi posuerunt materiam totam sub una forma substantiali, ponentes unum elementorum esse primam materiam omnium, et ex illo omnia generari. Alii posuerunt

Digitized by Google

eam sub pluribus formis substantialibus, A non tamen ad invicem ordinatis, sed quadam confusione permixtis, et postea operatione primi Opificis ad distinctionem ordinemque reductis. Moderni etiam in duas vias has dividuntur. Quidam enim ponunt, materiam illam primo creatam totam sub una forma substantiali fuisse ; sed ne videantur in antiquum labi errorem, dicunt formam illam non fuisse aliquid formarum elementarium, sed aliquid quod se habet in via ad eas, ut imperfectum ad perfectum, quemadmodum B forma embryonis se habet ad formam animalis completi in specie sua. Alii dicunt, materiam illam primo creatam sub diversis substantialibus formis, sicut narratum est.

Has item opiniones narrat Bonaventura super secundum : Quidam, inquiens, voluerunt dicere, quod materia illa diceretur chaos, propter formarum multitudinem, et contrarietatem exsistentem in partibus materiæ, ita quod partes illæ non distinguebantur ad invicem secundum loca deter- C minata, nec ita proportionabiliter invicem jungebantur, ut ex eis resultaret aliquod mixtum completum ; ideo erat ibi quædam mixtio non proportionis, sed confusionis : unde nec agebant contra se invicem. Alius modus dicendi est, quod materia illa producta est sub aliqua forma, sed illa non erat forma completa, nec dans materiæ esse completum. Unde nec satiavit appetitum materiæ, nec sic eam informavit, quin adhuc mansit informis, sed erat dispositio ad formas ulteriores. Et D quamvis forma illa non habebat in se diversas naturas, tamen quia ad multas formas habuit inclinationem, habuit in partibus suis quamdam imperfectam diversitatem, propter quod permixta dicitur et confusa : sicut exemplum ponitur in embryone, quod licet actu habet unam formam atque figuram massæ carnis, illa tamen dispositio est ad diversas membrorum figurationes, quamvis istud non sit per omnia simile, quoniam forma illa non erat tantæ actualitatis sicut est forma embryonis, neque in tanta propinquitate ad eductionem formarum sequentium, sicut forma embryonis ad eductionem membrorum. Forma etenim seu figura embryonis, est visibilis, et vi naturæ ad perfectionem perducibilis. Illa vero materia sub tali forma erat invisibilis, atque ad formas subsequentes sola divina virtute et operatione ducibilis : ideo propter indeterminatum appetitum formarum multarum, confusa dicitur et permixta.

Postremo, verbum hoc, In principio creavit Deus cœlum et terram, ita exponit Chrysostomus, quod Moyses hoc sermone summarie explicavit et præmisit, quidquid Deus postea per sex dies effecit ; et postea per partes explicat, quod ante in summa præmisit : sicque per duo ista extrema, cœlum et terram, intellexit cetera corporalia omnia in eis contenta ; quemadmodum si dicatur, artifex fecit hanc domum ; et postea subdatur, primo posuit fundamentum, secundo statuit parietes, tertio tectum erexit. Et ita quod ait, In principio, exponitur et refertur ad totum tempus productionis operum sex dierum. Sicque idem est cœlum, quod legitur in principio factum : et firmamentum, quod legitur secunda die productum. Hanc expositionem præ ceteris sequitur Rabbi Paulus.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

CUI EXPOSITIONUM PRÆINDUCTARUM VIDEATUR MAGIS ESSE CONSENTIENDUM.

QUAMVIS juxta præhabita, expositio A S. Augustini videatur subtilior, atque humanæ consonantior rationi, ex hoc tamen non sequitur, quod verior sit, quemadmodum Deum non esse trinum in personis, magis consonat rationi humanæ, quam quod in unitate essentiæ trinus consistat, non tamen est verum. Nam ea quæ fidei sunt, quamvis non sint contra rationem, sunt tamen supra omnem rationem humanam. Ratio quoque humana plene comprehendere nequit opera Dei, et multo minus comprehendere potest ratio- B nes eorum, hoc est, cur Dei sapientia sic
Rom. xi, 33. agendum dictavit, cujus judicia et secreta sapientiæ ejus penetrare non possumus. Verumtamen Albertus libro de Coæquævis, et Thomas super secundum, magis consentiunt expositioni Augustini præfatæ. Verumtamen Thomas in prima parte Summæ suæ, minus declinat se ad aliquam partem.

Porro (ut tactum est) Bonaventura magis sequitur eos, qui per intervalla temporum dicunt omnia esse producta. Attamen sapienter hortatur, ut in hac materia, in qua C certitudo haberi non valet, nihil incaute aut præcipitanter quis asserat.

Insuper, quamvis Thomas super secundum, sequatur (ut dictum est) Augustinum, attamen recitando alias duas opiniones, quibus materia prima in principio dicitur creata informis, seu aliquo modo formata, magis approbat expositionem eorum, qui dicunt materiam primo creatam sub substantialibus formis distinctis, ita quod corpora cœlestia et elementa in principio condita sint sub formis suis speci- D ficis, ut plenius dictum est. Aliam autem positionem, quæ dicit materiam primo creatam sub communi forma corporeitatis, potius reprobat, eo quod juxta philosophos, inter materiam primam et formas elementares, non sit intermedia forma substantialis. Quod si quis cum Avicebron in libro Fontis vitæ, formam corporeitatis a materia inseparabilem esse affirmet, non videtur hoc posse salvari, eo quod forma substantialis det esse simpliciter, et quod advenit enti in actu, est accidens. Sic quoque viderentur duæ formæ substantiales in eodem esse composito.

Porro Bonaventura magis approbat opinionem dicentium materiam primo productam sub communi forma corporeitatis. Sed, quoniam brevitati nunc studeo, et ista materia super secundum Sententiarum a doctoribus plenissime ventilatur, disputatur, ac pertractatur, ideo horum doctorum rationes et solutiones ac replicationes dimitto. Et quantum capere valeo, opinio ista quam approbat Thomas magis quam Opinio Thomæ verior apparet. aliam, inter omnes opiniones et expositiones verior mihi apparet. Primo, quoniam textui consonantior esse censetur. Nam in exordio Genesis statim ante opus secundæ diei, cœlum, terra, et aqua, propriis exprimuntur nominibus ; similiter de abysso fit mentio nomine speciali. Ergo apparet quod propriis formis fuerint tunc distincta, quantum ad esse specificum. Ista quoque positio minus recedit ab Augustini opinione. Rursus, qui dicunt materiam sub forma corporeitatis productam, dicunt terram tertio die formatam seu factam ; quod textui consonum non videtur, quum infra in descriptione operis tertiæ diei dicatur : Congregentur aquæ in unum locum, et appareat arida ; ergo terra seu arida tunc fuit ostensa, non facta. In Psalmo quoque habetur : Initio tu *Ps.* ci, 26.

Digitized by Google

Domine terram fundasti; ergo fundata et facta est in principio creationis.

Insuper Rabbi Moyses dicit, quod Moyses in exordio Genesis expressit duo elementa aperte, videlicet terram et aquam : alia duo obscure, ita quod aerem designavit per spiritum, dicens, Spiritus Dei ferebatur super aquas; ignem vero per tenebras, quoniam ignis in propria sphæra non lucet ad extra, ob suæ raritatem seu subtilitatem materiæ. Amplius, secundum quod recitant Lyra et Rabbi Paulus, multi alii Hebræorum doctores sunt hujus opinionis. Sed et Hugo in libris de Sacramentis, magis assentit huic positioni. Ad idem quoque allegat Thomas Magistrum Sententiarum, et verum est, quod Magister in aliquibus passibus hoc sentire videtur; nihilo minus ponit et aliqua verba pro alia opinione.

Per intervalla dierum res creatæ sunt.

Postremo, ad consentiendum expositioni eorum, qui dicunt opera creationis condita sex diebus, potissime movet me auctoritas divini et sacratissimi Dionysii, studiosissimi et illuminatissimi viri, qui fuit apostoli Pauli discipulus, aliisque Apostolis notus et carus, qui in rebus difficillimis et locis obscurissimis Prophetarum, informationem petivit ab ipsis Apostolis, præsertim a beatissimo Paulo, atque ab aliis apostolicis viris, prout ipse in suis crebro voluminibus tangit; a quibus si intellexisset omnia simul distincte producta, verisimile reor quod in suis libris hoc tetigisset : quum ergo non tangat hoc, sed ejus oppositum, utpote quod per intervalla dierum sint facta, patet propositum. Quod autem Dionysius insinuet res factas per temporum intervalla, probatur ex his, quæ scribit in libro de Divinis nominibus capitulo 4. Unde et Thomas super secundum, et in prima parte, quæstione 67, allegat Dionysium ibidem dicentem, quod lumen solis est lux illa, quam Moyses in primis tribus diebus nostri temporis narrat, quamvis tunc esset informe, prout infra dicetur. Unde elicitur, quod juxta Dionysii mentem, etiam substantia solis facta sit prima die, quia lux solis non fuit ante substantiam ejus. Parique ratione alia corpora cœlestia in suis formis substantialibus facta sunt prima die. Ex quibus probatur, quod ista positio de productione materiæ sub formis distinctis, quantum ad essentiales mundi partes, fuit de mente maximi theologi Dionysii : quod potissime me induxit ad consentiendum positioni præfatæ.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO VERBORUM SEQUENTIUM : TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA, ET TENEBRÆ ERANT SUPER FACIEM ABYSSI, ET SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS.

LICET præcedenti articulo magis approbaverim atque secutus sim eos, qui dicunt, opera sex dierum per temporum intervalla esse producta, et materiam in exordio creatam sub substantialibus formis distinctis, quantum ad essentiales principalesque partes mundi sensibilis, quæ sunt corpora cœlestia et quatuor elementa; nihilo minus intendo textum exponere, etiam juxta aliorum intentionem. Itaque sequendo expositionem illam amplius approbatam, eo quod textui et antiquioribus Patribus ac doctoribus sanctis consonantior videatur, sic exponenda sunt verba sequentia :

Terra autem erat inanis et vacua. Pro eo quod hic dicitur, Terra erat inanis et vacua, alia translatio qua utitur Origenes,

Digitized by Google

sic continet : Terra autem erat invisibilis A et incomposita. Idcirco quidam exponunt hanc litteram sic : Terra erat inanis, id est invisibilis corporali adspectu, quoniam erat aquis undique cooperta, quæ etiam aquæ fuerunt in inferiori parte densiores seu grossiores. Et vacua, hoc est, plantis et herbis ac ceteris fructibus ex ea tunc nascituris, nondum impleta aut decorata : quod alia littera vocat, incomposita. Unde Josephus refert : Sed dum terra ad adspectum non veniret, et profunditate aquarum ac tenebris celaretur, Deus lumen fieri B jussit.

Ant. Jud. I, 1.

Hinc alii sic exponunt : Terra erat inanis et vacua, id est, elementum terræ erat adhuc infructuosum, sive inutile ac sine ornatu. Nondum etenim apta fuit habitationi ac usui hominum, propter quos fuit creata. Hinc ait Strabus : Terra erat inanis et vacua, id est inutilis, infructuosa, et incomposita. Omnia namque elementa commixta fuerant et confusa, et totum hoc aeris spatium exstitit aquis plenum, non quales nunc sunt, sed in- C star nebulæ tenues erant. Quod si ista sunt verba Strabi, ut allegatur in Glossa, quomodo verum est quod quidam asserit, secundum Strabum et Bedam, materiam primo fuisse creatam sub communi forma corporeitatis, non sub distinctis formis substantialibus elementorum, præsertim quum in eadem Glossa inducantur verba Bedæ, dicentis, Deus aquas cum cœlo prius creavit ? Denique Damascenus libro secundo aperte insinuat, terram et aquam in principio sub propriis formis substan- D tialibus esse creatas, dicendo : Terra est unum elementorum siccum, frigidum, grave, immobile, ex non ente ad esse prima die a Deo deductum. In principio enim creavit Deus cœlum et terram. De aqua quoque sic ait : Aqua est unum quatuor elementorum, humidum, frigidum. Hæc in principio super omnem terram redundavit. His concordat Basilius, dicens : Moyses primo non exprimit, nisi cœlum et terram, quatenus per hæc duo extrema, intelligantur et media. Ex quibus ostenditur, quod quum dicitur, In principio creavit Deus cœlum et terram : nomine terræ intelligitur elementum terræ explicite, et alia tria elementa implicite, et per cœlum, omnia cœlestia corpora, quantum ad suæ substantiæ productionem.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Per abyssum, quidam intelligunt congeriem seu universitatem quatuor elementorum ; alii, alia tria elementa simul permixta, videlicet aquam, aerem et ignem ; alii aquam. Ait equidem Damascenus : Abyssus aliud nihil est, nisi aqua multa, cujus finis incomprehensibilis est hominibus. Et Rabbi Paulus : Abyssus, inquit, secundum grammaticos, impenetrabilem aquarum multitudinem signat, quæ impenetrabilitas intelligi potest non solum ex magna aquæ profunditate, sed item ex hoc quod ex sua circumfusione, qua ambit terram, visu penetrari non potest. Per quod intelligitur aqua elementaris, quæ ante suam congregationem confuse permixta fuit igni et aeri : quod totum dicitur nunc abyssus. Qualitercumque autem sumatur abyssus, constat quod tenebræ erant super faciem abyssi. Nondum enim creata fuit lux corporalis, idcirco tenebræ, quæ sunt carentia hujuscemodi lucis, operiebant omnia elementa, imo et cœlestia corpora, dempto cœlo empyreo.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Per Spiritum Domini, intelligi potest voluntas Dei seu Spiritus Sanctus, quæ et qui ferebatur non motu locali, sed dispositione mentali super aquas, sicut voluntas artificis fertur super materiam quam habet præ oculis, dum eam formare ac decorare proponit. Et potest per aquas, elementum aquæ intelligi, quia ex aqua generantur plurima animalium genera, et semina rerum sunt humida ; nec terra sine aqua est fructuosa, sed sterilis. Propter quod asserit Damascenus : Aqua est creatura Dei optima. Alii per aquas intelligunt congeriem elementorum, quia non aquam tantum, sed et alia elementa voluit Deus

Digitized by Google

formare, ornare, et diversa mixta ex eis producere. Hinc secundum Hieronymum in Hebræo habetur, merahephet, quod tantum valet sicut, Fovebat aut Incubabat: ad insinuandum quod Spiritus Sanctus instar avis ova suo calore foventis, super aquas incubabat et eas fovebat, dando eis virtutem causalem tam specialem. Insuper, ut recitat Augustinus libro de Civitate Dei, Plato per Spiritum Domini qui ferebatur super aquas, intellexit aerem, qui sæpe spiritus appellatur, et in hoc Rabbi Moyses Platonem secutus est, sed convenientius exponitur de Spiritu Sancto. Aer enim nondum divisus fuit ab aqua, nec superior ea; imo aqua totum occupaverat spatium usque ad cœlestium corporum regionem. Nec videtur cur Moyses potius dixisset de aere, spiritus Domini, quam de terra aut aqua, terra Domini, aut aqua Domini. Præterea, Rabbi Paulus scribit hoc loco : Antiqui expositores Hebræorum, compendiose ac notabilissime exposuerunt hoc verbum in libro qui dicitur, Bresith Rabba, ubi interrogative sic dicitur : Quid est quod dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas? Et respondetur, Nihil aliud est quam qui dicitur Spiritus Messiæ, de quo scriptum est : Requiescet super eum Spiritus Domini. Unde constat quod per Spiritum Domini, intelligatur nunc Spiritus Sanctus. Quantum ad aliorum opinionem, exponendo hunc passum, sciendum quod quamvis Augustinus dicat opera sex dierum simul distincte producta, in hoc tamen convenit cum his, qui dicunt materiam primo creatam sub sola forma corporeitatis, quod materiam primam informem dicit in principio Genesis designari nomine terræ, et etiam nomine aquæ atque abyssi : per quæ omnia, etiam illi dicunt designari non ipsa elementa, sed eamdem informem materiam, de qua dicunt elementa esse formata.

Is. XI, 2.

Itaque secundum Augustinum, tenebræ erant super terram, id est informem illam materiam, non temporali duratione, cum dicat omnia simul facta, distincta, formata, sed ordine naturæ; quia materia illa secundum se accepta et considerata, fuit in se tenebrosa, carens omni perfectione et claritate formali. Fuit quoque materia illa secundum se inanis et vacua, utpote destituta formis et omni ornatu. Hinc super secundum Thomas testatur : Si per terram intelligatur informis materia, tunc per verba hæc designatur receptibilitas materiæ, quæ quodammodo similis est receptibilitati loci. Propter quod Plato materiam vocavit locum. Ideo quæ sunt loci, similitudinarie dicuntur de ea, ut materia dicatur vacua, in quantum forma replet capacitatem materiæ; inanis vero, in quantum forma est finis appetitus ipsius. Sed Spiritus Domini ferebatur super aquas, hoc est super hanc ipsam materiam, in quantum intendebat ex ea producere multa, sicut mens seu consideratio artificis fertur super artificiata.

Porro secundum alios, super materiam illam forma corporeitatis informatam, sed respectu specificarum formarum informem, erant tenebræ quousque producta est lux corporalis; eratque terra, id est materia illa, inanis et vacua, quoniam distinctis et propriis formis carebat, nec fuit polita nec fructifera. Ferebatur itidem super eam Spiritus Domini, juxta sensum præhabitum.

Postremo Rabbi Paulus hoc loco per faciem abyssi intelligit cœlum crystallinum, in quo dicit fuisse tenebras, quoniam capax fuit lucis tanquam diaphanum. Multitudinem vero aquarum dicit fuisse abyssum, vel aquam tam turbidam et opacam, quod non fuerat lucis capax sicut nec terra. Idcirco non dicuntur proprie fuisse tenebræ in abysso, sicut nec cæcitas in ligno. Istud non videtur solide dictum. Primo, quia Scriptura non dicit, Tenebræ erant super superficiem abyssi, sed super faciem abyssi. Secundo, quoniam nec cœlum crystallinum, nec aliquod cœlum dicitur proprie superficies aquæ, sive loquamur de superficie extrinseca, sive de superficie intrinseca. Locus quippe est ex-

Digitized by Google

trinseca superficies corporis locati, atque intrinseca superficies corporis continentis. Locus autem est in genere quantitatis, cœlum autem in prædicamento substantiæ. Quod si cœlum ratione sui ultimi seu suæ superficiei, dicatur superficies aquæ illius, hoc oportet intelligi de superficie aquæ extrinseca. Per faciem autem aquæ, intelligenda esset potius superficies ejus intrinseca, utpote ei inhærens, quam superficies ejus extrinseca. Sic enim in Scripturis communiter accipitur facies corporalium inanimatarumque rerum. Tertio, quia ex verbis Sanctorum et expositorum jam patuit, quod aqua illa erat instar nebulæ tenuis et subtilis, præsertim in superioribus partibus, ubi lux magis fulgebat atque vicinior fuit statim ut facta est : ergo aqua illa erat valde capax lucis illius, nec fuit opaca. Quarto, nam dato quod fuisset turbida et opaca, tamen potuisset illuminari, quemadmodum modo terra et densissimæ nubes recipiunt influentiam lucis. Quinto, nam ubi nostra translatio habet, Tenebræ erant super faciem abyssi : alia translatio, quam et Origenes exponit, sic continet, Tenebræ erant super abyssum. Sexto, nam dato quod lux non potuisset eam attingere, nihilo minus tenebræ, proprie loquendo, fuissent in ea ; quia ex sua natura ipsi competit esse lucis capacem, quemadmodum cæcus a nativitate, dicitur proprie cæcus. Septimo, quoniam secundum omnes expositores præfatos, per faciem abyssi, intelligitur ipsa abyssus. Unde et undecimo de Civitate Dei, cap. 9, loquitur Augustinus : Tenebræ erant super faciem abyssi, id est super quamdam terræ et

A aquæ indistinctam confusionem. Hinc ait Magister libro secundo : Nec mirum lucem posse in aquis lucere, quæ multo rariores fuerunt in principio, quam sint modo. Iterum ait hic Rabbi Paulus, quod per id quod dictum est, Spiritus Domini ferebatur super aquas : intelligitur motus primi mobilis, per quem Deus aquam vivificavit ; quia ut dicitur octavo Physicorum, Motus cœli est quasi vita omnium inferiorum, qui motus adscribendus est Deo, tanquam causæ primæ ac principali. Istud B stare non potest : Scriptura enim hic loquitur de virtute causali, aquæ collata immediate a Deo a suæ creationis exordio, quam non habet per motum cœli aut mobilis primi. Et istud plenius scribit Thomas in prima parte, quæstione 74, ubi ad hoc allegat Basilium.

At vero circa hæc verba, Spiritus Domini ferebatur super aquas, in Scholastica fertur historia : Hunc locum male intellexit Plato, putans hoc dictum de anima mundi. Miror unde auctor Historiæ illius C acceperit hoc, præsertim quia jam dictum est, quod (ut recitat Augustinus) Plato per Spiritum Domini aerem intellexit. Quid autem Plato senserit de anima mundi, dictum est in expositione prologi hujus libri.

Sed circa hæc quæri posset : Quid Plato scivit de ista scriptura, aut qualiter intromisit se de expositione ipsius ? Respondendum, quia (ut octavo de Civitate Dei Augustinus tangit et sentire videtur) Plato in Ægypto per interpretem didicit libros Moysis. Nam et id quod Dominus dixit ad D Moysen, Ego sum qui sum, Qui est, etc. Plato tenuit vehementer, et diligentissime commendavit memoriæ.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO EJUS QUOD DICITUR, FIAT LUX, USQUE AD ID, DIXIT QUOQUE DEUS, FIAT FIRMAMENTUM, ETC.

POSTQUAM Moyses dixit, Tenebræ erant super faciem abyssi, mox subdidit : *Dixit quoque Deus : Fiat lux.* Non enim decuit opus Dei tenebrosum manere. Denique, juxta expositores, hoc loco incipit Moyses opus distinctionis describere, declarando qualiter a principio una creatura divisa sit ac distincta ab aliis. Primo, ostendit qualiter divisa sit dies a nocte ; secundo, tangit distinctionem cœlestium corporum ; tertio, elementorum. Et quia eorum positio magis jam placuit, qui dicunt elementa atque cœlestia corpora ab initio simul producta, quantum ad eorum substantiam, ita quod distinctio et ornatus eorum attenduntur penes virtutes activas et passivas, et penes qualitates et proprietates accidentales : ita quod distinctio attenditur penes virtutes activas atque passivas communes, moventes ad omnem formam seu speciem corporalium ac generabilium rerum, sicut sunt calidum, frigidum, lux et humor ; ornatus vero penes virtutes activas et passivas speciales, quæ movent ad formas et species determinatas, ut est virtus seminum, equi, leonis, et consimilium, secundum quod Thomas super secundum, distinctione 13, plenius docet : hinc per lucem, de qua nunc sermo, intelligitur lumen solis adhuc informe seu imperfectum, ut capitulo 4 de Divinis nominibus divinus Dionysius contestatur. Nam ante quartum diem, lux ista non est sortita determinatam ac plenam virtutem ad producendum particulares effectus.

Dixit itaque Deus : Fiat lux. Quemadmodum autem Deus artifex summus est, simplicissimus spiritus, et sapientissimus
A actor : sic dicere ejus est spirituale ac intellectuale, non vocale aut transitorie sonans. Nec dixit istud per creaturam subjectam, sed sicut immediate produxit, ita per se dixit. Et hoc dicere Dei, est practicum intelligere ejus, quo vult seu præcipit aliquid esse. Sic igitur Deus trinitas, unus universorum creator, dixit, id est, intra se concepit, cogitavit ac jussit, Fiat lux, id est, substantia solis lucem aliqualem recipiat. Sol enim, quantum ad substantiam suam, factus est in principio, sed non splenduit
B clare. *Et facta est lux :* hoc est, Deo creante, sol lucem tantam accepit, sicut tunc decuit, et statui illi expediens fuit. Etenim idem est, rem fieri Deo jubente, et Deo agente ; et dicere Dei, fecisse est ; et ubi præcipit omnipotens virtus, mox servit effectus.

Et vidit Deus lucem quod esset bona : hoc est, intra se, atque in sapientia sua, æternaliter invariabiliterque cognovit, et tunc per effectum se cognoscere demonstravit, quod lux illa conveniens esset
C ac utilis, et placuit ei ut esset ac permaneret. *Et divisit lucem a tenebris,* id est, distinxit ac discrevit ab alio, ita quod ab invicem distinguuntur natura ac loco, tempore ac subjecto. Lux enim fuit in sole, tenebræ autem in loco, ad quem non pervenit diffusio seu emicatio lucis. Lux quoque est habitus, tenebræ autem privatio. Et quando lux fuit seu dies in uno hemisphærio, fuit caligo seu nox in hemisphærio alio ; imo et in eodem hemisphærio erat jam lux, jam tenebræ, secun-
D dum motum ipsius solis, sicut et modo.

Appellavitque lucem diem : hoc est, lucis illius emicationem super nostrum

Digitized by Google

horizontem, seu spatium aut durationem illuminationis illius, cognovit atque instituit debere diem vocari in omni idiomate hominum per diversa vocabula. Simili sensu appellavit *tenebras,* id est absentiam lucis solaris, *noctem.* Denique, sicut Magister Sententiarum ait libro secundo, dies diversis modis accipitur : Primo, pro luce illa quæ in primo triduo mundi fulsit. Secundo, pro aeris illuminatione. Tertio, pro spatio viginti quatuor horarum, quod vocatur dies naturalis. Quarto, pro tempore motionis solis super nostrum horizontem, quod dicitur dies artificialis, et continet duodecim horas tempore æquinoctiali. Nox quoque diversis modis accipitur : Primo, pro lucis privatione ; secundo, pro parte naturalis diei. Imo, utrumque horum accipitur in Scripturis aliis pluribus modis. Nunc autem quod dictum est, Appellavitque lucem diem, intelligendum est de die artificiali.

Porro quod subditur, *Factumque est vespere et mane dies unus :* intelligendum est de die naturali, qui noctem includit, ut sit sensus : Factum est vespere, id est, spatium diei seu illuminationis illius, pervenit usque ad vesperam seu noctis initium, sole recedente ab hemisphærio nostro, et postea factum est mane, nocte ipsa completa, soleque redeunte ad hemisphærium nostrum. Et mane illud fuit exordium diei sequentis, quia tunc dies incepit a luce. Sicque Moyses exprimendo imprimis finem diei artificialis, videlicet vesperam, deinde finem noctis ejusdem diei, insinuat consummationem naturalis diei unius seu primi. Ista expositio juxta prætactam positionem procedit. Præterea, quam dicunt materiam primo creatam sub sola forma corporeitatis, intelligunt per hanc lucem, quamdam splendidam nubem factam in ea parte ubi sol currit, quam dicunt factam ex informi illa materia, et motam motu circulari, sicut movetur nunc sol : ac motu suo causasse diem ac noctem, non tamen fuisse tam claram et efficacem, sicut nunc sol est. Et

A aliqui dicunt eam factam in oriente, ubi sol factus est. Quidam vero in altiori spatio seu medio, utpote in meridie, unde descendit ; quia secundum Bedam, dies illa a plena luce incepit. Cetera verba litteræ hujus, secundum istam opinionem proportionabiliter intelliguntur, sicut præhabitum est.

De hac luce ac nube ait Magister : Lux illa corpus lucidum fuit, velut lucida nubes, et vicem ac locum solis tenebat. Fuit quoque nox in triduo illo penitus
B tenebrosa, quia nec luna nec stellæ tunc erant. Insuper, quemadmodum Augustinus per cœlum in exordio factum, intelligit naturam angelicam, ut informem, seu ut nondum ad Creatorem per amorem conversam ; ita per lucem, de qua Scriptura nunc agit, intelligit eamdem naturam seu angelos sanctos, ut formatos, atque ad incommutabile lumen conversos, in quibus tunc divisa est lux a tenebris, id est formatio eorum ab informitate prætacta. Nam angeli in se considerati, quantum ad
C naturalia sua, quasi tenebræ sunt respectu perfectionis et lucis, quam habent per dona gratuita, et ex conversione sua ad Creatorem. Verumtamen de expositione Augustini, et qualiter secundum eam salvetur et accipiatur sex seu septem dierum distinctio, infra in speciali articulo plenius ostendetur.

Præterea, circa hanc litteram dubitationes occurrunt : Prima est, an inter creationem et distinctionem fuerit aliqua temporis mora. Secunda est, an ante primam Septem quæstiones.
D diem et noctem fuerit aliquod tempus. Tertia, quare distinctio creaturarum incepit a luce. Quarta, de varia inceptione diei ac noctis. Quinta, an Deus incepit opus suum a tenebris. Sexta, quid factum sit de luce illa secundum eos, qui dicunt eam fuisse candidam nubem. Septima, quæ positio videatur rationabilior de modo, quo lux illa causavit diem noctemque.

Ad primam quæstionum istarum respondet Bonaventura super secundum, distinctione 12 ac 13, dicens : Creatio cœli ac

Digitized by Google

terræ, secundum omnes doctores, fuit ante omnem diem prioritate naturæ ; quantum vero ad ordinem temporis sive durationis, diversimode senserunt diversi. Quidam namque dixerunt, quod non fuerit aliqua mora inter creationem et distinctionis inceptionem ; sed statim quando producta est informis illa materia, lux quoque quæ diem faciebat, producta sit. Aliis videtur, quod intervenerit aliqua mora, quod videtur magis consonum sententiæ expositorum. Quid autem horum sit verius, non est certum. Hæc Bonaventura.

Thomas quoque super secundum ait : Quidam dicunt, quod opus distinctionis statim cum opere creationis incepit, et quod ideo lux statim creata sit cum primo creatis, sicque Deus non incepisset opus suum a tenebris. Et hoc oportet dicere secundum expositionem Augustini, qui etiam vult quod creatio informis materiæ intelligatur ante omnem diem, non tempore, sed natura. Alii dicunt, quod prius tempore fuit opus creationis, et postea per aliquod temporis intervallum formata sit lux. Sicque affirmant opus creationis ante omnem diem fuisse. Et hoc magis consonat textui Genesis secundum planitiem suam. Nam creatione cœli et terræ descripta, mox subdit, tenebras super faciem fuisse abyssi, deinde agit de lucis productione. Hæc Thomas.

Porro Hugo de S. Victore, videtur primæ consentire opinioni, quoniam in libro de Sacramentis fatetur, quod mora interjecta non fuit inter creationem et distinctionis inchoationem, quæ distinctio incepit in lucis formatione. Præterea, qui dicunt lucem illam fuisse nubem, atque in meridie factam, dicere compelluntur, quod inter creationem et distinctionem fuerat mora : sic enim a principio primæ diei usque ad mane diei sequentis, non fuissent viginti quatuor horæ, sed decem et octo tantum. Ideo dicunt, præcessisse sex horas diei illius successione temporis, ex mutatione informis materiæ ; et quum esset tunc tempus æquinoctiale, fuerunt

A deinde sex horæ usque ad occasum seu vesperam.

Ad secundam quæstionem respondet Magister in secundo, quod ante lucis productionem non fuit dies, nec nox, sed tempus : quod verum est, si creatio duratione præcessit distinctionis inceptionem, non autem, secundum aliam opinionem.

Circa hoc quæri potest, an creatio fuit in tempore : hoc est, an cœlum et terra sint creata in tempore. Ad quod respondet Augustinus in libro de Civitate Dei : Mun-
B dus non incepit in tempore, sed simul cum tempore. Unde et Hugo in libro de Sacramentis : Primo momento temporis, in quo creata est omnium visibilium invisibiliumque natura, neque nox fuit, nec dies.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod lux est qualitas corporibus cœlestibus inferioribusque communis ; nam igni et aliquibus mixtis inest. Quum ergo distinctio attendatur secundum qualitates et proprietates accidentales, secundum po-
C sitionem magis acceptam, recte inchoata fuit a luce, quæ est qualitas quædam communis, quemadmodum etiam in naturali generatione a communioribus formis incipitur. Propter quod, juxta Philosophum, Aristoteles. embryo primo vivit vita plantæ, secundo, vita animalis, tertio, vita equi aut hominis. Secundo, quia per lucem omnia manifestantur, secundum Basilium. Tertio, propter expulsionem tenebrarum quæ operiebant abyssum. Quarto, quoniam sine luce nec dies prima, nec aliqua potuit esse.
D Quinto, propter eminentiam lucis. Unde secundo libro loquitur Damascenus : In principio, scilicet prima die, fecit Deus lucem, quæ est pulchritudo et ornatus omnis visibilis creaturæ. Aufer enim lumen, et omnia in tenebris ignota manebunt, quum non possint proprium demonstrare decorem. Sed contra hoc objici posset, quia ex verbis his Damasceni sequi videtur, quod lux pertinet ad ornatum. Dicendum, quod lux secundum virtutem suam communem pertinet ad distinctionem ;

Digitized by Google

sed in quantum quarta die perfecta est, et virtutem sortita ad determinatos variosque effectus, pertinet potius ad ornatum. Opus autem ornatus non dicitur ideo solum, quoniam ornat, sed ob aliam causam, ut dictum est.

Ad quartam respondet dominus Bonaventura super secundum : Quatuor, inquiens, modis consueverunt dies distingui secundum diversorum computationes. Græci enim incipiunt seu computant diem a mane in mane, quia de mane sol prius apparet. Hebræi vero a vespera in vesperam, quia in vespera incipiunt solennitatem. Astronomi autem a meridie in meridiem, quia tunc sol est in majori virtute. Porro, sancta Ecclesia a media nocte in mediam noctem, quia tunc natus est Christus.

Ad quintam dicendum, quod si in eodem instanti fuit creatio et lucis formatio seu distinctionis inceptio, certum est quod opus creationis non cœpit a tenebris. Si autem dicatur fuisse intervallum, non sequitur quod incepit a tenebris, quasi tenebræ sint res aliqua a Deo primum creata, quum non sint nisi privatio lucis. Non est autem incongruum, si incepit a creatura non luminosa. Imo tenebræ quæ fuerunt ante lucis productionem, non fuerunt proprie in genere privationis, quia privatio esse non potuit, antequam natura habitus sui oppositi, scilicet lucis, indita esset corporibus, quemadmodum catulus leonis non dicitur cæcus ante diem nonum. Hinc per tenebras illas designatur imperfectio corporalis naturæ, quam non habet a Deo.

Ad sextam dicendum, quod illorum aliqui dicunt solem esse factum ex luce seu nube illa. Alii dicunt non solem tantum, sed et alia sidera facta ex ea. Quod alii reprobant, eo quod sol et sidera non sint de elementari natura. Alii dicunt eam redactam in præjacentem materiam. Quod rursum reprobatur ab aliis, quia sic Deus destruxisset seu perire permisisset principalia opera sex dierum. Hinc ceteri opinati sunt, lucem vel nubem illam soli esse conjunctam, nec posse videri propter præ-

A dominantiam lucis solaris. Quod item ab aliis reprobatur, quia sic frustra maneret. Probabilius ergo est, ut cum S. Dionysio teneatur, illam fuisse lucem solis juxta sensum præhabitum.

Ad septimam responsio data est, quia rationabilius esse persuasum est, quod dies et nox in triduo illo sint factæ, ex revolutione solis cum luce illa informi. Post illam vero positionem rationabilior esset positio Bedæ et imitantium eum, dicentium quod nubes illa suo circuitu causa-
B vit diem ac noctem. Hoc enim possibilius fuisset secundum naturam, ut ait Bonaventura.

Porro positio Basilii ac Damasceni, qui dicunt diem et noctem tunc esse causatum ex emissione seu effusione lucis et retractione ejusdem secundum Dei imperium, minorem habet probabilitatem. Talis enim efficientia diei et noctis, fuisset supernaturalis et miraculosa. In operibus autem sex dierum quæritur, non quid Deus potuerit, sed quid naturæ et ordini rerum
C convenerit. Denique, si lux illa immediate processit per creationem a Deo, non ab aliquo corpore lucido, ergo periisset quando retrahebatur, et die sequente effusa fuisset lux alia, nisi forte dicatur quod Deus per omnipotentiam suam conservasset eam in esse. Rursus, ubi permansit quando retrahebatur, et an fuit in aliquo subjecto? Et apparet quod non, quia tunc dies fuisset aut claritas in illo subjecto. Si autem dicatur quod Deus conservavit eam sine subjecto, sicut fit in Sacramen-
D to altaris de accidentalibus formis, hoc totum fuisset super naturam, nec rerum ordini convenisset. Hinc Rabbi Paulus, dicens quod in hac re opinio S. Basilii magis concordet rationi ac litteræ, probatur errare, et argumenta ejus vigorem non habent : quod, brevitati studens, declarare omitto, quia a quolibet mediocriter erudito potest faciliter considerari.

Insuper ex præinductis patescit, cur secundum Magistrum et Bedam ac alios, prima dies dicatur non habuisse mane, quo-

Digitized by Google

niam mane est finis præcedentis noctis, A et principium diei sequentis ; jam autem ostensum est, quod ante creationem lucis non fuit nox. Consimiliter soliditate veritatis carere ostenditur, quod quidam ait, nubem illam fuisse alterius speciei a nubibus aliis ; quoniam nubes illa fuit naturæ cœlestis, aliæ autem nubes sunt naturæ elementaris. Illa etenim nubes, secundum ponentes eam, facta fuit de materia præjacenti, utique non cœlesti, sed de materia prima informi, quæ informata fuit (secundum eos) sola forma corporeitatis : de qua B materia constat quod non fuit de natura cœlesti magis quam elementari. Denique S. Thomas probat, solem non esse factum de nube illa per hoc, quod sol non est factus de natura elementari. Quo patet, quod juxta Thomam, nubes illa fuit elementaris naturæ, secundum eos qui ponunt eam. Quamvis quis neget Thomam in hoc, tamen (ut tactum est) nubes illa non potius exstitisset naturæ cœlestis, quam elementaris : imo quum unum corpus cœleste non sit transmutabile in aliud corpus cœleste, si C nubes illa fuisset naturæ cœlestis, dici non posset quod sol factus esset de ea : quod tamen Bonaventura et alii plures dicunt.

Postremo adjiciendum, quod in Scholastica historia compendiose ac notabiliter dicitur, Dixit autem Deus : Fiat lux, et facta est lux, id est, æternum Verbum genuit, in quo erat ut fieret lux : hoc est, tam facile fecit lucem, ut quis potest dicere verbo. Per Fiat, intelligitur essentia lucis in Deo, id est, in præscientia Dei antequam fieret ; per Facta est, essentia lucis in actu. Et vidit Deus lucem quod esset bona : hoc est, quæ placuit in præscientia et præordinatione Dei, ut fieret ; placuit in essentia jam producta, ut maneret. Vel tropice vidit, id est, videri fecit ab angelis. Et divisit lucem a tenebris. Intelligitur hic angelorum facta divisio : stantes enim, lux ; cadentes vero, tenebræ dicti sunt. Dicitur quoque in Historia ista : Primo cum cœlo et terra est lux creata, quod favet opinioni eorum, qui dicunt inter creationem et distinctionis initium, non fuisse aliquod temporis intervallum. Præinducta quoque verba sententiosa, ex Augustino super Genesim sumpta sunt. Consentit etiam auctor hujus Historiæ expositioni Bedæ, dicendo : Lucem Scriptura vocat quamdam nubem lucidam, illuminantem superiores mundi partes tenui claritate, quæ instar solis circumagitata, id est circumvoluta, per suam præsentiam superius atque inferius hemisphærium vicissim illuminabat.

ARTICULUS X

EXPOSITIO LITTERÆ, IN QUA DESCRIBITUR OPUS SECUNDÆ DIEI.

DESCRIPTA distinctione lucis a tenebris, modo describitur distinctio cœlestium corporum ab invicem. *Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis.* Qualiter intelligenda sint verba hæc, Dixit Deus, Fiat, expositum est præcedenti articulo. Quid vero intelligendum sit nomine firmamenti, constat ex eo quod paulo post D stellæ dicuntur positæ in firmamento. Itaque Deo dicente seu præcipiente, factum est firmamentum, id est cœlum stellatum, quod est sphæra octava, quia sub ea sunt septem sphæræ seu orbes ac cœli planetarum. Et factum est firmamentum hoc in medio aquarum ad dividendum aquas ab aquis. Et sumitur nunc firmamentum, prout includit septem sphæras præfatas.

Digitized by Google

Et fecit Deus firmamentum. Jam ante ostensum est, expositionem illorum esse rationabiliorem, et textui atque antiquis ac sanctis doctoribus consonantiorem, qui dicunt in principio corpora cœlestia ac elementa simul producta sub distinctis et propriis substantialibus formis. Ideo, firmamentum et orbes planetarum in principio sunt creata, quantum ad totam suam substantiam; verumtamen non in tanta perfectione, quantum ad accidentales proprietates, virtutes et qualitates, ut postea. Unde, quod firmamentum dicitur factum die secundo, intelligendum est non de productione suæ substantiæ, sed de quadam sui completione, qua factum est magis completum et vigorosum in qualitate et proprietate suæ substantiæ, et in virtute causali, ad influendum elementis ac mixtis ad quosdam generales effectus, ut præinducto dixi articulo. Quemadmodum enim in Scripturis novi ac veteris Te-
Agg. II, 7, 22. stamenti cœli dicuntur perituri et cor-
Matth. rumpendi, non utique quantum ad suam
XXIV, 29, 35. substantiam, substantialeque esse, sed quantum ad accidentales quasdam dispositiones, qualitates et actiones, ita firmamentum et stellæ ac luminaria facta dicuntur post primum diem. Denique in Scripturis consuetus est iste loquendi modus, ut dicatur res fieri, quando accidentale aliquid agitur circa ipsam sive in ea :
I Mach. I, 16. sicut quum filii Israel leguntur sibi fecisse præputia, in quantum non præsciderunt sua præputia juxta legem. In ultima quoque Ezechielis visione multoties dicitur :
Ezech. XLVI, 15. Facietis vitulos sive agnos, hoc est, illa aut illa die offeretis tot agnos ac vitulos. Sic et Jacobus apostolus in sua ait Canonica :
Jac. IV, 13. Ecce dicitis, faciemus ibi annum, etc. id est, per annum unum manebimus illo in loco, qui ignoratis quid erit in crastinum.

Fecit itaque Deus firmamentum, perficiendo illud in soliditate et causalitate, qua influit ad inferiorum conservationem ac regimen; quia (ut ait Philosophus) oportet hunc mundum inferiorem, esse contiguum lationibus seu motibus et influxionibus superiorum, videlicet cœlestium corporum, ut tota ejus virtus inde gubernetur.

Divisitque aquas quæ erant super firmamentum, ab his quæ erant sub firmamento. Quæ et quales sint aquæ super cœlum exsistentes, magna atque difficilis quæstio est, de qua infra plenius tangam. Nunc breviter dico, quod quidam per aquas illas intelligunt nonam sphæram, quæ cœlum crystallinum ac aqueum appellatur : non quod vere et univoce sit de natura aquæ elementaris, sed quia cum ea in diaphaneitate communicet : sicut et cœlum empyreum dicitur igneum, non quod in calore, sed quia in splendore cum visibili convenit igni. Alii dicunt firmamentum esse veraciter naturæ elementaris, et similiter aquas quæ super firmamentum esse scribuntur, de quibus opinionibus paulo post diffusius referetur. Porro, quod aquæ dicuntur fuisse sub firmamento, non est intelligendum quod erant immediate sub cœlo stellato, sed manebant sub orbe lunari, secundum positionem superius amplius approbatam. Aqua autem et aer et ignis erant confuse permixta usque ad infimam sphæram cœlestem, secundum sic sentientes. *Et factum est ita* actualiter et in re, sicut dixit, id est, intelligendo ac volendo præcepit Deus.

Vocavitque Deus firmamentum cœlum. Sphæra octava dicitur firmamentum, quia firmissimum medium est inter aquas præfatas. In sua quoque natura est firmum ac solidum, juxta illud Job : Tu forsitan cum Job XXXVII, 18.
Deo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Est item impertransibilis terminus prædictarum aquarum inter quas dividit. Vocatur etiam cœlum, quoniam celat et tegit sensibilia ista, atque a nostro abscondit adspectu exsistentia per ipsum. *Et factum est vespere et mane dies secundus.* Hoc exponendum est, sicut præcedenti articulo est expositum.

Præterea juxta eos qui dicunt, materiam primo creatam sub sola corporeitatis forma, et de materia illa esse producta

elementa atque cœlestia corpora, sic expo- A nenda est littera ista : Dixit Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, id est, cœlum sidereum producatur de materia illa informi et communi, et subsistat in medio illius materiæ : quæ interdum designatur nomine aquæ, quandoque nomine terræ, aliquando appellatione abyssi, ut dictum est plenius. Sicque dividat aquas ab aquis, id est unam illius materiæ partem ab alia. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant super firmamentum : hoc est, præfatam partem illius B materiæ, exsistentem in loco eminentiori firmamento, divisit ab his quæ erant sub firmamento. Nunc enim per firmamentum designantur etiam orbes septem planetarum, qui facti sunt cum firmamento die secundo : quo etiam die (secundum istam opinionem) factum est cœlum crystallinum de suprema parte ejusdem materiæ, quæ in superioribus partibus suis subtilior fuit. De parte vero materiæ quæ mansit sub orbe lunæ, facta sunt elementa secundum istos non hoc die, sed postea. Sicque hæc C dicta sunt fieri, quoniam proprias formas substantiales specificas acceperunt a Deo hoc die aut postmodum.

Præterea, quod primo dicitur, Fiat firmamentum ; deinde, Fecit Deus firmamentum ; et tertio, Factum est firmamentum : nequaquam superflue positum est. Insuper patet, quod dies ista secunda habuit non vesperam tantum, sed etiam mane, quoniam nox diei alterius eam præcessit ; et idem dicendum est de diebus sequentibus. D

Circa hanc litteram quæritur primo, an corpora cœlestia sint naturæ elementaris. Et videtur quod imo, ex textu præsenti, quum firmamentum sit factum in medio aquarum. Unde videtur sola divisione ab eis differre, et iterum quoniam supra ipsum sunt aquæ. Hanc quæstionem doctores super secundum Sententiarum satis discutiunt, et communiter Aristotelem assequuntur, dicentes quod sint alterius naturæ quam elementa.

Denique specialis est quæstio, an saltem cœlum crystallinum seu aqueum, designatum per aquas quæ supra firmamentum consistunt, sit vere de natura et specie aquæ. Et videtur quod imo, quia scriptura ista apertissime dicit quod supra firmamentum sint aquæ, et sub eodem contextu utitur nomine aquæ, ita quod videtur de aqua univoce loqui. Hoc quoque videntur prætendere manifeste alia loca Scripturæ veteris Testamenti, ut quum dicitur in Psalmo : Qui extendis cœlum *Ps. CIII, 2, 3.* [illegible] pellem, et tegis aquis superiora ejus. Itemque : Laudate eum cœli cœlorum, et *Ps. CXLVIII, 4.* aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Et rursus in trium cantico Puerorum : Benedicite aquæ omnes quæ *Dan. III, 60.* super cœlos sunt, Domino. Quum igitur magis debeamus sequi auctoritatem Scripturæ divinæ, quam dictamen rationis humanæ : videtur absolute dicendum, quod super cœlos sunt vere ac proprie aquæ, et quod cœlum crystallinum sit de natura aquæ ; firmamentum quoque sit elementaris naturæ, videlicet igneæ, ut aliqui dicunt : vel partim igneæ, quantum ad stellas ; partimque aqueæ, utpote quantum ad reliquas ejus partes.

Denique antiqui et sancti doctores, Augustinus, Basilius, Gregorius, Ambrosius, ita senserunt ; quos Beda, Strabus, Damascenus, Magister Sententiarum, auctor Scholasticæ historiæ, Glossa, et alii multi secuti sunt.

Circa hujus quæstionis decisionem scribit Bonaventura super secundum : In hac quæstione, propter diversitatem positionum et debilitatem rationum, vix certum aliquid dici potest. Deinde post multa verba declinat ad hoc, quod per aquas quæ super cœlos sunt, intelligatur nona sphæra, quæ dicitur cœlum crystallinum, non propter veritatem naturæ aquæ, sed propter similitudinem in diaphaneitate, qua aqua non solum est luminis receptiva, sed etiam aliqualiter retentiva, ut patet in quibusdam lapidibus, qui non videntur de nocte nisi ponantur in aqua. Deinde, quasi

Digitized by Google

concordando theologos atque philosophos, dicit quod Augustinus et alii Sancti dixerunt firmamentum esse de natura ignis, non quod habeat formam substantialem et speciem specialissimam ignis, sed quia participat lucis naturam secundum analogiam. Et quamvis istud sit bene dictum, quantum ad hoc quod videtur verba sanctorum theologorum pie salvare, et quantum ad homines concordare; verumtamen si quis plenius curiosiusque voluerit informari, inveniet quod secundum intentionem et mentem Patrum jam præfatorum cœlum crystallinum sit vere de natura aquæ atque formaliter frigidum, præsertim quum ponant aquas super firmamentum, ad temperandum solis et aliorum cœlestium corporum calorem. Unde Saturnum affirmant ceteris planetis frigidiorem, quamvis eis velocius moveatur, utpote altius situs propter propinquitatem suam ad aquas illas.

Hinc Thomas scribit super secundum : Circa hanc quæstionem fuit philosophorum diversa positio. Omnes enim ante Aristotelem dixerunt cœlum esse de natura elementorum : quod Aristoteles primitus improbavit, ponens cœlum esse sine gravitate et levitate aliisque contrariis, ut patet primo Cœli et mundi. Et propter efficaciam rationum ejus, posteriores philosophi, scilicet Peripatetici, consenserunt ei : unde nunc omnes opinionem ejus sequuntur. Similiter expositores Scripturæ in hac diversitate fuerunt, secundum quod diversorum philosophorum doctrinis erant instructi. Basilius enim, Augustinus, ac plures Sanctorum, sequuntur in his quæ philosophiam concernunt, nec spectant ad fidem, opiniones Platonis : ideo ponunt cœlum esse naturæ elementaris. Dionysius autem fere ubique in talibus Aristotelem sequitur, ut patet diligenter inspicienti libros ipsius. In talibus ergo dicta Sanctorum non sunt majoris auctoritatis, quam philosophi quos sequuntur, nisi quod sunt ab omni infidelitatis suspicione immunia. Hæc Thomas. Dicta autem Alberti libro

A de Coæquævis, concordant dictis Bonaventuræ.

Denique Beda ait : Cœlum sidereum constat esse in medio aquarum, quod de aquis factum credi potest. Nam lapis crystallinus, qui est magnæ firmitatis et perspicuitatis, de aquis est factus. Et secundum eumdem Bedam, aquæ sunt super cœlum instar glaciei firmæ ac solidæ. Hæc et plura similia habentur in Glossa, et allegantur a Magistro in secundo Sententiarum. In Scholastica item historia dicitur :
B Fecit Deus in aquarum medio firmamentum, id est quamdam exteriorem mundi superficiem, solidam ex aquis congelatis instar crystalli et lucidam, super quam sunt aquæ ad modum crystalli congelatæ, ne igne solvantur. Quibus consonare videtur quod Josephus ait : Secunda die Deus cœlum super omnia collocavit, illudque ab aliis distinguens, in se ipso constitutum esse præcepit, et ei crystallum circumfigens humidum et pluviale, ad utilitatem quæ fit ex imbribus terræ, congrue fabri-
C catus est. Ecce quomodo eruditissimi ac ingeniosissimi viri, propter auctoritatem Scripturæ, postposita philosophorum peripateticorum doctrina, sentiunt cœlos, id est sidera, esse elementaris naturæ.

Porro, quam acriter scribat Ambrosius in suo Hexaemeron contra aliter opinantes, patet in libro illo. Arbitror ergo in hac materia sobrie esse loquendum. Rationes quoque Aristotelis, quibus probat cœlum esse alterius naturæ, non sunt demonstrativæ, sed solum probabiles. Nem-
D pe, quod arguit de specialitate motus cœlestium corporum, quod non moventur ad medium, nec a medio, sed circa medium, quid demonstrat, quum et ignis in propria sphæra circa medium seu circulariter moveatur? Et si dicatur hoc esse per accidens, utpote virtute sphæræ superioris ipsum continentis, non tamen motus ille est igni violentus aut penitus innaturalis. Denique in generationibus mixtorum, elementa levia, scilicet ignis et aer, naturaliter moventur deorsum : qui motus est

eis naturalis per respectum ad naturam A universalem. Sic dici posset de motu cœlestium corporum, quæ etsi essent elementaris naturæ, non tamen sequeretur ea corruptibilia esse, quum nec ipsa elementa sint corruptibilia secundum se tota, et aliæ rationes incorruptibilitatis possent assignari in eis.

Hinc Thomas super secundum, positionem Aristotelis vocat opinionem, atque in prima parte, quæstione 68, multum sobrie loquitur de ista materia, dicens : Si dicamus firmamentum esse cœlum side- B reum, tunc aquæ quæ sunt supra firmamentum, possunt dici illius naturæ cujus est hoc cœlum. Unde qui dicunt cœlum esse de natura elementorum, dicere possunt aquas illas esse elementares. Qui autem asserunt cœlum esse specialis naturæ, dicunt has aquas non elementaris, sed cœlestis naturæ esse; et qui ponunt aquas elementares supra cœlum, dicere possunt quod non sint graves, sed subtiles ; nec fluidæ, sed tanquam glacies firmæ ac duræ. Unde a quibusdam cœlum crystallinum C vocantur. Hæc Thomas.

Amplius, sicut Bonaventura tangit super secundum, Hi dicunt quod Deus in ordine universi magis attendit commune bonum et finis utilitatem, quam formæ qualitatem aut bonum specialis naturæ. Ideo sicut in minori mundo Deus posuit cerebrum sursum ad temperandum cordis calorem, sic supra cœlum sidereum posuit aqueum cœlum ad ardorem ætheris refrigerandum. Atque per istud solvunt argumenta quæ contra hæc fieri solent. Ego in ista mate- D ria assertive nil dico. Neque intentio mea est, in hoc loco horum discussioni plene insistere. Sed propter sanctorum Patrum reverentiam tetigi ista. Hinc in discussione hujus materiæ ait Bonaventura : Hoc præcipue attendendum est, ne in incerta materia aliquid certitudinaliter asseratur. Melius enim est pie dubitare, quam temerarie aliquid definire.

Insuper quæritur, cur in descriptione operis secundæ diei non dicitur, Vidit Deus quod esset bonum, quemadmodum in descriptionibus operum aliorum dierum. Ad quod eleganter respondetur in Glossa his verbis : Notandum quod opera secundæ diei, secundum Hebræos, non dicuntur bona, quum bona sint sicut et cetera : quod fit propter binarium principem alteritatis, qui primus ab unitate discedit, et in figura bigamiæ ac multorum reprehensibilium ponitur. Unde animalia quæ *Gen. vii. 2.* bina introierunt in arcam, immunda fuerunt. Impar autem numerus mundus est. Hinc Magister in secundo testatur : Non est hic dictum, Vidit Deus quod esset bonum, eo quod binarius esset principium alteritatis et signum divisionis.

Verumtamen quidam dicit, quod responsio ista videtur trufatica[1] esse, quia in Evangelio binarius laudabilis ac mysticus designatur. Unde Christus misit discipulos *Luc. x, 1.* suos binos ad prædicandum. Ad quod breviter respondendum, quod tam indecens reprobatio potius posset dici talis, qualem ipse reputat præfatam responsionem, quæ etiam ex verbis Augustini sumpta videtur, quam et doctores super secundum concorditer approbant, utpote Thomas, Albertus, ac alii. Unde et Bonaventura scribit ibidem : Quamvis binarius minus ab unitate recedit, primo tamen habet rationem recessus in se. Idcirco per ipsum intelligitur divisio et recessus ab unitate virtutis et perfectionis, magis quam per alios numeros. Argumentum quoque illius non valet. Quamvis enim binarius quandoque accipiatur in bono, quia in omni creato invenitur aliquid perfectionis, nihilo minus secundum considerationem prætactam in malo accipitur : quemadmodum per leo- *Apoc. v, 5.* nem quandoque intelligitur Christus, quan- *I Petr. v, 8.* doque diabolus.

Nihilo minus est etiam alia ratio, cur in descriptione operis secundæ diei omittatur illud, Vidit Deus quod esset bonum :

[1] Falsa. Cf. Cangii *Glossar.* V° Trufa.

Digitized by Google

quia videlicet distinctio aquarum ab aquis secundo die incepta, tertio die completa est, quantum ad aquas elementares, quando in unum congregatæ sunt locum. Nec ad introducendum hanc rationem magis litteralem, oportuit allegare infidelem infidelium Judæorum doctorem Rabbi Salomonem, quàsi ille melius dixerit quam tot doctores catholici : quia et ipsi doctores catholici jam præfati, eamdem rationem assignant, quam et Magister in historiis tangit. Petrus Comestor.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO TEXTUS, DESCRIBENTIS OPUS TERTIÆ DIEI.

TERTIO die distincta atque ab invicem divisa sunt elementa, quæ tamen in principio fuerunt in propriis formis substantialibus distincte producta, ac specifica ratione divisa, sed localiter erant confuse permixta, et hoc tertio die ab invicem divisa sunt loco, et quasdam accidentales proprietates, qualitates, et virtutes activas acceperunt communes ad generales quosdam effectus, ut supra ex doctoribus est ostensum. Itaque ait : *Dixit vero Deus.* Frequenter in isto capitulo legitur Deus dixisse, et quasi per intervalla dierum locutus et operatus esse describitur, quum tamen in ipso invariabili ac simplicissimo Deo nulla sit diversitas, nulla mutatio, nullaque novitas ; sed quidquid produxit in tempore, et per temporum vices, hoc ab æterno tunc et taliter facere incommutabiliter ordinavit. Ipse enim omnium rerum ideas continet in se. Porro in idea duo notantur, videlicet cognitio rei, et determinatio quando ac qualiter fiet. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida.* Notanter ait, Aquæ quæ sub cœlo sunt, ad differentiam aquarum exsistentium super cœlos, hoc est, Ego creator omnipotens definio, volo ac jubeo, ut aquæ elementares, quæ sua raritate et extensione ac abundantia occupant spatium aeris, descendant et confluant in unum locum communem, qui est locus Oceani, et ambit terram. Et appareat arida, id est terra, quæ ex sua natura est sicca. *Et factum est ita.* Deo namque jubente, mox cœpit aqua celerrimo motu descendere, congregari, atque ad locum sibi connaturalem concurrere.

Et vocavit Deus aridam terram, id est, in sua præscientia instituit aridam sic debere vocari, et proprietatem indidit ei, a qua merito terra vocatur. Ideo enim voluit terram discooperiri ab aquis, et apparere, ut fieret apta habitationi hominum ac brutorum, sicque eorum pedibus tereretur. Unde dicitur terra, quasi pedibus trita. *Congregationesque aquarum appellavit maria.* Si aqua congregata est in uno loco, cur non ait singulariter, Congregationem aquarum appellavit mare? Respondetur, quod quamvis aqua pro maxima sui parte in loco Oceani sit collecta, attamen in diversis terræ partibus manserunt partes aquæ, quæ fuerunt particulares congregationes aquarum, et continuationem aliquam habuerunt ad Oceanum seu ipsum aquæ elementum. Talia quoque loca aquarum, vocantur lacus et sinus ac receptacula. Et partim fuerunt et sunt sub terra, partim quoque supra terram secundum necessitatem, utilitatem, et exigentiam vitæ hominum ac brutorum, prout infinita atque omnipotens sapientia Creatoris, hoc præcognovit ac ordinavit : nihilo minus aquæ dicuntur veraciter congregatæ ad locum unum, quoniam pro ma-

Digitized by Google

jori parte ad unum collectæ sunt locum, et omnes naturaliter inclinantur ad locum unum. Et sicut egrediuntur ab illo propter commune bonum præfatum, sic naturaliter regrediuntur ad ipsum, juxta illud Ecclesiastici : Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Et iterum Salomon ait : Omnia flumina in mare intrant, et ipsum non redundat. Has itaque aquarum congregationes Deus maria appellavit, juxta proprietatem linguæ Hebrææ, qua omnis congregatio magna aquarum, mare vocatur, sicut in Evangelio legitur mare Tiberiadis, et mare Galilææ.

Eccli. I, 7.

Joann. VI, 1.

Præterea, unum est mare principale, totale, et maximum, quod est quasi cingulum terræ, quod vocatur oceanum et abyssus. Sunt quoque multa minora et particularia maria, quæ sunt Oceani brachia. Magnum vero et totale mare, est ipsum aquæ elementum. Hinc loquitur Beda : Quum multa sunt maria, attamen dicit aquas congregatas in unum locum, quoniam magno mari omnia illa junguntur. Et si aliqui lacus in se ipsis stricti videntur, occultis tamen meatibus revolvuntur in mare. Fossores quoque puteorum hoc probant, quoniam tota tellus per invisibiles venas aquis repleta est, quibus omnibus ex mari origo est. Sed posset quis dicere : Quum aqua sit multo major quam terra, imo (ut aliqui dicunt) sicut est decies rarior ac subtilior terra, ita est decies major et diffusior ea, quomodo ergo potuit congregari et collocari in uno terræ loco? Rursus, quum aqua sit multo levior terra, quomodo fuit ei naturale, a superficie terræ quam operuerat, discedere, atque in concavitatibus recipi terræ?

Ad intelligendum horum solutionem, commemoranda sunt verba Bedæ, quæ Magister secundo libro allegat, et habentur in Glossa. Itaque Beda super Genesim loquitur : Congregatæ sunt aquæ cœlo inferiores in unam matricem, ut lux quæ præterito biduo illustraverat aquas in aere puro, clarior fulgeat, et appareat terra quæ cooperta aquis latebat, et quæ aquis limosa erat, fieret arida atque graminibus apta. Si autem quæratur, ubi congregatæ sunt aquæ, quæ totum texerant spatium usque ad cœlum, hoc est usque ad orbem lunæ, potuit fieri ut terra subsidens, concavas partes præberet, in quibus fluctuantes aquas reciperet. Potest etiam credi, primas illas aquas rariores fuisse, quæ sicut nebula tegerent terras, sed congregatas et spissatas, et ideo facile in unum potuisse redigi locum. His concordat quod in Scholastica dicitur historia. Hinc alii dicunt, divina virtute concavitates factas esse in terra, in quibus aqua reciperetur. Et quia tunc debitam densitatem accepit, locum occupavit minorem. Unde et Damascenus ait libro secundo : Deo jubente, aquarum receptacula facta sunt, et tunc montes exstiterunt. Alii quoque dicunt, aquas in Oceano ac aliis locis, hinc inde in magnam altitudinem elevari ac crescere : quod verum esse probatur in sphæra mundi, quoniam aqua tendit ex sua natura ad sphæricam rotunditatem, sicut in gutta aquæ potest perpendi. Unde Basilius ait : Experimento compertum est aquas maris Rubri esse altiores quam terram. Et Thomas in prima parte : Potuit, inquit, aqua in altiorem elevationem uniri. Denique aquis sic congregatis, ignis et aer in suis locis steterunt, et ab aliis sunt divisi.

Verumtamen præinductis contradicit Rabbi Paulus, et quia in multis sermonibus invenitur stultitia, ipse circa hæc multa scribendo, videtur crebrius insipienter locutus. Primo itaque dicit, quod quum aqua sit multo rarior et major terra, non potuit terra habere capacitatem recipiendi in concavitatibus suis totam quantitatem aquæ, quanta erat super terram habitabilem, quæ est fere quarta pars orbis totius terræ secundum astronomos. Istud argumentum videtur ad oppositum militare. Quum enim aqua illa fuerit valde rara, potuit multum inspissari, et in minori loco uniri.

Insuper arguit contra hanc aquæ condensationem, quia videmus quod aquæ in

concavitatibus receptæ, non sunt densiores A quam aliæ. Ad quod dicendum, quod imo aquæ marinæ et puteales sunt grossiores aquis vaporabiliter elevatis in aere. Et quamvis non sint multum spissiores aliis aquis nunc exsistentibus, sunt tamen multum densiores aquis illis primariis. Præterea contra elevationem aquæ in mari dicit, quod cum tota aqua sit fluida, non potest habere partes aliquas aliis altiores et montuosas, sicut in terra propter suam soliditatem hoc accidit. Ad quod dico, quod quamvis in aquis una et eadem pars non B maneat fixe sic altior, sed nunc defluat, nunc ascendat, semper tamen aliquæ partes sic intumescunt in maribus : quod ple-
Ps. CIII, 6. nius probavi super illud in Psalmo, Super montes stabunt aquæ. Sed et Paulus iste postea istud concedit, quod scilicet in aliquibus locis aquæ maris sint altiores altissimis montibus terræ, et ita verba sua non videntur ad invicem concordare. Alia multa scribit quæ astronomiam concernunt, nec certitudinem habent, nec paucis queunt sermonibus expediri ; idcirco dimitto. C

Et vidit Deus quod esset bonum, id est, distinctio et ordinatio ista elementorum placuit sibi, quia perutilis exstitit et decora, imo et necessaria vitæ hominum ac brutorum ; sicque quod ante placuit Deo in sua præscientia, nunc placuit in effectu. Circa hoc verbum allegat Thomas super secundum Rabbi Moysen, dicentem : In secundo die medium elementum, scilicet aqua, a supremo distinguebatur, et ita non erat perfecta distinctio medii elementi, nisi etiam ab infimo distingueretur : D quod factum est tertio die. Sicque opus secundæ diei tertio die completum est, propter quod benedictio tertiæ diei, videlicet istud, Vidit Deus quod esset bonum, ad utrumque refertur. Et hoc est melius dictum, quam quod quidam hic scribit, dicens quod hoc dicitur pro opere secundæ diei, imo dicitur pro opere isto utriusque diei.

Et ait : Germinet, id est producat, *terra herbam virentem.* Ponitur hic singulare pro plurali, ut sit sensus : producat terra herbas recentes et omnes hujuscemodi fructus instar herbarum ex terra nascentes. *Et facientem semen,* hoc est, habentem in se rationem seminalem seu vim causalem ad producendum simile sibi in specie. *Et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum,* id est universas arbores fructuosas cum fructibus suis, qui fructus sunt juxta genus arborum, ex quibus nascuntur, id est, secundum quod convenit naturæ ac speciei arborum singularum. Itaque per lignum pomiferum, designatur omne lignum faciens fructum, quia per pomum intelligi solet in Scripturis quicumque arborum fructus. Unde in Evangelio, quo legitur quod Je- *Marc.* XI, 13.
sus quæsivit fructum in ficu, habetur quod non erat tempus † pomi illius. *Cujus semen in semetipso sit super terram.* Quid intelligatur per semen, jam dictum est. In pomis enim et aliis fructibus sunt grana ut semina, estque in eis virtus propagandi consimilia sibi in specie, sicut videmus ad oculum, qualiter ex modico grano aut simili quodam grandis nascitur arbor. Nec solum tunc productæ sunt herbæ evidenter utiles ac arbores fructuosæ, sed etiam spinæ ac tribuli, infructuosaque ligna, secundum quod pertinent ad ordinem universi. Non tamen producebantur homini ad pœnam ante ipsius transgressionem.

Denique sicut præhabitum est, duplex informitas fuit primo in terra : Una, quoniam fuit aquis operta, et hæc ei ablata est per congregationem aquarum in unum locum. Alia, quia fuit infructuosa, et hæc ei ablata est per germinationem præfatam. Si autem objiciatur quod germinatio ista magis pertineat ad terræ ornatum, quam ad ejus distinctionem : dicendum quod ornatus elementorum attenditur penes quædam extrinseca, non penes ea quæ radicitus inseparabiliterque adhærent, sicut in homine vestimenta, monilia, gemmæ, et consimilia, proprie pertinent ad ejus ornatum ; sicque animalia spectant ad terræ ornatum, non proprie herbæ ac arbores. *Et*

Digitized by Google

factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, id est juxta speciem suam, *lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam,* ita quod quodlibet lignum seu quælibet arbor habuit in se semen secundum naturam suam specificam. Sensus verborum istorum elucescit ex introductis.

Præterea, quod dictum est, Germinet terra herbam virentem, etc., quidam ita exponunt, quod tunc data est terræ virtus productiva ad germinandum ex se herbas ac arbores. Alii vero intelligunt, quod Deus præcepit tunc eas nasci ex terra. Sed dicendum, quod intelligendum sit utroque modo, ut patet ex textu. Nempe quum dictum est, Germinet terra herbam virentem, paulo post subditur, Et factum est ita; deinde apertius additur, Et protulit terra herbam virentem. Propter quod ait S. Ambrosius, quod herba est antiquior sole. Utroque etiam modo plantarum productio ad distinctionis pertinet opus, quoniam ad plantarum pullulationem seu productionem sufficit virtus influentialis cœlestium corporum loco patris, et virtus terræ loco matris, ut ait Philosophus. Sicque principia activa communia ad opus distinctionis spectantia, sufficiunt ad generationem plantarum, non autem ad productionem animalium perfectorum, ad quæ requiritur virtus formativa exsistens in semine particularis agentis. Idcirco ipsorum productio pertinet ad ornatum, et facta sunt sexta die, ut infra habetur.

Amplius, quia in textu habetur, Producat terra herbam virentem, Ambrosius, Glossa, ac alii multi dixerunt mundum factum in vere, quia tunc apparent herbæ virentes. Et idem dicit Damascenus libro secundo. Sed quia subjungitur, Et faciens fructum, alii dicunt mundum conditum in autumno, quando maturi sunt fructus. Hinc refert Lyra, quod quidam Hebræorum doctores dicunt mundum factum in Martio, quia tunc terra incipit herbas producere.

A Unde in Exodo, Martius, primus mensium appellatur. Alii Hebræorum doctores affirmant mundum in Septembri creatum, quia tunc fructus maturi sunt, habentque semina in se ipsis. Et hæc opinio a Judæis (ut ait) tenetur communius tanquam rationabilior, quoniam Dei perfecta sunt opera. Quemadmodum enim homo factus est in statu perfecto quo potuit generare, sic videtur quod terræ nascentia matura producta sunt, utpote habentia semina in se ipsis. Constat quoque ex dictis, quod B dictum eorum qui dicunt, unumquodque opus sex dierum factum in momento aut instanti, salvari non valeat: quia aquarum congregatio exstitit successiva, herbæ autem et arbores de terra productæ sunt absque concursu influentiæ cœlestium corporum, imo et absque præviis specierum suarum seminibus. Hinc fertur in Glossa: Omnia creata sunt perfecta, et homo perfectus ætate; arbores quoque cum fructu et foliis, et ligna pomis onusta. Nec primæ herbæ ac arbores prodierunt de semi- C ne, sed de terra, quæ ad unam Conditoris jussionem apparuit herbis compta, nemoribusque vestita, quæ deinde produxerunt ex se fructus et semina specierum suarum.

Exod. XII, 2.

Deut. XXXII, 4.

Quæri posset, an inter terræ discooperationem et germinationem præfatam intervenerit aliqua mora, an etiam herbæ ac arbores cum fructibus suis maturis in instanti productæ sint. Deinde tangenda est breviter expositio litteræ hujus, secundum opinionem dicentium materiam primo creatam sub forma corporeitatis dumtaxat, D quorum opinioni non videtur hæc littera consonare, quemadmodum jam patebit, Dixit vero Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Ex tenore verborum istorum patet quod littera hæc loquitur de aqua et terra, tanquam de rebus jam exsistentibus. Et ita expositores præfati et Glossa exponunt hunc passum, ut patuit. Hi autem dicunt, quod hoc tertio die elementa in substantialibus suis formis producta sunt, ex ea parte illius primæ materiæ, quæ

Digitized by Google

adhuc mansit informis, atque sub forma communi, cœlestibus orbibus ex ea formatis die secundo, juxta opinionem eorum, ut præcedenti articulo dictum est. Sicque per hoc quod dicit, Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida, designetur elementorum istorum productio substantialis, et cum hoc naturalis inclinatio eis impressa ad propria loca : quod non videtur sonare, nec textui concordare. Congregari namque et apparere non competunt nisi enti in actu. Rursum, congregari et apparere, præsupponunt esse, quemadmodum actus secundus actum primum. Et
Rom. iv, 17. quamvis Deus vocet ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, sic tamen non præcipit aliquid agere aut pati, nisi his quæ sunt. Reliqua verba litteræ hujus propter hanc opinionem, non exigunt aliam expositionem.

Et vidit Deus quod esset bonum, hoc est, quod præscripta germinatio utilis esset ad multa, et pertinens ad universi decentiam. *Et factum est vespere et mane dies tertius:* quorum verborum expositio habita est articulo nono ac decimo. Et ait quidam hoc loco, quod verba ista nunc repetuntur pro approbatione operis hujus tertiæ diei. Sed quia hæc verba semel relata sunt ad congregationem aquæ hoc tertio die factam, ideo verius nunc referuntur ad residuum opus diei istius, videlicet ad germinationem præfatam.

Postremo, quantum capere queo, de congregatione aquarum in unum locum, non est tanta difficultas, ut quidam prætendunt. Locus quippe in quo congregatæ sunt aquæ, est concavitas terræ, ambiens totam habitabilem terram : in qua concavitate aqua dicitur congregata, non quod utramque extremitatem aquæ circumclu-

A dat in se illa concavitas, imo aqua immensurabiliter eam excedit, et ultra eam latissime prorsus diffunditur, non tamen in infinitum, sed in extremitate sua sic diffusa, est contigua aeri elementari, qui cingit et ambit aquam, quemadmodum aqua terram, imo et plus. Terminatur autem fluxus aquæ in extremitate illa contigua aeri naturaliter in se ipso, quoniam quælibet pars aquæ naturaliter inclinatur ad centrum ipsius, quemadmodum dici solet de terra. Hinc Salomon : Certa, in- Prov. viii, 27.
B quit, lege et gyro vallabat abyssos. Et quoniam elementum aquæ in utraque sua extremitate servat terminum sibi præfixum, et manet in loco sortito, quasi ab utraque parte esset concavitate terræ circumclusa atque arctata, ideo in Psalmo asseritur : Congregans sicut in utre aquas maris, po- Ps. xxxii, 7. nens in thesauris abyssos. Unde ad sanctum Job Deus loquitur : Quis conclusit Job xxxviii, 8, 10, 11. ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens? Posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes
C des amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Per Jeremiam quoque loquitur Deus : Posui arenam terminum mari, Jer. v, 22. præceptum sempiternum, quod non præteribit. Intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. Ad salvandum ergo, quod aqua elementaris tam grandis in unum collecta est locum, non oportet inquirere, an terra sit satis magna ad hoc. Quod si rursus quæratur, quid terminat extrema fluidæ aquæ, jam responsio data est, quia ex propria natura sibi divinitus indita
D habet terminum sibi præfixum. Unde et Aristoteles subtilissime dixit : Omnium natura constantium, certa est mensura et finis et ratio magnitudinis.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO LITTERÆ, IN QUA RECITATUR OPUS QUARTÆ DIEI.

SEX diebus facta sunt omnia, in quibus describitur triplex opus, puta creatio, distinctio, et ornatus. Prima autem die creata sunt cœlum et elementa. Eodemque die cœpit distinctio per lucis productionem, qua cœlum distinctionem accepit. Secundo die aquæ ab invicem sunt distinctæ, per firmamenti formationem. Tertio die terra distinctionem sumpsit, dum aquæ ab ea subtractæ, atque in unum collectæ sunt. Juxta hunc ordinem atque processum, tribus sequentibus diebus prædicta ornata sunt, utpote primo cœlum quarto die; deinde aqua et aer quinto die, per avium pisciumque productionem ; ultimo terra, videlicet sexto die, per animalium et hominis formationem. Idcirco nunc dicitur : *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli.*

Quemadmodum super Genesim docet Augustinus, sic exponenda est littera ista Geneseos, ut infidelibus non præcludatur via conversionis ad fidem. Si enim viderint nos male irrationabiliterque sentire de rebus præteritis et mundi exordio, naturalibus quoque effectibus, non credent nos bene sentire de rebus futuris, et fine mundi, atque operibus gratiæ et gloriæ consummatæ. Quum ergo textus nunc exponendus, secundum superficiem suam videretur eruditis in naturali philosophia, non solum rudis et falsus, sed etiam irridendus, idcirco exponendus est sapienter et caute. Si enim, juxta Philosophum, stella est densior pars sui orbis, quomodo stellæ dicuntur factæ quarto die, cum orbis eorum sit antea factus ? Rursus, quum cœlum sit indivisibile et incorruptibile, integrum, nec porosum, quomodo stellæ dicuntur positæ tunc in cœlo? Iterum, quum unusquisque planeta proprium habeat orbem, quomodo sol et luna dicuntur posita in firmamento cœli? Hæc et multa similia objici possent Scripturæ.

Itaque, juxta positionem supra amplius approbatam, iste est sensus : Fiant luminaria, videlicet sol et luna et ceteri planetæ ac stellæ ; in firmamento cœli, id est in cœlo stellato et sphæris seu orbibus sub ipso contentis, reddendo singula singulis. Firmamentum quippe nunc sumitur pro octava sphæra, et aliis septem sphæris planetarum. Et quod ait, In firmamento cœli, intransitive sumendum est, ac si dicatur : virtus Dei, seu corpus carnis. Dicuntur autem luminaria facta, non quod tunc creata sint, aut ex materia præjacenti producta, sed quia tunc acceperunt plenariam lucem sibi congruentem, et virtutem activam perfectam ad determinatos variosque producendos effectus in inferioribus istis, ut dictum est plenius. Juxta quem modum aliquid dicitur fieri, quando recipit notabilem in accidentalibus mutationem, quemadmodum David libro secundo Regum a magna persecutione ereptus, dixit : An ignoro me hodie factum regem super Israel? Hinc asserit Thomas super secundum, distinctione 15 : Præter principia communia activa in tota natura, exiguntur determinatæ virtutes moventes ad determinatas formas ac species ; hujusmodique virtutes rebus sunt inditæ per opus ornatus. Sicut autem actio virtutum inferiorum communiter agentium, reducitur in virtutem cœlestem universaliter activam ; sic virtutes in inferioribus moventes ad determinatos effectus seu species, reducuntur in quasdam virtutes cœlestes determinatas : et tales virtutes præcipue

II *Reg.* xix, 22.

Digitized by Google

sunt in stellis atque planetis, quæ secundum diversos adspectus et conjunctiones imprimunt ad species determinatas, prout undecimo Metaphysicæ asserit Commentator. Hinc inferiores virtutes causales sunt tanquam instrumenta superiorum virtutum, secundum eumdem Commentatorem octavo Physicorum. Itaque propter tam notabilem in accidentalibus proprietatibus, dispositionibus, virtutibus et influentiis immutationem ac meliorationem, recte dicuntur luminaria facta die quarta, qua complementum suum sortita sunt.

Et dividant diem ac noctem, id est, successive producant, ab invicem quoque discernant, et ordinate perficiant diem noctemque. Sol enim suo accessu ac præsentia causat diem, et sua absentia noctem. Dies quoque et nox dividuntur ab invicem successione et luce ac tenebrositate, sed et aliis proprietatibus multis, quas medici diligenter assignant. Luna vero et stellæ aliquid claritatis et proprietatis ac virtutis influunt nocti. Hæc autem vicissitudo diei ac noctis, est hominibus multipliciter utilis, imo et necessaria. Nam tempus diurnum est aptius ad laborandum, ad conveniendum, atque ad diversa exercitia exsequenda. Propter quod scriptum est : Ortus est sol, et exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam. Tempus vero nocturnum est aptius ad quiescendum. Unde in libro de Compunctione ait Chrysostomus, quod sicut mater volens infantulum suum facere dormientem, operit oculos ejus ; sic Deus pater volens homines in nocte dormire, obducit visui eorum caliginem, quasi oculorum operculum.

Ps. CIII, 22, 23.

Et sint in signa et tempora et dies et annos. Hunc locum exponit Bonaventura sic super secundum : Duplex est usus seu actio signi, videlicet significare et distinguere. Si ergo accipiatur signum ab actu significandi, sensus est, quod luminaria facta sunt in signa, id est in significationem futurorum, et in variationem temporum et annorum atque dierum : ita ut A temporum variatio attendatur penes aeris immutationem, quantum ad calorem et frigus ; variatio autem dierum, penes lucem et tenebras ; variatio vero annorum, juxta renovationem horum duorum : sicque luminaria sunt in signum non quorumlibet futurorum, sed eorum quorum ipsa sunt quodammodo causa, videlicet imbrium ac ventorum, serenitatis ac tempestatis, seu etiam eorum, quæ divina providentia per ea præsignare decrevit, puta illorum quæ circa judicium sunt futura, B juxta quod scriptum est : Erunt signa in sole et luna. Porro eorum quæ dependent ex libero arbitrio, non sunt signa ex institutione divina ; sed potius traxit ea ad talia designanda, fictio curiositasque humana. Si autem signum sumatur ab actu distinguendi, sensus est : Sint in signa, etc., id est in distinctiones temporum, et dierum, ac annorum. Luminaria autem ex motu diurno, quem habent a nona sphæra, causant ac dividunt diem et noctem, potissime sol. Ex motu vero proprio, quem C habent in propriis sphæris sub zodiaco, causant distinctionem temporum et dierum ac annorum : quod tamen sol potissime agit, qui per motum istum causat ver, æstatem, autumnum, et hiemem, distinctionem quoque dierum et noctium in longitudine ac brevitate, secundum quod magis ac minus accedit ad nos, aut recedit a nobis, in ascendendo et descendendo in circulo illo obliquo, puta zodiaco. Sunt item in distinctionem annorum, secundum consummationem motus solis in circulo D obliquo. Similiter luna suo modo est in signationem temporum et dierum atque annorum apud Judæos, præsertim quantum ad solennitates, sicut apud Christianos est sol. Unde in Ecclesiastico scriptum est : A luna signum diei festi. Verumtamen Ecclesia, sicut et Synagoga, celebrat solennitatem Paschalem et per consequens Pentecosten secundum motum lunæ, quia Paschalis solennitas celebratur non solum in rememorationem dominicæ resurrectionis præteritæ, sed item in præsignatio-

Luc. XXI, 25.

Eccli. XLIII, 7.

nem resurrectionis futuræ. Sicque facit hoc Ecclesia non judaizando, sed futuram illam solennitatem præfigurando : in quo etiam conformis est quodammodo Synagogæ. Hæc Bonaventura.

Præterea luminaria, taliter distinguendo et efficiendo dies, annos et tempora, conferunt commoda multa hominibus, utpote relevamen fastidii, juxta illud in Hymno : Temporum das tempora, ut alleves fastidium. Item ad seminandum, arandum, metendum, et consimilia opera, quæ exigunt tempora distincta et opportuna, ideo subditur : *ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram*, id est habitantes in terra, potissime homines, quibus non solum ad videndum, sed etiam ad alia innumerabilia, necessaria est illuminatio solis in die, et etiam suo modo illuminatio lunæ in nocte. *Et factum est ita.*

Fecitque Deus duo luminaria magna, videlicet solem et lunam, quorum unumquodque tam magnum est, ut in quacumque parte terræ stet homo, appareant sibi æqualiter magna, hoc est unumquodque æque magnum. Et si objiciatur, quia (ut probant astrologi) multæ stellæ sunt luna majores, respondet Thomas in scripto secundi, quod sol dicitur magnum luminare, propter quantitatem et propter suam virtutem et causalitatem. Luna vero dicitur magnum luminare, non tam propter quantitatem veram, quam apparentem, et propter excessum claritatis suæ respectu aliarum stellarum ex propinquitate ejus ad nos, et propter evidentiam sui effectus in inferioribus, præsertim in humidis rebus, et quia præ ceteris astris illuminat noctem. Verumtamen in Scholastica fertur historia : Sol et luna dicuntur magna luminaria, in duobus et ex duobus : utpote non solum propter magnitudinem luminis, sed etiam corporis ; nec tantum comparatione stellarum, sed etiam secundum se, quia sol dicitur octies major terra. Luna quoque dicitur terra major. Alii nihilo minus dicunt, quod luna sit tanta sicut tertia pars terræ. Sed de his non habetur certitudo. Nam et Alfraganus dicit in sua Astrologia, si bene recordor, quod sol sit centies sexagesies sexies major quam terra. Alii, quod sit septies major terra.

Refert hic Lyra, quod Judæi dicunt, solem et lunam fuisse a principio æquales in claritate, sed lumen lunæ esse diminutum a Deo, eo quod suggesserit ei ut minueret lumen solis. Mahometus quoque in libello disputationis suæ cum Abdia Judæo, etiam asserit, quod sol et luna fuerunt primo æqualiter splendidi, causam vero minorationis luminis lunæ assignat, quod angelus volans per aerem, ala sua tetigit lunam, et inde obscurationem contraxit. Hæc autem tam fatua sunt, ut sint relatione indigna. Deus enim primo fecit luminaria ista secundum quod congruebat ordini universi. Et rursus, si primo fuissent pares in luce, falsum esset quod ait Scriptura, lunam esse factam ut præsit nocti. Sol quoque et luna creduntur non esse animata. Et quamvis hoc ipsum Augustinus relinquat sub dubio, asserit tamen quod si animata sunt, societatem cum angelis habent : idcirco luna non fuisset tam vana ac invida, quod suggessisset Deo diminuere solis lucem. Creditur item luna facta plena, quemadmodum herbæ et arbores, et etiam homo, in suo genere perfecta sunt facta. Unde alia translatio habet : Luminare minus in inchoatione noctis ; nempe, in exordio noctis non oritur luna, nisi rotunda et plena. Et quamvis ante luminarium productionem fuerit tempus ac triduum, dicuntur tamen facta in tempora, quia per ea fit distinctio temporum : et dies deinde sequentes, clariores fuerunt, quam tres dies priores. Ideo dicit Glossa : Si quæratur, quale potuit esse lumen diurnum ante luminarium productionem : respondemus, quale videmus solis ortu proximante, nondum apparente.

Fecit itaque duo luminaria magna : *luminare majus,* videlicet solem, *ut præesset diei :* ut sua virtute et claritate diem causaret, ornaret, ac vigoraret ; *et luminare minus, ut præesset nocti,* hoc

Digitized by Google

est, noctem aliqualiter venustaret suo A splendore pro mundi decore, et item pro relevamine atque solatio itinerantium, laborantium, navigantiumque in nocte. Luna tamen non causat noctem sicut sol diem.

Fecit quoque *et stellas, et posuit eas in firmamento cœli*. Hic sumitur firmamentum pro cœlo stellato seu sphæra octava, nisi forte per stellas intelligantur non solum stellæ quæ dicuntur fixæ in firmamento, sed et alii quinque planetæ. Denique stellæ quæ sunt in sphæra octava, secundum Aristotelem et eum sequentes, B sunt fixæ in ipsa, nec habent proprium motum, sed motu sui orbis moventur. Suntque de natura ejusdem orbis, et unaquæque earum est densior pars ipsius. Unde dispositæ sunt ad suscipiendum lumen præclarius, quam ceteræ orbis partes. Planetæ vero dicuntur stellæ erraticæ, puta non fixæ in propriis sphæris, sed proprium motum habentes. Verumtamen Plato in Timæo dicit, stellas non esse fixas in firmamento, sed meare et choream ducere in eodem : et in hoc Ptolemæus Plato- C nem secutus est. Unde dicunt non cœlum, sed stellas cœli moveri et circumferri. *Ut lucerent super terram* de nocte, sicut de luna jam dictum est, et propter easdem causas ; itemque ut homines ex adspectu stellarum incitarentur ad laudem ac honorificentiam Creatoris earum, et scrutarentur quæ astrologiam concernunt ; et rursus, ne nox sua caligine nimis esset horrenda. *Et præessent diei ac nocti*. Hoc quidam referunt ad solem et lunam ac stellas, ita ut illa particula, præessent D diei, intelligatur de sole ; et quod subditur, et nocti, ad lunam ac stellas. Sed quia de sole hoc semel prolatum est ut præsit diei, atque de luna quod præsit nocti, potest istud totum referri ad stellas : quarum etsi claritas non percipiatur in die, eo quod obfuscetur a prædominante solis splendore, nihilo minus semper unius seu alicujus hemisphærii stellæ lumen suum diffundunt ad habitabilem terram, et quosdam effectus causant in ea : quod nec soli competit, nec lunæ. *Et dividerent lucem ac tenebras*, id est, eam claritatem quam causant in terra, dum aer serenus est, a caligine noctium tali luce carentium, propter aeris obnubilationem. Dividunt quoque lucem a tenebris, quoniam lucem quam sua præsentia exerunt et diffundunt, sua absentia ac recessu tollunt ac subtrahunt. *Et vidit Deus quod esset bonum*. Opus enim hujus diei exstitit multipliciter atque sublimiter bonum. *Et factum est vespere et mane dies quartus*, juxta sensum præhabitum.

Præterea, secundum aliam opinionem, ponentem materiam primo sub sola forma corporeitatis creatam, luminaria et stellæ factæ sunt quarto die, quantum ad formas suas substantiales specificas, ita quod de nube candida, quam dicunt primo die formatam, factus sit sol : de qua nube aliqui eorum dicunt esse factas lunam et stellas, ut dictum est. Alii vero dicunt eas esse factas ex aliqua suorum orbium parte ; contra quæ omnia, præsertim contra hoc ultimum, quod scilicet factæ essent ex aliqua orbium parte, possent argumenta multa ac fortia introduci. Si enim cœlestes orbes incorruptibiles sunt, qualiter aliquæ partes eorum ad aliam substantialem formam poterant transmutari? Et si stellæ sunt cœli stellati partes integrales ac densiores, non habent formas substantiales a forma illius cœli distinctas. Sed ista quæ in secundo Sententiarum libro habent tractari, dimitto.

Præterea quidam hoc loco redarguit Thomam, in prima parte Summæ suæ dicentem, Dici non posse, quod ex nube illa factus sit sol : quia si sic, sequeretur quod in prima rerum productione sit aliquid factum satis cito corrumpendum. Quocirca sciendum, quod reprehensor ille sancti Doctoris, in hac parte non mediocriter deviat. Quamvis enim S. Doctor dicat, quod dici non posset ex nube illa solem esse productum, non tamen assignat ad hoc probandum rationem prætactam ; sed hanc rationem inducit ad probandum, quod di-

Digitized by Google

ci non valeat, nubem illam esse resolutam in præjacentem materiam. Insuper dicit Thomam incidere id, quod reprobare intendit, quoniam quinto die facti sunt pisces et aves ex elementis : quod esse non potuit sine elementarium corruptione formarum. Ista reprobatio S. Thomæ, prorsus nil valet. Quamvis enim ex elementis sint facta animalia, non tamen ob id elementa prima die producta, secundum se tota corrupta sunt aut esse desierunt.

Amplius, circa hanc litteram possent multæ quæstiones moveri, quas doctores super secundum movent, magistraliterque determinant, utpote de natura et numero orbium seu cœlorum, et an moveantur ab anima, hoc est, an corpora cœlestia sint animata, an habeant causalitatem et influentiam super inferiora, et præcipue an super mentem rationalem, liberumque arbitrium, an necessitatem imponant inferioribus, an stellæ moveantur in cœlo sicut aves in aere, et pisces in aqua. Horum discussionem, brevitati studens, dimitto, quoniam alibi locum habent. Hoc breviter dico, quod orbes et stellæ, sol, luna, ceterique planetæ, multiplicem habent causalitatem et efficientiam in elementis et mixtis, in tantum ut S. Dionysius capitulo 4 de Divinis nominibus protestetur, quod radius solis generationi cooperetur et moveat ad vitam, quam et auget, et nutrit, ac perficit. Similiter Augustinus
A quinto de Civitate Dei fatetur : Non absurde credi potest, afflatus quosdam sidereos ad corporum differentias pervenire. Tertio quoque de Trinitate disseruit : Quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora ordine quodam reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem ; et spiritus vitæ rationalis, desertor atque peccator, videlicet dæmon, per spiritum vitæ rationalem, pium ac justum, et ille per Deum. Porro super mentem rationalem et arbitrii li-
B bertatem, non habent directe causalitatem aut aliquam impressionem, sed dispositive dumtaxat, in quantum ex diversa corporis complexione, dispositione et immutatione, mens liberumque arbitrium ad diversa inclinantur, afficiuntur et aptantur : quorum inclinationem quamplures sequuntur, sed non necessitantur ex eis. Ad quod Damascenus libro secundo multas rationes adducit, in quo de ista materia tractat diffuse. Ex quibus ostenditur pessimus error quorumdam astronomorum et philo-
C sophorum, præsertim Alkindi in libro suo de Radiis, ubi asserit omnia in hoc mundo de necessitate accidere : quod etiam opinatus est Avicenna, si totus ordo causarum et influentiarum cœlestium simul accipiatur. Quorum insanias non solum christianæ fidei, sed Aristoteli quoque contrarias, doctores sancti atque catholici plenissime improbarunt.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO TEXTUS DE OPERE QUINTÆ DIEI.

DIXIT *etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli*. Quemadmodum sæpius tactum est, nunc ordine condecenti describitur ornatus duorum mediorum elementorum, videlicet aquæ et
D aeris, per hoc quod jam describitur productio animalium, quorum quædam moventur in aqua, quædam in aere. Nempe per hoc quod Moyses ait, Super terram sub firmamento, aerem designavit. Sed quum aqua sit res inanimata, quomodo potuit

Digitized by Google

producere animalia ista? Est itaque sensus : Producant aquæ, id est, divina jussione producantur ex aqua, tanquam ex materiali et passivo principio, reptile animæ viventis, hoc est pisces habentes in se animas non solum vegetative, sed etiam sensitive viventes. Et volatile super terram sub firmamento, id est, aves quibus conveniat volare in aere. Horum corpora Deus immediate perhibetur formasse ex aqua, et in qualibet specie fecit duo prima individua, ex quibus generata sunt alia juxta positionem prætactam. Itaque singularia ista, reptile atque volatile, nunc sumuntur pluraliter.

Tres quæstiones. Circa hæc plurima possent inquiri : Primo, cur animalia ista dicuntur facta ex aqua, quum corpora animalium mixta sint ex quatuor elementis. Secundo, si pisces et aves ex aquis producti sunt, cur non utrumque hoc genus mansit in aqua, et cur unum magis quam aliud, accommodatum est aeri. Tertio, an animæ animalium horum creatæ sint. Ad hæc breviter respondendum. Et primo ad primum, quod utique pisces et aves ex quatuor elementis formati sunt, et in eorum corporibus prædominatur elementum terræ, quantum ad corporis quantitatem ; ignis vero secundum quantitatem virtutis, eo quod calor instrumentum sit animæ, nec aliquid sit sensitivum sine calore, ut habetur secundo de Anima. Aqua autem continuat partes terræ in mixto. Verumtamen illa animalia dicuntur constare ex aqua, quæ plus habent de aqua in se, quam animalia cetera, complexione eorum propria pensata per comparationem ad complexionem animalium aliorum, seu debitam communi generi animalis. Et ita ex aqua dicuntur esse pisces, quantum ad id quod in aqua est grossius ; aves autem, quantum ad id quod in aqua est subtilius, et in vaporem resolvitur, et est quasi medium inter aquam et aerem. Hinc aves in aera elevantur, et pisces gurgiti remittuntur. Istud super secundum Thomas clarius docet. Unde et alii dicunt, quod pisces et aves specialiter ex aqua facti dicuntur propter convenientiam quamdam. Habet etenim aqua humorem atque vaporem. Per humorem convenit cum piscibus, per vaporem cum avibus. Istud tamen non est satis resolute prolatum, quoniam aqua per humorem cum universis animalibus † competit. In Scholastica quoque historia dicitur : Pisces et aves ex aquis sunt orti, quoniam facilis est transitus aquæ in aera per attenuationem, et aeris in aquam per spissationem. Ex quibus patet ad duo prima quæsita responsio. Ad tertium respondet Bonaventura super secundum, quod animæ primorum illorum irrationabilium animalium non fuerunt creatæ, sed seminaliter ex materiis suis productæ, tamen sine concursu causalitatis cœlestium corporum. Rationales enim, seminales seu occultæ virtutes causales a principio sunt impressæ elementis, quemadmodum loquitur Augustinus : In corporeis, inquiens, hujus mundi elementis semina quædam occulta latent.

Præterea, ad intelligendum qualiter corpora animalium ex quatuor elementis constant et mixta sunt, advertenda sunt verba doctorum. Itaque in scripto secundi, distinctione 15, scribit Bonaventura : Corpora animalium habent in se quatuor elementa, ut idonea sint ad sensum, ad motum, ad multiplicem actionem, atque ut habeant in se dignitatem complexionis. Perfecta autem mixtio non est, quousque concurrant quatuor elementa. Aqua namque (quum sit subtilior decies terra) penetrat partes terræ, sed non perfecte, quoniam habet grossitudinem quamdam. Aer autem qui est centies subtilior terra, intimius se profundat in terram. Ignis vero, qui millies rarior subtiliorque consistit quam terra, sua subtilitate penetrat usque ad intima : et ita fit alteratio plena, mixtioque perfecta. Hinc ait et Thomas : Oportet ut elementa inferioria grossiora, excedant elementa subtiliora in mixto secundum quantitatem seu molem ; subtiliora vero, videlicet aer et ignis, secun-

Digitized by Google

dum virtutem, hoc est secundum calidum et humidum, in quibus vita consistit. Quum enim corpora animalium debeant esse temperatiora aliis mixtorum corporibus, utpote magis remota a contrarietate per complexionis æqualitatem, et ita assimilentur naturæ et æqualitati cœlestium corporum ; oportet inferiora elementa, quæ sunt minus activa, quia plus habent de materia, scilicet terram et aquam, secundum quantitatem in mixto excedere, ut virtutis defectum suppleat quantitatis excessus. His concordat quod asserit Augustinus, et habetur in Glossa : Ignis omnia penetrat, ut in eis faciat motum. Inchoat enim anima motum suum in omnibus sensibus ab ignis subtilitate.

Sed quæri potest : Quum ignis sit nobilissimum elementum, cur non describitur aliquis ejus ornatus. Ad hoc Thomas respondet, quod quamvis aliqua mixta possint ad tempus in igne absque læsione durare, nulla tamen res est, quæ non consumatur tandem ab igne, si diu in eo permaneat, ut asserit Galenus in Simplici medicina. Idcirco (ut Philosophus in libro de Proprietatibus elementorum testatur) nullum animal vivere potest in igne, nisi forte ad modicum tempus, ut fertur de salamandra.

Item quæritur, cur reptilia dicuntur ad aquæ pertinere ornatum, quum sint multa terrestria reptilia. Et infra habetur, quod reptilia spectant ad ornatum sextæ diei. Respondetur, quod multiplex est genus reptilium : Unum, quod trahit ac rapit se vi oris, ut aliqui vermes. Secundum, quod trahit se vi costarum, sicut serpentes. Tertium, quod se rapit et trahit vi pinnarum, ut pisces. Quartum, quod rapit se vi annulorum quorumdam, quemadmodum animalia annulosa. Quinto, extense loquendo, omne animal dicitur reptile, quod movendo se, magnam partem corporis sui applicat terræ, quamvis habeat pedes, ut stellio et lacerta. Itaque patet, quod reptilia aquatica spectent ad aquæ ornatum, cetera ad ornatum terræ. Verumtamen, secundum Philosophum libro de Animalibus, sunt quædam animalia media inter aquatica atque terrestria, ut crocodili, qui morantur et gradiuntur in terra, interdum autem morantur et natant in aqua ; sed hæc computantur cum illo extremo, cum quo magis communicant.

Multiplicia reptilia.

Creavitque Deus cete grandia, qui sunt maximi pisces in mari. Unde in Evangelio legitur : Fuit Jonas in ventre ceti. *Et omnem animam viventem atque motabilem.* Hic ponitur pars pro toto, ut sit sensus : Creavit omnem rem animatam motabilem. *Quam produxerant aquæ in species suas,* id est, quæ secundum corpus suum formatæ erant ex aqua secundum exigentiam suæ naturæ specificæ, non quod prius productæ sint ex aqua, et postea creatæ a Deo, sed eædem numero, a Deo effective principaliterque plasmatæ sunt, atque ex aqua materialiter aut etiam seminaliter. *Et omne volatile* formavit, *secundum genus suum,* hoc est, secundum quod competebat naturæ et speciei uniuscujusque volatilis. Qualiter autem intelligenda sit distributio ista, patet ex præinductis. Intelligenda est namque de omnibus illis primis individuis in qualibet specie binis, quibus competit per commixtionem seminum generare, quæ fecit in tali dispositione ac robore, quod generare mox poterant. Sed quum ista ex aquis producta sint, quomodo creata dicuntur ? Et respondendum, quod creare sumitur nunc extense pro facere seu plasmare.

Matth. XII, 40.

Circa hunc locum recitat Lyra, quod Hebræi dicunt cete esse pisces incredibilis magnitudinis. Quumque Deus in exordio fecisset marem et feminam speciei istius, occidit feminam ne multiplicarentur individua : quia si multiplicata fuissent, sæculum esset destructum, eo quod mare innavigabile esset, et alii pisces non possent durare in mari ; carnes vero feminæ interfectæ salivit, reservans eas justis in sæculo futuro. Ex quo Lyra concludit, quod Judæi inciderunt errores Sarracenorum, ponendo beatitudinem vitæ futu-

Digitized by Google

ræ in delectationibus ciborum ac venereorum.

Circa hoc scribit Rabbi Paulus : Quemadmodum inter Christianos fuerunt quidam hæretici, quorum errores non sunt veris Christianis adscribendi, sic inter Judæos fuerunt nonnulli habentes opiniones erroneas, quæ non approbantur a Judæis communiter. Quamvis ergo in quibusdam opusculis eorum appareat, quod in alia vita sint corporales delectationes, communitas tamen eorum respuit hoc omnino. (*Is.* LXIV, 4. *I Cor.* II, 9.) Est enim contra id Isaiæ : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. Ex quibus verbis manifeste habetur, quod remuneratio justis parata, superat omnem sensum. Unde determinatio communis est apud eos, quod in alia vita non est cibus nec potus, nec actus venereorum, sed justi delectantur ex splendore divinæ gloriæ. Quapropter attribuere ipsum errorem Judæis in communi, non est utile ad reductionem eorum ; credunt enim quod fingamus mendacia contra eos : quod præstat impedimentum non modicum ad hoc ut reddamur credibiles eis. Hæc Rabbi Paulus.

Sed Paulus iste non reprehendendo primam partem dicti Lyræ, quo ait, Judæos asserere, quod Deus in principio feminam ceti occiderit : videtur innuere, quod Lyra recte id recitat. Nec Lyra hoc loco adducit specialem rationem hoc reprobantem, idcirco aliquid breviter tangi potest ad reprobandum tam fatuum verbum. Si enim Deus occidit feminam ceti, jam species illa perisset, nisi dicatur cetus ille primus usque nunc vivere : quod naturale non esset, nisi forte dicatur quod occiderit feminam illam postquam genuerat, quo dato, idem sequeretur periculum, si genuisset femellam, idemque inconveniens, si masculum genuisset. Denique, quum Deus sit sapientiæ ac providentiæ infinitæ, ipse ante mundi productionem universa prævidit : cur ergo fecisset quod propter periculum imminens mox necasset ? Insuper super illud, Producat terra herbam virentem, et super istud, Producant aquæ reptile, scribit Lyra, quod terra et aqua non produxerunt ista, nisi solum passive. Contra quod scribit hic Paulus, quod elementa non solum passive, sed etiam active produxerunt ea quæ Deus præcepit produci ex eis, quoniam actio causæ primæ non semper excludit actionem secundarum causarum. Augustinus quoque exponit sic, Producat, id est, virtutem producendi accipiat. Ista reprobatio videtur satis idonea, dempto hoc, quod Augustinum pro se allegat, quia expositio Augustini procedit secundum hoc, quod omnia opera sex dierum sint simul producta. Si enim elementa solum habuerunt se passive ad productionem eorum quæ Deo præcipiente produxerunt, videretur sequi quod formæ rerum productarum ex eis, essent omnino ab extra, et per consequens creatæ, sicut de anima rationali tenetur.

Et vidit Deus quod esset bonum, id est, opus hujus quintæ diei sibi complacuit ; *benedixitque,* id est, virtutem generativam seu productivam similium sibi in specie aut saltem in genere contulit *eis, dicens : Crescite et multiplicamini,* id est, similia generate, *et replete aquas maris,* multiplicando individua specierum vestrarum. *Avesque multiplicentur super terram.* Quare non ait, Aves multiplicentur in aere ? Nisi forte dicendo super terram, insinuet aerem. Melius tamen dicendum, quod aves quamvis naturaliter volent in aere, nihilo minus naturaliter quiescunt et generant super terram. In quantum enim sunt mixta et gravia, in quibus prædominatur terra secundum quantitatem, non sine labore volant sive moventur, naturaliterque quiescunt in terra. Pisces autem et aves generant ova, ex quibus individua suæ speciei tandem nascantur. Dicitur quoque in Glossa, quod multæ sunt aves quæ non de terra, sed de mari vivunt, et libentius utuntur mari seu aqua, quam terra. Aliæ vero aves vivunt ex his quæ in terra inveniunt. *Et factum est vespere et mane dies quintus,* secundum sensum præhabitum.

Digitized by Google

Denique, circa illud, Producant aquæ A volatile super terram, fertur in Scholastica historia : Ex hoc quod dictum est, volatile super terram, erravit Plato, qui descendens in Ægyptum, libros Moysis legit, putavitque Moysen sensisse, volatilia esse ornatum aeris circa terram dumtaxat; ornatum autem aeris superioris, esse calodæmones et cacodæmones. Sed non est ita, quoniam calodæmones, id est angeli boni, sunt in cœlo empyreo, et cacodæmones, id est angeli mali, detrusi sunt in aerem caliginosum, non ad ejus orna- B tum, sed ad ipsorum supplicium. De hoc plus habetur in Glossa ex verbis Augustini. Rursus, animæ piscium et avium dictæ sunt viventes atque motabiles, ad differentiam animæ rationalis, quæ immortalis est. Illæ autem mutari possunt de esse et vivere, ad non esse ac mori. Tamen secundum Albertum, dicuntur motabiles propter motum processivum, quem habent seu causant in suis corporibus.

Postremo, circa hæc ait Albertus in libro de Coæquævis : Aer et aqua simul ornati sunt, quum sint elementa media et communicantia in natura diaphani, et passiva qualitate humidi. Pisces autem magis sunt ex humido constante per frigidum, secundum generis sui naturam. Ideo secundum genus suum sunt frigidi, sicut et aqua in qua sunt. Aves vero magis sunt ex humido vaporabili conjuncto cum calido, secundum naturam generis sui. Idcirco calidæ sunt naturæ. Porro animalia media et utrique elemento communia, comprehenduntur sub ornatu utriusque elementi ; magis tamen sunt ornatus illius, in quo frequentius morantur atque moventur, prout septimo de Animalibus ait Philosophus de delphinis, quod habitant in mari, et pariunt juxta littus in terra. Hæc Albertus. Tales quoque sunt vituli marini, qui pedes habent et super terram aliquando gradiuntur. Natura enim non transit a distanti in distans, nisi per medium, ut divinus Dionysius protestatur.

ARTICULUS XIV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI, AB ILLO LOCO, DIXIT QUOQUE DEUS : PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM.

DIXIT quoque Deus : Producat terra C *animam viventem in genere suo.* Hic describitur ornatus sextæ diei, quo terra ornata est; et correspondet operi tertiæ diei, quo terra fuit discooperta ab aquis. Denique quum dicitur, Producat terra animam viventem, sumitur pars pro toto, et singulare pro plurali, ut sit sensus : Producat terra animam viventem, id est, ex terra jam producantur animalia viva in genere suo, hoc est, quibus ex communi ratione generis sui competit vita sensitiva, quæ tamen specifice distinguantur. D Propterea subditur, *jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas,* id est, specie differentes, et prout convenit eis secundum naturas suas specificas. Hic tangitur triplex species subalterna animalium, ad ornatum terræ spectantium, quarum quælibet continet sub se varias species specialissimas. Jumenta enim dicuntur animalia domestica, quæ deserviunt homini in necessariis actibus, ut sunt equi, boves, oves, et consimilia. Unde dicuntur jumenta, quasi juvamenta. Reptilia appellantur, quæ rependo procedunt, de quibus præcedenti articulo dictum est. Jamque fit mentio de reptilibus terrestribus, non

Digitized by Google

de aquaticis. Bestiæ vero vocantur animalia sæva indomita, quæ dentibus et unguibus lædunt. *Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile,* id est reptilia *terræ in genere suo,* hoc est in multiplici diversitate, juxta sensum prætactum. Intelligentia quippe horum verborum, ex præcedentibus clara est. Multa quoque circa præexposita opera præcedentium dierum quæsita, possent circa hæc verba inquiri : quorum solutio ex illis est evidens, utpote an Deus per se immediate B formavit et organizavit corpora animalium horum. Et utrum fecit hoc in instanti, quia infinitæ virtuti competit agere in instanti, nisi aliunde sit impedimentum seu ratio aliter faciendi. An etiam animæ irrationabilium animalium illorum fuerunt creatæ. Et utrum corpora illa ex sola terra formata sint. Et quot individua ex qualibet specie specialissima tunc facta sint simul. Et an terra solum passive habuerit se in productione animalium talium.

Et vidit Deus quod esset bonum, et ait, etc. Potest specialiter hic inquiri, cur Deus non legitur benedixisse animalibus istis terræ, sicut paulo ante legitur benedixisse piscibus et avibus ex aqua plasmatis, dicendo : Crescite et multiplicamini. Ad hoc respondetur in Glossa : Forte, quod de animalibus illis ex aqua formatis Moyses dixit, de istis subintelligendum reliquit, maxime quia de operibus hujus diei adhuc multa erat dicturus, et quia in plantis et herbis non est multiplicatio individuo- D rum per commixtionem maris et feminæ, idcirco non est eis data benedictio talis. Insuper S. Basilius ait, quod animalia terrena sint piscibus digniora, quoniam pisces carent memoria. Verumtamen B. Augustinus hoc ultimum, scilicet quod pisces non habent memoriam, improbat, affirmans quod in Bullensi regione sit fons piscibus plenus, qui gregatim natando, cum supergredientibus eunt ac redeunt, atque cum stantibus stant, exspectantes

A ut aliquid eis projiciant ad edendum, quia sic consueverunt.

Præterea circa hunc locum quæri solet, an animalia minuta quæ ex cadaveribus aut humoribus nasci solent, tunc producta fuerunt. Ad hoc in Scholastica historia respondetur : Talium animalium sex sunt genera. Nam quædam ex exhalationibus generantur, ut bibiones ex vino, et papiliones ex aqua. Quædam ex corruptione humorum aquaticorum, ut vermes in cisternis. Quædam ex cadaveribus, sicut apes ex juvencis ; scabrones, videlicet muscæ grandes, quæ sonant volando, et scarabei ex equis. Quædam ex corruptione lignorum, ut teredines. Quædam ex corruptione herbarum, ut tineæ ex oleribus. Quædam ex corruptione fructuum, ut gurguliones ex fabis. Itaque dicitur, quod illa quæ ex corruptionibus producuntur, orta sunt post primi parentis peccatum ex rebus corruptis. Quæ vero sine corruptione nascuntur, ut quæ ex exhalationibus fiunt, facta sunt sexto die. His concordat C quod habetur in Glossa ex Augustino.

Sex minutorum animalium genera.

Denique Thomas ait in prima parte Summæ suæ, quæstione 72 : Animalia venenosa ante peccatum homini noxia non fuisse, nec naturaliter neque totaliter mala sunt, quamvis sunt naturali particulari bono nociva : siquidem ad decorem pertinent universi, et multas habent commoditates Deo notas, quamvis hominibus sæpe incognitas. Hinc loquitur Damascenus libro secundo : Eduxit terra, Creatore jubente, diversa genera animalium, reptilium et ferarum ac jumentorum. Omnia ad opportunum hominis usum, et quædam ad escam, puta cervos, oves, dorcades, et consimilia ; alia vero ad ministerium, puta camelos, boves, equos, asinos, et quæ talia ; alia autem ad jucunditatem, ut simias, psittacos, et picas. Plantarum quoque et herbarum quædam fructiferæ et comestibiles, quædam odoriferæ et floridæ ad jucunditatem nobis tributæ, ut rosæ ; aliæ ad ægritudinum sanationes. Non est ens, neque animal, neque planta,

Digitized by Google

in qua Conditor non posuerit operationem quamdam, utilitati hominum conferentem; nec modo inutilis est ferarum usus, perterrens, et ferens nos ad cognitionem invocationemque Dei, qui fecit nos. Hæc Damascenus. Hinc alii dicunt : Animalia nociva, facta sunt homini nociva post peccatum ex triplici causa. Primo, propter hominis punitionem. Punitur enim, quum læditur aut lædi veretur ab eis, quoniam timor maxima pœna est. Secundo, propter hominis admonitionem. Admonetur quippe ex eis, ut sciat hæc sibi accidere pro peccato. Tertio, propter hominis informationem, quia ex consideratione illorum informatur in multis, utpote quanta sit crudelitas invisibilium adversariorum nostrorum, quam horrenda sint supplicia inferorum, quanta sit humana fragilitas, quæ a minimis ac vilibus illis tam cito ac graviter læditur.

Quæritur, cur animalia ad terræ ornatum pertinentia, non continentur sub una differentia animalis, quemadmodum animalia ad ornatum aquæ spectantia, quæ omnia reptilia appellantur; animalia quoque quæ aerem ornant, quæ omnia volatilia nuncupantur. Respondet Bonaventura, quoniam terra inter cetera elementa est minus decora, ideo magis indiguit decorari, videlicet pluribus differentiis animalium; et item, quia præ ceteris elementis præstat animalibus nutrimentum. Sufficientia vero irrationabilium animalium, quæ versantur in terra, sic sumitur ex parte finis : Facta sunt enim propter hominem. Aut ergo ordinata sunt ad hominis juvamentum, et sic sunt jumenta; aut ad hominis exercitium, et hoc dupliciter : aut enim exercent manifeste nocendo, et ita sunt bestiæ; aut occulte, et sic sunt reptilia. Et quamvis non haberent hos actus et fines realiter, si homo non peccasset, haberent tamen in aptitudine; atque ex aptitudine illa melius erudiretur homo in statu innocentiæ, quam erudiatur nunc ex actu in statu culpæ. Consequenter describitur productio hominis, propter quem cetera omnia corporalia sunt creata. Quemadmodum enim rex terrenus facit filio suo palatium, deinde ponit in eo filium suum; sic Rex omnipotens primo fecit hunc mundum sensibilem, eumque distinxit ac decoravit, deinde hominem quem elegit in filium adoptivum, constituit in eodem. Rom. VIII, 15.

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Hoc non est verbum Dei ad angelos, quoniam angeli non sunt Deo cooperati in hominis productione, præsertim quantum ad animam, in qua imago et similitudo Dei consistit; sed est verbum Dei Patris ad Filium ac Spiritum Sanctum, aut totius superdignissimæ Trinitatis ad se ipsam, et ita per verba hæc insinuatur distinctio Personarum in Deo. Primo, quum dicitur, Faciamus; secundo, quum additur, Ad imaginem et similitudinem nostram. Et item, quod supergloriosissimæ Trinitatis operatio ad extra sit indivisa. Denique, quemadmodum Origenes in prima homilia super Genesim loquitur, in his verbis designatur dignitas hominis : nam neque de cœlo, neque de luminaribus cœli locutus est Deus, sicut de homine; imo creationem cœli et terræ Moyses, a Deo edoctus, uno atque communi verbo expressit, dicendo : In principio creavit Deus cœlum et terram, deinde productionem firmamenti et luminarium ac stellarum per consimilia verba describit, dicens : Dixit Deus, Fiat firmamentum, Fiant luminaria. At ubi ad hominis productionem deventum est, usus est Conditor universitatis speciali sermone, et quasi præcipuum producturus effectum, per modum deliberantis et excitantis se ipsum, locutus est. Hinc Beda testatur : Apparet quare dictum sit, ut cetera fierent juxta genus suum et species suas. Erat namque homo creandus, qui non solum generi suo ac speciei congrueret, sed ad imaginem fieret Creatoris : cujus dignitatis magnitudo ostenditur, dum quasi consilio creatur; nec simpliciter dicitur, sicut de ceteris, Fiat homo, sed, Faciamus

Digitized by Google

hominem ad imaginem et similitudinem A nostram.

Præterea, ad imaginem et similitudinem Dei creatus est homo, non quantum ad corporalia lineamenta ac corporis figurationem, quasi Deus in divinitatis natura habeat corporalem figuram, ad cujus imitationem atque effigiem factus sit homo, ut quidam hæretici et etiam quidam rudes atque indocti ex detestabili simplicitate dixerunt, quum Deus altissimus et æternus sit supersimplicissima mens, actualissima vita, superpurissimum esse, incircumscri- B ptibilis veritas, indivisibilis unitas, ipsaque sapientia immaterialissima. Et sicut Aristoteles subtiliter demonstravit, Deus est purus actus. Est itaque homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus, quantum ad animam rationalem, quæ in parte sua potestativa superiori habet memoriam, intellectum et voluntatem, per quas Deo creatori suo assimilatur, ipsum contemplando ac diligendo. Et quia per actum magis assimilatur Deo, quam per nudas potentias, aut per habitus solos; idcirco C imago et similitudo Dei in anima præsertim attenditur, secundum quod intellectus et voluntas animæ decorantur non solum habitibus, sed etiam actibus suis.

Denique anima potest dici imago Dei, quantum ad trinitatem Personarum ; et similitudo ejusdem, quantum ad unitatem ac simplicitatem divinæ essentiæ. Quemadmodum enim in divinis sunt tres Personæ, quarum una ac prima a nulla est, secunda, videlicet Filius, est a solo Patre, tertia ab utroque ; ita in anima D intellectus actuatur a fecunda memoria, et voluntas ab utrisque. Rursus, in superiori parte animæ, est verbum internum ab intellectu procedens, et amor ex voluntate et verbo emanans. Dicitur quoque anima similitudo Dei, in quantum est simplex, spiritualis, intellectualis ac immortalis quædam essentia quemadmodum Deus. Attenditur autem imago Dei in anima, per comparationem ad increatum objectum. De ista materia, quum sit communis, pertranseo : hoc tamen adjiciens, quod homo seu anima dicitur Dei imago, non quod essentialiter Dei imago exsistat, sed quia imaginem Dei sibi habet impressam, sicut denarius dicitur imago Imperatoris. Rursus, unigenitus Dei Filius est imago naturalis atque perfecta æterni Patris. Homo autem seu anima est imago Dei imitativa ac imperfecta. Iterum, imago Dei in homine, non solum consistit in actu contemplandi ac diligendi, sive in actu proferendi verbum mentale et actu producendi amorem, sed item in aptitudine ad hos actus. Idcirco in omni homine quantumvis iniquo et otioso, permanet Dei imago, sed deformata et plurimum imperfecta.

Et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis † *terræ, universæque* † *creaturæ, omnique reptili quod movetur super terram,* id est, omnibus istis sit dignior, et eis præcipiat, eis quoque utatur ad libitum, secundum quod congruit sibi a Deo. Istud enim competebat homini eo ipso, quo fuit ad Dei imaginem similitudinemque creatus, præsertim quamdiu mansit Deo obediens ac subjectus, imo et post peccatum mansit illis sublimior ; sed in punitionem suæ transgressionis, amisit dominium super illa, potissimum super ferocia ac super minima quædam ac vilia, sicut sunt pulices, ut inobedientiam suam miseriamque advertat ac defleat. Aliqua tamen manserunt ei subjecta, propter necessitatem vitæ humanæ, et ut penset quid amisit in aliis. Porro quod dictum est, Universæ creaturæ, de creaturis corporalibus est sumendum ; nam et cœlestia corpora in obsequium cunctis gentibus sunt plasmata.

Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Per hoc insinuatur summæ Trinitatis unitas substantialis. Dicitur autem Deus creasse hominem, quantum ad animam, proprie loquendo de creatione, quoniam illam fecit ex nihilo ; sed quantum ad corpus, dicitur eum creasse, sumendo creare extense pro plasmare seu

Digitized by Google

facere ; nam infra habetur, quod formavit hominem de limo terræ. *Ad imaginem Dei creavit illum.* Quare hoc addit, quod jam satis videbatur expressum, nisi ad commendandum dignationem et beneficentiam Dei in hominis institutione, atque ad inculcandum hoc ipsum memoriæ nostræ, ut caritatem et pietatem ac munificentiam Dei circa nos perpendamus, et grati simus eidem, propriamque dignitatem pensantes, irrationalem vitam abhorreamus. Denique modus iste loquendi, est frequens in veteri Testamento, ita quod aliquid narratur de Deo quasi de alio, quum totum de eodem dicatur, quemadmodum infra habetur, quod Deus pluit ignem et sulfur a Domino. Verumtamen posset in his verbis personalis distinctio designari in Deo. Quamvis enim, secundum expositores, Deus Pater dicat ad Filium ac Spiritum Sanctum, seu Trinitas tota ad se ipsam, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ita quod Pater dicitur creasse hominem non ad imaginem Filii, nihilo minus dici potest, quod homo creatus est ad imaginem et similitudinem cujuslibet divinæ Personæ, eo modo quo illi qui trinitatem Personarum in Deo non credunt, fatentur hominem ad Dei imaginem similitudinemque creatum. Atque ad hoc insinuandum, posset quis dicere nunc esse adjectum, Ad imaginem Dei creavit illum. Unicuique quippe divinæ et increatæ Personæ assimilatur homo, per memoriam, intellectum et voluntatem.

Gen. xix, 24.

Quæritur, quare in ceterorum animalium productione facta sunt plura individua simul, puta duo ad minus in qualibet specie animalis perfecti, cui per utriusque sexus commixtionem competit generare ; in creatione autem speciei humanæ, primo factum est unum suppositum tantum. Ad hoc Glossa ex Augustino respondet, ut humanum genus firmiori caritatis copula constringatur, dum se totum ex uno genitum recordatur. Hinc duodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Animalia bruta, tam ea quæ solitudinem diligunt, A quam illa quæ in gregibus vivere malunt, Deus non ex singulis propagavit, sed plura simul jussit exsistere ; hominem vero, quem inter angelos bestiasque constituit, ex uno voluit multiplicari, ut commendaretur eidem unitas societatis, vinculum quoque concordiæ et cognationis affectus.

Insuper, pro pleniori dictorum intellectu habendo quærendum est, quum Deus dicitur creasse hominem ad imaginem et similitudinem suam, an accipiendum sit hoc de imagine et similitudine creata, an B increata. Ad hoc Bonaventura respondet in scripto secundi, distinctione 16 : Duplex est modus exponendi istam auctoritatem, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Unus, intelligendo de imagine increata ; alter vero, intelligendo de imagine creata. Primus modus triplicatur : Unus modus est, ut imago et similitudo referantur ad idem, videlicet ad essentiam in tribus Personis unam. Secundus est, ut imago et similitudo referantur ad personam Filii tantum. C Tertius modus exponendi est, ut imago referatur ad Filium, similitudo ad Spiritum Sanctum. Porro alius modus exponendi est, ut intelligatur de imagine creata. Et ille modus similiter triplex est. Unus sic exponit, ut imago præcedat similitudinem. Et dicit quod imago attenditur in naturalibus, similitudo in gratuitis. Secundus sic exponit, ut similitudo concomitetur imaginem. Et dicit quod imago sit in potentia cognoscendi, similitudo in potentia diligendi. Tertius modus est, ut D imago sequatur similitudinem, quia similitudo est in plus seu communius quam imago. Et dicit quod similitudo attenditur in natura, hoc est quantum ad ea quæ sunt essentiæ in communi ; imago in forma, id est quantum ad propria. Omnes hi modi possunt secundum Bonaventuram sustineri.

Verum ut hoc clarius intelligatur, introducenda sunt verba Magistri in libro secundo quo ait : Imago et similitudo in hoc loco vel increata intelligitur, id est

Digitized by Google

Trinitatis essentia, ad quam factus est homo; vel creata, in qua factus est homo, quæ homini est concreta, hoc est concreata vel a principio suæ creationis impressa. Increatam enim imaginem quæ Deus est, intellexisse videtur Beda, cum ait : Non esse unam imaginem Dei et angelorum, sed trium Personarum. Idcirco Personis divinis, videlicet Filio et Spiritui Sancto, non angelis, dicitur : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Improprie tamen divina essentia imago vocatur, quia imago proprie dicitur relative ad id, cujus similitudinem gerit, atque ad quod repræsentandum peracta est. Attamen imago improprie dicitur id, ad quod fit aliud : sicut exemplum proprie appellatur, quod ex aliquo sumitur et formatur; exemplar autem id, ad quod seu ex quo fit aut sumitur aliquid. Nihilo minus unum pro alio abusive interdum accipitur, ita et minus proprie essentia Trinitatis vocatur imago. Porro Filius proprie dicitur Patris imago : ideo quidam hoc loco per imaginem, Filium intellexerunt; hominem vero non imaginem, sed ad imaginem factum, dixerunt, quibus obviat quod ait Apostolus : Vir quidem est imago et gloria Dei. Alii ergo perspicacius per imaginem, intellexerunt Filium; per similitudinem, Spiritum Sanctum, qui est similitudo Patris et Filii. Et quod additur, Nostram, retulerunt ad similitudinem tantum. Ad imaginem autem, putaverunt subintelligendum esse, meam. De hac materia scribit ibidem et plura alia. Homo itaque dicitur imago Dei, et ad imaginem ejus factus; sed Filius Dei dicitur imago Patris, non autem ad imaginem genitus, quum sit perfecta et naturalis imago, per omnia Patri æqualis.

II Cor. IV, 4.

I Cor. XI, 7.

Masculum et feminam creavit eos. Hoc per anticipationem est dictum; non enim creavit Deus tunc nisi virum. Quando autem et qualiter fecerit feminam, sequenti narratur capitulo; sed ita anticipative nunc dicitur virum feminamque formasse, quia volebat statim subjungere modum multiplicationis generis humani, quæ fit per commixtionem maris et feminæ. Ideo ait Glossa : Bene hoc loco creati dicuntur, ut benedictio Dei congrue inducatur. Nam subditur : *Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini.* Circa hoc quæritur, qualiter Deus dicatur illis benedixisse atque dixisse, Crescite et multiplicamini, quum femina nondum fuerit facta. Ad quod poterit responderi, quod dicitur eis benedixisse, quoniam benedictio data viro, pertinebat ad feminam, et quoniam femina mox erat plasmanda, atque in præscientia Dei jam fuit. Consuetudo quoque Scripturæ est, ut frequenter numerus singularis pro plurali, et pluralis pro singulari ponatur; et item, ut id adscribatur pluribus, quod uni eorum est competens. Itaque benedixit eis, hoc est, virtutem, auctoritatem, et gratiam generandi matrimonialiter ac virtuose contulit ipsis. Nam matrimonium inter eos instituit, per quod reprobantur hæretici qui nuptias damnant, nec matrimonialem concubitum credunt posse fieri sine peccato. *Et replete terram* semine vestro, videlicet filiis et filiabus, utpote paradisum terrestrem, si non peccaveritis; sin autem, expulsi inde, replebitis ceteras terras. Non quod primi parentes per se immediate repleverint terram, sed per se et posteros suos. *Et subjicite eam,* id est, ad commoda vestra utimini terra; *et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* Omnia enim hæc, sicut jam patuit, fuerunt homini in statu innocentiæ obedientia et subjecta; et eo modo dominabatur eis, quo et præfuit eis, juxta sensum expositum.

Dixitque Deus : Ecce dedi vobis. Quare non ait, Ecce do vobis, quum ante hæc verba non legatur eis ista dedisse? Sed ideo ait, Dedi, quia quod nunc actualiter ac præsentialiter dat, in præscientia sua dare eis decrevit. Itaque dedi vobis, id est ad usum et commodum vestrum,

Digitized by Google

omnem herbam afferentem semen, id est, habentem in se virtutem causalem, seu semen ad producendum simile sibi, ut plenius expositum est in opere tertiæ diei ; *et universa ligna,* hoc est arbores, *quæ habent in semetipsis sementem generis sui,* id est rationem seminalem vimque causalem, seu semen aut granum, ad producendum consimilia sibi in specie sua, sicut expositum est. *Ut sint vobis in escam,* in quantum vestræ naturæ congruum fuerit atque placuerit. Non tamen universa ac singula illa conveniebant esui hominis, quod patet ex consequentibus, nam sequitur : *Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens,* hoc est animalibus terrestribus, *ut habeant ad vescendum.* Non enim per omnia eadem erant alimenta hominis et brutorum ; idcirco in verbis his reddenda sunt singula singulis, ut sit sensus, quod unicuique animali dedit Deus ista aut aliquid horum ad esum, secundum congruentiam et indigentiam ipsius.

Circa quod quidam scribit, quod fructus arborum dedit ad vescendum hominibus, quia infra habetur, Ex omni ligno paradisi comede ; herbas autem et semina earum, irrationabilibus animalibus. Sed melius dicitur, quod sicut quædam irrationabilia ex sua natura vescuntur ac vescebantur tunc etiam quarumdam fructibus arborum, sic homini in statu innocentiæ naturale fuisset vesci aliquibus herbis ac fructibus terræ, sicut et nunc est. Nec obstat quod allegatum est, Ex omni ligno paradisi comede. Hoc quippe non est dictum per exclusionem universarum herbarum, sed magis ad innuendum quod fructus arborum erant speciales cibi ipsius. Ex his trahunt doctores, quod in statu innocentiæ non fuisset esus carnium aut piscium, sed tantum fructuum arborum ac herbarum ; imo usus carnium et piscium, primo concessus est homini post diluvium. Nam Beda hic ait : Omnis herba

Gen. II, 16.

Usus carnium.

A et ligna data sunt hominibus et volatilibus et animantibus terræ in escam. Ex quo patet, quod tunc animalia esu animalium, hoc est, unum animal ex carnibus alterius, non vivebant, sed concorditer herbis et fructibus vescebantur. Iterum ait Beda hoc loco : Ante peccatum hominis terra nil noxium protulit, non herbam venenatam, nec arborem sterilem. Verumtamen Albertus quærit, an plantæ nocivæ ex figura, ut spinæ, vel ex humore, ut venenosæ, fuerint tertio die productæ. Ad quod B respondet : Plantæ quæ modo nocivæ sunt, non essent nocivæ, si homo non peccasset; nihilo minus essent in suis figuris atque humoribus, in quibus nunc sunt. Sicut nec ignis ureret, nec aqua suffocaret, si non fuisset peccatum : nihilo minus ignis esset calidus, et aqua humida. Simili modo respondet ad quæstionem qua quæritur, an animalia, perniciosa et venenosa facta sint ante peccatum originale, vel postea tantum. Thomas quoque in prima parte : Spinæ, inquit, et tribuli oriebanC tur in terra, antequam dictum est homini, Maledicta terra in opere tuo ; sed non in hominis pœnam. Attamen verbis Bedæ consonare videtur, quod in Scholastica historia legitur : Ante peccatum nil noxium aut sterile terra produxit, sed ista intelligi possunt, quod non erant venenata aut noxia ante peccatum, quantum ad actum seu usum.

Insuper quæritur : Cur Deus dedit homini quem immortalem condiderat, ista corporea elementa ? Respondetur, quod D immortalitas illa non fuit perfecta, nec talis qualis post resurrectionem communem speratur, videlicet necessitas non moriendi, seu impossibilitas moriendi ; sed erat talis, quod poterat non mori, et nisi peccasset, mortem non incurrisset. Talis autem immortalitas erat cibis sustentanda, quousque ad meliorem statum ac vitam perduceretur. Quærit præterea Beda : Qua utilitate accepit homo dominium super animalia cetera, et ad quos usus, sive ad quæ solatia sunt homini hæc

Digitized by Google

producta ? Respondet, quod quia Deus A prævidit hominem peccaturum, fecit illa ad usum ejus futurum, ut essent ei in alimentum, indumentum, et laboris auxilium. Augustinus etiam quærit : Quum homo ad Dei imaginem sit creatus, cur de eo dictum non est, Vidit Deus quod esset bonum, quod tamen de bestiis dictum est ? Respondet : Forsitan ideo, quia præscivit eum statim casurum, nec in imaginis perfectione mansurum. Potest et alia ratio dari, quia videlicet non sufficiebat esse virum solum. Propter quod B infra habetur : Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.

Amplius, circa illud, Masculum et feminam creavit eos, recitat Lyra, quod propter verba illa quidam Hebræi dicunt, primum virum ac mulierem, in specie humana esse simul formatos, eorumque corpora sic in lateribus fuisse conjuncta, quod reddebant unum continuum ; postea vero divina virtute esse ab invicem separata. Sed tam fatuum dictum satis impro- C bat Lyra : Primo, quoniam manifeste est contra textum sequentis capituli, quo habetur, quod formatis cunctis atque ad Adam productis, non inveniebatur adju- *Gen. II, 20 et seq.* tor similis ei ; et quod Deus tunc dixit, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi ; quod item ex costa Adæ ædificavit mulierem, de qua Adam tunc fatebatur : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Secundo, quoniam talis productio viri et feminæ, fuisset opus monstruosum, quem- D admodum legitur, quod in confinio Normanniæ et Britanniæ, natæ fuerunt duæ mulieres in corpore uno, ita quod omnia membra superiora usque ad umbilicum erant duplicia, inferiora vero simplicia. Porro quod vere fuerint duæ mulieres, hinc patuit, quod interdum una tristante, alia lætabatur ; et aliquando una dormiente, alia vigilavit ; una quoque mortua fuit ante aliam, amplius quam per annum ; unde illa tandem defuncta est ex pondere et fœtore cadaveris prioris defunctæ. In Scholastica vero historia fertur, quod ideo Scriptura pluraliter ait, Masculum et feminam creavit eos, ne putaremus eos factos hermaphroditos.

Denique, in testimonium primæ conditionis et subjectionis brutorum sub homine, sæpius contigit, quod aves et bestiæ, serpentes et pisces cesserunt, servierunt et obedierunt hominibus, ac beatissimis martyribus reverentiam, non læsionem, exhibuerunt : quod potissime in novo Testamento sæpissime accidit.

Et factum est ita. Quomodo verum est hoc, quum jam paulo ante legatur Deus dixisse, Crescite et multiplicamini, quod *Gen. I, 28.* nondum fuerat factum ? Itaque Augustinus refert istud, Et factum est ita, ad id quod immediate prædictum est, Ecce dedi vobis omnem herbam, etc., ut sit sensus : Factum est ita, id est, homo cognovit hæc sibi ac aliis esse concessa in cibum. Potest quoque absolute referri ad illos actus, de quibus jam dictum est : Benedixitque eis, et dixit Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Omnia namque simul accepta, erant præcipue bona, ita quod unum auxit bonitatem et utilitatem alterius, et mutuo se ornabant ; universaque simul accepta, optima apparebant, utpote sapientissime coordinata, et invicem deservientia, quemadmodum in exercitu unus confortatur ac adjuvatur ab alio, et universi se invicem ornant, protegunt, et constipant. Ordo quippe (ut divinus Dionysius testatur) est optimum quid in rebus. Unde ex coordinatione specierum, causarum et entium universi ad primum principium, major et admirabilis pulchritudo consurgit, quemadmodum in corpore naturali partes et membra invicem se perornant, bonificant, atque perficiunt. Vidit itaque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, hoc est, valde complacuerunt ei. Unde undecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Plato dixit Deum gaudio elatum, mundi univer-

Digitized by Google

sitate perfecta; per quod ostendit, opus A jam factum et conditum, placuisse suo
Ps. CIII, 31. Artifici. Hinc quoque Psalmista : Lætabitur Deus in operibus suis. *Et factum est vespere et mane dies sextus,* juxta expositionem præhabitam.

ARTICULUS XV

DE EXPOSITIONE HUJUS CAPITULI SECUNDUM AUGUSTINUM.

SICUT aliquoties prætactum est, beatus B Augustinus specialem habuit considerationem circa primam rerum productionem, et expositionem sex vel septem dierum, de quibus in exordio hujus capituli agitur : accipit enim dies illos non pro consuetis cursibus, seu spatiis temporis, nec prout temporalem important successionem, sed prout dicunt cognitionem mentis angelicæ, relatam seu comparatam ad sex genera rerum, in exordio mundi factarum.

Porro cognitio illa angelorum est du- C plex. Una, qua cognoscunt res in proprio genere : et hæc appellatur cognitio vespertina, quoniam omnis creatura per comparationem ad Deum, qui substantialiter lux est, est quasi caligo. Cognitio quoque rerum in se ipsis seu proprio genere, est quasi tenebra, respectu cognitionis qua cognoscuntur in Verbo æterno, seu immediate in Deo. Unde cognitio qua cognoscunt angeli res creatas in Verbo, dicitur matutina. Sicque exponit quod dicitur, Factum est vespere et mane dies D unus, seu secundus aut tertius, in quantum idem opus alicujus diei cognoverunt in proprio genere, quod est in vespere, atque in Verbo matutina cognitione, quæ dicitur mane.

Denique, ut istud plenius intelligatur, advertendum quod Thomas scribit super secundum, distinctione 12, dicens : Secundum Augustinum, illi sex dies sunt unus dies, simul præsentatus seu applicatus sex distinctionibus rerum secundum quas numeratur, quemadmodum unum Verbum
est in Deo, per quod facta sunt omnia, scilicet Filius Patris, quamvis frequenter legatur, dixit Deus. *Joann.* I, 3. Et sicut opera illa salvantur, et quodammodo manent in cunctis operibus sequentibus, quæ propagantur ex eis operatione naturæ, ita sex dies illi manent in tota temporis successione. Quomodo autem hoc sit, videndum est. Natura angelica, intellectualis est et lux est ; et si proprie lux est, illustratio ejus dicitur proprie dies. Angelica autem natura in principio conditionis rerum, cognitionem earum accepit; et ita lux mentis angelicæ, præsentabatur seu applicabatur quodammodo rebus creatis, in quantum cognoscebantur ab ea. Hinc ipsa cognitio rerum in mente angelica, dicitur dies; atque secundum diversa genera ac ordinem entium cognitorum, distinguuntur et ordinantur dies : ut primus dies accipiatur penes formationem spiritualis creaturæ in Verbo, secundus dies penes formationem corporalis creaturæ, quantum ad superiorem partem quæ firmamentum vocatur ; sicque de reliquis diebus, juxta comparationem ad opera ceterorum dierum. Sed quia creatura ex eo quod ex nihilo est, tenebras possibilitatis et imperfectionis habet admixtas ; ideo cognitio qua creatura cognoscitur a mente creata, tenebris est permixta. Potest autem ab angelo cognosci dupliciter : puta in Verbo secundum quod exit ab arte divina. Et hæc ejus cognitio dicitur matutina. Nam sicut mane finis est tenebrarum, et principium lucis, ita

Digitized by Google

creatura sumit a Verbo principium sui esse ac luminis, post suum non esse, seu postquam prius non fuerat. Cognoscitur etiam prout est in propria natura subsistens; et talis cognitio dicitur vespertina, propter hoc, quod sicut vespera est terminus lucis, et tendit ad noctem, sic creatura in se subsistens, est terminus operationis Verbi, utpote facta per Verbum, et de se in defectibilitatis tenebras tendens, nisi conservetur a Verbo. Nihilo minus ista cognitio dicitur dies, in comparatione ad ignorantiam, quæ omnino est tenebra, quemadmodum præsens vita justorum, caliginosa est respectu gloriæ Beatorum, quæ tamen lux est respectu vitæ pravorum. Insuper sustinentes cum Augustino, quod omnia sint simul creata, dicere possunt, quod dies præfati sumuntur penes illustrationem lucis corporalis, ita tamen, quod ordo dierum attendatur penes distinctionem ordinemque eorum, in quæ lux illa corporalis refulsit. Sicut enim angeli acceperunt cognitionem omnium naturalium rerum, ita lux corporalis super omnia corporalia se diffundit: ideo sicut Augustinus distinguit sex dies penes præsentationem lucis spiritualis primo die factæ, videlicet mentis angelicæ, relatam ad sex genera rerum; ita secundum præsentationem lucis corporalis ad sex genera rerum, sive ad opera sex dierum, possunt eodem modo sex dies distingui absque temporis distinctione et successione. Hæc Thomas in scripto secundi, et concordat secum Albertus in libro de Coæquævis, ac alibi.

Præterea in prima parte, quæstione 74, ait: Augustinus hos septem dies, de quibus in Genesi fertur, dicit esse unam diem, rebus septempliciter præsentatam, quia per diem intelligitur angelicæ mentis cognitio, ut prima dies sit cognitio primi operis divini, seu operis primæ diei, secunda dies cognitio secundi operis, sicque deinceps. Et dicitur unumquodque opus factum in aliquo die, quia nil fit in rerum natura, quod non innotescat menti angelicæ per impressionem illuminationis divinæ. Ex his videtur Thomas insinuare, quod secundum Augustinum opera sex dierum, sint distincte atque realiter simul facta, præsertim quum dicat in scripto secundi: In distinctione rerum Augustinus vult attendendum esse ordinem naturæ et doctrinæ, non temporis: naturæ, sicut sonus præcedit cantum; et ita quæ naturaliter sunt priora, prius facta dicuntur, ut terra prius quam animalia, et aqua prius quam pisces. Et iterum dicit, declarando, quomodo dies illi possunt esse una dies, et partes diei secundum lucem spiritualem, non secundum diversa cognita, sed secundum diversos modos cognitionis ejusdem rei. Et sicut dies tales non sunt successivi, quoniam angelus diversa rerum genera simul intuetur in Verbo; ita nec partes diei unius, quoniam simul † videt.

Insuper Albertus libro de Coæquævis apertissime scribit, quod secundum Augustinum omnia opera sex dierum, sint realiter ac distincte, seu actualiter et complete simul producta in uno instanti atque eodem momento. Primo quippe allegat sanctum Augustinum, dicentem: Omnia simul in uno momento sunt facta in materia, et distincta in forma et loco atque ornatu propriis speciebus. Deinde responsionem adjungit: Dicendum, quod Augustinus revera ponit omnia simul creata in materia et forma, quæ natura per se non potest producere motu superiorum et commixtione elementorum; ideo a principio factum est cœlum cum stellis, terra cum animalibus, aqua cum natatilibus atque volucribus. Breviterque dicendo, omnia in speciebus suis simul educta sunt, quæ per virtutem simplicem motus cœli, et per virtutem stellarum ex commixtione elementorum, sine alio motore educi non poterant, ut homo, leo, et consimilia, quæ præter virtutem cœli et elementorum, requirunt specialem motorem ad suam generationem. Hinc undecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus: Quales sint dies illi primi, valde difficile aut etiam impos-

Digitized by Google

sibile nobis est cogitare; quanto magis dicere? Videmus quippe, istos dies qui nunc sunt, non habere vesperam, nisi ex solis occasu; nec mane, nisi ex solis ortu. Illorum autem dierum tres primi, sine sole peracti sunt, quum sol quinto die factus legatur.

I *Thess.* v, 5. Denique Apostolus ait: Omnes vos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum. Si tamen aliquatenus valeamus intelligere congruenter mane et vesperam hujus diei, quoniam scientia creaturæ, comparatione scientiæ Creatoris, vesperascit; lucescit autem et mane fit, quum et ipsa refertur ad laudem dilectionemque Creatoris; nec in noctem mergitur, ubi Creator non relinquitur creaturæ amore. Quumque dies illos Scriptura dinumeraret ex ordine, nunquam interposuit nomen noctis. Cognitio namque creaturæ in se ipsa, est decoloratior, quam quum sub Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est; ideo congruentius dici potest vespera, quam nox: quæ tamen dum refertur ad laudandum amandumque Creatorem, recurrit in mane; et quum hoc facit in cognitione sui ipsius, dies unus est; dum in cognitione firmamenti, dies secundus; dum in cognitione terræ et maris et omnium quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius; dum in cognitione luminarium et stellarum, dies quartus; dum in cognitione omnium animalium natantium et volantium, quæ sunt ex aquis, dies quintus; dum in cognitione omnium animalium terrenorum ac hominis, dies sextus. Porro quum die septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis, requies Dei significat requiem eorum, qui requiescunt in eo, et quos ipse requiescere facit. Hoc namque significatum est in populo veteris Testamenti sabbati vacatione et legis præcepto.

At ubi Scripturæ loquuntur de mundi creatione, non dicitur satis evidenter, utrum aut quo modo seu ordine creati sint angeli; sed si prætermissi non sunt, significati sunt nomine cœli, quum dictum est, In principio creavit Deus cœlum et terram. Vel potius nomine lucis, de qua legitur, Dixit Deus: Fiat lux. Quod autem prætermissi non sint, hinc puto, quoniam scriptum est, Deum requievisse die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit, quum liber Genesis ita exorsus est, In principio fecit Deus cœlum et terram, ita ut ante nil videatur fecisse. Quum ergo a cœlo et terra inceperit, et terra invisibilis et incomposita fuerit, luce quoque nondum facta tenebræ fuerint super faciem abyssi, id est super quamdam indistinctam confusionem terræ et aquæ, deinde si omnia disposita sunt, quæ per sex dies facta narrantur: quomodo angeli prætermitterentur, quasi non essent in operibus Dei, a quibus die septimo requievit? Si igitur angeli pertinent ad opera Dei horum dierum, ipsi sunt lux quæ dies vocata est: ad cujus diei unitatem commendandam, non est dictum, dies primus, sed, dies unus. Nec alius est dies secundus, vel tertius, aut ceteri; sed idem unus dies repetitus est, ad implendum senarium aut septenarium numerum, utpote propter senarium operum, et septenarium quietis diei. Quum enim dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux. Si in hac luce recte intelligitur angelorum creatio, facti sunt utique participes lucis æternæ, quæ est incommutabilis sapientia et unigenitus Filius Dei, ut ea luce illuminati, qua et creati, sint et ipsi lux, non in se, sed in Deo; nec prius tempore angeli tenebræ erant, sed simul ut facti sunt, lux facti sunt, ut sapienter beateque viverent. Illi equidem angeli sancti non per verba discunt, sed per ipsam incommutabilis veritatis præsentiam. Melius enim sciunt creaturam in sapientia Dei quam in se ipsa; imo et se ipsos melius in sapientia et Verbo Dei, quam in se ipsis. Verumtamen et in se ipsis cognoscunt se, quoniam facti sunt. In Deo ergo cognoscunt se tanquam diurna cognitione, in se ipsis vero tanquam notitia vespertina.

Angelorum creatio. Gen. II, 2.

Multum enim differt, an aliquid cognoscatur ea ratione, qua factum est, an in se ipso. Sicque opera sex dierum aliter cognoscuntur ab angelis sanctis in Deo, aliter in se ipsis: quæ opera quum ad laudem venerationemque Creatoris referuntur, tanquam mane lucescit in mentibus contemplantium. Hæc autem opera, propter senarii numeri perfectionem, facta narrantur sex diebus, hoc est eodem die sexies repetito; quoniam per senarium numerum significata est perfectio operum. Numerus enim senarius primus completur, hoc est, sexta parte sui, et tertia atque dimidia, quæ sunt unum et duo ac tria: quæ in summam ducta, sex fiunt. In quo numero perfecit Deus opera sua. Hinc ratio numerorum spernenda non est, qui in multis Scripturarum locis quam magni existimentur, constat intuentibus diligenter, nec frustra in laudibus Dei dictum est, Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. Porro, in septimo die, hoc est eodem die septies repetito, qui etiam numerus alia ratione perfectus est, Dei requies commendatur. In qua ut primo sanctificatio sonat, ita Deus noluit istum diem in ullis suis sanctificare operibus, sed in requie sua, quæ nequaquam vesperam habet, quum non sit res creata. De septenarii quoque numeri perfectione plurima dici possent, de quo sufficiat dicere, quod ternarius est primus numerus totus impar, quaternarius autem totus par, ex quibus duobus septenarius constat, idcirco pro universitate multoties ponitur.

Sap. XI, 21.

Hæc omnia sumpta sunt ex diversis capitulis undecimi libri de Civitate Dei. Ex quibus patere potest intentio Augustini, et qualiter primum libri Genesis capitulum intelligat: nempe quum dicitur, In principio creavit Deus cœlum et terram; per cœlum intelligit naturam angelicam, seu angelos universos secundum se consideratos, et quasi informes, hoc est ut nondum ad Creatorem conversos. Per terram vero, intelligit materiam primam omnino informem, ab omni forma abstractam, non

A quod unquam fuerit sic abstracta realiter, aut aliquo tempore ante omnem formam, sed solum prioritate naturæ, sicut sonus est prior voce, et vox verbo. Eamdem demum materiam dicit significatam nomine abyssi et aquæ. Et dicit quod Moyses rudi populo loquens expressit materiam illam informem per nomina rerum istarum notarum. Materiæ etenim competit triplex proprietas. Prima est retinere, et ita designatur per terram. Secunda est recipere, et ita designatur per aquam. Tertia est B carere omni perfectione formali et actuali, et ita vocatur abyssus, ab *a,* quod est sine, et *basis,* quasi sine base aut fundamento subsistendi. Vel ab *a* et *byssus,* quod est genus candidissimi lini, quasi sine candore et perfectione. Hæc quoque materia erat in se inanis, vacua, tenebrosa. Nunquam tamen realiter exstitit sine luce, secundum Augustinum, qui dicit solem in exordio perfecte productum.

Materiæ proprietates tres.

Deinde quum dicitur, Fiat lux: per lucis productionem, intelligit angelorum for- C mationem, et conversionem ad Creatorem, ut ante expositum est. Præterea, dum firmamentum scribitur secunda die factum, non intelligitur alia dies secundum istam positionem, quum omnia opera sex dierum simul facta existimet, et omnes dies illi sint unus dies, juxta sensum nunc introductum. Præterea, dum aqua legitur tertia die congregata, apparuisseque arida, non est intelligendum secundum hanc viam, quod aqua unquam operuit totam terram, aut tunc ab elemento terræ remo- D ta sit, sed quod tunc informi materiæ impressa est forma substantialis aquæ, per quam aqua suum naturalem motum sortitur; quod item alteri parti ejusdem materiæ impressa est forma substantialis terræ, per quam competit terræ, esse et videri quod est. Simili modo exponit de firmamento, non quod informitas formationem secundum tempus præcessit.

Insuper quum tertio die legitur dictum, Producat terra herbam, etc., exponit Augustinus causaliter, ita quod tunc data

Digitized by Google

est terræ virtus propagandi similia ex similibus, quum prima die productæ sint plantæ, sicut et aliæ species rerum. Nam Gen. II, 4, 5, et infra habetur : Istæ sunt generationes cœli et terræ in die quando creata sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum antequam oriretur in terra. Nihilo minus secundum Augustinum, totum istud simul peractum est, quum tertius dies non sit posterior primo per successionem. Deinde quum luminaria et sidera facta narrantur quarto die, intelligit hoc, quantum ad relationem angelicæ cognitionis ad hoc quartum genus operis Dei, quod tamen prima die distincte productum est. Rursus, dum quinto die pisces et aves facti referuntur ex aqua, exponit causaliter, sicut de productione plantarum ex terra, ita quod juxta Augustinum, quarta die data est aquæ virtus causalis ad productionem præfatam, quod tamen realiter factum est simul secundum eum. Et idem dicendum de opere sextæ diei. Si autem quis capere nequeat ista, audiat Augustinum super Genesim, sic loquentem : Quum A audis tunc omnia facta esse simul, illam senariam repetitionem sine intervallis temporum factam apprehende, si potes ; si vero non potes, relinque hæc apprehendenda eis qui possunt, tu autem profice cum Scriptura, tuæ infirmitati deserviente, atque materno incessu tecum tardius ambulante, quæ sic loquitur, ut superbos altitudine sua irrideat, profunditate sua attentos perterreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvos enutriat. Unde secundum Gregorium, Scriptura sacra est fluvius, in B quo peditat agnus, natatque elephas.

Verumtamen huic expositioni Augustini non immoror, quoniam propter motiva septimo articulo tacta, ei consentiendum non reor, sed sicut Augustinus multum sobrie, et absque omni incauta assertione ipsam deprompsit, sic reverenter tractanda est, non indecenter ab aliquo respuenda ; præsertim quia perutilis est ad defendendum Scripturam ab irrisione perfidorum, in propriis oculis sapientum, quasi sensum Dei cognoscant, quum propriæ præsumptionis excæcati sint tenebris.

ARTICULUS XVI

DE SPIRITUALI AC MYSTICA HUJUS CAPITULI EXPOSITIONE.

SCRIPTURA sacra fecundissima est, et multiplicem parit sensum ; atque historice gesta, spiritualem continent intellectum. Quemadmodum ergo Creator in principio, hoc est in unico Verbo suo, et in exordio sæculorum fecit cœlum et terram, sic in principio fecit angelos electos et sanctos qui designantur per cœlum, et angelos malos qui designantur per terram, quia a summo bono aversi, ad vanitatem ac vilia sunt conversi, et meruerunt sub terra recludi. Unde et Jeremias loqui-
Jer. XVII, 13. tur Deo : Recedentes a te, in terram scribentur. Et quamvis Deus non fecerit eos C malos, sed propria voluntate aversi sint, attamen fecit eos, quantum ad id quod substantialiter sunt. Itaque sicut Deus in principio simul creavit summa et infima, cœlestia et terrena, spiritualia et corporalia ; ita in principio simul condidit prædestinatos atque præscitos, electos ac Rom. IX, 22. 23. reprobos, vasa misericordiæ, vasaque iræ. Insuper, ab exordio primæ ætatis mundi, creavit homines quosdam electos, spirituales ac virtuosos, qui designantur per cœlum ; homines quoque carnales ac re- D probos, qui exprimuntur per terram. Ab initio etenim, boni et mali cœperunt esse

Digitized by Google

permixti. Rursus, quemadmodum Deus A creavit species universi, videlicet angelos, cœlestia corpora, elementa et mixta, in multiplici varietate ac ordine naturalium perfectionum ; ita in angelis primo, deinde in hominibus posuit supernaturalia dona gratiæ ac virtutum, in multiformi gradu, distinctione, et ordine imperscrutabili.

Terra autem erat inanis et vacua. Terra ista, mystice est homo terrenus vel carnalis, qui sibi ipsi relictus, et secundum se consideratus, vanus, deformis, et vacuus est, utpote ornatu virtutum privatus, et B spiritualibus gratiis destitutus. Propter quod dixit Christifera Virgo : Divites dimisit inanes.
Sap. xiii, 1. Sapiens quoque : Vani sunt omnes quibus non subest scientia Dei. *Et tenebræ erant super faciem abyssi :* hoc est, ignorantiarum et vitiorum caligo operuit corda humana, quousque Deus ea illuminavit, imo usque ad Christi adventum et evangelicæ legis promulgationem, tenebræ pro maxima parte dominabantur hominibus. Propter quod in Actibus lo-
Act. xvii, 30. quitur Paulus : Tempora prioris ignoran- C tiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quemadmodum in Apocalypsi
Apoc. xvii, 15. habetur, Aquæ multæ populi multi. Unde
Eccle. xi, 1. et Salomon : Mitte, inquit, panem tuum super transeuntes aquas. Itaque Spiritus Domini ferebatur super aquas, quando libere quosdam homines gratiose convertit ad se, et instabilia corda eorum, instar aquarum peccando labentia ac defluentia,
Hebr. xiii, 9. solidavit per gratiarum charismata. Opti- D mum quippe est gratia stabiliri cor. Ideo
Ibid. ii, 1. dicit Apostolus : Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus.

Dixitque Deus : Fiat lux. Hoc dixit ac adimplevit, quando electorum corda cœpit desuper illustrare, et lucem miserationum suarum multiplicare ac mirificare in eis, quia in omni mundi ætate fuerunt semper aliqui boni. *Divisitque lucem a tenebris,* hoc est justos a peccatoribus, et electos a reprobis ; illos misericorditer vocans, visitans, et informans, istos juste relinquens. *Appellavitque* (Deus) *lucem diem.* Hæc quippe lux gratiæ, fides, seu cognitio propriæ culpæ, infusio quoque doni sapientiæ, et contemplatio divinorum, est pulcherrimus dies mentis, de quo loquitur Paulus : Dies autem appropinquavit. Et Rom. xiii, 12.
Isaias : Erit dies ex die. *Et tenebras noctem.* Is. lxvi, 23.
Vitia enim, nox cordis sunt. Hinc impiis semper nox est. Omnis enim qui Joann. iii, 20.
male agit, odit et fugit lucem. Via vero et vita impiorum tenebrosa. Hinc juxta Apostolum, Qui dormiunt, utpote negli- I Thess. v, 7.
gentes, nocte dormiunt ; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nisi enim nox ignorantiæ seu inadvertentiæ, aut peccati obfuscaret corda eorum, torporem et immoderantiam penitus abhorrerent ac devitarent. *Factumque est vespere et mane dies unus.* Vespera lucis præfatæ, dici potest cessatio ab actu virtutis et gratiæ. Non enim possumus in hac vita sine interruptione Deo vacare, aut actualiter semper virtuosis operibus occupari. Mane vero, est renovatio aut repetitio actus virtuosi, ad tempus intermissi : quod dum agimus, completur in nobis dies unus interior.

Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Firmamentum istud est Ecclesia electorum, quæ, teste Gregorio, ab Abel justo cœpit, quæ divisit inter aquas et aquas, videlicet inter diversas nationes et gentes, quas dijudicavit et separavit ab invicem, et quosdam convertit, incorporavitque sibi. Divisit quoque inter aquas quæ supra se sunt, et eas quæ infra se sunt, id est inter divinam Scripturam et supernaturalem sapientiam atque angelicam illuminationem, et inter sæculares philosophicasque scientias, seu hæreticorum documenta nefaria, et superstitiosas ac falsas doctrinas. In quibus omnibus separavit pretiosum a vili, verum a falso, amplectens vera atque salubria, et reprobans falsa itemque inania. Unde hortatur
Apostolus : Doctrinis variis et peregrinis Hebr. xiii, 9.

Digitized by Google

Coloss. II, 8. nolite abduci. Et, Nemo vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam. Qui etiam de Ecclesia contestatur ad Timotheum : Quæ est columna et firmamentum veritatis. (I Tim. III, 15.) Ecclesia namque (ut ait Chrysostomus) fortior ac solidior est cœlo et terra. Ipsa enim est domus quam sibi ædificavit Sapientia, et firmavit columnis septem, id est septem donis Spiritus Sancti, vel potius universis donis ac gratiis Dei, quia per septem universitas designatur. Tunc factus est secundus dies, videlicet confirmatio cordium humanorum in fide B catholica, sine qua nemo unquam quivit salvari. Et vocavit Deus firmamentum cœlum. Non solum Ecclesia, sed et quilibet justus, discretus ac sapiens, qui præfato modo inter aquas et aquas discernit, cœlum seu homo cœlestis vocari meretur. Qui enim biberit de aqua quam Christus propinat, de aqua utique sapientiæ salutaris, et intellectum suum defigit in arduis et excelsis, sola cœlestia pensans, atque in lege Dei jugiter meditans, et juxta Apostolum, quæ sursum sunt quærens ac C sapiens, talis rite cœlum dignus est appellari, et approbatur a Deo, quemadmodum scriptum est : Vidit Deus quod esset bonum. (Eccli. XV, 3. — Coloss. III, 1, 2.)

Dixit vero Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Aquæ istæ cœlo inferiores, sunt (juxta prætacta) falsæ doctrinæ, errores, curiositates ac vitia, et etiam homines vitiosi ac infideles : quæ omnia sunt ab Ecclesia Dei tollenda, atque in locum unum trudenda, arctanda et coercenda, ut D aqua lacrimarum mergantur, et igne pœnitentiæ comburantur, seu cum principe tenebrarum descendant in tartarum. Denique locus aquarum istarum, est ecclesia malignantium, et præsens sæculum nequam. His itaque aquis remotis, apparet arida, hoc est, Ecclesia Dei a vitiorum fluviis desiccata, et ab humore concupiscentiæ arefacta, quæ tunc aliis præbet virtutum exempla. Sic quoque quilibet nostrum debet aquas istas a se toto conatu abjice- A re, pœnitendo et juste ac timorate vivendo, ne cum perversis pervertatur et erroribus implicetur, quatenus ita appareat arida, id est bona cordis sui terra, in qua semen Dei fructificet, imo ortum, faciat centuplum fructum. Hæc, inquam, appareat, hoc est, exemplaris atque conspicua fiat, et coram Deo irreprehensibilem se præsentet. (Ps. XVII, 27. — Luc. VIII, 8.) *Et vocavit Deus aridam terram.* Quemadmodum arida, nuncupata est terra, quasi pedibus trita ; ita etiam militans Ecclesia et quilibet justus, rite dicitur terra, quia diversis tribulationibus modo subjicitur, atque ab impiis multoties conculcatur. *Congregationes autem aquarum maria* sunt vocata, id est, conventicula iniquorum et collectiones errorum ac vitiorum, inquietudine, turbulentia et amaritudine sunt repleta, etiam si ad tempus videantur aliquid suavitatis habere. *Et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum.* Exclusis vitiis, Ecclesia et anima pia producit flores dulcissimos atque virentia gramina, utpote meditationes salubres, virtuosas affectiones et opera bona ; virtutes quoque et dona Spiritus Sancti tanquam arbores fecundæ, plantantur et oriuntur in ea. Quumque alios convertit ad Dominum, producit ligna pomifera. Quemadmodum enim injusti sunt arida ligna, sic justi sunt ligna fecunda, quæ plantata sunt juxta decursus aquarum. (Ps. I, 3.)

Fiant luminaria in firmamento cœli. Luminaria sunt boni prælati, sancti doctores, et omnes contemplativi atque perfecti. (Luminaria quid.) Stellæ autem sunt omnes Ecclesiæ filii, qui fide, spe et charitate rutilant. Præsertim vero per duo magna luminaria, intelliguntur duæ potestates Ecclesiæ, puta papalis, quæ est luminare majus ; et imperialis sive regalis, quæ est luminare minus, quanquam luminare minus accipi possit episcopalis auctoritas. Extensius quoque loquendo, luminare majus est potestas spiritualis ; luminare minus, potestas sæcularis, quæ et per duos gladios designantur. Spiritualis vero potestas præ-

Digitized by Google

est diei, utpote clero; sæcularis nocti, id A est vulgo. Rursus luminare majus est evangelica lex, seu novi Testamenti Scriptura, quæ præest diei, id est plebi ac tempori gratiæ. Luminare minus, est vetus Testamentum, quod præerat nocti, id est populo Synagogæ, in qua omnia erant
Rom. xiii, 12. velata. Unde dixit Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Denique luminaria ista, præcipue spiritualis ac papalis potestas, sunt in signa; quia insinuant subditis quid agere debeant, et oculi subditorum diriguntur in eos quasi B in signum, et positi sunt in signa quibus obediatur, quanquam nunc eis contradicatur a multis. Sunt item in tempora et dies et annos, quoniam multa instituunt, quæ singulis annis, certis diebus, et præfixis temporibus observentur, videlicet festa, jejunia, et consimilia.

Quinto die produxit aqua pisces et aves, id est, Ecclesia per fontem Baptismi regeneravit ac peperit Christo homines quosdam, qui in tribulationibus et persecutionibus quasi in aqua natant, et quosdam C instar avium ascendentes ad superiora per
Philipp. iii, 20. contemplationem, quorum conversatio est in cœlis. *Creavitque Deus cete grandia.* Hoc fecit ubertim, dum baptizatis tantam contulit gratiam, quod creverunt in viros sublimes, in omni adversitate tribulationeque patientes, qui in afflictionibus, correptionibus atque jejuniis, quasi in omnibus divitiis gloriantur. His demum benedixit Deus, ut crescant et multiplicentur, id est, gratiam sibi concessam, in alios administrent, et numero ac merito augeantur.

Sexto die terra produxit jumenta, bestias atque reptilia. Ecclesia quippe non solum parit homines obedientes et obsequiosos, qui per jumenta signantur; sed item feroces, qui signantur per bestias; et avaros, qui tanquam reptilia terrenis adhærent: quos tamen Ecclesia non parit, quantum ad mala hæc. Possunt etiam bestiæ et reptilia exponi in bono, intelligendo per bestias eremitas et anachoretas, qui omnem societatem, præsentiamque humanam vitantes, instar ferarum in latibulis solitudinum et vastitate eremorum sunt commorati. Rursus bestiæ dici possunt homines imperfecti, qui a bestialibus motibus adhuc infestantur, præsertim qui ad iram, impatientiam, indignationem, amaritudinemque proclives sunt. Reptilia vero accipi possunt rudes, indocti et materiales, qui se super se levare non didicerunt, sed in sensibilibus detinentur, quamvis desiderent et conentur Deo placere, qui in statu sunt incipientium. Nihilo minus per reptilia possunt humiles designari, qui se ipsos inaniter non extollunt, sed circa propriæ defectuositatis et conditionis ac culpæ considerationem versantur, quasi in terra repentes.

ARTICULUS XVII

SOLUTIO QUARUMDAM QUÆSTIONUM CIRCA CAPITULUM ISTUD.

Is. xl, 13. QUAMVIS veraciter scriptum est, Quis D cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? attamen quæri potest, cur Deus non produxit omnia simul distincte, sed per sex dierum successionem. Ad hoc utique possunt causæ rationabiles assignari. Prima est, ut per hoc clarissime demonstraret, quod non necessitate naturæ, sed liberrima voluntate sit rerum causa : unde nec ab æterno condidit mundum. Alia causa est, quoniam sicut Deus creavit omnia corporalia propter

Digitized by Google

hominem, sic voluit ut modus creationis eorum esset ad hominum informationem perutilis : quod potissime factum est per hoc, quod per senariam successionem dierum, res creatæ completæ sunt. Ex hoc namque ostenditur, quod oporteat hominem paulatim proficere, et omnem distinctionem, ornatumque gratiæ ac virtutum exspectare a Deo. Denique, ex hoc ipso monstratur, quantum intersit inter animam virtutibus ordinatam, et animam vitiis deordinatam atque confusam. Rursus, per hunc modum producendi hæc omnia, dedit nobis Creator exemplum consulte ac moderate, non repente aut quasi improvise seu præcipitanter agendi. Iterum, ut suo exemplo doceret nos sex diebus operari, et septima die, seu die ei succedente, in Deo quiescere, et solis divinis vacare.

Secundo quæritur circa hoc, quod circa præsens capitulum communiter dicunt expositores, videlicet quod Plato posuit tria increata rerum principia, scilicet Deum, ideam, et *hylen,* seu materiam primam ; Aristoteles vero duo, puta materiam, et speciem seu formam, et tertium quod operatorium dicitur seu effectivum, utpote Deum. Et istud in principio secundi Sententiarum habetur. Unde in principio Hexaemeron scribit Ambrosius : Miror tantum opinionis assumpsisse homines, ut quidam eorum ponerent tria principia omnium, ut Deum et exemplar atque materiam, sicut Plato et discipuli ejus, et ea assererent esse increata et incorrupta ; Deum quoque non tanquam creatorem materiæ, sed tanquam artificem, ad exemplar, id est, ideam intendendo fecisse mundum de materia quam *hylen* appellant. Quæritur ergo, an Plato hæc dixerit. Et apparet quod imo, ex his quæ loquitur in Timæo, et quia sancti Patres atque doctores catholici istud ei imponunt. Sed videtur contrarium, quia in primo Timæi vocat Deum mundi conditorem, et ponit quod unus sit mundus, quia ab uno exemplari conditoris sui profluxit. Præterea A doctrina Platonis est, quod quidquid boni est in toto universo, a primo summo et essentialiter bono per participationem manavit. Insuper, decimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Platonici dixerunt, mundum et deos et animas rationales, Deo coæterna, et tamen ab ipso Deo esse creata, ponentes exemplum : si pes ab æterno stetisset in pulvere, vestigium esset ei coæternum, et tamen ab ipso causatum. Iterum Plato apertissime docuit, omnem multitudinem rerum ab uno esse B principio : ergo non posuit nisi unum principium simpliciter primum.

Ad ista arbitror respondendum, quia ut ait Augustinus in libro de Civitate Dei, Platonis sententiæ de altis et arduis rebus, non faciliter perspiciuntur seu non clare intelliguntur. Amplius dico, quod Plato posuit unum summum et verum Deum in se ipso æternaliter invariabiliterque perfectum et infinitum, et omnia sapienter agentem secundum exemplares rationes in se ipso contentas, nec respicere ad C exemplar ab alio elaboratum, aut extra se positum. Verumtamen verum est, quod ponebat ideas extra mentem divinam ; sed qualiter, et quid dixerit eas habere a summo bono, et qualiter intenderit dicere, quod informis illa materia seu elementorum confusio præcesserit eorum formationem, difficile est resolute exprimere. Attamen reor, quod juxta Platonis doctrinam, etiam ipsa *hyle* seu prima materia, et quidquid est citra summum Deum, ab ipso summo Deo processerit. D Nempe ut Thomas in commento suo super librum de Causis fatetur, Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica mentem Platonis magistri sui plene expressit. Proclus autem theoremate 34 suæ Elementationis effatur : Omne quod secundum naturam convertitur, ad id facit conversionem, a quo et processum propriæ subsistentiæ habet. Deinde in explanatione propositionis ostendit, quod sicut omnia ad primum principium convertuntur, ita ab ipso esse sortita sunt. Unde ibidem

Digitized by Google

concludit : Ex his itaque manifestum, (A) quod appetibile omnibus est intellectus, et procedunt omnia ab intellectu, et totus mundus ab intellectu substantiam habet, et si perpetuus sit, non propter hoc procedit, quia perpetuus : neque enim propter hoc non est conversus, quoniam semper est ordinatus. Sed et procedit semper, et conversus est semper. Rursus asserit Proclus : Omnis multitudo fecunda est ab uno. Et denuo : Omnia, inquit, qualitercumque participantia bono, præcedit quod primo bonum, et quod nihil aliud est (B) quam bonum. Præterea, quod et prima materia juxta Platonem a Deo manaverit, pandit Proclus theoremate 59, in cujus commento ait : Propter quod extremum entium est simplicissimum, sicut et primum, quia a solo primo processit. Per extremum equidem entium, intellexit primam materiam, quod denuo in alterius propositionis commento fatetur : Ex his, inquiens, manifestum, propter quid materia ex uno subsistens, expers est secundum se speciei entis : materia quidem (C) omnium exsistens subjectum, ex omnium causa ens processit. Præterea de Aristotele certum est, quod dixit, a primo ente omnibus derivatum esse et vivere. Unde in libro de Substantia orbis, apertissime asserit Commentator, quod nunquam fuit intentio Aristotelis, dicere quod Deus esset causa cœli solum quantum ad conservationem aut motum ipsius, sed etiam quoad cœli substantiam.

Amplius, quia per cœlum quidam intelligunt naturam angelicam seu angelos, (D) breviter quæritur, an angeli sint creati in gratia gratum faciente, et caritate; et item, an fuerunt creati ante mundum sensibilem. Ad primum horum dicendum, quod sicut doctores scribunt super secundum Sententiarum, de hoc sunt duæ opiniones, nec est certitudo quid circa hoc verius sit. Augustinus namque in pluribus locis videtur sentire, quod fuerunt creati in gratia, ita quod Deus simul in eis creavit naturam, et largitus est gratiam. Hinc Albertus in libro de Coæquævis, et Thomas in scripto secundi, ac alii multi tenent, quod fuerunt in caritate et gratia conditi. Magister autem Sententiarum, et Bonaventura, ac alii plures, magis divertunt ad aliam opinionem. Ad secundum dicendum, quod doctores Latini et Augustinus communiter tenent, quod angeli fuerunt simul cum sensibili mundo isto creati. Doctores vero Græcorum dicunt, quod diu ante creationem cœli et terræ fuerunt creati, quos in hoc Hieronymus est secutus. Dicitque Thomas in prima parte, quod positio illa non debeat aspernari aut abjici quasi erronea, potissimum propter reverentiam Gregorii Nazianzeni, qui tantæ auctoritatis exstitit in Scripturis, quod nullus unquam ausus fuit eum negare, sicut nec Athanasium, ut refert Hieronymus.

Quæritur quoque, cur Moyses non fecit expressam mentionem de angelorum creatione. Ad hoc communiter respondetur, quod ideo, quoniam rudi populo atque ad idololatriam prono loquebatur, qui invisibilium non fuerunt capaces. Et si cognovissent esse tales intellectuales substantias præclarissimas, fuissent ad earum adorationem proclives. Sed contra hoc objici posset : Quod si sic, ergo Moyses non debuit postea aliquam facere mentionem de angelis, quum tamen in hoc Genesis libro scribat, quod angeli fuerunt obviam Jacob, de quibus ipse tunc dixit : Castra Dei sunt hæc. (*Gen.* XXXII, 2.) Hinc alii dicunt, quod Moyses satis expressit angelos nomine cœli. Verumtamen Rabbi Paulus affirmat, quod Hebræi dicunt angelos secunda die creatos, quod tamen probabilitatem non habet.

Quæritur item circa hoc, quod doctores testantur Moysen innuisse personalem distinctionem in Deo, quum scripsit : In principio creavit Deus cœlum et terram. Quocirca sciendum quod Magister Sententiarum primo libro, distinctione 2, et Nicolaus de Lyra in quadam quæstione, pluresque alii dicunt, quod in exordio Genesis, quo habemus, In principio crea-

Digitized by Google

vit Deus, Hebraica veritas pro hoc nomine Deus, habet Elohim, quod est plurale hujus nominis El, quod significat Deum, ita quod Elohim significat Deos, ac si Moyses dixerit : In principio Dii creavit cœlum et terram : sic quod pluraliter dicendo Dii, insinuavit distinctionem Personarum in Deo; et earumdem unitatem in essentia, singulariter subdens, creavit. Hanc autem Magistri sententiam approbat Rabbi Paulus, et addit, quod quidam Hebræorum doctores exponunt hoc loco Elohim pluraliter, non tamen ad insinuandum A pluralitatem Personarum in simplici Deo, sed diversitatem virtutum seu potestatem procedentium ab eo. Hoc autem Rabbi Paulus sufficienter redarguit. Quum igitur S. Moyses intenderit filios Israel a pluralitate deorum revocare ad cultum unius Dei, non est verisimile, quod in exordio suæ scripturæ pluraliter Deum expresserit sub nomine Elohim, nisi ad insinuandum pluralitatem Personarum in Deo. Verumtamen in Scholastica historia dicitur : Hebræus habet Elohim, quod tam singulare quam plurale est.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : IGITUR PERFECTI SUNT COELI, USQUE AD ILLUD : ISTÆ SUNT GENERATIONES COELI ET TERRÆ.

CAPITULUM istud secundum, conclusio est et declaratio plenior eorum, quæ sunt in primo capitulo contenta. Multa quoque nunc adjiciuntur. Itaque ait : *Igitur perfecti sunt cœli et terra.* Quemadmodum in exordio primi capituli, quo habetur, In principio creavit Deus cœlum et terram : per cœlum et terram, intelliguntur omnia cœlestia corpora, imo et spirituales et intellectuales substantiæ, quarum habitatio est in cœlo, et omnia elementa; ita hoc loco per cœlum et terram, eadem intelliguntur, quæ omnia perfecta, id est completa, creata, instituta atque distincta sunt in primis diebus. Nam primo die creata sunt et distingui cœperunt, quæ distinctio die secundo ac tertio consummata describitur, sicut præhabitum est. *Et omnis ornatus eorum,* supple, perfectus est. Nam ceteris tribus diebus ornata sunt, utpote quarto, quinto et sexto diebus, sicut expositum est.

Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat. Si intra sex dies perfecti sunt cœli et terra, atque omnis eo- D rum ornatus : quomodo septimo die complevit Deus opus suum quod fecerat sex diebus? Et respondendum, quod septimo die illud complevit, quia perfectioni quam infra sex dies contulit operi suo, addidit aliam septimo die. Unde et alia translatio continet, Complevit Deus sexto die, etc. Nempe per opus Dei, intelligitur hoc loco congeries seu universitas operum sex dierum. Quemadmodum autem unaquæque res dicitur perfici seu perfecta uno modo, quando acquirit aut habet omnia ad suam C essentiam ac subsistentiam pertinentia, sicut leo fertur perfectus, dum habet suæ speciei formam substantialem atque materiam, et concomitantia eas; alio autem modo, quando exercet operationem sibi convenientem, per quam finem suæ institutionis attingit : sic universum seu mundus, qui est opus sex dierum, dicitur uno modo perfectus, quando adeptus est et accepit omnes partes ac species ad suam integritatem spectantes. Et hanc perfectionem sexta die sortitus est. Sicque asseritur Deus sexto die opus suum complesse.

Mundus perfectus.

Digitized by Google

Alio modo mundus vocatur perfectus, in quantum partes et species ad suam integritatem ac ordinem pertinentes, cœperunt operationes sibi convenientes, propter quas exercendas institutæ fuerant, exercere et exsequi. Sicque dicitur Deus septimo die opus suum complesse, quoniam septimo die cœperunt opera sex dierum generaliter exercere actus congruos sibi, et in invicem agere, atque similia propagare, seu administrari ac gubernari. Joann. v, 17. De quo opere locutus est Christus : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Hinc paulo post dicitur Deus diei septimo benedixisse, sicut mox exponetur. Sic itaque complevit die septimo opus suum, illud deinceps administrando, movendo ac gubernando, ac secundariis perfectionibus illud ornando. Rursus, tunc illud complevit, id est, consummatum ostendit. Itemque complevit, quoniam plures species rerum non condidit. Et iterum, quoniam septimo die aliquid egit quod ante non fecit. Nam septimo diei benedixit, et eum sanctificavit.

Et requievit Deus die septimo ab universo opere quod patrarat. Operibus sex dierum ultra prædicta nil addidit, quod ad præfatam mundi integritatem ac ordinem universi spectaret, sicque ab eis requievit, id est, plura creare cessavit, ita quod deinceps nil fecit, quod non aliquo modo in operibus illis præcesserit seu continebatur, utpote virtualiter, materialiter, aut similitudinarie. Denique requievit, non quod operando laboraverit, lassatusve fuerit, quippe qui solo jussu condidit universa. Requievit etiam non a motu, nec requievit in operibus suis, quasi in illis quies, perfectio, aut beatitudo seu finis suus consistat; sed requievit ab eis in semetipso, tanquam sibi ipsi in se prorsus supersufficientissimus, nec aliquo indigens. Verumtamen in intellectualibus creaturis quievit per gratiam, atque in omnibus fuit per essentiam, præsentiam ac potentiam. Unde et sic exponi potest : Requievit, id est, intellectualem creaturam A in se quiescere fecit aut monuit. Præterea per hoc quod dicitur, Ab universo opere quod patrarat, datur intelligi, quod non cessavit alia quædam operari deinceps.

Benedixitque Deus diei septimo. Sicut ait Gregorius, Benedictio Dei est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Quoniam ergo juxta prætacta, Deus septimo die quamdam specialem perfectionem et influentiam ac decorationem contulit, et adjecit operibus sex dierum, B recte dicitur septimo benedixisse diei. Diei namque ac tempori solent adscribi ea, quæ fiunt in die ac tempore. *Et sanctificavit illum,* hoc est, sanctum ac celebrem ordinavit, quia ad opera cultus divini specialiter deputavit diem eumdem; et ipsemet tunc quasi ab aliis cessans, sui ipsius contemplationi vacavit, ideo subditur : *Quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret,* id est, ne otiosus videretur aut illiberalis a communicatione propriæ voluntatis ad C extra. Vel, ut faceret ea ad laudem et gloriam sui ipsius; vel quod creavit in proposito ac præscientia mentis suæ, hoc est, quod creare decrevit ab æterno, ut faceret illud executive in tempore præstituto.

Circa intellectum textus istius scribit Bonaventura super secundum, distinctione 15 : Aliquid dicitur novum dupliciter. Primo, quasi distinctum contra antiquitatem cursus naturæ, et consuetudinem rationalis creaturæ. Et ita non requievit Deus in illis diebus novas facere creaturas, D imo interim multa miraculose et supernaturaliter fecit. Secundo dicitur novum, cujus nulla similitudo præcessit, nec aliquod creatum principium, quod esset seminarium ejus. Et ita fertur Deus cessasse novam facere creaturam. Eorum namque quæ successive producuntur, quædam fuerunt in prima distinctione producta in simili, sed non in ratione seminali, ut animæ rationales, quæ creantur atque in simili productæ sunt, quando creata est anima Adæ. Alia tunc producta sunt in ra- Productorum diversitas.

Digitized by Google

tione seminali, non autem in simili, ut ea quæ generantur ex putrefactione, et ex diversarum specierum commixtione. Alia vero producta sunt tunc in ratione seminali, et in simili, ut plantæ et animalia quæ producuntur per propagationem. Et ad hæc tria rerum genera, possunt reduci cuncta *Eccle.* I, 10. quæ fiunt. Propterea scriptum est : Nihil novum sub sole. Aliter etiam dici potest, quod scilicet cessavit facere novam creaturam, quæ sit de necessitate perfectionis universi.

Insuper asserit idem Doctor : Sicut dies dicitur malus non ratione sui, sed quia est mensura malæ actionis, propter quod *Ephes.* V, 16. ait Apostolus, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt ; sic dies dicitur benedictus et sanctus, qui est mensura operationis, in qua est benedictio et sanctificatio. Et nihil aliud est, diem aliquem benedicere et sanctificare, quam diem deputare tali actioni tanquam mensuram. Quoniam ergo Deus omnia fecit propter hominis instructionem, ut hominem non solum verbo, sed et opere erudiret : hinc quemadmodum ipse Deus operatus fuit res sex diebus, sic dedit homini licentiam operandi, et inferioribus intendendi per totidem dies. Et sicut septimo die cessavit ab opere, sic voluit ut homo septimo die ab omni opere vacet, ut ei per contemplationem inhæreat, ac inhærendo quiescat. Et quia in hac adhæsione homo obtinet a Deo amplificationem benedictionis et sanctificationis, ideo septimus dies dicitur a Deo benedictus et sanctificatus.

Dicit quoque Albertus : Cessavit Deus ab omni opere dupliciter. Primo, ex parte operis, quoniam postea nihil novum fecit, cujus principia naturalia in sex diebus non præcesserunt secundum formam vel materiam aut similitudinem. Secundo, ex parte efficientis, puta ipsius Dei, quia in sex diebus Deus per se ipsum naturam in principiis suis instituit ; postmodum vero non per se ipsum solus, sed pariter cum natura res naturales propagavit.

Præterea Rabbi Paulus scribit hoc loco : A Si sanctificatio intelligatur secundum applicationem ad divina obsequia, hoc non pertinet ad sensum litteralem, sed mysticum. Ad quod allegat, quod Magister Sententiarum libro secundo asserit, Deum dotasse septimum diem præ ceteris mystica benedictione et sanctificatione. Et rursus, quia si ex sensu litterali hujus benedictionis et sanctificationis haberetur, quod homo die septimo deberet a terrenis cessare operibus, sequeretur quod sancti Patriarchæ fuissent ad observationem sabbati B obligati.

Verum, ut patuit, dictum hoc Pauli istius non videtur consonare doctoribus, qui super secundum communiter sanctificationem sabbati præfato modo exponunt ad litteram. Denique in libris Moysis sæpissime assignatur ad litteram hæc ratio *Exod.* XX, 11 ; XXXI, 16, 17. observantiæ sabbati, quoniam sex diebus operatus est Deus, et septimo requievit. Ex quo constat, quod sanctificatio sabbati litteraliter referatur ad applicationem circa obsequium Dei. Ad id ergo quod ex C verbis Magistri assumit, dicendum, quod mysticum seu spirituale sæpe ad litteram pertinet, ita quod litteralis sensus sæpe est spiritualis et mysticus, ut quum Isaias ait de Christo : Erit justitia cingulum lum- *Is.* XI, 5. borum ejus, et fides cinctorium renum ejus, quod ad litteram intelligendum est de spirituali cingulo et spiritualibus lumbis. Et istud in Prophetis, et maxime in Canticis canticorum, sæpissime locum habet. Conformiter in proposito, spiritualis et mystica sanctificatio, litteraliter per- D tinet ad sabbati sanctificationem. Ad id quod secundo adducit de Patriarchis, dicendum, quod Deus sabbatum sanctificavit, quoniam deputavit illud operibus cultus divini tempore opportuno, ut scilicet juxta intentionem Legislatoris fieret observatio sabbati. Amplius, quod ait hic Paulus, sanctificatio competit septimæ diei, in quantum res conditæ et multiplicatæ in Deo requiescunt : non videtur idonee dictum, quoniam in Deo requiescere, non competit proprie nisi intel-

Digitized by Google

lectualibus creaturis, quæ solæ dicuntur A capaces Dei per notitiam et amorem; et si ceteræ creaturæ dicantur aliquo modo requiescere in Deo, in quantum conservantur ab eo, hoc competebat eis a primo momento productionis earum.

ARTICULUS XIX

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI AB EO LOCO : ISTÆ SUNT GENERATIONES CŒLI ET TERRÆ.

ISTÆ *sunt generationes cæli et terræ.* B Quum cœlum et terra creata sint, quomodo nunc generata dicuntur? Respondetur, quod generatio sumitur nunc extense pro productione, ut sit sensus : Istæ sunt generationes, id est productiones, creationes seu constitutiones cœli et terræ, id est superiorum et inferiorum ac mediorum, ut sæpe expositum est. Istæ, inquam, generationes, quæ descriptæ sunt in primo capitulo per opera sex dierum. Porro aliqui dicunt † cœlestia, inferioraque corpora facta ex communi materia, materia C illa præjacente effecta. *Quando creata sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram.* Dies nunc sumitur pro tempore, secundum Bedam, non pro uno die dumtaxat. Et alii dicunt, quod juxta morem linguæ Hebrææ, ponitur hic singulare pro plurali, videlicet die pro diebus, quemadmodum primo capitulo dictum est : Germinet terra herbam, Producant aquæ reptile, Producat terra animam viventem. Alii dicunt, quod dies supponit hic confuse pro diversis diebus. Vel sumitur zeugmatice, reddendo D singula singulis, quoniam ista per recapitulationem dicuntur. Itaque in die quo fecit Deus cœlum et terram, fecit *et omne virgultum.* Sed quum cœlum et terra creata sint ante omnem diem, quomodo nunc facta dicuntur in die? Et respondendum, quod si cœlum et terra accipiantur pro solis cœlestibus corporibus et elementis, facta dicuntur in die, quoniam facta sunt in principio temporis et primæ diei, seu simul cum tempore, quod dicitur unum de quatuor coæquævis. Quod si inter creationem et exordium operis distinctionis, quo facta est lux, non exstitit mora, secundum aliam expositionem, eadem erit responsio.

In hoc igitur die fecit Deus omne virgultum, id est arbusta recentia *agri,* hoc est agrorum ubicumque sunt nata virgulta, *omnemque herbam,* id est universa gramina aut terræ nascentia, *regionis,* id est totius orbis terrarum, in quibus tunc orta sunt, *priusquam germinaret:* id est, tertia die fecit hoc Deus subito sua omnipotente virtute, non per temporum moras, antequam terra naturali ordine et successive cœpit virgulta et herbas producere, ex influentia cœlestium corporum et rationibus seminalibus sibi a principio inditis, ut supra in expositione operis tertiæ diei expressum est : ad quam germinationem in aliquibus terræ nascentibus confert et cooperatur cultura humana. Porro quod iste sit sensus, ex sequentibus elicitur verbis : *Non enim pluerat Dominus Deus super terram.* Ex quo patet, quod productio illa virgultorum atque herbarum, non fuit naturalis et successiva, ad quam solet irrigatio pluvialis requiri. *Et homo non erat qui operaretur terram.* Circa hoc dicit quidam, quod homo nondum erat formatus, et tamen ipsemet dicit circa illud quod dictum est, Istæ sunt generationes cœli et terræ : Istæ scilicet generationes quæ prædictæ sunt in operibus sex die-

rum, in quibus productio hominis utique A continetur. Melius ergo exponitur istud, sumendo singulare pro plurali, sicut in istis capitulis fit frequenter. Eritque sensus : Homo non erat qui operaretur terram, id est, tot homines nondum fuerunt, qui possent colere terram, et cooperari ad ejus naturalem germinationem. Et quod iste sit sensus, hinc innotescit, quod etsi unus homo fuisset dumtaxat, non potuit ad communem illam terræ germinationem notabiliter cooperari.

Sed fons ascendebat e terra, irrigans B *universam superficiem terræ.* Mirum videtur, qualiter unus fons totam terram poterat irrigare. Denique secunda die discooperta est terra ab aquis, substiteruntque montes et valles. Nec apparet, quod aqua unius fontis potuerit vel montium irrigare cacumina, aut superfluere vallibus ad humectandum loca ultra valles sita. Hinc Glossa et Beda sentire videntur, quod per fontem intelligantur pluraliter fontes, qui in diversis terris hinc inde eruperant. Nec imaginari oportet, quod tota omnino su- C perficies terræ fuerit undique irrigata; sed tota irrigata asseritur, quia in locis et partibus opportunis hoc factum est. Hinc alii dicunt, quod aquæ sub terra latentes, ascendebant ad superficiem terræ, per modum fontis in qualibet parte terræ. Verumtamen quidam dicunt, quod tunc unus fons paulatim totam irrigaverit terram, quemadmodum modo Nilus Ægyptum.

Præterea quidam dicunt, quod per id quod dictum est, Fons ascendebat e terra, ostenditur modus quo facta est prima illa D herbarum ac virgultorum productio, ita quod plantæ illæ et herbæ, factæ sunt divina virtute, aqua taliter concurrente et concausante et disponente sua irrigatione. Sed hoc non apparet provide dictum, quoniam plantæ et herbæ illæ sunt immediate et instantanee a Deo productæ, absque concausalitate secundarum causarum, utpote solo imperio Dei, quemadmodum pisces, aves, et animalia terræ. In tali quoque operatione omnipotentiæ Dei, non requirebatur concursus causæ creatæ, nec irrigatio aquæ, quemadmodum nec influentiæ alicujus cœlestis. Et istud ex dictis in expositione præcedentis capituli, atque ex scriptis doctorum super secundum Sententiarum, est manifestum. Refert Lyra quod Hebræi dicunt, quod ista sit littera vera, Ascendit nubes de terra ; sed verius reor, sanctissimum Hieronymum transtulisse veraciter. Et quod dictio Hebraica, pro qua Hieronymus transtulit, fons, forsan æquivoca sit ad designandum fontem ac nubem.

Consequenter Moyses plenius atque distinctius narrat, quod primo capitulo de hominis productione et de utroque sexu, obscure ac breviter scripsit. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Hic ponitur pars pro toto, videlicet corpus hominis pro homine. Vel si intelligatur de homine toto, non verificatur de eo, nisi secundum partem ipsius. Formavit itaque hominem, id est corpus primi hominis, seu hominem primum, quantum ad corpus suum de limo terræ, non quod corpus illud non fuerit ex quatuor elementis compositum ; sed ideo limum terræ expressit, quoniam terra secundum quantitatem abundat in corpore hominis, deinde aqua : ideo ait, de limo, quoniam limus est terra aquæ mixta. *Et inspiravit in faciem ejus.* Quemadmodum Deus corpus hominis primi formavit non corporalibus manibus, sic inspiravit in faciem ejus non ore materiali, buccis aut faucibus, imo utrumque fecit intellectualiter, præcipiendo, et solo conceptu practico id volendo : itaque inspiravit, id est, creando immisit seu fudit in faciem ejus, hoc est in totum corpus ipsius, intelligendo per synecdochen totum nomine partis. Et specialiter exprimit faciem hominis, quia in ea potissime ostenduntur operationes vitales, et sensus magis vigent atque apparent in ea. Est item pars hominis quodammodo principalior, et etiam pulchrior. *Spiraculum vitæ,* hoc est animam vitalem seu spiritum rationalem. *Et factus est homo in ani-*

Digitized by Google

mam viventem, id est, animam vivam, et corpus suum vivificantem, ac immortalem, accepit a Deo per inspirationem seu creationem præfatam.

Circa hæc quæritur primo, quum Deus per se ipsum immediate fecerit corpora irrationabilium animalium in prima rerum institutione, sicut et corpus hominis primi, cur Scriptura nunc utitur speciali modo loquendi, describendo hominis formationem secundum corpus et animam? Nempe de aliis generaliter dictum est, Producat terra, etc., Producant aquæ, etc.; nunc autem sic ait, Formavit Dominus Deus hominem. Sed hujus quæstionis facilis exstat solutio, quia ad insinuandum hominis dignitatem, id factum est. Denique, sicut ceteris formis nobilior valde est anima rationalis, sic corpus ipsius nobilioris est complexionis et cœliformioris æqualitatis, pulchrioris quoque figurationis et organizationis. Estque staturæ erectæ, ad innuendum quod anima ejus creata est ad contemplandum ac diligendum cœlestia et divina. Ad insinuandum quoque, quod anima hominis sit omnino ab extra et a Deo immediate creata, ait Scriptura : Inspiravit in faciem ejus. Alia autem translatio continet : Insufflavit (aut sufflavit) in faciem ejus. Anima etenim in Scripturis flatus vocatur, juxta illud Isaiæ : *Is. xlii, 5.* Hæc dicit Dominus, dans flatum populo qui est super terram. Et rursus per Isaiam Deus testatur : *Ibid. lvii, 16.* Flatus ego faciam, et spiritus a facie mea egredietur. Eadem vero vocatur anima, et spiraculum vitæ, quia per eam homo spirat et vivit. Quidam tamen spiraculum vitæ, vocant spiritum quemdam corporeum in corpore animalis, qui operatur in eo in quinque sensus, et paulatim in moriente exstinguitur. Quumque animal moritur in aliqua corporis parte, adhuc sentitur spiritus ille, quum in parte alia sit exstinctus.

Quæritur, an corpus primi hominis, sit immediate a Deo formatum. Ad hoc Thomas in prima parte, quæstione 91, respondet : Corpus primi hominis formari non A potuit, nisi immediate a Deo. Quemadmodum enim Deo proprium est creare animam, sic soli Deo convenit producere formam in materia sine adminiculo præcedentis formæ substantialis. Unde nec angeli transmutare possunt corpora ad aliquam formam, nisi adhibendo semina quædam, ut tertio de Trinitate loquitur Augustinus. Sed ante primi hominis productionem non fuit formatum aliquod corpus humanum, cujus virtute formaretur aliud simile in specie per viam generatio- B nis. Necessarium igitur fuit, primi hominis corpus a Deo formari immediate. Potuit tamen esse, ut angeli aliquod ministerium circa corpus hoc exhiberent, sicut in finali resurrectione adhibebunt, pulveres suscitandorum corporum colligendo.

Quærit etiam Augustinus, an anima primi hominis facta sit extra corpus. Et videtur supra Genesim sentire, quod imo : doctores tamen nunc super secundum communiter dicunt quod non, nec Augustinus dicit illud simpliciter asserendo. Di- C cunt ergo doctores, quod sicut in ceteris postea, ita in primo homine animæ simul creata est et infusa. Est enim naturaliter corporis forma, parsque compositi. In eodem autem actus seu forma non præcedit corpus.

Quæri etiam potest, an anima illa infusa sit corpori prius formato et organizato. Et ex textu videtur, quod sic, quum scriptum sit, quod Deus inspiravit in faciem ejus. Sed si hoc concedatur, quæretur qualis forma substantialis fuit in corpore illo D ante animæ infusionem; et utrum forma illa fuerit corrupta, anima adveniente. Ad istud arbitror respondendum, quod corpus hominis a Deo formatum est et perfecte organizatum in instanti, quoniam infinitæ virtuti competit instantanee operari, et eodem instanti anima ejus est creata, corporique infusa, quemadmodum etiam dicunt doctores factum in formatione corporis Christi et infusione animæ ejus.

Insuper, communiter nunc tenetur, quod primus homo factus est in ætate et

Digitized by Google

robore virili, atque ad generandum idoneo. Dei enim opera sunt perfecta, et perfectum dicitur unumquodque, quando potest producere simile sibi in specie. Si vero quæratur, an factus sit mortalis aut potius immortalis : respondetur, quod factus est aliquo modo mortalis, et aliquo modo immortalis : quia sic conditus fuit, quod nunquam moreretur, si Deo obediens permaneret; sin autem, morti subjiceretur. Immortalitas autem non competebat ei ex sua natura, quoniam habuit corpus mixtum, et ex contrariis compositum, quamvis contrariæ qualitates elementorum, fuerint in eodem ad præcipuam æqualitatem temperiemque redactæ. Hinc tertiodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Fatendum est, primos homines ita fuisse institutos, quod si non peccassent, nullum genus mortis experirentur. In Historia demum scholastica dicitur : Hunc locum non intellexit Plato sane, dicens Deum animam creasse, angelos autem corpus formasse, ibi : O dii deorum! quorum pater opifexque ego. Verumtamen per verba illa in secundo Timæi scripta, Plato per deos deorum litteraliter intelligit orbes cœlestes ac stellas, ut etiam Thomas testatur. Nec dicit ibi aperte, quod dii deorum formaverunt corpus primi hominis, sed quod Opifex summus commisit eis exsecutionem productionis animalium terrenorum mortalium.

Primus homo mortalis et immortalis.

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio. Paradisus iste terrestris, est pars terræ elementaris, quæ in principio est creata : et ita paradisus, quantum ad substantiam suam, qua est pars terræ, factus est prima die seu in exordio temporis ac primæ diei; sed quantum ad id quod pertinet ad paradisi distinctionem, videlicet quantum ad herbas, arbusta et fructus ipsius, plantatus est tertio die, in qua aquis in unum collectis, Deus præcepit : Producat terra herbam virentem. Dicitur autem paradisus voluptatis, quoniam amœnissimus atque pulcherrimus locus est, et longa lataque regio.

A *In quo posuit hominem quem formaverat.* Ex quo patet, quod Deus primum hominem extra paradisum creavit, et quod mulier facta est postea.

Circa hæc multa occurrunt quærenda. Primo, an paradisus sit locus corporeus. Ad hoc respondet Augustinus super Genesim ad litteram libro octavo : Tres, inquiens, sunt sententiæ de paradiso. Una eorum, qui posuerunt paradisum spiritualiter tantum. Et ista fuit Origenis opinio, qui omnia quæ in hoc capitulo de para-

B diso scribuntur, dixit spiritualiter esse intelligenda, ad designandum quod primus homo conditus fuit in magna opulentia spiritualium gratiarum, delectationumque internarum. Hanc opinionem reprobat Augustinus etiam tertiodecimo de Civitate Dei, Epiphanius quoque episcopus Cypri, in quadam epistola ab Hieronymo translata. Secunda fuit positio dicentium, ea quæ de paradiso dicuntur, corporaliter solum esse accipienda : quod non est satis idonee dictum, quoniam omnia illa spiri-

C tualiter etiam exponuntur. Et ipse Adam in spiritualibus voluptatibus exstitit constitutus, prout in sequenti pandetur articulo. Tertia est doctrina eorum, qui paradisum corporaliter spiritualiterque intelligunt, quam approbat Augustinus, imo Ecclesia Dei.

De hac re ait Bonaventura super secundum, distinctione 17 : Sicut refert Magister, tres fuerunt de paradiso sententiæ. Prima, quod solum fuerat corporalis. Alii vero attendentes, quod beatificatio hominis

D in paradiso spirituali consistit, qui est Dei fruitio, non in corporali amœnitate, dixerunt paradisum, de quo loquitur hæc scriptura, spiritualem esse, non corporalem; et omnia quæ dicuntur de paradiso in littera, esse metaphorice dicta, ita quod homo dicitur positus fuisse in paradiso, non quasi corporaliter illuc translatus aut localiter situs, sed quia in spirituali amœnitate est positus ex Dei amore et cognitione, juxta quod de angelo lapso in Ezechiele habetur : In deliciis paradisi Dei Ezech. XXVIII, 13.

fuisti. Tertia positio est, quod est paradisus corporalis, et est paradisus spiritualis, qui designat statum quietis et spiritualium amœnitatem deliciarum. Et paradisus iste spiritualis est duplex, secundum duplicem statum Ecclesiæ. Est enim status Ecclesiæ militantis, et item status Ecclesiæ triumphantis ; sicque unus est spiritualis paradisus in Ecclesia militante, alter in triumphante : et de utroque possunt exponi, quæ de paradiso dicuntur, saltem pro parte. Porro paradisus corporalis, locus est deliciarum et amœnitatis. Et iste etiam duplex est, juxta duplicem hominis statum, puta perfectum et imperfectum. Juxta statum perfectum, paradisus est cœlum empyreum ; secundum statum imperfectum, est paradisus terrestris, in quo decuit hominem poni, ut esset facultas perveniendi ad patriam, atque ut Deus ostenderet homini benevolentiam suam, cui paravit ac præstitit tam amœnissimum locum ad habitandum : sicque amœnitas exterioris habitaculi, corresponderet deliciis interioribus, quas habet anima, Dei templum exsistens, et habuit primi hominis anima. Hæc Bonaventura.

Secundo quæritur, quare primus homo extra paradisum plasmatus est. Ad hoc Thomas respondet in prima parte, quæstione 102 : Immortalitas hominis erat supernaturale donum. Paradisus autem competebat homini ratione immortalitatis. Decuit ergo hominem extra paradisum creari, et deinde in illum transferri, ut agnoscatur, quid convenerit homini per naturam, quid item per gratiam ; seu ut sciretur, quod paradisus non competebat ei per naturam. Denique, secundum eumdem Doctorem, paradisus fuit conveniens locus habitationi humanæ, quoniam propter temperiem aeris, præservavit hominem ab exteriori corruptivo, et per fructus lignorum suorum valuit homini contra interius corruptivum, quod est per consumptionem humidi radicalis. Competebat etiam homini ratione suæ incorruptibilitatis, quia et corpus ejus incorruptibile fuit, A non ex sua natura, sed partim ex virtute animæ ejus. Hæc Thomas. Unde et Bonaventura : Debuit, inquit, homo extra paradisum produci, ut melius cogitaret beneficium Dei, dum videret se illuc aliunde adductum. Item ad ostendendum, quod homo non erat factus ad æternaliter ibi habitandum, sed ad temporaliter peregrinandum. Et quoniam Deus præsciebat hominis casum, voluit eum in paradiso locare, quatenus homo per ejectionem suam de loco tam voluptuoso, sensibiliter sci- B ret, quanta spiritualia bona perdidisset per culpam ; cognosceret quoque, quanta sit differentia inter eum qui Deo obedit, et eum qui inobediens est eidem.

Insuper, sicut et alii dicunt, homo factus est immortalis quantum ad corpus, non per naturam aut qualitates intrinsecas, quasi non potens mori, sicut post finalem resurrectionem corpora electorum erunt omnino immortalia et impassibilia per dotes, quæ ex animabus gloriosis redundabunt in ea ; sed factus fuit immorta- C lis per gratiam, quasi potens non mori, si in innocentia permaneret. Sicque immortalitas ista inerat homini, per remotionem eorum quæ potuerunt eum corruptibilem facere : quorum remotio principaliter fuit a providentia Dei præcavente ab homine extrinseca corruptiva ; deinde fuit partim ex virtute animæ, quæ per virtutem divinitus sibi collatam, poterat corpus præservare ab interiori læsivo. Quoniam ergo locus conveniens confert ad vitæ conservationem, quemadmodum locus intoxica- D tus corruptivus est vitæ, hinc Deus providit homini de loco aptissimo.

Tertio quæritur, quid et qualis sit paradisus. Ad hoc Damascenus libro secundo respondet : Quoniam Deus conditurus erat hominem ex visibili invisibilique natura, secundum propriam imaginem et similitudinem, tanquam quemdam regem et principem omnis terræ et eorum quæ sunt in ea, constituit ante eum quasi regiam quamdam, hoc est locum regalem, in qua conversans, beatam et opulentam

Digitized by Google

duceret vitam. Et hic est divinus paradisus, a Deo in Eden plantatus, promptuarium universæ exsultationis ac gaudii, qui est positus in oriente, excelsior omni terra residua, temperatissimo, tenuissimo, atque purissimo aere circumfulgens, plantis ac floribus semper comatus, bono odore ac lumine plenus, excedens intelligentiam pulchritudinis universæ formæ et auræ sensibilis : divina regio et digna conversatione ejus, qui secundum Dei imaginem factus est. Hinc alii dicunt, quod paradisus sit locus in alto situs, et usque circulum seu sphæram lunæ pertingens. Unde nec aquæ diluvii pervenerunt ad eum. Et hoc etiam dicunt Beda et Scholastica historia : quod tamen intelligi non potest quantum ad corporalem altitudinem aut approximationem ; sed salvari potest, si intelligatur quantum ad similitudinem, qua convenientiam habet cum proprietatibus cœlestium corporum in temperie, æqualitate, pulchritudine, etc. Imo secundum Thomam in prima parte, paradisus non pertingit usque ad medium interstitium aeris, quia in illo est maxima intemperies aeris. Verumtamen S. Bonaventura affirmat : Tantæ altitudinis est paradisus, ut illuc non conscendant vapores in aere elevati, sed est ibi aer mundus et purus, perpetuitatis statui aptus. Et quia vapores non pertingunt ad paradisum, dicitur pertingere usque ad orbem lunæ. Nam luna dominatur vaporibus.

Ubi sit paradisus.

Quarto quæritur ubi sit paradisus. Ad quod respondetur, quod ubi nostra translatio habet, A principio, antiqua translatio habet, Ad orientem. Ideo paradisus dicitur esse in oriente, sed in qua parte orientis, diversimode traditur. Aliqui enim dicunt, quod sit in oriente æquinoctiali ; quia secundum istos, inter duos tropicos sub circulo æquinoctiali est temperatissima regio : ad quod auctor de Sphæra, multas rationes adducit. Unde et Bonaventura ait : Quum paradisus sit secus æquinoctialem, est ibi magna temperies temporis ; et propter puritatem aeris, est ibi contemperantia caloris. Sed quoniam Aristoteles dicit in secundo Meteororum, quod inter duos tropicos non potest esse regio habitabilis propter nimiam caliditatem, quia sol bis pertransit ibi in quolibet anno : idcirco qui in hoc sequuntur Philosophum, dicunt quod paradisus sit extra tropicos versus orientem æstivalem aut hiemalem. Et istud sanctus Thomas dicit rationabilius esse. Nam et terræ illi loco vicinæ, sunt intemperatæ propter propinquitatem ad solem. Est autem paradisus a terris habitabilibus remotus atque secretus, montibus, aquis, aut etiam intemperie aeris interpositis in mediis locis, ita ut adiri non possit ; nec notitia ejus poterit haberi, nisi ex revelatione. Idcirco philosophi et historiographi non sunt de eo locuti.

Produxitque Dominus Deus de humo, id est humida terra paradisi, *omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave,* id est, universas arbores speciosas atque fructiferas, quarum fructus erant dulces ad manducandum. Istud, ut tactum est, fecit Deus tertia die. Nec solum in paradiso erant arbores pulchræ et fructuosæ, sed et ubique terrarum ; sed multo abundantius in paradiso, in quo erant etiam arbores quæ miras ac speciales habebant virtutes. Unde nunc subditur : *Lignum etiam vitæ* produxit Deus *in medio paradisi.* De hoc Magister secundo libro sic ait : Lignum vitæ, ut docent Beda et Strabus, sic dictum est, quia accepit divinitus hanc virtutem, ut qui ex ejus fructu comederet, corpus ejus firmaretur stabili sanitate, atque perpetua soliditate, nec ulla infirmitate aut ætatis debilitate in occasum vel in deterius laberetur. Hinc Strabus ait apertius, et habetur in Glossa : Lignum vitæ naturaliter habuit hanc naturam, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetua soliditate firmaretur, atque beata immortalitate vestiretur, nulla infirmitate, anxietate, seniive lassitudine, aut imbecillitate fatigandus. Sed mirum videtur, et quæri potest, qualiter res illa pure corporalis, potuit

Digitized by Google

tantam habere virtutem. Ad quod posset quis breviter respondere, quod multæ gemmæ et herbæ ac consimilia, multas occultissimas habent vires, mirificas et valde mirabiles : quod potissime competit his quæ in paradiso nascuntur.

Circa hoc scribit Thomas in prima parte, quæstione 97 : Duo remedia data sunt homini in statu innocentiæ, contra duos defectus ; quorum defectuum unus, est deperditio humidi naturalis ex actione naturalis caloris. Et contra hunc defectum subveniebatur, vel potius subventum fuisset, si non peccasset, homini per esum lignorum paradisi communiter, juxta quod infra habetur : Ex omni ligno paradisi vesceris. Alius defectus est ex admixtione extranei nutrimenti cum † valido ac humido naturali, ex cujus admixtione naturalis vigor complexionis debilitatur magis magisque successive, secundum Philosophum libro de Generatione, quemadmodum vinum ex permixtione aquæ, debile redditur tanto plus, quo amplius ei miscetur, ita quod tandem ex lymphatione corrumpitur. Et contra hunc defectum, subventum fuisset homini per esum ligni vitæ. Propter quod quartodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Cibus aderat homini, ne esuriret ; potus, ne sitiret ; lignum vitæ, ne illum senectus dissolveret. Unde infra fertur : Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum. Imo Augustinus testatur, quod homo potuisset post peccatum semper vivere, si ei permissum fuisset de ligno vitæ comedere.

Gen. III, 22.

Ligna paradisi.

Præterea de hac materia scribit Bonaventura super secundum, distinctione 17 : Universitas lignorum paradisi, sub tribus comprehenditur differentiis, secundum quod ad triplicem hominis utilitatem poterant ordinari. Nam poterant ei prodesse, quantum ad corpus, aut quantum ad animam, aut quantum ad utrumque conjunctum. Si primo modo, sic erant ligna fructifera quæ præbebant ei alimenta, quantum ad corporis sustentationem. Si

A quantum ad animam, sic fuit lignum scientiæ boni et mali, quod ordinabatur ad probationem obedientiæ hominis. Si quantum ad totum compositum, sic fuit lignum vitæ, quod facere potuisset ad humanæ vitæ perpetuationem. Unde hæc duo ligna dumtaxat specialiter nominantur, propter suos speciales effectus, propter quos Deus posuit illa duo in medio paradisi juxta se invicem, ut ex uno, utpote ex ligno vitæ, conciperet affectum amoris ; ex alio, affectum timoris. Lignum quoque vitæ sic

B appellatur, non ab effectu quem habuit, sed ad quem ordinabatur, quem etiam habuisset, si homo stetisset. Hæc Bonaventura.

De alio autem ligno subjungitur : *lignumque,* id est arborem *scientiæ boni et mali.* Arbor illa ita vocata est ex eventu, quoniam homo manducando de fructu ligni illius, experimentaliter didicit et cognovit in malum suum, quid sit obedientiæ virtus, quid inobedientiæ vitium, et quantum distant ista ab invicem : quod

C tamen ante habitualiter scivit notitia simplici, sed non experimentali. Verumtamen in his verbis per bonum et malum, intelligi possunt tam bona et mala corporalia, quam bona et mala spiritualia. Unde in Scholastica historia dicitur : Lignum scientiæ boni et mali, vocatum est ex eo, quod secutum est post comestionem, utpote ex pœna inflicta pro illo peccato. Prius enim homo nesciebat quid esset malum, quia nondum expertus. Bonum dicimus sanitatem et fortitudinem, malum vero ægri-

D tudinem et imbecillitatem, quæ nondum senserat. Cognoverat quidem ea per scientiam, quia ex uno contrariorum cognoscitur reliquum, sed non per experientiam, quemadmodum medicus qui nunquam fuit infirmus, scit morbos ; sed dum ægrotat, magis eos cognoscit, quia cognoscit et sentit : sicut de puero delicate nutrito dicitur, quod ignorat quid sit malum sive paupertas. Rursus in eadem habetur Historia, quod Plato per lignum vitæ, per lignum quoque scientiæ boni et mali, in-

Digitized by Google

tellexit hominem ipsum, quia putavit nomina illa non convenire arboribus.

Præterea de his lignis ait Damascenus libro secundo : In medio paradisi plantavit Deus lignum vitæ et lignum cognitionis, per experientiam quamdam et approbationem, et exercitium obedientiæ et inobedientiæ hominis : ideo lignum cognitionis boni et mali vocatur. Lignum autem vitæ sic dictum est, vel quasi habens operationem tributivam vitæ, vel quia solum comestibile dignis vita, et non subjectis morti. Refert quidam hoc loco, quod Josephus dicit primo Antiquitatum libro, quod fructus arboris scientiæ boni et mali, habuit virtutem accelerandi usum rationis : quod ille reprobat, dicens hoc falsum esse, quoniam virtus corporalis non se extendit ad hujusmodi accelerationem. Sed quidquid sit de veritate dicti Josephi, quem Hieronymus dicit fuisse virum doctissimum, ratio reprobationis illius non valet. Nam dato quod virtus corporalis non extenderet se directe ad accelerationem præfatam, quæ est spiritualis effectus, tamen dispositive et cooperative ac instrumentaliter posset se virtus corporalis ad effectum illum extendere. Nam et gemmæ aliquæ habent virtutem influendi et imprimendi in animam rationalem, atque causandi in ea diversas affectiones, imo et inducendi eam ad actus plurimos virtuosos. Legitur quoque in libro Tobiæ, (*Tob.* VI, 8.) quod fumus cordis piscis cujusdam habeat vim extricandi omne genus dæmoniorum. Denique Damascenus ait libro secundo, quod lignum scientiæ boni et mali, ita vocatum est propter causam expressam, aut quoniam dabat accipientibus virtutem naturæ propriæ cognitivam, quod bonum erat perfectis, malum autem imperfectioribus, quemadmodum solidus cibus, malus est mollibus adhuc et lacte egentibus. Porro verba Josephi sunt hæc : Illa plantatio, scilicet arbor prudentiæ, causa acuminis erat et intellectus, quod juxta prætacta posset ad pium trahi intellectum.

A *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Quum locus voluptatis et paradisus sint idem, quomodo fluvius egrediebatur de loco voluptatis, id est de paradiso, ad irrigandum paradisum ? Et respondendum, quod fluvius ille oriebatur in quadam parte paradisi ex redundantissimo fonte, et ita currebat per paradisum, ad irrigandum eumdem et planitiem ac arbusta et virgulta ipsius, quemadmodum Nilus plana loca Ægypti. Porro in Scholastica historia dicitur, quod B fons ille potest intelligi vel abyssus, hoc est omnium matrix aquarum, vel pro fontibus pluraliter. Unde et alii dicunt, quod fluvius paradisi oriebatur ibi de fonte vel fontibus. Sic namque Hieronymus ait quod Jordanis habet duos fontes, unum nomine Jor, alium nomine Dan. Verumtamen Damascenus ait libro secundo : Oceanus est velut fluvius quidam, circuiens omnem terram. De quo mihi videtur dixisse Scriptura divina, quoniam fluvius procedit de paradiso. Hic Oceanus in quatuor princi- C pia, hoc est in quatuor flumina dividitur. Nomen uni Phison. Ex his Damasceni verbis apparet, quod Oceanus sit fluvius de paradiso egrediens. Ad hoc Thomas super secundum respondet, quod primum principium illorum fluminum, sicut et ceterarum aquarum, est Oceanus; sed principium proximum est fons ille, qui surgit in illa parte terræ. Dicitur ergo Oceanus de paradiso egredi, atque in quatuor capita dividi, in quantum fons ille paradisi et fluvius, quem ibidem producit, ex D Oceano primordialiter fluit et exit.

Qui inde dividitur in quatuor capita, hoc est, fluvius ille per paradisum decurrens, tandem per quatuor meatus seu loca se dividit, et currere incipit, sive in paradiso, sive extra et prope eum, incipiat illa divisio. Dividitur ergo in quatuor capita, hoc est in quatuor magna ac principalia flumina, quæ licet habeant unum caput in paradiso, nihilo minus capitalia nuncupantur, per comparationem ad aquas, quæ extra paradisum in diversis regioni-

Digitized by Google

bus manant ex ipsis. *Nomen uni Phison.* Phison, ut dicitur, in Hebræo fertilitatem seu abundantiam sonat : sicque fluvius ille dicitur Phison, quasi piscibus plenus, vel quoniam terram per quam fluit, fecundat. De hoc in Scholastica historia scribitur : Phison a Gangaro rege, alio nomine dictus est Ganges. Et secundum Isidorum, Phison interpretatur caterva, quoniam decem flumina intra se recipit, quæ scilicet extra paradisum hinc inde fluunt in ipsum ; vel mutatio oris, quia mutatur a facie seu dispositione, quam habet in paradiso. Mutatur quippe secundum diversa loca in tribus, videlicet in colore, quoniam alibi clarus est, alibi turbidus ; in quantitate, quia alicubi parvus, alicubi magnus; in sensu, nam in aliquibus locis est calidus, in aliis frigidus.

Ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, id est, Phison hinc inde decurrit per Indiam, quæ dicta est Hevilath, ab Hevila filio Jectan, de quo infra habetur. (Gen. x, 29.) Quocirca sciendum quod infra legitur de duobus qui dicti sunt Hevila. Et India dicta est Hevilath, ab Hevila illo qui fuit filius Jectan, propter quod ait Glossa : Hevilath regio Indiæ, post diluvium possessa est ab Hevila filio Jectan, filii Heber, patriarchæ Hebræorum. Porro an Phison ita circumeat Indiam, ut faciat eam insulam, certum non habeo. *Ubi nascitur aurum.* Plinius etenim dicit, quod regiones Indiæ præ ceteris abundent aureis venis, id est subterraneis venis et locis, in quibus nascitur aurum. In Scholastica quoque historia dicitur, quod fluvius iste aureas trahit arenas. *Et aurum terræ illius,* videlicet Indiæ, *optimum est,* utpote magis decoctum, purum, pretiosum ac virtuosum in proprietatibus auri, quarum una est exhilarare videntem. *Ibique invenitur bdellium.* Circa hoc habetur in Glossa : Bdellium, secundum Plinium, est arbor aromatica, magnitudine oleagina, cujus lacrima, id est humor seu gutta, est lucida, gustu amara, ac boni odoris, sed odoratior fit vini infusione. *Et lapis ony-* A *chinus.* Onyx, ut ait Glossa, est lapis pretiosus sic dictus, quia permixtum habet candorem, ad similitudinem unguis humani. Unguis etenim Græce vocatur *onyx.* Itaque lapis ille coloratus est instar humani unguis. Antiqua translatio habet carbunculum, qui ignei est coloris, et dicitur illustrare tenebras noctis.

Et nomen fluvii secundi est *Gehon. Ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ ;* et inde descendit in Ægyptum, et ibi vocatur Nilus, et est turbidus. *Nomen vero* B *fluminis tertii, Tigris,* qui ita vocatur, quia velocissime currit instar tigridis, quæ est celerrimum animal. *Ipse vadit contra Assyrios,* id est per terram Assyriorum, deinde per majorem (ut fertur) Armeniam. Et dicitur ire seu currere contra Assyrios, quasi ex opposito Assyriorum, respectu pergentium illuc ex altera parte. *Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates,* qui currit per Chaldæam, et est unus terminus terræ Israel, imo secundum Glossam, in vicino irrigat terram promissionis : ideo C Moyses non expressit, per quam terram decurrat, quoniam satis innotuit filiis Israel, quibus hæc scripsit. Currit quoque per minorem Armeniam et Persiam, ut legitur.

Porro adversarii legis Moysis quidam hæretici atque philosophi, dixerunt hæc omnia quæ de ortu fluviorum istorum recitat Moyses, esse conficta et fabulam falsam, quia ad oculum constat, quod fluvii isti habent ortum extra paradisum, et in terra habitabili. Phison namque oritur in D locis Caucasi montis; Gehon non procul ab Atlante, qui est mons Africæ ad occidentem; Tigris et Euphrates ex Armenia, ut etiam Beda refert. Ad istud respondetur in Scholastica historia : Quatuor flumina ista ab eodem fonte paradisi emanant, ac separantur. Et quidam eorum iterum inter se commiscentur, et iterum separantur. Sæpe quoque absorbentur a terra, atque in pluribus locis rursus erumpunt. Hinc Augustinus octavo libro super Genesim ait, quod sicut in aliis contingit flumini-

Digitized by Google

bus, ut alicubi intrent terram, et alibi A exeant, ita de fluviis istis credendum. Unde et aliqui dicunt, quod Phison currit per deserta Indiæ quandoque sub terra, aliquando super terram. Hinc ortus fluviorum horum diversi leguntur.

ARTICULUS XX

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI : TULIT ERGO DOMINUS.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis. Communiter dicitur, quod Deus formavit primum hominem in agro Damasceno, de terra, limo seu pulvere terræ illius; sed ex quo fundamento procedat hoc dictum, ignoro, nisi forte quis dicat, quod in eo loco formatus est Adam, ad quem post transgressionem suam rejectus est, sicque post expulsionem a paradiso, credatur habitasse in loco illo ac prope. Nam et sepultus creditur in spelunca duplici prope Hebron, sicut in libro Josue C
Josue xiv, 15. legitur : Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Sed quæri potest, qualiter Deus tulit hominem de loco suæ formationis, an per se ipsum, utpote solo imperio, an per subjectam creaturam seu famulatu angelico, an forsitan ivit pedester usque ad paradisum, cujus exsistentiam et locum scire non poterat, nisi ex revelatione : ergo nec viam ad paradisum, nisi eodem modo seu ducatu angelico. Et reor probabile, quod obsequio angelico facta sit illa translatio etiam subito, quamvis non in D
Dan. xiv, 35. instanti, quemadmodum angelus tulit Habacuc de Judæa in Babylonem. Et infra
Gen. v, 24. habetur quod Dominus tulit Enoch, quem etiam in paradisum tunc transtulit.

Posuit itaque eum in paradiso voluptatis, propter causas præcedenti articulo tactas. Factus est autem extra paradisum, et deinde constitutus est in eo, *ut operaretur,* hoc est, ut ipse homo operaretur paradisum, faciendo in eo aliqua opera delectabilia et jucunda per agriculturam, B non ex necessitate aut indigentia, sed potius ex abundanti lætitia, ad experientiam et exercitationem naturalis virtutis. Nec tamen operatio talis corporalis exterior, fuit ratio principalis, propter quam in paradiso est positus; imo principaliter constitutus est ibi, ut operaretur actus spirituales interiores divinos, vacando contemplationi ac laudibus Creatoris, quousque peregrinatione completa, transferretur ad vitam perfecte beatam et paradisum cœlestem. *Et custodiret illum,* id est, ipse primus homo custodiret sibi ipsi paradisum, ne peccando mereretur privari habitatione tam deliciosa, et tam gratiose concessa; non autem indiguit paradisum ab impugnatoribus custodire. Potest et ita intelligi : Posuit eum in paradisum, ut ipse Deus operaretur hominem, id est, exerceret et coleret eum, perficiendo eum in omni virtute et profectu assiduo, et custodiret hominem in paradiso ab omni exteriori læsivo, atque ab omni periculo, quantum in se fuit.

Præcepitque ei, dicens : Ex omni ligno paradisi comede, hoc est, de fructibus Gen. i, 29.
omnium arborum paradisi manduca, excepto eo quod subditur : *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Deus in omnibus agit, quod suam bonitatem, sapientiam et excellentiam decet. Nec ideo omittit id facere, quoniam prævidet creaturas abusuras et ingratas futuras beneficiis suis, præsertim quia ex earum abusione, ingratitudine et peccatis, novit multa bona elicere, et prava per justitiam ordinare.

Digitized by Google

Quemadmodum ergo non omisit angelos A reprobos condere, quia prævidit eos mox æternaliter perituros; ita non omisit primo homini dare præceptum, quamvis sciret eum illud protinus transgressurum, et posteritatem suam perditurum. Hinc asserit Augustinus : Oportebat ut homo sub Domino positus, ab aliqua re prohiberetur, ut virtus ei esset promerendi ipsa obedientia, quæ sola verissime virtus est rationali creaturæ sub Dei potestate degenti: quemadmodum primus et maximus tumor est, velle uti ab libitum propria potestate, B quod est inobedientia. Nec erat unde homo cogitaret Dominum se habere, nisi aliquid ei juberetur.

Denique secundum Bonaventuram, Deus prohibuit homini esum ligni illius, propter meritum obedientiæ acquirendum ex parte hominis, et propter ostendendum jurisdictionis suæ imperium, quod habebat in homine. Et quia prohibuit illud propter obedientiæ meritum, idcirco ut meritum illud esset plenum, a tali re prohibuit hominem, a qua non debuit abstinere, nisi C obedientiæ solius intuitu : et ideo prohibuit eum a re in se bona, scilicet a fructu ligni illius, ab actu non malo in se, hoc est ab esu fructus illius. Rursus, quia prohibuit ad ostendendum suæ jurisdictionis dominium, ideo a tali re debuit prohibere, a qua homo non deberet manum retrahere, nisi propter solum Dei imperium : et hoc fuit res bona. Hinc mandatum illud, vocatur mandatum disciplinæ : quia ad hoc homo non obligabatur ex se, aut ex aliquo naturalis rationis dictamine, sed ex D sola Dei præceptione. Itaque, sicut prætactum est, decor qui attenditur in operibus Dei secundum regulam divinæ sapientiæ, intermitti non debet propter commodum creaturæ. Et quoniam homo timore pœnæ frequenter retrahitur ab iniquitate, Deus comminationem adjecit : *In quacumque enim die* naturali, quæ noctem includit, *comederis ex eo, morte morieris,* id est, necessitatem moriendi in corpore mox incurres. Unde alia translatio habet, mortalis eris, atque in anima protinus spiritualiter morieris peccando mortaliter. Nec istud fuit comminatio tantum, sed etiam vera et absoluta prænuntiatio.

Circa hoc quæri potest, cur ait, Morte morieris, quum sufficeret dicere, Morieris. Ad quod respondendum, quod talis replicatio seu ingeminatio, est Hebræi sermonis proprietas, sicut in libris veteris Testamenti uberrime innotescit. Porro Henricus de Hassia circa hoc scribit : Est, inquiens, vita ad mortem, et est mors ad vitam. Quidam enim dum vivunt, moriuntur; et quidam dum moriuntur, vivunt. Fiunt ergo, ut ait Ambrosius, quatuor distinctiones seu combinationes, quæ sunt : Vita vivere, morte mori, vita mori, et morte vivere. Vita vivere, est virtute et gratia vivere, et merita vitæ beatæ habere in hujus corporis vita. Morte mori, est cum morte corporis animam non habere meritum vitæ æternæ. Sed vita moritur, qui vitiose vivendo, mortem damnationis meretur. Morte autem vivunt, qui moriuntur ut vivant, ut martyres sancti.

Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum, id est, virum sine uxore manere non expedit, habendo respectum ad finem conditi hominis et institutionis humanæ, qui est, ut per eum impleatur numerus electorum in patria, ad quod requiritur multiplicatio hominum, quæ sine utriusque sexus commixtione naturaliter fieri nequit. *Faciamus ei adjutorium simile sibi,* id est, personam ejusdem speciei, sed alterius sexus producamus, quæ viro cooperetur ad hominum multiplicationem. His dictis, adduxit Deus animalia bruta ad Adam, primo, ut Adæ pateret ad oculum, non esse inter animalia aliquod suppositum aptum ad prolificandum ex eo. Secundo, ut animalibus imponeret nomina. Unde subjungitur : *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam,* id est, postquam Deus universa animalia terræ et volucres cœli fecit de terra, præsentavit

Digitized by Google

ea oculis Adæ, *ut videret quid vocaret ea*, hoc est, ut ipse Adam diligenter attenderet, quo nomine unumquodque illorum esset vocandum, considerando singulorum naturas et proprietates, ex quibus sunt nomina imponenda.

Circa hoc triplex est quæstio. Prima, quomodo aves dicuntur nunc factæ de humo, quum capitulo præcedenti productæ legantur de aqua. Secunda, qualiter animalia sunt adducta ad Adam. Tertia, cur voluit Deus ut eis imponeret nomina. Ad primam Augustinus respondet, quod B humus seu terra nunc sumitur, prout alia elementa includit, quemadmodum in exordio primi capituli, In principio creavit Deus cœlum et terram. Potest et aliter responderi, quod ideo dicuntur aves factæ de terra, quoniam in earum corporibus elementum terræ prædominatur, quantum ad materiæ quantitatem. Ad secundam similiter Augustinus respondet, quod non violentia, nec voce formata in aere, sed ministerio angelorum animalia sint adducta. Alii dicunt, quod solo jussu Omnipotentis. C Quidam etiam opinati fuerunt, quod adductio illa animalium fuerit solum spiritualiter facta, ita quod imaginationi Adæ repræsentata fuerunt, ut consideraret per intellectum proprietates ipsorum, et apta cunctis nomina daret. Præterea, quamvis secundum ordinem recitationis textus istius, adductio hæc animalium videatur facta in paradiso, quidam tamen dixerunt quod extra paradisum peracta sit, quia Scriptura frequenter non servat ordinem rerum gestarum in describendo, sed aliqua dicit per recapitulationem, aliqua per anticipationem. D Sed magis consonat expositioni Sanctorum ac textui, quod in paradiso adducta sint coram Adam. Ad tertiam respondetur, quod appellatio illa animalium, facta est ab Adam ad posterorum informationem. Quemadmodum enim Conditor fecit Adam perfectum, quantum ad corpus in ætate virili ac robore ad prolificandum; ita fecit eum perfectum in anima, quantum ad scientiam naturalem,

A per quam posset instruere posteros. Sicque Adam imposuit nomina omnibus illis, ut posteros edoceret nomina eorumdem. Denique ante suam transgressionem fuit perspicacioris scientiæ atque majoris dignitatis, ut angelico famulatu fieret coram eo illa adductio. Potest etiam dici, quod ideo ei adducta sint, quatenus omnium illorum considerando naturas et proprietates, magis incitaretur ad Creatoris reverentiam ac amorem, et ei gratior esset pro excellentia et dominatione, quas ei super irrationabilia contulit. Ex quibus ostenditur, quod Deus concreavit Adæ non solum scientiam rerum, sed et notitiam cujusdam loquelæ. Quod si quæratur, † cujus et in quo idiomate Adam imposuit animalibus nomina : respondetur, quod linguæ Hebrææ, et quod in ea imposuit animalibus nomina. Unde Hieronymus : Videtur, inquit, quod lingua Hebræa fuit prima hominibus, quoniam nomina quæ usque ad divisionem linguarum in Genesi legimus, sunt Hebræa.

Quæri insuper potest, an etiam pisces adducti sint. Et dicunt quidam, quod imo. Verumtamen Augustinus videtur sentire quod non, nam ait : De piscibus non dicitur quod Adam eis imposuit nomina, sed credibile est, quod piscibus paulatim cognitis, juxta gentium diversitatem nomina exstent imposita. Hinc quum auctor Scholasticæ dixisset historiæ, In animantibus terræ, et aeris, intelligenda sunt animantia aquæ ; mox addidit, Vel potius pisces postea ab hominibus sunt cogniti et nominati, quia æquivocantur cum animalibus terræ, eo quod deprehensi sunt similes illis esse.

Iterum quæri potest, an universa et singula animalia illa adducta sint. Ad quod respondendum videtur, quod si in qualibet specie per commixtionem sexuum generante, non sunt nisi duo individua primo creata, ut aliqui opinantur, universa et singula sunt adducta. Si vero in eadem specie plura individua simul facta fuerunt, sufficiebat tamen adductio duorum indivi-

Digitized by Google

duorum, quum eadem nomina competerent eis et ceteris suæ naturæ consortibus. Irrationabilibus quippe non videtur imposuisse nomina propria, sed communia solum. *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus,* id est, omne animal vivum, vocatur veraciter nomine illo quod Adam sibi imposuit : quod primo de Hebræis verificatur nominibus, deinde proportionabiliter quoque de aliis. Nam quamvis bestiam, quæ equus vocatur in Latino, non vocaverit hoc nomine, equus; tamen vocavit eam nomine Hebræo, cui correspondet hoc nomen Latinum, equus. *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia.* Si hoc absolute accipiatur, sequeretur quod et piscibus nomina apta imposuit. Si vero accipiatur solum pro his, de quibus in speciali subjungitur, *et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ,* non teneret consequentia illa.

Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus, id est, nulla reperiebatur nec fuit persona ejusdem speciei cum Adam, quæ posset ei cooperari in prolificando. Ex hoc vero apertissime sequitur, quod vir fuit prius tempore factus quam mulier. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Iste sopor secundum doctores catholicos, non fuit somnus naturalis aut corporalis, sed potius obdormitio, quies, ecstasis seu absorptio mentis in Deo, ex profunda ac intensissima contemplatione Dei ac secretorum mysteriorum ipsius. Ex qua obdormitione corpus et vires sensitivæ sopiebantur, atque a vita animali actuali et actibus circa propria objecta suspendebantur, donec mens rediit ad se ipsam. Unde quidam dicunt Adam tunc supernæ curiæ interfuisse : quod tamen intelligendum non est, quasi anima ejus fuerit realiter separata a corpore, aut translata in cœlum, vel quod viderit Deum tunc clare per speciem, sed quod anagogica contemplatione multum sublimi contemplatus sit Deum, et illuminatus ab eo de quibusdam secretis, ut statim dicetur. *Cumque obdormisset* modo præfato, *tulit* Dominus *unam de costis ejus.* Hoc factum est supernaturaliter et immediate a Deo, et sine Adæ evigilatione atque dolore ; imo ad se ipsum reversus, non sensit inde dolorem. Verumtamen Augustinus tangit, quod costa potuit ministrari per angelos, id est, ministerio angelorum auferri, Deo jubente. *Et replevit carnem pro ea,* id est, loco costæ sublatæ posuit carnem, extendendo seu augendo carnem quæ propinqua fuerat costæ, ita quod locum illum replevit. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem,* id est, de costa illa formavit corpus Evæ per se ipsum immediate, supernaturaliter et instantanee, sicut et corpus Adæ, quorum utrumque fecit solo jussu omnipotentis sapientiæ suæ. In eodem quoque instanti creavit et corpori suo infudit animam Evæ.

Et adduxit eam ad Adam, tanquam ad superiorem seu perfectiorem, et tanquam ad caput suum atque principium, et quoniam fuerat ei matrimonialiter et socialiter ac amicabiliter copulanda ; in signum quoque, quod femina maritanda, debet duci ad virum. *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* id est, persona ista feminea, quæ nomine ossis et carnis significatur, quoniam ex ossibus et carne composita est, est jam formata, quantum ad corpus suum, ex uno de ossibus meis, puta ex costa mea, et etiam de carne mea, quoniam Deus tollendo costam ex Adam, tulit simul cum costa aliquam partem carnis, qua costa fuerat tecta. *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Apparet quibusdam quod impropria sit nominatio ista, quia virago magis designat mulierem viriliter agentem, quam de viro sumptam : ideo magis proprie diceretur vira, si sermo Latinus hoc pateretur. Sed ultimum istud non videtur idonee dictum, quia etsi dictio ista, vira, esset in usu, per eam non designaretur mulier facta de viro, sed solum persona feminei sexus, sicut per virum persona sexus virilis. Nam ita ha-

Digitized by Google

berent se ad invicem vir et vira, sicut A dominus et domina. Per dominam autem non designatur, quod res illa quæ domina dicitur, sit facta de domino. Unde apparet quod appropriatius diceretur viracta, quasi de viro facta, quam vira ; quamvis, in quantum mulier, diceretur proprie vira, quemadmodum in Hebræo dicitur Issa, quod interpretatur mulier. Sumpta est itaque mulier illa de viro quantum ad corpus, non quantum ad animam, quæ nequaquam ex anima viri traducta est, sed immediate a Deo creata. Nec tamen Moyses B hoc expressit, quia jam satis dedit illud intelligi, per hoc quod animam viri insinuavit ab extra infusam ac inspiratam. Præterea, sicut dicit Glossa, Theodotion aliam etymologiam suspicatus est, dicens: Hæc vocabitur assumptio, quia de viris sumpta. Issa enim, secundum varietatem accentus, etiam assumptionem designat.

Quamobrem, id est, quum tanta sit propinquitas, et quodammodo unitas viri et conjugis suæ, *relinquet homo,* scilicet vir, *patrem suum et matrem, et adhærebit* C *uxori suæ.* Hoc dupliciter explanatur. Primo, quod maritus relinquet proprios parentes communiter, quantum ad cohabitationem, mensam et lectum, et uxori suæ adhærebit in his, quia ad prolificandum accipit eam : ideo habet providere sibi ipsi et contorali ac propriæ proli, nec manet sub cura parentum ut ante ; sed emancipatus efficitur, et suam accipit portionem. Secundo, quod homo relinquet parentes suos, quantum ad incundum conjugium, quoniam nunquam licuit filio cum D matre sua contrahere, nec filiæ cum proprio patre, quia concubitus est contra reverentiam qua proles suis tenetur parentibus ; ceteræ autem personæ, quantumlibet cognatæ, potuerunt aliquando matrimonialiter sociari. Potest et tertio exponi de dilectionis derelictione. Nam vir quum ducit uxorem, quamvis non desinat parentes suos diligere, attamen incipit plus amare conjugem, quam parentes, quantum ad amorem illum zelotypum. *Et erunt duo in carne una,* id est, tam familiariter ac intime copulabuntur, quasi sint una caro ; et iterum erunt duo supposita, utpote vir et uxor, in carne una, hoc est, caro unius erit alterius, et caro uniuscujusque ipsorum, erit ambobus communis, uni ad essendum, alteri ad utendum : vir quippe sui corporis potestatem non habet, sed mulier, et econtra. Erunt quoque duo in carne una, hoc est, in uno carnali opere seu commercio, atque in una prole communicabunt, concurrent, et unum fient, unum, inquam, per communionem, causalitatem, et dilectionem.

Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus. Non enim indiguerunt vestitu contra intemperiem aeris, aut aliquam læsionem. *Nec erubescebant* ex mutuæ nuditatis genitaliumque membrorum intuitu. Erubescentia namque est timor seu pudor de re turpi ; turpitudo autem non erat in membris aut corpore ex creatione, aut ipsa originali conditione. Et ideo quoniam non erat in eis aliqua appetitio, aut motio inhonesta, nec suspicabantur sibi tale quid imminere, non erubuerunt, sicut nec glorificati in corpore post diem judicii. Ideo Josephus deliravit, dicendo quod inerubescentia illa priorum parentum, venit ex imperitia et puerili simplicitate. Sic enim status eorum fuisset ex peccato melioratus, utpote majori usu rationis et pleniori scientia decoratus. Jam quoque præhabitum est, quod Adam fuit in naturali scientia perfectus creatus. Nec aliter potuisset animalibus apta imponere nomina. In præfato item sopore fuit mirabiliter illustratus : idcirco nequaquam erant asinina et brutali simplicitate obfuscati, sed magis illuminati ante suam transgressionem, quæ non mediocriter vulneravit in eis naturalia, abstulitque gratuita saltem nonnulla. Itaque nihil putabant celandum, quia nihil senserunt reprimendum, et quoniam membra præfata rationi omnino obediebant; nunc autem præcipue sunt erubescenda, quoniam rationi sunt præsertim rebellia.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM, CONCERNENTIUM PASSUM TEXTUS ISTIUS ARTICULO PRÆCEDENTI EXPOSITUM.

QUÆRITUR circa illud, Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso : a qua parte terræ tulit eum, hoc est, in qua parte terræ factus est primus homo. Ad hoc respondet Henricus de Hassia : De hoc non est certitudo. Sed Josephus dicit, quod in agro Damasceno, hoc est in agro juxta quem postea est ædificata Damascus urbs Syriæ. Dicitque Josephus, quod ibi factus sit Adam de terra rubra conspersa seu humida. Nam et Adam uno modo interpretatur ac sonat, rubens, vel rubra terra. Alii dicunt, quod factus sit in B medio terræ habitabilis, utpote circa Jerusalem, quoniam ibi aut prope nasciturus et conversaturus fuerat Christus. In Elucidario, in quo multa notabilia breviter continentur, quamvis non cuncta authentica sint, dicitur quod Adam in Hebron, id est, agro ubi nunc Hebron est, formatus sit, et illuc post ejectionem suam reversus ac conversatus. Cui dicto apparentiam facit, quod ibidem sepultus describitur. *Josue* XIV, 15.

Secundo quæritur, quum vir sit dignior muliere, cur mulier in paradiso forma- C ta est, vir extra paradisum. Respondetur, quod viro extra paradisum plasmato, ad innuendum, quod mansio paradisi sibi naturaliter non deberetur, satis innotuit, quod mulieri mansio illa non debebatur, quum esset imperfectior viro : idcirco ad illud designandum, non oportebat eam extra paradisum formari. Assignantur quoque et aliæ causæ, videlicet quod Deus in hoc honoravit sexum femineum. Unde et de nobiliori materia eam formavit, quam virum, puta de costa viri, de limo formati. D Et quia ipse Creator omnipotens prævidit se ex sexu illo incarnandum. Et rursus, A ne viri conjuges suas contemnant, sed venerentur.

Tertio quæritur circa illud, Præcepitque ei, dicens : Ex omni ligno paradisi comede; quot præcepta dedit Deus Adæ in principio seu paradiso. Ad hoc communiter respondetur, quod tria. Unum fuit, Crescite et multiplicamini. Et hoc pertinebat ad conservationem speciei. Verumtamen hoc præceptum, secundum ordinem historiæ textus, datum est Adæ ante translationem suam in paradisum. Secundum præceptum fuit, Ex omni ligno paradisi comede, quod pertinet ad conservationem individui. Et hæc duo præcepta erant affirmativa. Tertium exstitit negativum, videlicet : De ligno scientiæ boni et mali ne comedas. *Tria præcepta Adæ data.*

Quarto quæritur, an etiam mulieri data sint ista præcepta. Et videtur quod non. Nam in prolatione primi præcepti nondum fuit producta. Porro duo ultima ista præcepta, soli Adæ data leguntur. Oppositum tamen apparet ex eo, quod infra mulier respondet serpenti : De fructu ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, ne forte moriamur. Ad hoc Augustinus quasi dubitative respondet, quod præcepta ista sic data sunt viro, ut per eum devenirent ad Evam. In Scholastica historia datur ista responsio assertive. Et additur ibi, quod jussio ista dicitur Adæ facta forte per anticipationem, quoniam muliere formata, utrisque est data. Verumtamen hoc non habetur ex textu, nisi forte ex responsione Evæ præallegata : quæ tamen ita intelligi potest, quod jussiones hæ primo et immediate factæ sunt viro, et mulieri per eum.

Digitized by Google

Quinto quæritur, anne etiam alia præcepta data sunt eis. Et videtur quod imo, quoniam tenebantur ad legem naturalem et ejus præcepta. Tenebantur quoque vitare peccata mortalia, divinis præceptis directe contraria; imo obligabantur credere et sperare in Deum, et diligere eum præ omnibus. Denique in Ecclesiastico scriptum est : Deus ab initio constituit hominem, adjecit illi præcepta et mandata. (*Eccli.* XV, 14, 15.) Amplius, tria præcepta non erant nisi de corporalibus rebus, sed Deus exegit a primis parentibus spiritualem subjectionem et cultum internum, ergo dedit eis præcepta de talibus. Ad istud respondendum est affirmative, sicut argumenta hæc probant, quod etiam clarius comprobatur ex his, quæ in Ecclesiastico scribuntur : Deus de terra creavit hominem, creavit ex ipso adjutorium simile sibi. Disciplina intellectus replevit eos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit corda illorum, bona et mala ostendit illis, justitiam et judicia sua ostendit illis, et dixit illis : Attendite ab omni iniquo. (*Ibid.* XVII, 1, 5 *et seq.*)

Sexto quæritur, qualiter et in qua lingua locutus est illis Deus, et qualiter potuerunt intelligere aliquod idioma. Ad hoc Augustinus obscure respondet, et sentire videtur, quod per creaturam subjectam, puta per angelum, locutus sit et jusserit illis duo illa præcepta. Scholastica quoque historia et Henricus de Hassia, clarius id affirmant. Et addit Henricus, quod in Hebræo facta sit illa locutio. Atque secundum Augustinum, dicendum quod sicut Deus concreavit illis scientiam, ita et Hebrææ loquelæ peritiam.

Septimo quæritur, qualiter et quibus dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Respondetur quod Deus hoc dixit, id est, intra se cogitavit ac definivit, ita quod dicere sumitur hic essentialiter pro practica intellectione. Et ista locutio est totius superbeatissimæ Trinitatis ad se, vel Patris ad Filium ac Spiritum Sanctum, quemadmodum dictum est super illud : Dixit

A Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

Octavo quæritur, cur Dominus volens tollere unam de costis Adæ, etc., misit soporem in eum. Ad hoc quidam respondet, ne Adam videret costæ suæ amotionem. Sed contra hoc objici posset, quia secundum Augustinum, sopor ille non est missus in Adam, ne sentiret dolorem ex costæ abstractione, quia et vigilanti potuit eam sine dolore avellere : ergo a fortiori apparet, quod non sit facta soporis immis-

B sio, ne Adam videret costæ suæ sublationem, quia et invisibiliter potuit eam Deus auferre. Denique sublatio costæ, non est corporaliter et visibiliter facta, per applicationem manus aut alterius membri aut instrumenti, sed jussu Omnipotentis, aut etiam invisibili aliquo cooperatu angelico. Sunt igitur hujus rei aliæ rationes. Prima, quoniam Deus dum costam abstulit, voluit viro revelare mysterium seu causam ablationis illius : ideo misit in eum contemplationis soporem et ecstasim, in qua

C revelavit ei multa secreta et spiritualem rationem facti illius : quæ tamen ratio in se spiritualis, fuit litteralis ibidem, sicut et sequens, secundum Augustinum. Secunda itaque ratio est, quia per formationem Evæ ex Adam, voluit Deus præfigurare formationem Ecclesiæ ex Christo : idcirco ex Adam dormiente et soporato Deus formavit Evam, quia prævidit quod ex Christo dormiente in cruce, formanda esset Ecclesia.

Nono quæritur, cur Deus formavit mu-

D lierem ex viro, et non potius ambos simul produxit de communi materia, sicut in ceteris animalibus fecit. Et respondendum quod ideo. Primo, ut vir conjugem magis diligeret, non solum tanquam aliquid simile sibi, sed et tanquam aliquid sui, et tanquam quemdam sui effectum. Hinc duodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Quod ex latere viri facta est mulier, signat quam cara debet esse conjunctio mariti et conjugis. Secundo, ut in hoc quoque primus homo Deo assimilaretur, quod

Digitized by Google

sicut omnia sunt ex Deo, sic universum genus humanum prodiret ex uno homine primo. Tertio, quoniam vir caput est mulieris : idcirco ex eo tanquam a quodam principio fuerat procreanda. Quarto, ut femina suo marito fidelius et amorosius adhæreret tanquam principio suo. Quinto, propter significationem mysterii, utpote quod tota Ecclesia esset formanda a Christo.

Decimo quæritur, quare potius de costa et latere Adæ sumpta est Eva. Respondetur, ad designandum quod Ecclesia esset formanda de sanguine ex Christi latere profluente. (*Joann. xix, 34.*) Item ad innuendum, quod uxor sit juxta sui mariti latus ponenda et tanquam socia, non quasi ancilla aut domina a viro suo habenda : idcirco de media corporis parte, videlicet costa, non de capite aut pede viri est facta.

Undecimo quæritur de contemplatione Adæ in præfato sopore, qualiter viderit Deum, et quid ex divina revelatione tunc cognoverit. Respondetur quod non vidit Deum clare per speciem, sed contemplatione anagogica ac mystica multum præclara, quæ fuit quasi medio modo se habens inter beatificam patriæ visionem, et communem contemplationem Dei in via. Denique, secundum doctores, ex divina revelatione tunc cognovit Dei Filium incarnandum, non tamen cognovit tunc causam Incarnationis, videlicet quod pro diluendis mundi peccatis esset incarnandus : non enim præscivit ruinam suam. Et quod istud sit verum, ex eo perpenditur, quod Adam evigilans et reversus ad se, prophetavit : Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Quod exponens Apostolus : Sacramentum, inquit, hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. (*Ephes. v, 32.*) Intellexit itaque Adam in raptu illo, feminam de costa sua esse formatam, et rationem formationis illius ac designationem matrimonii tunc instituti, ut est in naturæ officium. In Scholastica quoque historia fertur : Evigilans prophetavit de conjunctione Christi et Ecclesiæ, et ibidem cognovit de futuro diluvio, judicio quoque futuro per ignem, ac suis liberis indicavit. Verumtamen istud reor incertum, quod cognovit de futuro diluvio atque judicio Dei per ignem. Sic enim, ut apparet, præcognovisset sui ac posteritatis suæ ruinam, eo quod diluvium et ignis judicium, directe insinuent pœnam. In cujus ratione datur intelligi culpa præcedens, quod illuminatissimum Adam non latuit. Et quamvis post primam Protoplasti transgressionem, interdum infligitur pœna absque prævia (pro qua infligatur) culpa, tamen si primus homo non peccasset, non infligeretur posteris pœna sine prævia culpa : quod etiam S. Thomas affirmat. Porro incarnatio Filii Dei non supplicium, sed potius beneficium denotat.

Duodecimo quæritur, an de costa Adæ poterat Eva formari. Et apparet quod non, quoniam ex tam parva materia nequivit fieri corpus tam grande, nisi forte per rarefactionem ; corpus autem Evæ non erat rarum, sed grossum, spissum ac solidum. Respondetur, quod de hoc duæ sunt opiniones. Una Hugonis et Magistri Sententiarum, qui dicunt corpus Evæ formatum ex costa illa absque additione alicujus exterioris materiæ, per creationem aut conversionem alicujus in ipsam. Si enim (ut aiunt) Deus potuit materiam de nihilo facere, potuit eam in se ipsa multiplicare absque alicujus additione. Alii dicunt quod factum sit illud per additionem alterius materiæ, et probabilius reputat Thomas, quod factum sit hoc per additionem materiæ præexsistentis, eo quod Sancti communiter dicant, omnia ad minus in materia simul esse creata. Sed istis difficultatibus scholasticis, quæ super Sententias diffuse discutiuntur, nequaquam intendo immorari hoc loco.

Tertiodecimo quæritur, qualiter costa de qua facta est Eva, fuit primo in Adam. Aut enim fuit ei superflua, aut de ejus integritate consistens. Si secundum, ergo ea sublata, factus est imperfectus ac di-

Digitized by Google

A minutus. Si primum, ergo fuit monstruosus, sicut qui habet sex digitos. Monstrum quippe est effectus suæ inconveniens speciei. Respondetur brevissime, quod costa illa fuit Adæ necessaria, secundum quod erat suæ speciei principium, non in quantum fuit individuum certum. Ideo costa ablata, mansit integer homo.

Quartodecimo quæritur, an Eva fuerit filia Adæ. Et apparet quod imo, quia ex substantia ejus est facta. Costa namque magis fuit de substantia Adæ, quam semen. B Respondetur quod formatio Evæ non exstitit per naturalem generationem, sed per supernaturalem plasmationem, idcirco non exstitit filia Adæ. Postremo circa illud, Ædificavit Dominus costam quam tulerat, etc., Lyra allegat et approbat Rabbi Salomonem, dicentem : Formatio mulieris describitur nomine ædificationis, quoniam sicut ædificium communiter grossius latiusque est inferius, quam supra, sic corpora mulierum communiter grossiora inferius, et subtiliora exstant superius. Et C hoc propter debilitatem calidi naturalis in muliere, propter quod major pars alimenti manet inferius. Sed circa hoc scribit Rabbi Paulus, quod istud sit improprie dictum, inconveniensque ad propositum declarandum : quoniam ad Scripturam nil pertinet, an mulier sit grossior inferius, annon. Ideo aliam rationem adducit, dicendo quod sicut in ædificio manet eadem res numero in ædificato, quæ fuit ante ædificationem, et ex qua ædificium fit, ut patet dum ex lignis et saxis fit domus, ita dicit quod inter Adam et Evam mansit quodammodo individualis identitas, in quantum eadem costa numero mansit in Eva, quæ ante fuit in Adam. Sed istud satis imperite prolatum censetur. Dum enim ex aqua fit aer, non manet identitas individualis inter aquam et aerem, quamvis materia prima eadem numero perseveret in aere quæ fuit in aqua : sic quamvis costa in Eva mansit eadem numero, quantum ad primam materiam quæ fuit in Adam, non tamen ob hoc mansit eadem numero costa in utrisque, quoniam sub alia forma substantiali stetit in Adam quam in Eva. Quemadmodum autem materia sumit esse a forma substantiali, ita et distinctionem, unitatem aut numerationem a forma sortitur.

Possent demum circa hunc passum alia dubia multa moveri, videlicet quamdiu fuit Adam in paradiso, et quamdiu formatio ejus introductionem ejus in paradisum præcessit, ac consimilia, quæ in expositione sequentis tangentur capituli.

ARTICULUS XXII

ELUCIDATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI.

D IGITUR *perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Per cœlos angelici intellectus, per terram mentes humanæ recte intelliguntur, qui omnes perfecti sunt, quando angeli electi ad Deum conversi, per dona gloriæ sunt beatificati et roborati, imo et plene consummati in Deo, homines quoque per dona gratiæ gratum facientis formati. Denique ceteræ universæ creaturæ completionem quamdam sortiri videntur, dum electis hominibus, propter quos specialiter factæ sunt, obsequuntur. Rursus, per cœlos intelliguntur contemplativi et religiosi ac præsidentes; per terram, activi sæculares ac subditi, qui omnes in Ecclesia sunt suo modo perfecti, dum unusquisque eorum secundum exigentiam suæ vocationis digne Deo con-

Digitized by Google

versatur, quorum omnium ornatus, sunt virtutes ac dona Spiritus Sancti et meritorii actus. *Complevitque Deus die septimo opus suum.* Per septimum diem, intelligit Isidorus diem glorificationis et requietionis electorum in regno cœlesti : in quo die requiescet Deus plenissime in electis glorificatis, faciendo eos plene et contentative conquiescere in se, ita ut satiati plenarie, nil plus neque quid amplius queant appetere. Denique illi diei, id est electis et beatis in die illo æternitatis, Deus plenissime benedicet per infusionem seu conservationem et consummationem munerum gloriæ.

Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die quo fecit Dominus cœlum et terram. Generationes naturales sunt, per quas res temporales acquirunt esse substantiale specificum. Generationes autem spirituales, sunt reformationes per quas creaturæ rationales acquirunt esse spirituale, quod est esse gratiæ ac virtutum. Istæ ergo sunt generationes cœli et terræ, id est, reformationes contemplativorum et activorum hominum in hoc mundo, quæ reformationes fiunt (sicut prætactum est) per infusionem charismatum Spiritus Sancti, præsertim per gratiam gratificantem : quando creatæ sunt, hoc est, spiritualiter regeneratæ ac reformatæ sunt; in die quo fecit Deus cœlum et terram, id est tempore evangelicæ lucis, quod est tempus gratiæ, in quo misericordia Dei plures convertit præter solitum, de quo die loquitur Isaias :
Is. IV, 2. In die illa erit germen Domini in gloria et magnificentia. *Et omne virgultum agri,* id est incipientes fortiter proficientes, qui instar virgulti virent virore virtutum ac gratiæ, et ornantur ornatu quotidiani profectus ; *omnemque herbam regionis,* id est universas animas christifideles, quæ sunt herbæ et fructus quidam regionis, id est militantis Ecclesiæ, in qua per fidem et caritatem regnat rex Christus; *priusquam germinaret,* id est, priusquam Ecclesia boni aliquid operaretur. Non enim aliquid meritorium operaretur, nisi præfato modo a Deo præveniatur ac fecundetur ; ideo subditur : *Non enim pluerat Dominus Deus super terram,* id est, habitatoribus terræ nondum infuderat aquam sapientiæ salutaris, atque cœlestis gratiæ imbrem. Et potest hoc loco per terram specialiter designari gentilitas, quæ ante suam conversionem erat quasi aridissima terra, quantum ad hoc quod carebat omni supernorum humore charismatum, ita quod dicere potuit Deo : Anima mea sicut *Ps.* CXLII, 6.
terra sine aqua tibi. Itaque nondum pluerat Dominus super terram, quando gentilitatem nondum instruxerat Scripturis novi ac veteris Testamenti. *Et homo non erat qui operaretur terram.* Tunc enim non erant prædicatores et prælati missi ad gentilitatem, qui corda gentilium vomere prædicationis ad pœnitentiam scinderent, virtutibusque excolerent, et disciplina exercerent morali, ita quod tunc in gentilibus implebatur quod Deus loquitur per Prophetam : Mandabo nubibus meis, ne *Is.* V, 6.
pluant super eam imbrem. Præterea tunc non erat homo qui operaretur terram, quia infidelium nullus corpus suum tunc debite castigavit, nec cordis sui agrum fecundavit virtutibus. Omnes enim decli- *Ps.* XIII, 3.
naverunt, simul inutiles facti sunt. Hoc quoque convenit unicuique carnali et negligenti.

Sed fons ascendebat e terra. Fons iste est Christus, de quo illud Ecclesiastici, Fons *Eccli.* I, 5.
sapientiæ Verbum Dei in excelsis, rite accipitur, qui ascendit de terra, quando de Virgine natus est, de qua loquitur Isaias :
Aperiatur terra, et germinet Salvatorem : *Is.* XLV, 8.
quam terram nullus operatus est homo, quoniam nullus virorum Virginem fecundavit ut pareret Christum, qui est lapis de *Dan.* II, 45.
monte præcisus sine manibus, hoc est de regno ac populo Judæorum sine humano opere natus. Insuper fons iste, de quo ait Psalmista ad Patrem, Quoniam apud te est *Ps.* XXXV, 10.
fons vitæ, fuit irrigans universam superficiem terræ, videlicet totam Ecclesiam, omnemque gentilitatem per Apostolorum et apostolicorum virorum doctrinam, qui-

Digitized by Google

Act. I, 8. bus locutus est : Eritis mihi testes usque A ad ultimum terræ. Ps. XVIII, 5. Nempe in omnem terram exivit sonus eorum. Unde per Isaiam Is. XLIX, 6. Pater locutus est Filio : Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, id est, Spiritus Sanctus corpus Christi formavit ex purissimis sanguinibus Virginis sacræ, et Christus ex sanctis patribus natus est, juxta illud Apostoli : Rom. I, 3. Factus est ex semine David secundum carnem. *Et inspiravit in faciem ejus* B *spiraculum vitæ.* Interior facies hominis, est mens ejus. Inspiravit ergo Deus Pater seu Trinitas tota in faciem Christi spiraculum vitæ, id est, Spiritum Sanctum menti ejus humanæ infudit copiosissime. Joann. III, 34. Non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum homini Christo, qui in Isaia testatur : Is. LXI, 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Ibid. XI, 2. me. De quo idem cecinit Isaias : Requiescet super eum Spiritus Domini. *Et factus est homo in animam viventem :* id est, Christus accepit in suæ incarnationis ex- C ordio animam viventem, non solum vita gratiæ in gradu altissimo gratiæ gratificantis, sed etiam vita gloriæ, quantum ad beatificam deitatis fruitionem plenissime, quantum ad superiorem suæ animæ portionem. Eodem enim instanti quo anima Christi creata est, impleta est plenitudine gratiarum et lumine gloriæ atque clarissima divinæ essentiæ visione per speciem, in quantum se extendebat capacitas mentis creatæ.

Plantaverat autem Dominus Deus pa- D *radisum voluptatis a principio.* Paradisus voluptatis, est Ecclesia militans, quæ in membris suis electis ac virtuosis, spiritualibus deliciis affluit, atque in isto exsilio dulcissime visitatur et consolatur a Deo. Hanc Deus ab exordio sæculi cœpit plantare, præsertim a tempore Abel justi, id est, per divina charismata stabilire ac radicare in mundo ; de qua plantatione ait Matth. XV, 13. in Evangelio Dominus : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. *In quo posuit hominem quem formaverat :* id est, Christum constituit caput totius Ecclesiæ, sicut loquitur Paulus : Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Ephes. I, 22. Constituit quoque Christum hominem in ipsa Ecclesia, quia dum venit temporis plenitudo, misit Deus Filium suum, qui in terris est visus, et cum hominibus conversatus, quibus locutus est : Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Luc. XXII, 27. Unde et Patri fatetur : In medio Ecclesiæ laudabo te. Ps. XXI, 23.

Produxit autem Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave : id est, omnem hominem virtuosum, qui ab exordio exstitit mundi, Deus de terra formavit, quantum ad esse naturæ ; et quantum ad esse gratiæ ac virtutum, produxit tempore evangelicæ legis omnem Christifidelem de Ecclesia, in quantum ministerio Ecclesiæ omnis talis est per Baptismum spiritualiter regeneratus, quemadmodum ait Salvator : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, Joann. III, 5. non potest videre regnum Dei. Porro Christifidelis dicitur lignum, juxta illud : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Matth. III, 10. Nam et Christus de se ipso loquens : Si in viridi, inquit, ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ? Luc. XXIII, 31. Tale lignum est pulchrum visu, quia ornatum pulchritudine gratiæ et splendore sapientiæ ac virtutum. Est item ad vescendum suave, quoniam dulciter reficit alios verbo ac opere seu consolatione et gaudio spirituali, sicut de Tito loquitur Paulus Corinthiis : Refectus est spiritus II Cor. VII, 13. ejus ab omnibus vobis. Et rursus ad Philemonem : Refice, ait, viscera mea in Domino. Philem. 20. Produxit etiam Deus *lignum vitæ in medio paradisi,* videlicet Christum, de quo Salomon contestatur, quod Sapientia lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam, Prov. III, 18. de quo Paulus : Nos, inquit, I Cor. I, 24. prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. *Lignumque scientiæ boni et mali.* Per lignum hoc potest designari et Christus, de quo loquitur Isaias : Is. VII, 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum,

Digitized by Google

et eligere bonum. Ipse enim plenissime docuit inter bonum et malum discernere. Potest item per lignum scientiæ boni et mali, liberum arbitrium accipi, propter causam mox exprimendam.

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis : id est, Christus unigenitus Dei ex fonte paternæ mentis æterna generatione egressus est, et venit in mundum, naturam assumens humanam, quemadmodum fassus est : Exivi a Patre, et veni in mundum ; *ad irrigandum paradisum,* id est, Ecclesiam, sicut expositum est. Unde et ipse : Qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Qui deinde dividitur in quatuor capita :* id est, per quatuor mundi partes rivos sapientiæ suæ diffudit, rorem gratiæ sparsit, et quatuor fluvios, utpote quatuor Evangelia, fluere atque decurrere fecit. Vel primus fluvius est totale Evangelium, a quatuor Evangelistis conscriptum ; fluvius secundus, moralis doctrina epistolarum Pauli et aliorum quatuor Apostolorum ; fluvius tertius, liber historialis Actuum Apostolorum ; fluvius quartus, liber propheticus Apocalypsis. Denique fluvius iste in quatuor dividitur capita, dum ait Apostolus : Christus factus est nobis a Deo sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio.

(Joann. xvi, 28.) (Ibid. iv, 13, 14.) (I Cor. i, 30.)

Nomen uni Phison. Per Phison, qui interpretatur (secundum Glossam) mutatio oris, intelligi potest Evangelium sancti Joannis, in quo diffusius edocetur, qualiter Verbum caro factum sit, ita quod quasi mutatus apparet formam servi accipiens, quamvis non in Verbi deitate, sed in assumpta humanitate sit facta mutatio. *Ipse est qui circuit omnem terram Hevilath.* Per terram Hevilath seu Indiam, significantur ferventes et contemplativi, in quibus sapientia Evangelii sancti Joannis specialiter fluit ac viget. In quibus *nascitur aurum,* videlicet fervor pretiosissimus divini amoris, qui est optimum aurum. *Ibique invenitur bdellium.* Per bdellium, quæ est aromatica arbor, cujus gutta est lucida et gustu amara ac boni odoris, intelligitur dolor contritionis, et deploratio præsentis exsilii, quæ in contemplativis consistunt, quoniam quotidiana sua peccata acri contritione deplangunt, ad patriamque adspirant cœlestem, dicentes : Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et, Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte. *Et lapis onychinus,* per quem designatur conversatio humana exterior exemplaris, caritasque fraterna, quoniam onyx similitudinem habet coloris unguis humani ; contemplativi autem in vita hac quandocumque ad divina rapiuntur, tamen sæpe coguntur ad humanam vitam redire et aliis conformari.

(Philipp. ii, 7.) (Ps. cxix, 5.) (Ps. xli, 4.)

Et nomen fluvii secundi, Gehon. Per Gehon, qui interpretatur hiatus terræ, intelligitur Evangelium sancti Matthæi, in quo specialiter edocemur terræ hiatum, id est cupiditatem omnem vitare, seu bonum hiatum, utpote ferventem affectum futurorum bonorum habere. *Qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Ibi quippe ad litteram Evangelium hoc abundantius fluxit ac fusum est. Tota quoque gentilitas, quæ erat vitiorum nigredine cooperta, per Æthiopiam explicatur, et Evangelium istud hausit atque potavit. *Nomen vero fluminis tertii, Tigris.* Per Tigrim Evangelium sancti Lucæ exprimitur, quod instar tigridis velocissimæ undique est vulgatum atque receptum, quia non solum Catholicis, sed et hæreticis ac Sarracenis specialiter placuit ; propter quod super Lucam asserit Origenes : Innumerabiles hæretici sunt, qui Evangelium secundum Lucam recipiunt. Denique in Alcorano Mahometi perfidi et mendosi, plura ex Evangelio Lucæ sumpta habentur. Hoc Evangelium pertransit Assyrios. Assyrii interpretantur dirigentes. Veraciter autem fideles secundum Christi doctrinam se dirigunt, et ita Evangelium Lucæ plene et recte acceptant. *Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates,* quod interpretatur frugifer, et Evangelium sancti

Digitized by Google

Marci significat, quo ad virtutum fructificationem instruimur.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, id est, Christum secundum naturam assumptam eduxit de inviolatissimo Virginis utero, Ps. xxi, 10. sicut in Psalmo fatetur : Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. *Et posuit eum in paradisum voluptatis,* id est, totius Ecclesiæ principem, legislatorem et illuminatorem ipsum effecit, juxta quod Is. lv, 4. ait per Isaiam : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. *Ut operaretur et custodiret illum,* id est, corda fidelium per dona gratiæ suæ fecundaret et exerceret, atque in bonis conservaret Joann. xviii, 9. fideles, sicut in Evangelio ait : Pater, quos dedisti mihi, non perdidi quemquam ex Ibid. xvii, 12. eis. Itemque : Quum essem cum eis, ego servabam eos ; et quos dedisti mihi, custodivi. *Præcepitque ei, dicens : Ex omni ligno paradisi comede,* id est, ex omni natione et plebe aliquos tibi per fidem et caritatem incorpora. Porro, quod Deus præceperit istud Christo homini, constat Ibid. xiv, 31. ex eo quod ipsemet profitetur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas,* id est, vanos et sciolos, in oculis propriis sapientes, ac reprobos relinquas, nec membris tuis invisceres. Hinc Christus ad Patrem Ibid. xvii, 9. disseruit : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo.

Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum, hominem esse solum, id est, non decet, nec expedit ut Christus in mundo infructuosus remaneat. *Faciamus ei adjutorium simile sibi,* hoc est, Ecclesiam primitivam formemus ex eo, per cujus ministerium totus mundus regeneretur, et salvetur per ipsum. *Formatis igitur de humo cunctis animantibus,* etc. Per hoc spiritualiter præfiguratum est, quod omnia genera hominum, qui secundum diversitatem vitiorum aut virtutum, diversis exprimuntur nominibus avium ac brutorum, Deus spiritualiter præsentavit animæ Christi, ad cognoscendum, et item ad intelligendum, qui ex eis essent electi, qui-

A bus juxta hoc Christus imposuit nomen. *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus,* hoc est, Christo nullus electorum æqualis inventus est. Nec Christus invenit Sponsam illam in terra, propter quam ex se formandam descendit in mundum. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam,* id est, voluntatem subeundi mortem pro mundi salute Christo inspiravit, et eum in cruce mori voluit. *Quumque obdormisset, tulit unam de costis ejus,* hoc est, Christo in cruce defuncto, lancea Joann. xix, 34.

B militari latus ejus perforari permisit, imo et perforavit, eo modo quo beatissimus princeps Apostolorum testatur : Deus qui Act. iii, 18. prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Sicque formavit ex eo Ecclesiam, quoniam sacramenta quibus formatur Ecclesia, de latere Christi perfosso fluxerunt. Omnia etenim sacramenta, omnem suam virtutem a dominica passione et merito ejus sortita sunt. *Et replevit carnem pro ea,* id est, pro latere Christi, sic perforato, conjunxit

C et dedit ei Ecclesiam, quæ pretio sanguinis Christi redempta est et Christo unita, quemadmodum in Isaia legitur : Si posuerit Is. liii, 10. animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et dispertiam ei plurimos.

Et adduxit eam ad Adam, id est, Ecclesiam adduxit ad Christum, tanquam ad caput, per fidem, propter quod ait : Omne Joann. vi, 37. quod dat mihi Pater, ad me veniet. *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* id est, Ecclesia ista sanguine corporis mei formata est, et mi-

D hi tam cara est, ut proprium os et caro. Unde et Paulus testatur : Vos estis corpus I Cor. xii, 27. Christi, et membra de membro. *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Recte nomen istud Ecclesiæ competit, quæ de Christo est procreata, de qua cecinit Jeremias : Mulier circumdabit virum. Jer. xxxi, 22. Ecclesia quoque fortissima est in Deo, et virilissime agit, sicque virago rite vocatur. *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem :* id est, Christus ipse Patrem suum quasi reliquit, veniendo in mundum,

Digitized by Google

et matrem, utpote Synagogam, et adhæsit A uxori suæ, id est Ecclesiæ. Factique sunt *duo,* scilicet Christus et Ecclesia, *in carne una,* id est, unum mysticum corpus constituunt, cujus principale caput est Christus. *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.* Sic Christus in mundo isto conversans, nudus et pauper fuit, nec inde erubuit; primitivaque Ecclesia exstitit nuda et egena, nec inde verecundabatur, sed gloriabatur in Domino.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ, ETC.

DESCRIPTO qualiter primus homo con- B stitutus sit in paradiso, et qualiter ex eo formata sit femina, nunc recitatur qualiter ambo de paradiso ejecti sunt. *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi ?* Sicut ait Bonaventura super secundum, distinctione 21, quamvis sunt animalia quædam bruta callidiora, et quasi prudentiora serpentibus, serpens tamen callidissimum animal est ad insidiandum C atque nocendum corporaliter homini : ideo immensitas divinæ sapientiæ sic ordinavit, quod callidissimus invisibilis hostis, spiritualiter insidians ac lædens, per serpentem aggressus est hominem impugnare, ut inter instrumentum et ejus motorem esset proportio. Sed cur non accessit in specie columbæ, aut splendidissimi angeli, aut hominis religiosi ? Sic enim persuasio ejus apparentiam habuisset majorem, et fraus ejus amplius latuisset. Ad hoc super Genesim Augustinus respondet : Non est D putandum quod diabolus serpentem per quem tentaret, elegerit ; sed quum tentando decipere cuperet, non est permissus hoc attentare, nisi per serpentem. Hinc Magister Sententiarum libro secundo, distinctione 21, diffusius ait : Quia diabolus per violentiam nocere non poterat, ad fraudem se convertit, ut dolo hominem supplantaret, quem virtute superare nequiret. Porro, ne fraus illius nimis manifestaretur, in propria specie non venit, ne aperte cognosceretur. Iterum, ne fraus ejus esset valde occulta, quæ caveri vix posset, et ne homo videretur pati injuriam, si taliter circumveniri permitteretur, ut præcavere non posset, permissus est diabolus in specie aliena venire, sed in tali, in qua ejus malitia posset faciliter deprehendi. Unde propria ejus factum est voluntate, quod in propria forma non venit ; ut autem veniret in forma suæ malitiæ congruenti, videlicet serpentina, divinitus factum est. Et si permissus fuisset, forte venisset libentius in forma columbæ. Hæc Magister.

Sed circa hoc quæri posset : quum diabolus sit invisibilis spiritus in sua natura, quomodo venire potuisset in propria forma seu specie. Respondetur quod in propria natura non poterat visibiliter apparere ; attamen horribilissima, teterrima atque turpissima forma, qua pingi solet, dici potest quodammodo propria species ejus, quia per eam aptius designatur. Et si apparuisset in ea, fuisset mox cognitus.

Insuper quæritur, quid movit diabolum ad tentandum hominem. Ad quod respondetur, ex eo quod in libro Sapientiæ, secun- *Sap.* II, 24. do, habetur : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Itaque Bonaventura ad

Digitized by Google

istud respondet in scripto secundi : Duo A ista peccata, superbia et invidia, maxime possident mentem diaboli. Et sunt hæc duo peccata quasi inseparabilia, ita quod invidia concomitatur superbiam : superbus namque amat excellentiam, ideo non vult habere parem ; sicque mox appetit excellentiam singulariter possidere, propter quod statim invidet actu vel habitu. Diabolus ergo videns hominem constitutum in statu, in quo poterat sub sua cadere seu redigi potestate, in quo etiam poterat ad felicitatem supernam ascendere, a qua B corruerat ipse, motus est ex superbia atque invidia ad hominem impugnandum : ex superbia, ut eum sibi subjiceret ; ex invidia, ut eum ab æterna beatitudine impediret. Sicque superbia fuit, quasi movens primum ; invidia autem, sicut movens immediatum et proximum. Nam dato quod non potuisset hominem sibi subjicere, attamen studuisset eum felicitate ac gaudiis paradisi privare. Hinc potissime dicitur ex invidia hominem tentasse. Hæc Bonaventura. C

Amplius quæritur, cur diabolus non accessit hominem invisibiliter, tentando eum interius suggestione pestifera. Ad hoc respondet Albertus, quod suggestio dæmonis interior competit sensualitati corruptæ, idcirco Christum et hominem in statu innocentiæ tentavit diabolus suggestione exteriore. (*Matth.* IV, 1.) Unde Thomas apertius ait in prima parte, et super secundum, quod quamdiu superior pars animæ mansit in homine Deo subjecta, nihil inordinatum contingere poterat in inferioribus viribus D animæ.

Quæritur rursus, quis dæmonum tentavit homines protoplastos. Ad hoc patet responsio ex eo, quod in Scholastica fertur historia : Lucifer dejectus a paradiso spirituum, puta cœlo empyreo, invidit homini, eo quod positus esset in paradiso corporum, sciens quod si faceret eum transgredi, inde ejiceretur. Hinc communiter dicitur, quod Lucifer qui tentavit Christum, tentavit et primos parentes.

Quærendum est quoque, cur primo aggressus est feminam, et non potius virum. Ad hoc super secundum Bonaventura respondet : Ratio hujus accipitur tam ex parte sapientiæ Dei, quam ex parte versutiæ diaboli. Ex parte Dei, quoniam Deus permisit diabolum sic tentare. Primo, propter viri, scilicet Adæ, exercitationem. Nam adeo fortis fuit et spirituali mente præditus, quod poterat resistere non solum tentationi serpentis, sed suggestioni etiam mulieris, unde et fortius tentari permissus est. Secundo, propter removendam mulieris excusationem. Nempe si vir primo peccasset, non videretur multum mirandum, si ei mulier consensisset, quum vir caput sit mulieris. (*Ephes.* V, 23.) Tertio, propter nostram informationem, quia ex modo et ordine illius primæ tentationis, cognoscimus modum atque progressum invisibilis nostræ tentationis. Quemadmodum enim illa tentatio pervenit a serpente ad virum per feminam, sic nostra tentatio pervenit a sensualitate ad rationem superiorem per rationem inferiorem. Præterea, ex parte versutiæ diaboli sumitur ratio. Diabolus namque consideravit mulierem esse minoris sapientiæ, debilioris constantiæ, et importunioris adhærentiæ : quia minoris sapientiæ fuit, facilior erat ad seducendum, idcirco diabolus voluit sibi per eam facere viam ac transitum ; quia debilioris constantiæ, facilior erat ad pervertendum, idcirco tentator aggressus est hominem primo ex ea parte, qua fuit minus munitus ; quia importunioris adhærentiæ, conjiciebat diabolus, si eam vinceret primo, ipsa non quiesceret quousque perverteret virum. Hæc Bonaventura. In Scholastica quoque historia dicitur, quod diabolus metuens deprehendi a viro, aggressus est feminam primo. Nam et magis flexibilem vidit eamdem. Denique astutissimus ille tentator, acutissime pensans quam intense primus vir ille diligeret feminam ex se sumptam, perpendit quod si primo vinceret feminam, ipsa virum suo amore ad idem alliceret.

Digitized by Google

Quæritur denuo, cur diabolus tentationem illam incepit ab interrogatione, dicendo, Cur præcepit vobis Deus, etc. ? Ad hoc patet responsio ex verbis Magistri, libro secundo dicentis : Stans hostis superbus coram femina, non audebat in verba persuasionis prorumpere, metuens deprehendi ; sed sub interrogatione aggressus est eam, quatenus ex responsione ejus colligeret, qualiter in tentando procedere posset. Itaque diabolus dixit : Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi, hoc est de fructibus arborum omnium, una excepta ?

Postremo quidam hic scribit, quod diabolus non est permissus tentare hominem in specie gratiosa. Et addit : Aliqui tamen dicunt, quod serpens ille habuit faciem gratiosam ac virginalem, quod de Scriptura nullam habet auctoritatem. Quocirca sciendum quod Beda hoc dicit, et Bonaventura allegat. In Scholastica quoque historia additur, quod rectus seu erectus incessit, atque adhuc, ut traditur, pareas erectus incedit. In gestis quoque Alexandri habetur quod †

Hoc in loco aliquid in originali desideratur.

quibus consonare videtur textus mox explanandus, sicut patebit. Sicque dictum illud censetur satis authenticum.

Denique locutus est diabolus per serpentem, formando verba per linguam serpentis, ita quod serpens non intellexit verba illa, quemadmodum loquitur per energumenos atque fanaticos, hoc est arrepticios et obsessos, quos intellectu rationeque privat, ut Strabus ait. Sic quoque angelus bonus loquebatur per asinam Balaam. Sed mirum apparet, quod mulier ex allocutione serpentis non timuit. Ad quod Magister libro secundo respondet, quod putavit eum accepisse a Deo loquendi officium. Et aliqui dicunt, quod æstimavit serpentem illum esse aliquam rationalem creaturam. Ex quibus prætacta positio de virgineo vultu et recto incessu serpentis illius, apparentiam habet majorem. Sed et Bonaventura super secundum testatur, quod mulier credidit eum, qui

Num. XXII, 28.

A loquebatur in serpente, non esse adversarium, sed bonum consiliarium. Porro Thomas super secundum, distinctione 25, effatur : Mulier credidit serpentem accepisse usum loquendi, non quidem per conditionem naturæ, sed per ministerium spiritualis creaturæ. Nec contulit, an hoc fieret virtute angeli boni, an mali ; aut utrum fieret Deo permittente, an Deo jubente. Et istud dicit Thomas solvendo, et exponendo auctoritatem Magistri Sententiarum secundo libro, distinctione 21, dicentis : Mulier B ideo serpentem non horruit, quoniam quem a Deo creatum scivit, usum loquendi ab eo accepisse credidit. Ex his sequitur, quod mulier non putavit serpentem illum esse rationalis naturæ. Verumtamen expositio ista non apparet consona intentioni Magistri. Si enim mulier æstimavit rationalem spiritum loqui per serpentem, habuisset causam horrendi. Nec horrendi causa fuisset ei ablata ex tali opinione, præsertim quia non erat assueta aliquid tale sentire, quemadmodum Balaam ariolus. Nec ex hoc C dicitur creaturam proprie accepisse usum loquendi a Deo, quoniam ab extrinseco principio, scilicet angelo aut diabolo, ad loquendum movetur.

Sed quum actualis recordatio præcepti soleat a peccato retrahere, mirum quod tentator a commemoratione divini præcepti tentationem illam exorsus est : Cur, inquiens, præcepit vobis Deus, etc. ? Ad hoc Augustinus super Genesim ait, quatenus per hoc mulieris transgressio gravior et inexcusabilior redderetur. Quæsivit igi- D tur, ut ex mulieris responsione inveniret occasionem ducendi illam ad malum intentum, quemadmodum factum est. Denique quidam hic scribit : Stante statu innocentiæ, non poterat esse deordinatio in viribus inferioribus, nisi prius esset in ratione. Istud consonat dictis authenticorum doctorum, sed ex isto concludit : Et ideo diabolus non tentavit hominem primo de comestione ligni, sed de restrictione præcepti. Hoc autem consequens non videtur. Primo, quoniam Christum qui

Digitized by Google

erat in statu perfectioris innocentiæ, quam primi parentes, tentavit primo de gula, dicendo : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Secundo, quia quum gula sit ex suo genere peccatum mortale, poterat circa eam deordinari non solum inferior pars animæ hominis, sed item superior. Tertio, quia Gregorius dicit : Primum parentem diabolus tribus modis tentavit, videlicet gula, vana gloria, et avaritia. Gula, quum cibum vetitum comedendum suasit, etc.

Matth. IV, 3.

Cui respondit mulier : De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur : hoc est, licentiam ac præceptum comedendi tempore opportuno habemus. Si autem tam modico tempore in paradiso fuerunt, ut communiter dicitur et infra tangetur, non videtur multum probabile quod ederint ex fructibus paradisi. *De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi,* videlicet de fructu ligni scientiæ boni et mali, quæ arbor forsitan erat magis propinque stans ad medium paradisi, sive directe in medio ejus : vel ideo specialiter dicitur † esse in medio paradisi, tanquam notabile aliquid, utpote singulariter vetitum; *præcepit nobis Deus,* vel immediate simul nobis ambobus, aut viro per se, et mihi per virum, ut tactum est supra; *ne comederemus, et ne tangeremus illud* ad comedendum, vel ad abstrahendum aliquid de fructibus ejus ; *ne forte moriamur* in corpore, necessitatem moriendi incurrendo per inobedientiam, atque in anima per divini præcepti transgressionem. Istud adverbium, forte, adjecit mulier ex suo, quoniam Deus assertive fuerat comminatus : In quacumque die comederis, etc. : ubi Septuaginta pluraliter transtulerunt, comederitis. Itaque mulier addidit notam hanc dubietatis, non per respectum ad Dei præceptum, quia de illo jam assertive disseruit, De fructu ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, etc. ; sed per respectum ad pœnam desuper comminatam.

Ideo non est convenienter dictum quod quidam hic scribit : Apposuit de suo, forte, quod est adverbium dubitandi, quum tamen Deus assertive præcepisset. Ubi dicendum erat, Quum tamen Deus assertive comminatus fuisset. Est etenim quædam comminatio absolute affirmatoria, ut illa : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Rursus idem scribit hoc loco : Ultimum istud, videlicet, Ne tangeremus illud, addidit mulier de suo. Non enim Deus prohibuerat tactum ligni, sed gustum tantum : ideo mulier addidit hoc ex displicentia præcepti, quoniam ille cui displicet præceptum impositum, libenter aggravat illud referendo. Aliqui tamen dicunt, quod etiam tactus ligni fuit eis prohibitus, ut magis elongarentur a gustu. Sed quia hoc non habetur ex littera, vel ex ejus circumstantia, prima expositio melior est. Et quia ad displicentiam præcepti quod reputatur indebitum, sequitur dubitatio de pœna imposita pro transgressione, ideo mulier subdidit : Ne forte moriamur. Hæc ille.

Luc. XIII, 3, 5.

In his verbis multa patent rationabili reprobationi. Primum est, quia si Deus tantum prohibuit gustum ligni et non tactum, ergo mulier mentiebatur, dicendo quod Deus prohibuit sibi ac viro etiam tactum. Mendacium autem omne, peccatum est. Et quia secundum doctores communiter, primum peccatum primorum parentum non fuit, imo nec esse potuit, veniale, mendacium illud fuisset mortale, et ita peccasset mortaliter ante suggestionem serpentis. Secundum est, quod dicit istud non haberi ex littera, scilicet quod Deus prohibuit tactum ligni ; imo haberi videtur ex littera, eo quod littera dicat mulierem hoc dixisse ante suam ruinam. Denique, quod mulier dixit, Et ne tangeremus illud, non oportet exponi de solo tactu, sed accipi potest (ut tetigi) de tactu tendente ad esum. Tertium est, quod dicit mulieri displicuisse illud præceptum. Nam displicentia illa fuisset grande peccatum, et præcessisset suggestionem serpentis. Quartum est, quod asserit, Quia ad displi-

Digitized by Google

centiam præcepti quod reputatur indebitum : ubi insinuat quod mulier reputavit divinum præceptum indebitum; quod fuisset enormis blasphemia atque perfidia. Sicque omnia vitia ista fuissent in Eva ante suggestionem serpentis, dicentis, Nequaquam morte moriemini. Quintum est, quod ait mulierem ex divini præcepti displicentia addidisse, Et ne tangeremus illud ; imo hoc potius dixisse videtur ex ponderatione jussionis divinæ, insinuando quam diligenter eis esset prohibitum vesci de ligno illo. Is quoque cui præceptum aliquod displicet, non semper aggravat illud dum recitat ipsum ; imo sæpe extenuat, ut videatur minus culpabiliter illud infringere.

Porro, quod mulier addidit, forte, non fuit ex hoc quod dubitavit de veritate verborum Dei, sed quia non scivit plenarie qualiter comminatio illa esset intelligenda, an scilicet solum ad perterrendum et refrenandum, an etiam ad absolutam assertionem, ut Thomas, Bonaventura, et alii scribunt super secundum. Ait enim Bonaventura super secundum, distinctione 22 : Mulier non dubitavit verum esse quod Dominus dixerat, sed de hoc dubitabat, qualiter Dominus intelligebat, an scilicet intelligeret de morte corporali vel spirituali, aut alio quocumque modo.

Sed circa hoc argui potest, quia Magister ait libro secundo : Attende ordinem et progressum humanæ perditionis. Primo dixerat Deus, Quacumque hora ex eo comederis, morte morieris. Deinde mulier dixit, Ne forte moriamur. Novissime serpens dixit, Nequaquam morte moriemini. Deus affirmavit, mulier quasi ambigens dixit, serpens negavit. Quæ ergo dubitavit, a Deo affirmante recessit, et dæmoni neganti appropinquavit. Sed a Deo affirmante recedere, et diabolo verum neganti appropinquare, non caret culpa. Rursus, de verbis Dei ambigere, est peccatum : ergo in muliere fuit peccatum ante suggestionem serpentis; cujus oppositum Magister libro secundo determinat, et doctores concorditer scribunt. Et respondendum, quod non omnis recessus a Deo est culpa, sed recessus a Deo per mentis aversionem. Recessus autem per solam dissimilitudinem, non est semper peccatum : et ita fuit in muliere, quæ pro tanto dicitur a Deo affirmante recessisse, quia a perfecta cognitione sensus verborum Dei defecit. Et quamvis de veritate verborum Dei ambigere, impium sit, non tamen semper iniquum est, dubitare de intellectu verborum ipsius; et quantum ad hoc, appropinquavit diabolo, quod a perfectione defecit. Hinc ait Bonaventura, quod dubitatio illa non fuit culpa nec pœna, sed nescientia tantum, quæ etiam in angelis locum habet.

Recessus a Deo.

Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini. Circa hoc ait Magister libro secundo : Ut diabolus libere persuaderet mulieri malum culpæ quod intendebat, malum quod mulier timuit, scilicet mortem, negando removit, promissionemque addidit. Atque ut ejus promissio citius reciperetur, duplicavit promissionem. Unam namque comestionem vetiti ligni suadens, duo pro mercede proposuit, utpote similitudinem Dei, et scientiam boni ac mali. Nam subditur : *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri,* id est, corda vestra implebuntur scientia, *et eritis sicut dii,* id est divini, et angelis similes, imo et Deo, *scientes bonum et malum.* In quibus verbis, secundum Magistrum, imo secundum Gregorium in homilia, diabolus hominem tentavit de tribus : puta de gula, persuadendo cibum, quum dixit, In quacumque die comederitis ; inani gloria, addens, Eritis sicut dii ; avaritia, subdens, Scientes bonum et malum. Avaritia quippe non solum est aviditas pecuniæ, sed altitudinis quoque et scientiæ, dum sublimitas supra modum ambitur. Attamen avaritia sic accepta, non est vitium spirituale, nec proprie sumitur ita. Nam talis aviditas scientiæ, est curiositas magis quam avaritia proprie dicta.

Digitized by Google

Insuper circa hæc verba in Scholastica historia legitur : Quum mulier quasi dubitando dixisset, Ne forte moriamur, diabolus quasi securus de victoria, quoniam dubitans in utramque partem facile flectitur, dixit : Nequaquam morte moriemini, imo Deus nolens vos ei in scientia assimilari, et sciens quod quandocumque comederitis de hoc ligno, eritis sicut dii, scientes bonum et malum, quasi invidus prohibuit hoc ; sed mirum apparet, quod mulier credere potuit tentatori, tam perverse de Deo loquenti. Et respondendum, quod mulier ex promissione serpentis, quamdam concepit elationem, quæ deinde corrupit rectæ rationis judicium. Et quamvis non crederet Deum falsa dixisse, credidit tamen vera esse verba serpentis, et verba Dei esse prolata ad perterrendum, vel ad aliquid designandum, ut super Genesim loquitur Augustinus. Hinc ait Magister libro secundo : Talis fuit processus tentationis : diabolus tentando dixit : Si comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Quo audito, statim subrepsit mulieri elatio quædam et amor propriæ potestatis, ex quo mulieri complacuit facere quod diabolus suadebat, et fecit ; sicque elationem secutum est peccatum operis, et pœna peccati.

Præterea Augustinus super Genesim ait : Constat, prætactis verbis diaboli, persuasum esse peccatum per elationem, quoniam dixit : Eritis sicut dii, etc. Ubi notatur tantum persuasum esse, ut sub Domino nollent esse, sed in propria potestate, ne legem Dei obtemperando servarent, qui A invideret eis quod regerent semetipsos, non indigentes interno lumine Creatoris, sed utentes prudentia propria quasi oculis suis ad cognoscendum bonum et malum quod Deus prohibuisset ; sicque persuasum est eis, ut propriam potestatem nimis amarent : ideo amiserunt quod acceperunt, quoniam usurpaverunt quod non acceperunt, videlicet ut per suam potestatem, Deo non regente, beati essent. Et quantum ad hoc, voluerunt esse Deo quodammodo pares. Hoc quippe est proprium Deo, propria B potestate esse beatum, nullo alio se regente. Ex his Augustini eloquiis sumitur expositio hujus litteræ talis : Scit Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri interiores per scientiam perfectiorem, et eritis sicut dii, hoc est Deo consimiles, quantum ad hoc, quod non eritis ita arctati aliqua prohibitione, nec subjecti alicui ad obediendum ; scientes bonum et malum, id est, per vos ipsos scientes ac proprio corde intelligentes, quid expediat vobis, et item quid agere, C quid respuere debeatis.

Circa hæc scribit quidam : Secundum prædicta, mulier peccavit elatione et dubitatione, antequam comederet fructum prohibitum : quod videtur aliquibus falsum. Ad quod dico, quod nullus intelligens dicit hoc esse falsum, quia interior culpa exteriorem præcessit. Deinde tamen concedit, quod elatio mulieris secuta est suasionem serpentis. Verum per hoc non evadit ea, quæ jam in isto articulo contra eum inducta sunt.

ARTICULUS XXIV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS TERTII CAPITULI AB ILLO LOCO : VIDIT IGITUR MULIER.

CONSEQUENTER describitur lapsus primorum parentum. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum.* Hoc est, postquam verba serpentis audivit, D atque elatione permota, eisdem verbis credidit, atque tentatori consensit, adspexit oculo corporali et etiam interiori arborem illam scientiæ boni ac mali, et considera-

Digitized by Google

vit quod fructus arboris illius, secundum A se consideratus, seu ex sua natura, esset conveniens esui, quamvis fuerit primis parentibus nocivus et malus ex prohibitione. Vidit itaque quod fructus illius ligni esset conveniens ad vescendum : quod ex odore et tactu fructus illius perpendere potuit. *Et pulchrum oculis* ad intuendum *adspectuque delectabile.* Nam pulchrum naturaliter visum oblectat, sicut suave gustum. Et quamvis omnes arbores paradisi essent non mediocriter pulchræ ac delectabiles ad videndum, utpote pau- B lo ante productæ cum fructibus et virore ac foliorum frondiumque ornatu, tamen hæc arbor exstitit specialiter pulchra ad intuendum, et dulcis ad comedendum. *Et tulit de fructu ejus.* Unde patet, quod decor, amabilitas, et dulcedo ligni et fructus sui, moverunt etiam feminam ad transgressionem præcepti. Et primo ad concupiscentiam malam, sicque tunc cœpit impleri illud Sapientiæ : Creaturæ Dei factæ sunt in muscipulam et laqueum pedibus insipientium, et in deceptionem animæ C hominum. *Et comedit.* (Sap. xiv, 11.)

Sed ubi fuit tunc Adam ? Et plane apparet, quod per aliquod spatium absens fuit a femina, ita quod nec serpentem vidit eam affantem, nec eam de fructu arboris manducantem. Quia enim spirituali mente præditus fuit, Deo vacavit, nec tunc de corporali mulieris curavit præsentia, quamvis paulo ante fuisset ex eo formata, et ei adducta. *Deditque viro suo, qui comedit.* Nempe quum juxta suggestionem serpentis edisset, puto quod serpens mox ei sugges- D serat, ut virum ad idem alliceret. Ipsa quoque volens virum, quem valde amavit, habere facti sui socium et consortem, et quia ipsa jam delectata fuit in esu fructus prohibiti, atque ex hoc putavit se adepturam quæ serpens promisit, voluit virum suum hæc eadem obtinere. Estque probabile, quod retulit viro quæ a serpente audivit, et per verba consuluit viro suo, ut de fructu illo comederet. Cui vir consensit, quamvis non crederet verba serpentis esse vera, nec ex esu illo commoda adipisci.

Cur ergo consensit et manducavit, et qualiter ipse per elationem peccavit ? Ad quæ patet responsio ex verbis Magistri libro secundo, distinctione 22, dicentis : Solet etiam quæri, utrum talis elatio et amor propriæ potestatis in viro fuit. Ad quod dicimus, quod Adam non fuit seductus eo modo quo mulier, nec prior seductus est, (I Tim. ii, 14.) nec in eo in quo mulier, ut crederet Deum prohibuisse tangere lignum illud idcirco, quia si tangerent, fierent sicut dii. Verumtamen prævaricator fuit Adam, ut testatur Apostolus. (I Cor. xv, 21, 22.) Potuit ergo aliqua elatio esse in mente ejus illico post tentationem, ex qua voluit lignum vetitum experiri, quum mulierem non videret mortuam esca illa percepta. Hinc super Genesim loquitur Augustinus : Non credidit Adam, quod Deus prohibuerit ideo tangi lignum illud a se et a muliere, quod Deus sciret eos quasi deos futuros, si tangerent illud, tanquam invideret eis divinitatem, qui eos fecerat homines. Sed etsi virum ex aliqua mentis elatione sollicitavit quædam experiendi cupiditas quum mulierem videret, accepta esca illa, non esse mox mortuam; non tamen arbitror eum credidisse, quod suggerebat diabolus.

Rursus ait Magister libro secundo, ex verbis Augustini : Adam consensit persuasioni uxoris, tanquam morem ei gerens, et eam contristare non volens, nec a se alienatam relinquere, ne periret; putans utrumque fieri posse, ut scilicet et uxori morem gereret, et per pœnitentiam de sua culpa veniam impetraret. Hinc iterum Augustinus : Postquam, inquit, mulier seducta comedit, viroque dedit, noluit eam contristare, quam credebat sine suo solatio contabescere, atque a se alienatam penitus interire, non quidem carnali concupiscentia victus, quam nondum sensit, sed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus. Ex his innotescit, quod Adam comedit ex fructu prohibito ex ea

Digitized by Google

III *Reg.* XI, 4. radice, qua Salomon idola adoravit : utpote ne suas contristaret delicias, id est uxorem. Unde quartodecimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Non est credibile, Salomonem ex errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis esse inductum ad sacrificia illa ; ita credendum est, quod Adam acquieverit Evæ ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti, sed sociali quadam necessitudine fecit hoc. Ideo dicit Apostolus, quod
I *Tim.* II, 14. Adam non est seductus in prævaricationem, sed mulier.

Porro in Scholastica historia dicitur : Adam facile acquievit uxori, quia quum crederet statim morituram, et vidisset non esse mortuam, verba Dei de morte inferenda, æstimavit tantummodo ad terrorem prolata. Hinc etiam Thomas super secundum Sententiarum, distinctione 22, testatur : Non crediderunt primi parentes Deum dixisse falsum, sed verba ejus forte aliter esse intelligenda, aut metaphorice dicta, sive ad aliud significandum. Verumtamen difficultas hic oritur : Si enim Adam non credidit verbis diaboli quibus promisit, Eritis sicut dii, esse vera, ergo non peccavit ex elatione, neque ex desiderio inordinato assimilationis divinæ. Ad hoc Thomas respondet ibidem : Elatio quæ movit mulierem, major fuit quam quæ movit virum. In muliere namque talis fuit elationis progressus, quod ad verba serpentis tantum excellentiæ appetitum concepit, quod judicium rationis pervertit, et verum atque possibile credidit quod dixerat serpens : ideo dicitur fuisse seducta. In viro autem non tantum crevit in principio amor excellentiæ suæ, quod judicium suæ rationis pervertit, ita quod crediderit hoc esse futurum. Sed quia id voluit, si fuisset aut foret possibile, ideo dicitur non fuisse seductus ; attamen talis elatio incitavit eum ad experiendum. Unde elatio ejus quamdam dubitationem in eo produxit, quæ in muliere firmam fecit æstimationem : idcirco voluntas mulieris, perfectum habuit appetitum divinæ assimilationis præfatæ ; voluntas viri imperfectum et conditionatum, videlicet si esset possibile. Hæc Thomas. Verum, ut tactum est, in hoc Adam fuit aliquo modo deceptus, quod putavit peccatum illud non esse tam grave ut fuit, et post transgressionem suam veniam consequi, nec de paradiso expelli, atque in suo statu manere.

Et aperti sunt oculi amborum. Hoc de corporalibus et spiritualibus seu interioribus et mentalibus primorum parentum oculis potest exponi, quum nec exteriores nec interiores eorum oculi fuerint ante penitus clausi, quia jam ante peccatum viderunt se invicem et fructum ligni, quem comederunt, utebanturque ratione ; sed oculi eorum tam corporales quam intellectuales post transgressionem aperti dicuntur, quoniam per utrosque oculos aliter viderunt et cognoverunt, postquam peccaverunt, quam ante. Nam ante peccatum viderunt invicem corpora sua et genitalia membra sua absque erubescentia, eo quod nulla motio inhonesta oriretur in eis. Sed quum peccando privati fuissent originali justitia, cœperunt se mutuo cum verecundia intueri, quia senserunt in se ex mutuo adspectu motus libidinosos. Per habitum namque et virtutem originalis justitiæ eis concreatæ, fuit ratio eorum et voluntas Deo sine rebellione subjecta, sensitiva quoque pars rationi, et caro spiritui, nec poterat in eis oriri motus inordinatus aut culpa in sensitiva parte aut corpore, quamdiu superior pars animæ mansit Deo obediens ac subjecta. Quod autem ista expositio apta sit, patet ex consueto modo loquendi Scripturæ. Nam infra habetur, quod angeli percusserunt Sodomitas cæcitate, non quod penitus nil viderunt. Similiter quarto Regum Eliseus oravit : Domine, Gen. XIX, 11.
aperti oculos horum ; quos etiam Dominus IV *Reg.* VI, 20.
cæcitate quadam percusserat, qui tamen ante illam oculorum apertionem videbant, etiam durante illa eorum excæcatione ; sed non eo modo, quo postquam aperti fuerunt oculi eorumdem, quamvis non sit per omnia simile.

Digitized by Google

Præterea, interiores oculi primorum parentum fuerunt aperti post culpam, quoniam post eam cœperunt aliter videre visione intellectuali, quam ante : quia quod ante sciebant simplici et speculativa notitia, tunc per experientiam cœperunt cognoscere, utpote quid intersit inter bonum obedientiæ, et malum inobedientiæ : quod ex propriis motibus inordinatis, et interiori rebellione carnis adversus animam, et sensitivæ partis contra rationis imperium, tunc scire cœperunt. *Quumque cognovissent se esse nudos,* hoc est, per experientiam jam præfatam considerassent nuditatem suam corporalem, confusibilem, inhonestam, quam et corporaliter apprehendere inceperunt, quia intellectiva cognitio ex sensitiva notitia sumit exordium. Nec dubium quin et ante transgressionem cognoverunt se esse nudos, quod viderunt ad oculum, sed non cognoverunt hoc eo modo quo postea.

Hinc ait super Genesim Augustinus : Aperti sunt oculi amborum ad concupiscendum invicem, et ad pœnam peccati, ut haberent non solum corpus animale, sed (Rom. VII, 23.) etiam corpus peccati, in quo lex, hoc est concupiscentia membrorum, repugnat legi mentis. Non enim cæci facti fuerunt, neque palpando decerpserunt fructus prohi(Luc. XXIV, 31.)bitos ; sed sicut in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum, ita quod cognoverunt quem prius cognoscere non valebant, quamvis præsentem vidissent : sic horum oculi sunt aperti ad id quod ante non potuerunt ; quoniam anima rationalis bestialem motum in carne sua erubuit, habuitque pudorem non solum, quia hunc sensit quem ante non senserat, sed et ideo, quoniam motus ille ex transgressione descendit. Ibi etenim eum sensit, ubi gratia ante vestiebatur, quum in nuditate nil indecens patiebatur. Hinc in Scholastica historia legitur : Sicut primi parentes inobedientes fuerunt suo superiori, sic et membra eorum cœperunt moveri contra suum superius, scilicet rationem : et primum concupiscentiæ motum rationi con- A trarium, senserunt in genitalibus ; suaque membra circa se moveri videntes, erubuerunt. Ideo membra illa sunt dicta pudenda. Nam cetera membra ad nutum hominis stant aut moventur, non autem pudenda. Denique quia ista est porta propaginis, ideo inobedientia membrorum, quasi signum inobedientiæ primorum parentum, scripta est in porta præfata.

Quum itaque cognovissent se taliter nudos, conturbati et confusione operti, dolentes et deceptos se esse videntes, utpote B pristina tranquillitate ac spiritualitate privati, *consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata,* id est, succinctoria et velamenta, quibus cooperuerunt sua pudenda, fecerunt ex foliis ficus, ea connectendo. Dicunt quoque nonnulli, atque (ut fertur) Hebræi idem affirmant, quod arbor fici fuit arbor illa prohibita ; et sicut sub ea comedendo peccaverunt, sic mox ejus foliis velamina sibi fecerunt. *Et quum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Scri- C ptura loquitur more humano de incircumscriptibili ac simplicissimo Deo. Ideo non est sic intelligendum, quod Deus in deitatis forma aut propria persona ita deambulaverit, sed per creaturam subjectam, ita quod angelus in Dei persona apparens, in forma sic ambulavit humana : quemadmodum Deus dicitur apparuisse Abrahæ in (Gen. XVIII, 1.) convalle Hebron, et Moysi, aliisque Prophetis ac Sanctis. Ideo Augustinus fatetur, quod deambulantis Dei vocem audierunt, non nisi per creaturam subjectam : quod D factum est, ne substantia invisibilis et ubique tota, quæ est Patris et Filii et Spiritus Sancti, corporalibus sensibus locali temporalique motu apparuisse credatur. Denique Dominus deambulavit, quasi suo motu designans se recessisse ab eis, in quibus ante per gratiam mansit, quia in sua obedientia non steterunt. *Abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi,* id est, inter arbores illas absconderunt se, quia male sibi conscii erant, et increpari ac castigari jam vere-

Digitized by Google

bantur. Et quamvis scirent Deum in propria essentia invisibilem esse, et omnia intuentem, nec quidquam se posse ab ejus adspectu abscondere ; attamen quia in forma visibili audierunt eum deambulare, erubuerunt coram ejus præsentia apparere, quemadmodum modo nudus verecundatur coram venerabilibus apparere personis. Porro quod ait, In medio ligni paradisi, non est intelligendum, quod præ timore et pudore intraverint ipsum lignum, sed ponitur singulare pro plurali, juxta sensum prætactum.

Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? Quasi compatiens dicat, Vide in quanta sis modo miseria constitutus ; nec quasi ignorans quærit, sed ut juxta exigentiam responsionis Adæ, convenientius reprehendatur a Domino. Et quoniam angelus Dei personam repræsentavit, atque in ejus persona loquebatur, ideo quidquid Deus fecit et dixit per angelum illum, Deo adscribitur. Vocavitque Deus Adam magis quam Evam, quoniam principalior fuit, ad insinuandum quod superiores, dum peccant, specialiter fiant reprehensibiles apud Deum. *Qui ait : Vocem tuam † Domine, audivi in paradiso ; et timui, eo quod nudus essem,* id est, ex propria nuditate confusibilis factus per culpam ; *et abscondi me,* metuens et verecundans coram te taliter præsentari. Verumtamen ista responsio, quantum ad formam verborum, fuit insipiens. Quum enim a Creatore nudus esset formatus, et in nuditate relictus sine pudore, non debuit dicere, Abscondi me, quoniam nudus sum ; sed potius, quia peccando nunc habeo erubescibilem nuditatem. *Cui dixit Deus : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses,* id est, qualiter nunc advertis et experimentaliter noscis ex proprio pudore et horrore, quod nudus sis, *nisi quod ex ligno,* id est fructu arboris, *de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti?* id est, non aliunde accidit tibi cognitio ista experimentalis et pœnalis propriæ nuditatis, nisi quia transgressus es præceptum

A meum, per quod meruisti privari justitia originali et inordinationem incurrere passionum.

Circa hæc loquitur Augustinus : Probabile est, Deum per congruam creaturam in forma humana solere primis hominibus apparere, quos non permisit nuditatem suam advertere, in superna eos sustollens, nisi post peccatum eorum. Sic ergo pudore affecti, sicut solent homines nudi sub oculis hominum, quod erat de pœna peccati, utpote velle eum latere, quem
B nihil latere potest, et carnem ei abscondere quum corda inspiciat, volentesque esse sicut dii, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et Deo faciem avertente, stulti facti sunt. Erubescebant erga se ipsos, et succinctoria faciebant, sed magis verebantur succincti videri ab illo, qui tanquam familiari temperamento per creaturam visibilem offerebat se videndum oculis humanis. Sic etenim apparebat, ut loqueretur hominibus tanquam homo, quemadmodum
C Abrahæ ad quercum Mambre. Et hac amicitia auxit et oneravit pudorem in eis post culpam, qui antea dabat fiduciam, nec audebant nuditatem suam ostendere talibus oculis, qui displicebant et oculis propriis. Dominus ergo nolens peccatorem punire, nisi pœna qua cogebatur erubescere, dixit : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, etc. ?

Rom. 1, 21, 22.

Dixitque Adam, se ipsum inaniter excusando, sicque culpam culpæ adjiciendo, quia mortale peccatum mox pondere suo
D trahit ad aliud : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Quasi dicat, Culpa mea imputanda est conjugi, imo et quodammodo tibi, qui mihi talem sociam præstitisti ; sicque peccatum suum retorsit in mulierem, et ex obliquo aliqualiter in Creatorem. Josephus tamen ait, quod Adam peccati veniam postulavit, ac Deum rogavit, ne eum nimis affligeret. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti ? Quæ respondit,* simili modo, sicut maritus, se

Digitized by Google

excusando, et excessum suum serpenti imponendo : *Serpens decepit me, et comedi.* Erat autem excusatio Adæ irrationabilis valde, quia quum esset caput uxoris, et sapientior ac virtuosior ea fuisset, non solum non debuit ei consentire in malo, sed debuisset eam corripere. Debuit quoque culpam suam humiliter confiteri, veniamque precari ; similiter femina. Præterea per hoc, quod Deus interrogavit Adam et Evam, et excusationem eorum, quamvis injustam, audivit, antequam tulit contra eos sententiam ; designatur, quod nemo B debeat condemnari antequam inquiratur, et locum respondendi accipiat. Unde in Actibus Apostolorum leguntur etiam Romani adhuc gentiles, hoc reservasse, dicente Festo : Non est consuetudo Romanis *Act.* xxv, 16. condemnare aliquem hominem, antequam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, et locum defendendi accipiat ad crimina abluenda.

Et ait Dominus Deus ad serpentem. Cur non interrogavit serpentem? Et respondendum, quia serpens ex proprio motu C non fecit hoc, nec capax fuit cognitionis intellectualis ; et quia diabolus qui per serpentem id egerat, jam ante damnationis sententiam sumpsit. Serpens quoque confiteri nequivit, nec habuit facultatem se excusandi. Et rursus, quoniam serpens non peccavit revera, quamvis fuerit instrumentum peccandi, sicut et lapis seu ensis. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ.* Scriptura hic difficultatibus et quæstionibus plena est. Si Maledicitur serpens. etenim serpens non peccavit, quare male- D dicitur ac punitur tam dire? Cur etiam dictum est serpenti, Super pectus tuum gradieris, quasi hoc non fuerit ante naturale serpenti, quum a serpendo serpens vocatus sit? Cur item bruto locutus est Deus hæc verba, quod ea intelligere non valebat? Itaque propter has rationes quidam dixerunt, ista non posse exponi ad litteram de serpente, sed de diabolo sub appellatione serpentis. Verumtamen rationes istæ non convincunt hoc ipsum, idcirco

A exponenda sunt ista tam de serpente quam de diabolo.

Itaque dixit Dominus ad serpentem. Nam, quia transgressio ista a serpente mulierem interrogante, cepit exordium, serpens primo punitur; non quia peccavit, sed in detestationem tanti peccati, ad insinuandum quantum displiceat Deo peccatum. Locutus est quoque Deus serpenti, non propter serpentem, ut intelligeret serpens, sed propter primos parentes, ut ipsi ex divina locutione et serpentis punitione addiscerent divinæ rigorem justitiæ, qui de misericordia Dei nimis præsumpserant. Quia hoc fecisti, id est, quoniam tantæ nequitiæ instrumentum fuisti, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ, id est, præ omnibus brutis temporalibus pœnis eris addictus ac subditus, specialiterque contemptus, vilis et exhorrendus, quum ante habueris staturam erectam, faciem quasi virginalem ac gratiosam, prout præcedenti articulo est probatum. *Super pectus tuum gradieris,* id est, de cetero rependo seu serpendo procedes, qui ante per pedes ambulasti erectus. *Et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ,* id est, tu qui antea vescebaris fructibus arborum, de cetero vesceris insipido cibo telluris. *Inimicitias ponam inter te et mulierem,* id est, specialiter odiosum te faciam mulieri, imo et viro, totique generi humano. Ideo subditur : *Et semen tuum et semen illius,* id est, inimicitiam istam inducam non solum inter te et feminam istam, sed et inter ceteros tuæ speciei serpentes, et filios primorum parentum. Unde in hac locutione magis exprimitur mulier quam vir, quoniam serpens mulierem immediate fefellit, specialiterque et directe in eam peccavit. *Ipsa conteret caput tuum,* id est, quia repondo progredieris, mulieri conculcabilis eris, et suppeditare te poterit, quum tamen læsio capitis tui sit tibi singulariter periculosa. Unde serpens caput suum naturaliter valde custodit, tanquam sedem propriæ vitæ. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus,* id

Digitized by Google

est, mordere eam conaberis in inferiori A parte pedis ipsius, qui erigere te nequibis ad mordendum et inficiendum eam superius.

Sed contra hanc expositionem argui potest, sicut prætactum est : Primo, quia videtur divinæ derogare justitiæ pœnam infligere sine prævia culpa, atque punire innoxium seu innocens animal. Secundo, quia non decet sapientem alloqui bestiam. Tertio, quia statura erecta soli videtur competere homini.

Ad primum horum est respondendum, B quod quum mediis utendum sit secundum exigentiam finis, et omnia bruta propter hominem sint producta, nequaquam derogat divinæ justitiæ, sed congruit sapientiæ Dei, ut brutis utatur secundum quod expedit ad hominum instructionem, perterritionem aut punitionem. Ideo serpens ille taliter est punitus ad hominum, et specialiter protoplastorum, informationem. Porro, non infligere pœnam sine culpa patientis, fallit in casibus multis; imo Deus in veteri Testamento præcepit occidi jumen- C ta, non solum si quis per ea peccaverit, *Levit.* XX, 15. sicut in Levitico jussit occidi pecus, cum quo quis coierit, sed etiam si ab homine repressa non essent ab actu solum exteriori, qui tamen in se non fuit culpabilis, *Exod.* XIX, 13. sicut in Exodo præcepit interfici pecus si montem attingeret. Unde in epistola ad *Hebr.* XII, 20. Hebræos ait Apostolus : Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Vel in quantum pertinebant ad hominem, sicque mandavit non solum bruta, sed et inanimata propter hominum vitia destrui, ut patet in D *Josue* VI, 21. libro Josue de omnibus quæ erant in Jericho. De equis quoque et curribus Amorrhæorum, de quibus locutus est Dominus *Ibid.* XI, 6. ad Josue : Equos eorum subnervabis, et currus igne combures. Et primo Regum, *I Reg.* XV, 3. ubi Deus præcepit Sauli, occidere Amalecitas viros et feminas, infantes ac parvulos et jumenta, propter peccata parentum diu ante commissa : quæ omnia facta sunt ad commendationem divinæ justitiæ, ac hominum instructionem atque terrorem.

Ad secundum dicendum, quod Deus sæpe legitur in Scripturis, brutis esse locutus, non ut intelligerent bruta, sed ex aliis rationabilibus causis. Nam supra habetur, quod benedixit Deus piscibus et avibus, *Gen.* I, 22. dicens : Crescite et multiplicamini; atque in libro Jonæ, Dixit Dominus pisci. Nec *Jonæ* II, 11. obstat, si quis dicat illas allocutiones non fuisse vocales, quoniam bruta non magis incapacia sunt allocutionis exterioris quam interioris. Præterea Ezechieli Dominus dixit : Fili hominis, dic omni volucri cœli : *Ezech.* XXXIX, 17. quæ allocutio fuit imaginaria, quemadmodum illa, de qua in Apocalypsi ait sanctus Joannes : Vidi angelum stantem in sole, et *Apoc.* XIX, 17. clamantem omnibus avibus quæ volabant per medium cœli. Insuper, nonne quotidie psallimus, Benedicite omnes bestiæ et pe- *Dan.* III, 81. cora Domino; et, Laudate Dominum de *Ps.* CXLVIII, 7, 10. terra dracones et omnes abyssi, bestiæ et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ ?

Ad tertium respondendum, quod statura perfecte erecta, competit homini ex tota specie sua. Per quod non excluditur, quin cuidam serpentum generi competebat statura aliquo modo erecta, imo et usque nunc competit, ut præcedenti articulo continetur. Nec tamen ex hoc mutatus est naturalis ordo universi aut species rerum, quoniam maledictionem primi serpentis, non oportet ad universa suæ speciei individua referre.

Ex his constat, quam insufficienter quidam reprobet expositionem præfatam, et argumenta ipsius nunc plene soluta sunt. Præinducta quoque solutio a viris authenticis approbatur. Nam et Hieronymus libro de Quæstionibus Hebraicis eam commendat, et consonat litteræ ac dictis Strabi ac Bedæ. In Scholastica item historia dicitur : Serpens, utpote diabolus per serpentem, peccavit in tribus, quia invidit, et mentitus est, ac decepit : quibus tribus peccatis, redditæ sunt tres maledictiones. Nam *Tres maledictiones serpentis.* quia invidit hominis excellentiæ, humiliatus est, et dictum est ei : Super pectus tuum gradieris. Quia mentitus est, punitus

est in ore, quum dictum est : Terram comedes ; imo abstulit ei vocem, et posuit ei venenum in ore. Quia decepit, recepit vicissitudinem hanc : Inimicitiam ponam inter te et mulierem. Ubi innuitur, quod Eva pœnituit, utpote facta serpenti contraria seu inimica. Nam sicut naturale est odium inter equos et gryphos, inter lupos et canes, sic inter homines et serpentes. Quemadmodum enim venenum serpentis interficit hominem, sic sputum hominis jejuni necat serpentem. Et quoniam nudi erant primi homines quando per serpentem prolapsi sunt, serpens adhuc timet ac fugit hominem nudum, et insilit in vestitum. Hæc in Historia illa. Josephus quoque testatur, quod Deus posuit serpenti venenum sub lingua, et abstulit ei vocem.

Nunc exponendus est passus iste de diabolo per serpentem locuto. *Et ait Dominus ad serpentem,* id est diabolum, qui fuit usus serpente ad maleficia sua : *Quia fecisti hoc,* id est, primos parentes sic ad vitia induxisti, *maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ,* id est, omnibus illis vilior et miserior eris propter tuam nequitiam, quibus per naturam multo sublimior es. Nam ut ait Philosophus, Impius decies millies vilior exstat brutis. *Super pectus tuum gradieris,* id est, per superbiam serpes seu gradieris ad homines impugnandos. Superbia quippe designatur per pectus, in quo animositatis impetus dominatur. *Et terram comedes,* id est, terrenis et carnalibus hominum actibus reficieris, hominesque terrenos iniquos tibi incorporabis, qui ad tuum corpus mysticum pertinebunt, *omnibus diebus vitæ tuæ :* ex quibus miseria tua augebitur. Quemadmodum enim accidentale præmium angelorum augetur ex eorum consortio, qui per ipsorum custodiam evadunt pericula et salvantur, ita et pœna sensus dæmonum augetur ex societate et condemnatione eorum quos vincunt, quamquam ob hoc non cessent ab hominum tentatione ex nimia sua invidentia atque malitia. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Augustinus super Genesim dicit, per mulierem hic designari rationem inferiorem, seu partem sensitivam ac animalem ; per semen mulieris, actum virtuosum ; per semen serpentis, pravam suggestionem, ut sit sensus : Inimicitias ponam inter te et mulierem, id est inter te et rationem inferiorem, seu partem sensitivam, quam immediate potes tentare ; et inter tuam pravam suggestionem et bonam rationis illius operationem, per quam rationem inferiorem seu sensitivam partem, tentare potes rationem superiorem. *Ipsa conteret caput tuum,* id est, exordium tuæ suggestionis calcabit ac vincet. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus,* hoc est, ab inferiori conaberis ei nocere ac prævalere, proponendo ei objecta carnalia et mundana. Porro ratio est idem quod intellectus. Et dicitur ratio superior, in quantum respicit spiritualia ac divina; inferior autem, in quantum respectum habet ad temporalia et caduca.

Porro multi Sanctorum per mulierem istam intelligunt Virginem gloriosam, quam dæmones specialissime timent ac odiunt, quæ et dæmonibus valde gravis et metuenda effecta est, et undique conterit caput seu potestatem diaboli ac seminis ejus, utpote dæmonum ceterorum. Estque inimicitia ista posita etiam inter semen mulieris istius, et semen præfatum diaboli, id est inter Christum et dæmones ; quoniam Christus omnes illos devicit ac spoliavit, quasi dicat Deus judex justus ac sapiens : Quia tu serpens nequissime decepisti hanc feminam primam ac fragilem, creabo feminam unam, quæ tanta gratia ac virtute implebitur, quod per Filium suum et per se, te atque satellites tuos penitus supplantabit, et tibi terribilis erit quasi castrorum acies ordinata. *Cant.* VI, 3.

Digitized by Google

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS TERTII CAPITULI : MULIERI QUOQUE DIXIT DEUS.

CONSEQUENTER describitur punitio mulieris, quæ secundo loco narratur, quoniam per serpentem inducta est ad peccandum antequam vir peccavit. Et quoniam gravius viro peccavit, gravius ac multiplicius est punita quam vir, sicut subjungitur : *Mulieri quoque dixit* Deus : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos :* quemadmodum multipliciter excessisti, videlicet superbiendo et serpenti credendo, ac fructum prohibitum comedendo, atque ad idem tuum inducendo maritum, te quoque inaniter excusando ; sic et ego multas calamitates tibi infligam, et diversos habebis conceptus, ut frequentius crucieris in portando pariendoque fetum. Non enim simul concipies nisi unum aut duas proles, de cursu communi. *In dolore paries filios.* Magnus enim est dolor in pariendo, et forsan major, quam delectatio in concipiendo. In statu autem innocentiæ fuisset conceptio sine indecentia, turpitudine, atque libidine ; deportatio prolis sine gravamine, et partus sine dolore. Porro per filios, intelliguntur et filiæ, ut nomen filii notet hic prolem dumtaxat, non sexum. Itaque quoniam mulier peccavit in fructu ligni, punita est in fructu uteri sui, ut pœna correspondeat culpæ. Et illud Sa-
Sap. xi, 17. pientiæ impletur : Per quæ quis peccat, per hæc et punitur.

Insuper, quia peccavit superbiendo, punita est per subjectionem et humiliationem pœnalem sub viro, secundum quod subditur : *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui,* id est, marito eris subjecta cum timore, correctione et pœna, quæ si non peccasses, non fuisses ei subjecta, nisi cum delectatione, amore et naturali habitudine ac directione convenientissi-
A ma. Circa hæc quæri posset, an in statu innocentiæ fuissent dominatio et servitus, imperium atque subjectio, et quomodo mulier diversimode subjecta fuit viro ante peccatum et postea. Ad quod infra in introductione et solutione quæstionum patebit responsio.

Adæ vero dixit. Nam quia et ultimo peccavit, et minus quam mulier, idcirco ultimo sibi infligitur pœna ista exterior et etiam mitior. Subtractio autem originalis justitiæ, fuit viro ac mulieri com-
B munis, quæ etiam fuit pœna interior et ambobus simul inflicta. Inordinati quoque motus carnales, et ceteræ culpæ subtractionem illam secutæ, sunt pœnæ simul et culpæ : pœnæ quidem illius primæ prævaricationis, quoniam propter illam homines meruerunt eos incidere ; culpæ vero, in quantum sunt legi Dei contrarii. *Quia audisti vocem uxoris tuæ,* non solum exteriori auditu, sed et interiori consensu contra jussionem divinam, *et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi*
C *ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Non est hoc intelligendum de terra paradisi, quæ in sua permansit integritate, fertilitate atque decore, sed de terra extra paradisum, ad quam Adam erat mox expellendus, quæ dicitur maledicta, id est naturalibus quibusdam donis Dei privata, puta solita fecunditate, ornatu ac colendi et fecundandi facilitate : quod factum est in opere Adæ, id est demerito suæ transgressionis, ut qui peccavit edendo de vetito fructu, puniretur in procuratione fru-
D ctuum terræ pro sustentaculo vitæ suæ, imo et conjugis ac sobolis suæ ; quoniam pertinet ad maritum, providere de necessariis vitæ tam sibi quam suis domesticis. Unde

Digitized by Google

secundum Lyram in Hebræo habetur : Maledicta terra propter te, hoc est, propter tuam transgressionem. Vel, maledicta terra in opere tuo, hoc est : in cultura et operatione, quas facies circa terram fecundandam et circa fructus ipsius, subjacebit terra maledictioni præfatæ, experierisque eam, ita quod terra quæ ante peccatum tuum protulit uberes fructus atque spontaneos, scilicet sine humano labore, de cetero indigebit laboriosa cultura, et minus solito fertilis erit, imo et aliquando sterilis.

Si autem quæratur, cur maledicatur terra, quæ non peccavit, et non potius Adam qui peccavit : respondetur, quod terra maledicta est, tanquam res ad hominem pertinens, et propter eum creata, ita quod ipse homo maledicitur in re sua, puta in terra. Maledictio enim ista homini est nociva atque pœnosa, non terræ, quemadmodum pandunt verba sequentia : *In laboribus comedes ex ea,* id est, fructus terræ quibus vesceris, laboriose acquires. *Cunctis diebus vitæ tuæ spinas et tribulos germinabit tibi.* Communiter dicunt doctores, sicut præhabitum est, quod terra ante primorum peccata parentum protulit spinas ac tribulos, maxime quum spinæ et tribuli pertineant ad ordinem universi ; sed tunc non producebantur homini ad tormentum, nec ad pœnam peccati, quemadmodum postea ; nec generabantur tunc tam abundanter, neque tam copiose inter ceteros comestibiles ac necessarios fructus, ut postmodum. Hinc Rabanus ait : Spinæ antea erant, sed non ut homini laborem inferrent, cui post peccatum ad laborem fuerunt et afflictionem, sicut serpentes et quæcumque noxia, erant homini ante innoxia. Hinc Scriptura non ait absolute, Spinas et tribulos germinabit, sed addit, tibi, id est ad tuæ miseriæ cumulum. *Et comedes herbas* terræ,* id est, quia peccando brutis similis es effectus, et brutales sustines motus, in hoc assimilaberis bestiis, quod herbis terræ vesceris, non tamen eas ore carpendo de terra instar brutorum. Comedes itaque herbas terræ, qui ante comedisti fructus paradisi, ut aliqui exponendo adjiciunt : et verum est, si Adam in paradiso actualiter manducavit de aliarum arborum fructu ; sin autem, sic intelligendum est, qui ante comedisti, id est, comedendi licentiam habuisti de fructibus paradisi.

* herbam

In sudore vultus tui vesceris pane (tuo), id est, cibum quotidianum cum tribulatione et angustia ac grandi conatu acquires ac præparabis tibi ac tuis, aut etiam sumes ; *donec revertaris in terram de qua sumptus es,* id est usque ad finem vitæ tuæ, quia hæ pœnæ perdurant per universam hominis vitam in via hujus exsilii. Sumptus est autem homo de terra, quantum ad corporis sui materiam prædominantem in eo secundum quantitatem, ut plenius dictum est supra. *Quia pulvis es,* id est pulveri similis, quantum ad tuam fragilitatem, inconstantiam et levitatem. Unde in Ecclesiastico legitur : Quid superbit terra et cinis ? (*Eccli.* x, 9.) Et sanctus Job profitetur : Assimilatus sum favillæ et cineri. (*Job* xxx, 19.) Vel, pulvis es, id est de pulveribus humore conglutinatis, puta de limo formatus, quantum ad corpus, quemadmodum scriptum est : Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, (*Gen.* II, 7.) ubi (ut fertur) in Hebræo habetur, De pulvere terræ. *Et in pulverem reverteris,* id est, corpus tuum in pulverem resolvetur. Unumquodque enim in illa resolvitur, ex quibus componitur. Per hæc verba designatur fragilitas naturæ et conditionis humanæ, et primus homo aptissime humiliatus est, quasi Dominus dicat : Tu qui voluisti inordinate deificari, et tibi ex te ipso sufficere, juxta sensum inductum, tot subjacebis miseriis, quod pulvis rite vocaris, atque in pulverem resolveris.

Circa præhabita ait Alcuinus : Deus maledixit terræ, non aquis : quoniam homo contra præceptum comedit de fructu terræ, nec sic bibit de aquis. In aquis quoque peccatum fuerat abluendum, per fructum terræ contractum. Animalia item terrestria plus habent maledictionis quam aquatica,

Digitized by Google

quia plus vivunt de terra maledicta. Inde A est quod Christus post resurrectionem suam manducavit de pisce, non de animali terrestri. His consonat illud Scholasticæ historiæ : Terræ maledixit, quia de fructu terræ transgressio facta est, et non aquis. Hinc Christus comedit piscem, sed non legitur comedisse carnem animalium viventium de terra maledicta, nisi forte de agno paschali pro observando legis præcepto. Verumtamen est probabile, quod Christus qui cœpit facere et docere, qui
Luc. x, 7. suis dixit discipulis, Edentes et bibentes B quæ apud illos sunt, fecit hoc ipsum. Amplius, circa præscriptas maledictiones seu pœnas, pensandum quod Rabanus ait : Adæ imponitur pœna extrinseca, quum dicitur : Maledicta terra in opere tuo ; mulieri autem pœna intrinseca, quum Dominus loquitur : Multiplicabo ærumnas tuas, etc., quia seducta, seduxit virum. Sed serpens, id est diabolus, qui summe peccavit, maledicitur in se ipso, quum fertur : Maledictus eris inter omnia animantia, etc.

Et vocavit Adam nomen uxoris suæ C *Eva,* cujus appellationis subjungitur ratio, *eo quod mater esset omnium viventium,* id est, universorum hominum nasciturorum genitrix immediata aut mediata esset futura. Eva quippe in Hebræo sonat vitam, tamen pœnalitatibus subditam, ut ait hic Lyra. Unde in Scholastica historia legitur : Tunc Adam deplorans posteritatis suæ miseriam, vocavit uxorem suam Evam, quasi alludens ejulatui parvulorum. Masculus enim recens natus dicit A, quasi filius Adæ, et similis ei in sexu ; femina D vero, E, quasi filia Evæ, et ei sexu consimilis. Isidorus quoque testatur : Post peccatum, judicisque sententiam, vocavit Adam uxorem suam Evam, quia sit mater vivorum, quum jam meruit parere mortem et fetus mortales. Verumtamen Rabbi Paulus contradicit verbo Lyræ, dicentis quod Eva in Hebræo sonat vitam pœnalitatibus subditam. Et asserit Paulus iste, quod Eva in Hebræo sonat vitam simpliciter, non connotando quod sit pœnalitati subjecta.

Deinde adjungit : Licet Adam scivit naturas omnium animalium, et omnem scientiam habuit, de quibus homo natus est instrui, non tamen habuit notitiam contingentium futurorum, nisi in quantum ex revelatione divina accepit, aut experimentaliter acquirere potuit : idcirco mulier ei adducta, statim quando formata est, vocata est ab eo virago, ad denotandum quod erat sibi data in consortium domesticæ conversationis, non declarans, an esset sibi data etiam ad prolis propagationem ; ita quod tunc nescivit, an Deus disponeret eos sic remanere, et alios homines de novo procreare, an ex muliere illa esset proles per propagationem procreanda. Postea vero ex divina sententia contra ipsum et uxorem prolata, cognovit duo : Unum, quod essent morituri ; secundum, quod essent generaturi : idcirco vocavit conjugem suam Evam, quod nomen interpretatus est ipse Adam, dicendo, eo quod esset mater cunctorum viventium.

Sed quidquid sit de significatione hujus nominis Eva juxta Hebræum, ista additio Pauli istius videtur nimium imperita et Scripturæ contraria. Scriptum est enim supra : Masculum et feminam creavit eos, *Gen.* I, 27, 28.
benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini et replete terram ; quod dictum est Adæ evidenter, et ipse intellexit hoc de multiplicatione hominum ex se per generationem. Unde secundum expositores, per illa verba dedit ei præceptum de multiplicatione speciei, sicut præhabitum est. Et illud præceptum per Adam devenit ad Evam. Rursus habetur supra, quemadmodum Eva ex costa Adæ formata, locutus est Adam : Hoc nunc os ex ossibus *Ibid.* II, 23, 24.
meis, et caro de carne mea ; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una : per quæ utique verba insinuavit se scire, quod mulier illa esset sibi data in conjugem, ad prolificandum ex ea per carnalem commixtionem. Denique Adam in statu innocentiæ non indiguit muliere, nec adjutorio ejus ad domesticam

Digitized by Google

conversationem, quoniam sine omni cura A et conatu habuit necessaria vitæ : ideo Adam scivit ante suam transgressionem, quod femina esset ei collata in adjutorium generandi.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas. Circa hoc Strabus ait : Ipsi fecerunt sibi perizomata, ut peccatum suum absconderent. Deus autem fecit eis pelliceas tunicas, quibus induit totum corpus amborum, quia in corpore et anima juste eos punivit. Stulta quoque est quæstio, si quæratur, qualiter aut in quo B operante pelles ab animalibus sunt deductæ : qui enim de nihilo omnia condidit, fecit hoc quoque et qualiter voluit. Hæc Strabus. Porro in Scholastica historia legitur, quod de pellibus mortuorum animalium factæ sunt tunicæ illæ. Estque credendum quod totum hoc fecit Deus angelico famulatu. *Et induit eos,* ut signum suæ mortalitatis secum efferrent, seque morituros semper attenderent, et item ut contra intemperiem loci ac temporis essent operti, quia de paradiso erant protinus expellendi. C Specialiter quoque induit eos vestes has ex pellibus mortuorum animalium factas, ad justam derisionem ipsorum, qui ad immoderatam Dei assimilationem adspiraverunt. Unde subjungitur, *et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* id est, per immortalitatem, sapientiam, et sui in se sufficientiam, assimilatus est nobis. Et est justa ironia, implicitaque negatio. Quasi dicat : Jam apparet ad oculum, quam vane se habuit in peccando, et quantum deceptus sit, dejectus, et depauperatus ; D estque vox summæ Trinitatis ad se, vel Dei ad angelos : imo Dominus dixit hæc potius quasi compatiendo, et humanam superbiam corrigendo, quam insultando. *Sciens bonum et malum,* id est, sufficienter edoctus ad sui ipsius et inferiorum gubernationem, prout serpens promisit.

Nunc ergo. Aliqui autem textus habent, Videte, quod tamen non est in Hebræo. Si autem non habeatur in textu, subintelligendum est. Itaque Dominus ait ad angelos, quibus paradisi custodiam, et primorum parentum inde expulsionem, commiserat : Nunc ergo videte, id est, præcavete *ne forte mittat manum suam,* hoc est, ne extendat, *et sumat de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.* Totum hoc dupliciter accipi potest. Primo, quasi ironice dictum, quemadmodum præcedentia verba, quasi Dominus dicat : Ex quo Adam ita dejectus est, et tot miseriis, necessitatique mortis et redactioni in pulverem adjudicatus a me, non est periculum neque possibile, quod de cetero comesturus sit de ligno vitæ ad vivendum in sempiternum, ideo non oportet hoc præcavere. Secundo, intelligi potest, quasi seriose et præceptive prolatum, quasi Dominus dicat : Ex quo Adam ita peccavit et lapsus est, prohibete ne præsumat manum extendere ad sumendum de fructu arboris vitæ, quo se fecit indignum. Sed huic expositioni videtur obstare, quod quamvis post peccatum fuisset permissus edere de ligno vitæ, non tamen ex hoc fuisset immortalitatem seu vitam æternam sortitus. Respondetur quod nihilo minus vita sua potuisset multum prolongari ex esu hujusmodi, et talis diuturnitas designatur per verbum hoc, in æternum. Sic namque, in æternum, in Scripturis frequenter accipitur, sicut et Achis primo libro Regum dixit ad David : Erit mihi servus in sempiternum. *I Reg. xxvii, 12.* Hinc in Scholastica historia continetur : Non est mirum si etiam post peccatum, per esum ligni illius vixissent diutius, quum adhuc sint quædam viventium insulæ, in quibus nemo moritur, id est vix aliquis, utpote quia diu valde vivunt ibidem. Sicut fit etiam lanugo in foliis arborum apud Seres, cujus usu protelatur vita. Alexander quoque Aristoteli scripsit de sacerdotibus solis et lunæ, quod ex esu quorumdam pomorum longissimam vitam ducant, utpote quadringentis annis vivendo, ut legitur.

Et emisit eum Dominus Deus, id est, exire præcepit ipsum *de paradiso voluptatis, ut operaretur,* id est, coleret, fecunda-

Digitized by Google

ret, exerceretque *terram de qua sumptus* A *est,* id est, formatus secundum corpus, juxta expositionem præhabitam. Porro ex hoc verbo accipiunt multi, quod Adam in illum locum reductus est, in quo fuit formatus : qui ubi fuerit, superius dictum est, quantum poterat dici. *Ejecitque Adam* ministerio angelorum, qui ejectus, cœpit cum muliere paulatim progredi cum mœrore. Nec fit hic mentio de Eva, sed tantum de Adam, tanquam de principali. Sed quare Deus non dixit de utrisque, Ecce Adam et Eva quasi duo ex nobis facti sunt, B scientes bonum et malum, etc.? Responderi potest, quod Deus condoluit et pepercit in hoc mulieri, quæ adhuc virgo fuit, propter teneritudinem verecundiæ suæ et fragilem sexum, ne abundantiori absorberetur tristitia. Verumtamen ambos simul ejecit, nec privavit eos in toto mutuæ societatis solatio, neque custodia angelorum, a quibus prius dirigebantur, deinceps graviter ac intime pœnitentes.

Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque C *versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Per Cherubim intelligitur angelicus spiritus seu angelus sanctus; per flammeum atque versatilem gladium, efficacissima ac pavenda potestas ipsius, quæ instar ignis gladiique ancipitis est activa ac superativa universæ contrariæ potestatis : quem angelum, talem gladium semper in promptu habentem, posuit Deus ante fores paradisi, ad custodiendam viam ligni vitæ, id est, ad hoc, ut iter ad paradisum faceret omni homini inaccessibile. Porro D in Scholastica historia dicitur : Ministerio angelorum posuit ignem, qui intercluderet paradisi ingressum. Qui ignis dicitur gladius, non qualiscumque, sed versatilis, utpote utrobique secans et puniens, quia per eum punitus est homo in corpore et anima, per hoc quod irrevertibiliter de paradiso est expulsus. Vel dictus est versatilis, id est, aptus versari ac tolli quum Deo placeret, sicut ablatus est, dum primo Enoch, deinde Elias, illuc translati sunt.

Præterea quidam dicentes paradisum situm sub circulo æquinoctiali, per flammeum gladium intelligunt torridam zonam, quæ est inter paradisum et habitabilem terram : quæ zona vocatur versatilis gladius, quoniam sol causans impertransibilem illum calorem, accedit ad nos in æstate, et elongatur in hieme. Alii opinantes paradisum esse circa tropicum Cancri, per gladium istum intelligunt ignem aliquem materialem, divina virtute ibi factum et constitutum, ac exsurgentem de terra, quemadmodum de quibusdam montibus ignis erumpere legitur, præsertim de monte Ætnæ, qui jugiter ardet : qui ignis dicitur gladius, quoniam ascendendo instar gladii, paulatim in superiori sui parte acuitur. Per Cherubim autem angelica designatur custodia, quia secundum Augustinum, tota corporalis creatura per Sanctos administratur ac regitur : quod factum est, ad custodiendam viam ligni vitæ, id est totius paradisi, a parte totum intelligendo, præsertim a parte tam principali, ut fuit hoc lignum; ad custodiendum, inquam, ne primi parentes, nec alii, possent naturali virtute illuc reverti aut aggredi, ita quod ignis ille est ante paradisi introitum, impediens accessum ad ipsum.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPLANATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI TERTII.

Rom. v, 14. ADAM, ut ait Apostolus, erat forma futuri, id est figura Christi, nec solum Christi, sed et cujuslibet Christiani. Quemadmodum ergo diabolus invidit primis parentibus in paradiso constitutis, atque ex invidia eos tentavit, ita invidet universis fidelibus, qui in spirituali paradiso, videlicet in Ecclesia militante, sunt positi; vel in spirituali paradiso, hoc est in affluentia spiritualium consolationum ac divinorum charismatum. Itaque ait Scriptura : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Per serpentem designatur diabolus, veneno nequitiæ atque malitiæ plenus, qui callidior est cunctis animantibus terræ, id est hominibus, quos naturali acumine, experientia ac scientia, et præsertim in omni versutia ac fraudulentia antecedit. *Qui dixit ad mulierem.* Per mulierem, ut habitum est, intelligitur ratio inferior seu sensitiva pars animæ, quæ instar feminarum, mollis, fragilis atque inconstans est. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Per ligna paradisi, possunt intelligi ecclesiastici viri, virtutibus ac sapientia decorati. Porro, per lignum scientiæ boni et mali, Christus, Coloss. II, 3. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, qui inter bonum et malum perfectissime discrevit, et discernere docuit ac præcepit. Præcipit igitur nobis Deus comedere ex omni ligno paradisi, uno, utpote Christo, dempto, hoc est, omnium reliquorum sanctorum ac devotorum, qui sunt in Ecclesia militante, verbis et actibus refici, ædificari et informari, ita ut perfectionem eorum attingere studeamus. Nec desperemus nos posse eis parificari in perfectione gratiæ ac virtutum; imo unusquisque conari debet, ut alium præveniat ac vincat in omni humilitate, patientia, mansuetudine, custodia, diligentia, puritate ac caritate. Unde hortatur Apostolus : Consideremus invicem in provocatione caritatis et bonorum operum. Hebr. x, 24. Sic autem non licet nobis refici verbis et actibus Christi, ut scilicet arbitremur nos posse ei coæquari in sapientia et virtute. Nec debemus præsumere, posse nos ejus perfectionem attingere, sed imitari pro viribus, quemadmodum dixit : Qui mihi ministrat, me sequatur. Joann. XII, 26.

Itaque diabolus tentat nos dicens, cur Deus istud præceperit nobis? Conatur enim ad hoc, ut transgrediamur terminos nobis præfixos, et plus sentiamus de nobis ipsis quam veritas habet, aut propriis viribus innitamur, et confidamus nos ex nobis ipsis posse proficere ac salvari, sicque parificemus nos quodammodo Christo : quod faciendo, comedimus de fructu scientiæ boni et mali; atque perimus, dum vir, id est ratio superior, consentit hujusmodi suggestioni serpentis antiqui, quæ suggestio venit ad rationem superiorem per inferiorem. Denique, dum ratio inferior recolit sibi a Deo esse prohibitum tale, imo et omne peccatum, ne moriatur nunc morte culpæ, deinde morte æternæ miseriæ, diabolus intus respondet : *Nequaquam morte moriemini,* quoniam persuadet licitum esse, quod exstat illicitum, et sub specie boni mala proponit : quod si persuadere nequiverit, tale quid licitum esse, suggerit Deum esse benignum, et hominem postea pœnitentiam esse acturum, vel saltem in fine vitæ sola contritione faciliter posse veniam impetrare. Insuper sæpe suadet quibusdam plus sapere quam oportet, et majestatem scrutari, atque incomprehensi-

bilia fidei velle nimium profundare, discutere, ac rimari : qua suggestione decepit hæresiarchas, et per illos innumerabiles alios simplices et carnales, quibus occulte promisit interiorum oculorum apertionem seu illustrationem, ita quod essent quasi dii inter ceteros futuri, præfulgendo in sapientia, vita et fama ; sicque recesserunt ab ecclesiastica unitate, opinantes se non indigere doctrina Ecclesiæ, eo quod ipsimet sufficienter cognoscerent bonum et malum.

Denique generalius loquendo, quandocumque sensualitas aut ratio inferior ex diabolica suggestione afficitur cum delectatione alicui rei sensibili seu carnali, eo quod habeat aliquid dulcedinis aut decoris seu appetibilitatis vel utilitatis, tunc impletur quod dicitur : *Vidit mulier quod bonum esset lignum,* id est terrenum objectum instar ligni terræ infixum, bonum, inquam, *ad vescendum,* hoc est, ad oblectandum se in eo, *adspectuque delectabile; et tulit de fructu ejus, et comedit, deditque viro suo qui comedit,* hoc est, superiorem rationem ad consensum pertraxit. *Et aperti sunt oculi amborum.* Multi dum ex vehementia passionum inclinantur ad mala agenda, ita propriis passionibus obfuscantur, quod non advertunt suum errorem et magnitudinem sui periculi. Quum autem satisfecerunt motibus passionum suarum, motibus ipsis sedatis, aperiuntur oculi cordis eorum, et vident quam turpiter sint dejecti ac victi. *Quumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.* Sic multi quotidie, dum se peccasse cognoscunt, et gratia Dei nudatos, ac erubescibiliter supplantatos, faciunt perizomata sibi, excusando se ipsos, et velando turpitudines passionum et prævaricationum suarum. In
Eccli. III, 29. quibus impletur quod scriptum est : Peccator adjiciet ad peccandum.

Et quum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini. Ambulat Dominus inces-

A santer in paradiso, id est in militante Ecclesia, spatiando in cordibus electorum ac devotorum suorum, cum quibus esse sunt Prov. VIII, 31.
suæ deliciæ, quia per fidem et caritatem Ephes. III, 17.
eos inhabitat; et ipsi portant eum in cordibus suis, quod modo fit post meridiem, id est, post ardentissimum illum Spiritus Sancti fervorem, qui fuit in primitiva Ecclesia, et postea diu ac sæpius interim : quod dum fit, quidam imitantes transgressionem primorum parentum, abscondunt se, quantum in ipsis est, a facie Domini, a

B quo impie se avertunt, et fugiunt lucem, sicut ait Salvator : Omnis qui male agit, Joann. III, 20.
odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Denique qui retrahunt se a superiorum suorum præsentia, nec volunt verba correptionis ac salutis audire, ne increpentur, et juste confundantur, abscondunt se a facie Domini, quales sunt qui in pravitatibus suis latere nituntur. Abscondunt se quoque in medio ligni paradisi, qui auctoritatibus et allegationibus Scripturarum se excusare ac

C justificare conantur. Nam et ipsa Scriptura per paradisum significatur, secundum Damascenum.

Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? Sic benignissimus Deus quotidie vocat aversos a se, ut attendant in quantis miseriis, periculis, vitiisque prostrati sint : vocat, inquam, per inspirationem internam, per angelicam custodiam, per prælatos et prædicatores Ecclesiæ, per proximorum exhortationes, per correptiones, per miracula, per beneficia,

D per adversa. *Qui ait : Vocem tuam † Domine, audivi in paradiso, et timui.* Sic quidam in suis iniquitatibus deprehensi, quando se vident non posse latere, neque evadere, se peccasse fatentur, ac metuunt saltem servili timore. *Cui dixit Dominus Deus : Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Quasi Dominus dicat unicuique peccatori hujusmodi : Unde jam per experientiam scis te esse nudatum donis ac gratiis Spi-

Digitized by Google

ritus Sancti, nisi quia conscius tibi es, te A egisse contra meum præceptum, et præsumpsisti de viribus propriis ac extulisti inaniter temetipsum? *Dixitque Adam : Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Sic multi quotidie se ipsos excusant per alios, a quibus se ad mala attractos causantur, quasi non sponte peccassent, et quasi non magis debuissent Deum, quam homines attendisse, aut quasi nil melius cognovissent. Præterea quidam excusant se per mulierem, id est per propriam sensualitatem, seu carnis B fragilitatem, quam suo spiritui sociatam commemorant, dicentes : Homo non est angelus, humanum est peccare, quis perfectus nisi Deus? Et ita palpant ac fallunt miseri semetipsos, imo peccata sua occulte atque implicite retorquent in Creatorem, qui tam fragilem eis contulit carnem, et sensualitatem ad mala tam pronam. Nec attendunt, quam multa et magna remedia et auxilia præstiterit eis Deus contra peccata ac hostes suæ salutis.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem : C *Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decepit me.* Sic et ratio inferior, seu homo ex parte suæ sensualitatis, solet se excusare, eo quod diabolica fraude, aut tentationis fervore deceptus sit. Hæc est culpa gravissima et insipientia miseranda, excusare se ipsum, et alium potius ac-
Ps. cxl, 4. cusare. Propter quod oravit Psalmista : Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Unde
Prov. xxviii, 13. et Salomon loquitur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confes- D sus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Et ait Dominus ad serpentem : Quia hoc fecisti, maledictus eris.* Diabolus enim homines decipiendo, meretur suæ maledictionis augmentum, præsertim quantum ad accidentalis sui supplicii cumulum, sicut et angelorum sanctorum accidentale præmium augmentatur ex eorum, quos custodiunt, salvatione. Quæ autem sequuntur, videlicet, *Super pectus tuum gradieris,* usque ad illud, Mulieri quoque dixit Deus, in præcedenti articulo satis spiritualiter sunt tractata.

Mulieri quoque dixit Deus : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. Hoc spiritualiter factum est, quoniam homo male agendo, incurrit calamitatem multiplicem, et sensitiva pars ratioque inferior difficultatem incurrit ad bene agendum, ad resistendum peccato, ad fructificandum justitiæ, et in dolore parit opera bona. *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui,* hoc est, propter peccata tua subjacebis actibus tuis, atque laboribus pœnitentiæ ac flagellis, juxta superioris rationis imperium, quæ si non peccasses, sine hujusmodi castigatione posses rationi superiori parere. *Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo,* id est, unicuique peccatori loquitur Deus in Scripturis : Quoniam sensitivæ parti, et inferiori rationi impie consensisti, caro tua multis subjacebit miseriis, et motus rebelles tanquam spinas ac tribulos pariet tibi, multisque modis impediet te a bonis, et terrenis reficieris operibus. Nec sine gemitu et sudore exercebis assidue opera bona. Istud est grave jugum super omnes posteros Adæ inductum, de quo in Ecclesiastico legitur : Occupatio Eccli. xl,
magna creata est omnibus hominibus, et 1, 2.
jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, cogitationes eorum et timores cordis, etc. In Zacharia quoque habetur : Homo agricola Zach. xiii,
ego sum, et Adam exemplum meum ab 5.
adolescentia mea.

Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Eva, eo quod mater esset omnium viventium. Sic peccator postquam vere conversus est, carnem suam nominat Evam, id est vitam, quia per eam efficit de cetero opera bona, quæ sunt spiritualiter viva ac meritoria. *Fecit quoque Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* Per tunicas pelliceas designantur pœnalitates et defectuositates vitæ mortalis, quibus homines peccatores in sæculo isto implen-

Digitized by Google

tur, et operiuntur ita, ut juste ac pie derideantur a Deo de suis præsumptionibus, elationibus, vanitatibusque diversis. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ*, etc. Sic Deus per angelos sanctos reprimit, et misericorditer impedit homines a multis præsumptionibus et peccatis. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram*. Quamdiu homo manet in caritate et gratia ac gaudio spirituali, manet in Ecclesia, et item in interiori suæ animæ paradiso. Quum autem mortaliter peccat, utroque hoc paradiso privatur, et de mystico corpore Christi ejicitur, atque diabolo incorporatur. Verumtamen fit hoc ut se emendet, et terram, utpote propriam carnem, per opera pœnitentiæ exercere et castigare festinet. *Et collocavit* Deus *ante paradisum Cherubim et flammeum gladium,* id est, Ecclesiam suam munivit angelorum custodia, ac plenitudine sapientiæ salutaris, rigore quoque justitiæ, *ad custodiendam viam ligni vitæ,* id est ingressum et aditum ad ecclesiasticam unitatem et Christi communionem, ad quas iniqui redire non valent, nisi per pœnitentiam veram.

Denique ejectio Adæ de paradiso, fuit quasi excommunicatio ejus, quæ in solenni pœnitentia specialiter designatur. Fiat autem pœnitentia solennis hoc modo : In capite jejunii tales pœnitentes præsentant se cum presbyteris suis episcopo ante fores ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, vultibus inclinatis, et coma deposita. Quum autem in ecclesiam fuerint introducti, episcopus cum omni clero dicit septem psalmos pœnitentiales, deinde manum eis imponit, aquam benedictam adspergit, cineremque imponit eorum capitibus, cilicio quoque operit colla eorum, et lacrimabiliter eis denuntiat, quod sicut Adam ejectus est de paradiso, sic ipsi de ecclesia ejiciuntur, et jubet ministris, ut eos ab ecclesia pellant, clero eos persequente cum responsorio isto : In sudore vultus tui. In Cœna autem Domini quolibet anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur, et erunt in ea usque ad octavas Paschæ, ita tamen quod non communicabunt nec pacem accipient. Sicque fiet omni anno quamdiu aditus ecclesiæ ipsis est interdictus, quorum ultima reconciliatio reservatur episcopo, ad quem solum spectat impositio pœnitentiæ hujus solennis. Quæ etiam potest imponi viris ac mulieribus, sed non clericis, propter scandalum evitandum, et ne Ordo veniat in contemptum. Nec debet imponi pœnitentia talis, nisi pro peccato quod totam commoverit urbem. Hæc Thomas super quartum, distinctione 14.

Pœnitentia solennis.

Porro in Scholastica historia dicitur : Ejectionem primorum parentum repræsentat Ecclesia in capite jejunii, quum ejicit extra pœnitentes, quibus cilicium dat in signum tunicarum pellicearum, cinerem quoque sub his verbis : Cinis es, et in cinerem reverteris. In memoriam maledictionis, ejecti candelas ferunt ardentes ; quia pro opere, quo porrexerunt manus ad pomum vetitum, apposita est ignea romphæa paradiso. Transeunt item ad aliam ecclesiam, cujus fores coram eis clauduntur, in signum aditus paradisi quondam occlusi. Non ad mensam, sed super terram comedunt, quasi dicatur eis : Maledicta terra in opere tuo. Nemo dicit eis, ave, quia nondum mutatum erat nomen Evæ.

Præterea in modo tentationis primorum parentum, præfiguratus est ordo tentationum nostrarum quotidianarum. Quemadmodum enim serpens tentavit primo mulierem, et per eam virum, sic dæmon per sensitivam partem et inferiorem rationem, tentat in nobis rationem superiorem. De hac materia ait Magister Sententiarum libro secundo : Duæ sunt species tentationis, interior atque exterior. Exterior tentatio est, quando nobis extrinsecus visibiliter suggeritur verbo aut signo, ut ad peccati consensum trahamur, et talis tentatio non fit nisi ab adversario, scilicet diabolo, vel ab homine malo. Interior vero tentatio est, quando invisibiliter suggeri-

Digitized by Google

tur nobis malum intrinsecus, quæ tentatio aliquando fit ab hoste, quandoque a carne. Nam et diabolus invisibiliter suggerit mala, et ex carnis corruptione suboritur motus illicitus et titillatio prava : idcirco tentatio quæ fit ex carne, non est sine peccato ; quæ autem ab hoste fit, nisi ei consentiatur, non habet peccatum, sed est materia exercendæ virtutis.

Circa hæc verba Magistri scribit Thomas super secundum, distinctione 21 : Peccatum unius non consistit in actu alterius, sed in proprio actu. In tentatione autem carnis, ipse appetitus illicitus secundum quem aliquis tentari dicitur, est actus ejus qui tentatur. Non enim sola caro concupiscit, sed totus homo : ideo talis tentatio est peccatum in eo qui tentatur. Tentatio autem quæ est a mundo, vel ab hoste, est a principio extrinseco : unde actus non pertinet ad tentatum, sed passio tantum ; et propter hoc non est peccatum in tali tentatione, nisi per delectationem et consensum tentati, quoniam tunc tentatus incipit cooperari tentanti. Porro motus concupiscibilis dupliciter potest consurgere. Primo, ex qualitate organi, sicut corpore calefacto, insurgit motus libidinis sine omni imaginatione, et iste motus est pure naturalis, nec habet rationem peccati : ad hunc quoque motum excitandum in nobis potest virtus dæmonis ex potestate suæ naturæ, qua potest corpora transmutare, nisi cohibeatur virtute divina. Alius motus concupiscibilis est, qui insurgit ex apprehensione rei delectabilis. Et ex hac parte appetitus concupiscibilis aliquam habet libertatem in homine, secundum quod potest obedire imperio rationis. Sed hunc motum diabolus extorquere non valet. Hæc Thomas.

At vero Bonaventura in scripto secundi circa hæc scribit : Tentare multa significat, sed proprie idem est quod probare ; idcirco tentatio dici potest quidam tactus, quo probatur res illa quæ tangitur, quemadmodum dicitur cæcus tentare, quando tactu suo certitudinem aliquam vult habere de eo quod tangit. Juxta hunc modum in spiritualibus tentatio dicitur quidam tactus ad probandum ordinatus, quod quadrupliciter fieri potest : Aut enim ille qui pulsat seu tentat, intendit probare et approbare, seu probatum ostendere ; et hoc modo tentare convenit Deo, secundum quod dicitur a Sapiente : Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se. *Sap.* III, 5. Aut quia ille qui pulsat, intendit probare et reprobare seu reprobum facere ; sicque tentat diabolus, secundum quod scribitur in Actis : Cur tentavit Satanas cor tuum ? *Act.* V, 3. Aut intendit solum probare, et experimentum sumere de eo quod est in homine ; et ita tentare dicitur homo cautus. Aut quia etsi pulsans nihil intendit, ad ejus tamen pulsationem sequitur approbatio aut reprobatio hominis ; sicque tentare dicitur caro et concupiscentia ejus, ut Jacobus ait : Unusquisque tentatur a concupiscentia sua, etc. *Jacob.* I, 14. A carne enim seu carnis concupiscentia homo pulsatur, et quasi tangitur : cui pulsationi si consenserit, probatur et reprobatur ; si dissenserit, probatur et approbatur.

ARTICULUS XXVII

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM CONCERNENTIUM PRÆSENS TERTIUM CAPITULUM.

MULTA occurrunt quærenda circa capitulum istud : Primum est, cur Deus permisit primos parentes tentari, quos præscivit mox esse vincendos ; et, an decuit Deum hoc ipsum permittere, præsertim quum viderit tot mala ex originali illo

peccato esse protinus secutura. Quamvis A autem Magister Sententiarum libro secundo hanc moveat quæstionem et solvat, similiter doctores ibidem, videtur tamen hæc quæstio posse reprimi per multas quæstiones consimiles. Nam simili modo quæri posset, cur Deus creavit Luciferum, quem vidit confestim casurum ; et, cur permisit eum peccare, ex cujus casu noverat secutura statim tot mala ; imo, cur condidit eum, per quem noverat tot millia angelorum esse confestim casura. Iterum
III *Reg.* xi, 31. quæri posset, cur Deus promovit Jeroboam B filium Nabat in regem decem tribuum Israel, quem noverat statim tot horribilia mala acturum, et aversurum subditos suos a cultu Dei, atque ad idololatriam inducturum. Item, cur creavit sceleratissimum Mahometum, per quem noverat pene tertiam aut quartam mundi partem esse decipiendam. Cur item nequissimos hæresiarchas, Manichæum, Arium, Nestorium, etc., a quibus scivit tot millia hominum esse fallenda. In his atque similibus debemus incomprehensibilia Dei judicia potius for- C midare ac venerari, quam discutere ac scrutari. Nihilo minus rationabiles causæ horum assignantur. Deus enim cuncta propter bonum finem creavit, nec debuit omittere quod est suum, propter abusiones rerum factarum : quas tamen non permisisset, nisi scivisset, potuisset, ac voluisset multa bona ex malis aliorum elicere. Porro solutio quæstionis de parentibus primis propositæ, patet ex solutione quæstionis superius motæ, videlicet, cur Deus condidit hominem, quem noverat mox casurum. D

Secundo quæritur, an primi parentes fuerint creati in gratia gratum faciente, et virtutibus ei annexis. Et respondendum est, quod circa hoc est triplex opinio : Prima dicentium, quod non fuerunt creati in gratia tali, nec eam promeruerunt post creationem et ante lapsum, sic quod nunquam habuerunt gratiam gratum facientem in paradiso. Hanc autem opinionem reprobat Magister libro secundo per multas auctoritates Sanctorum, quæ infra tangentur. Secunda ergo est opinio ipsius Magistri, qui libro secundo dicit primum hominem non fuisse creatum in gratia gratificante, sed meruisse eamdem ante suam ruinam : ad quod adducit quasdam auctoritates, præcipue Augustini. Hanc opinionem sequuntur Bonaventura et alii multi. Tertia opinio tenet, quod primus homo fuit in gratia gratum faciente creatus, sicut et angeli : quam opinionem sequuntur Albertus et Thomas, multique alii.

Et sanctus Thomas in prima parte, quæstione 95, probat hoc sic : Deus creavit primos parentes in originali justitia, quemadmodum ait Scriptura : Deus fecit hominem ab initio rectum. Hæc autem justitia seu rectitudo consistit in subjectione rationis ac voluntatis sub Deo, inferiorumque virium sub ratione, corporis quoque sub anima. Porro subjectio inferiorum virium sub ratione, dependebat ex subjectione rationis et voluntatis sub Deo ; subjectio autem carnis sub anima, ex utraque pendebat, sed talis rectitudo sine gratificante gratia esse non potuit, alioqui mansisset in illis post culpam. Hinc insuper scribit Thomas, quod primus homo habuit ante suum lapsum quodammodo omnes virtutes, quia præfata rectitudo hoc exigit. Sunt tamen quædam virtutes, quæ in sua ratione nullam imperfectionem includunt, sicut justitia, caritas, prudentia : et hæ erant in eo secundum actum et habitum. Aliæ autem imperfectionem includunt, vel ex parte actus, aut ex parte objecti : et istæ etiam in eo fuerunt actu et habitu, si imperfectio illa perfectioni primi status, utpote innocentiæ, non derogavit, ut fides et spes ; si autem derogavit, erant in ipso secundum habitum, non secundum actum, ut pœnitentia quæ est dolor de peccato, et misericordia quæ est compassio miseriæ alienæ.

Hæc autem opinio verior rationabiliorque videtur. Primo, quoniam ratio et voluntas non potuerunt Deo esse subjectæ sine fide et caritate. Inferiores quoque vires, sine virtutibus moralibus subjectæ

Digitized by Google

nequeunt esse rationi et voluntati. Secun- A do, quoniam Augustinus in quadam loquitur homilia: Adam perdita caritate, malus inventus est. Itemque: Princeps vitiorum diabolus, dum vicit Adam, de limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, caritate splendidum, primos parentes illis bonis exspoliavit, pariterque peremit. Ambrosius quoque ad Sabinum disseruit : Quando Adam solus fuit, prævaricatus non est, quia mens ejus Deo adhæsit. Et rursus Augustinus fatetur, quod spirituali mente B præditus fuit. Superius etiam dictum est super illud, Misit Dominus soporem in Adam, quod tunc in altissimam contemplationem huic vitæ possibilem, est perductus. Iterum S. Bernardus : Quum omnium, inquit, hominum æmulus videret patrem nostrum Adam caritate circumdatum, et omni virtute vestitum, invidit ei. Insuper Damascenus libro secundo fatetur: Deus fecit hominem rectum, innocentem, virtuosum, omni virtute decoratum, omnibus bonis comatum, velut quemdam C mundum secundum. Postremo in Ecclesia-
Eccli. XVII, 1. stico legitur : Deus de terra creavit hominem, et secundum se vestivit illum virtute.

Tertio quæritur, utrum justitia originalis fuit donum gratiæ gratis datæ, an potius gratiæ gratum facientis ? Et respondendum, quod circa hoc est duplex opinio : Una, quod sit donum gratiæ gratificantis : et hoc dici oportet secundum prætactam Thomæ opinionem, ita quod sine caritate haberi non possit. Sed contra hoc est duplex objectio. Prima, quia Magister D Sententiarum et alii multi, dicentes primum hominem esse creatum in originali justitia, negant eum esse creatum in gratia gratificante. Secundo, quoniam si originalis justitia pertinebat ad dona gratiæ gratificantis, stare non potuit cum mortali. Ergo Eva quum consensisset comedere de fructu prohibito, et præsertim quum inde manducasset, mox fuisset privata originali justitia; similiter Adam quum consensisset in illum esum : quod tamen factum non fuit. Alioqui erubuissent propriam nuditatem ante fructus perceptionem, vel saltem Eva post illius comestionem.

Hinc alii dicunt, quod originalis justitia fuit gratia gratis data, et stare potuit cum mortali culpa : quod etiam dicit Lyra in expositione tertii capituli Geneseos. Contra quod Rabbi Paulus sic arguit : In statu innocentiæ, in quo homo institutus fuit in originali justitia, nulla erat rebellio carnis ad spiritum, nec spiritus contra Deum : ergo impossibile erat, stante illo statu, inesse peccatum mortale, quum mortale peccatum (secundum Ambrosium) sit transgressio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum. Et istud argumentum videtur satis concludere. Non enim simul stare potuit aversio mentis a Deo per mortale peccatum, et rectitudo præfata originalis justitiæ, per quam mens erat Deo subjecta, et recte ac ordinate se habens. Sed juxta hanc viam videtur difficile, qualiter originalis justitia mansit in Eva post consensum et esum, atque in Adam post consensum iniquum usque ad manducationem prædictam. Ad hoc Rabbi Paulus respondet, quod quamvis transgressio divini præcepti fuisset incepta per manducationem mulieris, non tamen fuit consummata nisi per viri comestionem. Verumtamen istud non videtur evadere vim argumenti, et Paulus iste proprio argumento confodit se. Dicit namque, quod in statu innocentiæ mortale peccatum incurri non poterat, statu hujusmodi stante, ita quod simul esse non poterant originalis justitia, mortalisque culpa. Sed constat Adam et Evam peccasse mortaliter actu interiori ante realem fructus comestionem, ergo per actum illum interiorem amisissent originalem justitiam. Rursus, quamvis transgressio præcepti ambobus dati de non comedendo fructum prohibitum, non fuerit consummata, quantum ad ambos ante Adæ comestionem ; tamen quantum ad mulierem, exstitit consummata protinus ut comedit.

Digitized by Google

Insuper Rabbi Paulus dicit : Sola comestio illa fuit prohibita Adæ, non autem deliberatio seu consensus præcedens. Unde sicut de quibusdam præceptis veteris Testamenti a doctoribus dicitur, quod lex prohibuit manum, non animum, sic in proposito dici posset. Istud non videtur posse salvari. Primo, quia si deliberatio et consensus illius vitiosæ comestionis non erant a Deo prohibiti, ergo Adam et Eva non peccaverunt, saltem mortaliter, proponendo et consentiendo in opus illud. Secundo, quoniam consensus in rem illicitam exstat illicitus. Tertio, quia voluntas deliberativa reputatur a Deo pro opere. Quarto, quoniam actus exterior inordinationem et culpam suam ab interiori deordinatione sortitur. Quinto, nam quamvis doctores dicant, quod lex veteris Testamenti prohibuit manum, non animum, non tamen intelligunt hoc sic, quod absolute loquendo, non prohibuit animum, sed quod non prohibuit animum ita explicite sicut manum. Vel ideo, quia non infligebat pœnam temporalem in lege taxatam pro animo solo.

Hinc opinor quod mox privati fuerunt originali justitia, quando interius mortaliter peccaverunt. Quod autem de sua nuditate non erubuerunt ante comestionem ipsius Adæ, arbitror accidisse vel ex vehementi atque intensa valde occupatione circa alia, vel ex dispensatione divina. Poterat enim esse, quod mulier præceptum transgressa, fuit ita attonita et occupata qualiter ad idem perduceret virum, quod nuditatem suam non advertit, nec carnaliter stimulata fuit ex nudi viri intuitu. Similiter Adam post elationem et assensum, usque ad comestionem, satis erat occupatus circa factum illud, et opus mulieris commissum, et suam deliberationem seu alia considerando quæ pertinebant ad illud, quod propriam nuditatem non advertit, neque erubuit, nec stimulum sensit ; sed statim post comestionem, cessantibus occupationibus illis. Et si ita non contigit, dici potest quod dispensatione divina, repressa et dilata

A fuit erubescentia Evæ, quatenus vir tentaretur per feminam : quæ si jam erubuisset suam nuditatem, non fuisset ausa virum nuda accedere. Et si accessisset cum tali rubore, vir videns eam sic erubescentem, non consensisset eidem ; sicque potius ex consideratione pœnæ, quam amore virtutis, dissensisset. Deus autem voluit virum probari ac tentari, quamvis non ut vinceretur et peccaret, sed ut vincens coronaretur. Istud opinative sit dictum.

Quarto quæritur, quis gravius peccavit, B Adam, an Eva. Et videtur quod Adam, quia sapientior et virtuosior fuit quam Eva. Oppositum vero apparet, quoniam Eva gravius est punita. Adam quoque, secundum Apostolum, non est seductus, sed Eva. *1 Tim. ii. 14.* Respondent doctores concorditer, quod Eva magis peccavit. Primo, quia ex majori elatione transgressa est Dei præceptum, quam vir. Credidit enim absolute verum esse quod serpens dixit, atque possibile esse quod promisit, et ita absolute appetiit inordinatam Dei assimilationem. C Secundo, quia seducta est credendo serpenti, quam tamen seductionem elatio ejus præcessit. Tertio, quoniam virum ad transgressionem induxit. Adam autem peccavit ex aliquali elatione et quadam benevolentia amicabili, quasi feminæ morem gerens, ut dictum est plenius.

Quinto quæritur, quod fuit principale et primum peccatum amborum. Respondetur quod elatio, scilicet amor propriæ excellentiæ, prout supra satis expositum est. Nec obstat illud Apostoli, quod per ino- *Rom. v, 12. 19.* D bedientiam unius hominis mors introivit in orbem terrarum. Ibi enim inobedientia sumitur, prout est vitium generale, secundum quod omnis transgressio præcepti, est inobedientia quædam, sicque elatio inobedientia est. Verumtamen in peccato primorum parentum multæ deformitates fuerunt, sed elatio erat principalior atque formalior; et ceteræ ordinabantur ad finem elationis, utpote ad excellentiam propriam. Hinc in fine libri secundi asserit Damascenus : Invidia diaboli victus est homo.

Digitized by Google

Non enim ferebat invidiosus diabolus per A propriam elationem dejectus, nos superius fortunari : unde et deitatis specie mendax decepit miserum hominem, atque ad propriam altitudinem per elationem illum reducens, ad simile intulit barathrum casus. Augustinus quoque libro de Virginitate : Diabolus, inquit, in cœlo voluit esse sicut Deus ; cadensque persuasit homini similitudinem suæ voluntatis : sicque diabolus in se ipso expertus quantum Deo displiceret superbia, maxime illa qua rationabilis creatura vult sibi per se sufficere, conatus B est primos parentes sui imitatores efficere, et prævaluit in hoc ipso.

Sexto quæritur, an in statu innocentiæ fuisset generatio, et qualiter; et, an commixtio illa fuisset ita delectabilis, ut est modo. Et respondendum secundum quod refert sanctus Doctor in Summa contra gentiles, atque in prima parte Summæ suæ, quæstione 98 : Quidam antiqui doctores attendentes concupiscentiæ fœditatem in coitu, posuerunt quod non fuisset multiplicatio hominum in statu innocentiæ per C generationem et coitum, sed per divinam virtutem eo modo, quo multiplicati sunt angeli. Et ista fuit opinio Gregorii Nysseni in libro suo de Homine, quam Damascenus videtur secutus, qui ait : Poterat Deus genus humanum absque generatione multiplicare, si homo mandatum suum servasset usque in finem. Sed istud non est rationabiliter dictum, nec Scripturæ consonum, quum ante prævaricationem Deus locutus
Gen. i, 28. sit : Crescite et multiplicamini, et reple-
Ibid. i, 27. te terram. Masculum quoque et feminam D creavit eos, et muliere nondum formata,
Ibid. ii, 18. Dominus dixit : Faciamus ei adjutorium simile sibi. Originale item peccatum non abstulit naturæ humanæ naturalem propagationem, quæ est per sexuum commixtionem.

Denique commixtio illa fuisset delectabilis, sicut et nunc ; imo et plus, quanto natura tunc fuisset integrior, et sensus vivacior, et naturalis virtus perfectior. Delectatio enim coitus non est in se vitiosa, sed naturalis et instituta a Deo ; nec impedisset in aliquo actum rationis et contemplationis in primo statu, quoniam sensitiva pars animæ fuit rationi perfecte subjecta : ideo in coitu illo non fuisset aliqua indecentia, turpitudo aut fervor libidinis, sed ratio delectationi dominans, retulisset eam in debitum. Hanc opinionem sequitur Thomas. Alia autem est opinio dicentium, quod delectatio fuisset in coitu illo, sed non tanta ut modo : quoniam ratio ad libitum suum temperasset eamdem, ita quod sensitiva pars non tendisset toto impetu in suum objectum. Et istud approbat Bonaventura. Tertia quoque fuit opinio, quod in coitu illo non fuisset major delectatio, quam in applicatione manus ad barbam, aut manus ad manum. Ad quod approbandum allegaverunt quædam verba Augustini. Unde et Magister ait libro secundo : Si primi homines non peccassent, sine omni peccato et macula in paradiso carnali copula convenissent. Et esset tunc torus immaculatus, et commixtio sine concupiscentia ; atque genitalibus membris, sicut ceteris, imperarent, ut ibi nullum motum sentirent illicitum : sicut alia corporis membra aliis admovemus, ut manum ori sine ardore libidinis, ita genitalibus membris uterentur sine omni pruritu carnis. Harum opinionum prima rationabilior esse videtur, nec est contraria verbis Augustini et Magistri jam tactis. Delectatio quippe oritur ex conjunctione convenientis cum convenienti, seu potentiæ cum congruenti objecto et sensu, seu perceptione ejusdem : ideo dicunt naturales, delectationem esse in coitu ex transitu humorum per locum nervosum, in quo maxime viget sensus.

Denique communiter dicitur, quod in statu illo omnes genuissent, et ex quolibet coitu proles fuisset secuta. Viri quoque et feminæ æquali numero fuissent multiplicatæ. Verumtamen in paradiso non coierunt primi parentes, cujus rationem assignat Magister libro secundo, dicens : Quia muliere formata, mox transgressio facta

Digitized by Google

est, et ejecti sunt de paradiso ; vel quia Deus nondum præcepit hoc, quia prævidit casum eorum.

Septimo quæritur : si primi parentes non peccassent, an pueri ex eis nati, mox habuissent perfectum robur et usum membrorum, ita quod protinus potuissent ambulare, operari et loqui, an per temporum intervalla profecissent et pertigissent ad ista, ut modo. Ad istud respondet Magister libro secundo multum rationabiliter, quod de hoc certitudinem non habemus, quamvis certum sit quod parvuli nascerentur, propter materni uteri et membri genitalis, quo egrederentur, parvitatem. Augustinus quoque circa hoc dicit : Quamvis exigua corporis pars sit costa, non tamen propter hoc Deus fecit viro parvulam conjugem. Unde et omnipotentia Creatoris poterat parvulos natos mox facere grandes, et poterat eis præstare per gratiam, quod multis animalibus præstitit per naturam, quorum pulli quamvis sint parvuli, tamen mox ut nascuntur, currunt, et matrem sequuntur. Porro Thomas dicit super secundum : Probabilius tenetur, quod naturalis cursus habet, ubi Scripturæ auctoritas non repugnat. Ideo Thomas potius tenet, quod pueri paulatim crevissent et confortati fuissent, ac loqui addiscerent. Idem dicit Bonaventura. Teneritudo enim complexionis puerorum hoc magis exigeret. Verumtamen reor, quod citius et expeditius pervenissent ad perfectionem staturæ ac roboris et loquelæ, quam modo, quia et cibi eorum fuissent vigorosiores, vires vegetativæ ac sensitivæ et rationales efficaciores, fuissetque ibi convenientior aer et locus.

Octavo quæritur, an pueri nati, statim habuissent perfectum usum rationis. Respondetur proportionabiliter ad prædicta. Qui enim dicunt quod mox fuissent perfecti a Deo effecti, quantum ad corporis robur, staturam, operationem et loquelam, etiam dicunt quod confestim fuissent perfecti in scientia et cognitione. Qui autem alterius opinionis sunt, dicere habent, quod non habuissent mox usum rationis
A propter cerebri humiditatem, et organorum indispositionem ad hoc. Quidam etiam dicunt, quod scientiæ fuissent eis concreatæ, quantum ad habitum. Alii dicunt, quod in scientia atque notitia profecissent paulatim inveniendo ac addiscendo, quamvis multo citius faciliusque quam modo.

Nono quæritur, an pueri fuissent nati in originali justitia. Respondetur communiter, quod imo. Et quia juxta præhabita, originalis justitia non habetur sine gratia gratum faciente, consequenter dicendum,
B quod etiam concreata eis fuisset gratia illa, et charismata inseparabiliter ei annexa in via, videlicet virtutes theologicæ et infusæ, ac dona Spiritus Sancti, sicut de pueris dicimus baptizatis. Sed huic obviare videtur, quod ait Hugo de S. Victore : Primus homo ante peccatum generaret filios absque peccato, non tamen hæredes paternæ justitiæ. Hoc tamen Thomas solvit, dicendo, intelligendum hoc esse quantum ad actus exsecutionem, non quantum ad habitum. Præterea dicit Thomas : Rationalis
C creatura non confirmatur in bono, nisi per immediatam unionem cum Deo, quæ unio est beatitudo æterna. Ideo primus homo quamdiu generasset, nec Deum per speciem conspexisset, potuisset peccare, nec confirmatus fuisset in bono. Unde nec pueri tunc nati, fuissent confirmati in originali justitiá, sed tempore procedente potuissent peccare. Verumtamen hujus contrarium multi dicunt, præsertim quum dicat Anselmus in libro, Cur Deus homo : Si primi parentes non fuissent victi in ipsa
D eorum tentatione, ita confirmarentur cum omni sua propagine, quod ultra peccare non possent. Denique beatissimus Joannes Baptista in utero, gloriosi quoque Apostoli in die Pentecostes fuerunt confirmati in gratia, ita quod ultra peccare mortaliter non valebant. Sanctissima autem Virgo sic fuit confirmata in gratia etiam in utero matris, quod nunquam poterat venialem incurrere culpam. Multa præterea possent objici et moveri circa opinionem illam Thomæ prætactam. Qui autem de his et

Digitized by Google

multis consimilibus quæstionibus cupit plenius informari, legat secundum Sententiarum et scripta doctorum circa eumdem.

Decimo quæritur, an in statu innocentiæ homines fuissent successive translati ad paradisum cœlestem, an potius pariter omnes. Ad hoc videtur Magister libro secundo sentire, quod omnes pariter fuissent translati, dicens : De hoc statu transferendus erat homo cum universa sua posteritate, ad meliorem dignioremque statum, ubi æterno et cœlesti bono, sibi in cœlis parato, perfrueretur. Alii dicunt, quod parentes ante filios fuissent paulatim translati, et glorificati in carne et anima absque intermedia morte, quia dispendium magnum fuisset parentibus, retardari a gloria quousque electorum numerus im-
Prov. XIII, 12. pleretur, præsertim quoniam spes quæ differtur, affligit; nec videtur quod omnes potuissent contineri decenter in paradiso. Denique, Deus unumquemque prædestinatum elegit ad certum gradum atque mensuram felicitatis æternæ, quem quum sufficienter meruerit, satis cito hinc tollitur; qui autem in paradiso mansissent, fuissent viatores quamdiu mansissent in eo. Ideo non videtur quod mansissent ibi diutius, quam quousque meruissent gradum beatitudinis, ad quem præordinati fuissent, nec fuisset ratio tantæ dilationis. Ideo ista opinio probabilior esse censetur.

Undecimo quæritur, an in statu innocentiæ fuisset dominium. Videtur quod non, quia omnes fuissent æquales, servitus quoque in pœnam peccati inflicta est, secundum Gregorium. Respondet Thomas in prima parte, quæstione 96 : Dominium accipitur uno modo, prout opponitur seu repugnat libertati ejus, cui quis dominatur; sicque dominus appellatur qui servum habet, servus autem opponitur libero : liberum quippe vocatur, quod est causa sui; servile vero, quod ordinatur ad aliud. Dominium ergo sic sumptum, est prout aliquis principatur subjectis, non ad illorum utilitatem, sed ad proprium commodum, et tale dominium non est sine

A pœna inferiorum. Quemadmodum enim unicuique naturale est et jucundum, propriam perfectionem acquirere, ita pœnale est ei, ut bonum quod habet vel est, non sibi, sed alteri cedat in commodum : hinc tale dominium in statu innocentiæ non fuisset. Secundo, dominium nuncupatur quæcumque prælatio, superioritas aut præsidentia; sicque etiam is dominari asseritur, qui alios dirigit ad utilitatem ipsorum, vel ad bonum commune, et tale dominium in statu innocentiæ exstitisset.
B Primo, quoniam homo naturaliter est animal sociale, secundum Philosophum. Vitam ergo socialem homines in statu innocentiæ habuissent : talis autem vita convenienter duci non potest, nisi sit aliquis præsidens, qui ad omnium commune bonum respiciat. Præterea, in statu innocentiæ fuisset optima ordinatio, quæ sine prælatione et subjectione esse non valuisset. Iterum, in statu innocentiæ unus fuisset sapientior, perfectior et sanctior alio. Quemadmodum enim de singulis sanctorum
C angelorum ordinibus aliqui corruisse creduntur, sic homines singuli ad singulos angelicorum spirituum choros assumendi fuissent. Sapientiores ergo et perfectiores sic dominati fuissent minus sapientibus et perfectis, viri uxoribus, parentesque filiis. Unde constat, quod omnes non fuissent æquales in accidentalibus atque gratuitis. Primo nempe fuisset ibi disparitas sexuum et ætatum, prout generatio exigit corporalis. Fuisset quoque disparitas circa animam in scientia et virtute, quoniam
D homo per liberum operabatur arbitrium. Ideo unus potuisset se intensius applicare ad appetendum et cognoscendum, ad contemplandum et operandum, quam alter : sicque unus plus profecisset, quam alter. Insuper, ex parte corporis potuisset esse disparitas. Non enim exemptum erat corpus humanum ab influentia corporum superiorum. Idcirco secundum diversum respectum stellarum et dispositionem materiæ aut influentiam exteriorum causarum, quidam fuissent aliis pulchriores, ro-

bustiores, ac melius complexionati. Hæc Thomas.

Duodecimo quæritur, an irrationabilia animalia habitassent cum hominibus in paradiso. Ad hoc Damascenus libro secundo respondet : Paradisus fuit divina regio et digna habitatio ejus, qui secundum imaginem Dei erat creatus, in quo nullum irrationabilium habitabat, sed solus homo. Et istud Thomas allegat. Sed videtur contrariari, quod quartodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Cum duobus illis hominibus masculo et femina, scilicet Adam et Eva, animalia etiam terrestria cetera, subdita et innoxia versabantur in paradiso. Damascenus quoque libro secundo fatetur : Ante transgressionem omnia homini erant subjecta, sed et serpens homini erat assuetus, magis aliis ei adhærens, et delectabilibus motibus ei adjunctus. Unde et per eum pessimam suppositionem inseruit diabolus primis parentibus. Ad has auctoritates arbitror posse responderi, quod intelligi possint pro tempore illo, quo animalia erant coram Adam in paradiso adducta.

Tertiodecimo quæritur, quamdiu fuerat Adam extra paradisum ante translationem suam in paradisum, et item, quamdiu ipse et Eva in paradiso fuerunt. Ad hujus quæstionis primam partem communiter respondetur, quod Adam statim post suam productionem, in paradisum translatus est, per modum superius tactum. Verumtamen Henricus de Hassia super Genesim tangit, quod aliqui imaginantur Adam transisse pedestrem a loco suæ formationis usque in paradisum, ut rerum naturas et animalium proprietates, dispositionemque terræ eundo consideraret : secundum quam imaginationem diu fuisset in via. Ad quod posset quis retorquere verba Damasceni ultimo jam inducta; sed imaginatio ista apparentiam parvam habet, quum et præfatarum rerum scientia fuerit Adæ in principio concreata. Ad aliam quæstionis partem aliqui dicunt, quod Adam fuit hora tertia factus, et in paradisum perductus, animalibus quoque imposuit nomina; hora autem sexta dicunt Evam formatam, et statim prævaricatam ; horaque nona dicunt ambos ejectos. Verumtamen in textu habetur, quod audierunt vocem Domini in paradiso post meridiem ambulantis ad auram, et post hoc leguntur ejecti. Communiter quoque tenetur, quod eodem die Adam est factus et lapsus, et Christi conceptio Virgini nuntiata, ipseque Christus cruci affixus. Verum quamdiu fuerint Adam et Eva in paradiso, non scitur pro certo. *Gen.* III, 8.

Postremo quæritur, an ultra paradisum sit habitatio hominum. Ad quod sancti et docti viri responderunt, quod non. Verumtamen quidam in itinerario suo dicit oppositum, asserens illic, scilicet ultra paradisum, terram inhabitari in maxima multitudine civitatum ac regionum, quarum institores (ut dicit) Indiam visitant per Mare oceanum. Principes quoque et gentes ex utraque parte manentes, visi sunt invicem nuntia destinare. Istud nec rationi nec fidei christianæ consentaneum esse censetur. Omnes namque historiographi et qui usque fines terræ habitabilis devenerunt, testati sunt ultra loca illa ad quæ devenerunt, aut de quibus scripserunt, non esse hominum mansionem : ad quod multa possent adduci ex gestis Alexandri et Herculis, diversisque chronicis; sed et in visionibus et revelationibus quarumdam sanctarum personarum fidelium idem asseritur.

Denique secundum fidem catholicam, sicut Christus est totius generis humani salvator, sic fides christiana per totum orbem est prædicata, quamvis aliquæ parvæ provinciæ esse dicantur, in quibus nondum prædicatum est evangelium Christi. Verumtamen nequaquam convenit veritati novi et veteris Testamenti, asserere, quod sint multæ et maximæ regiones ac urbes, in quibus prædicata non est evangelica lex. Non autem legitur ultra superiorem Indiam prædicata. Amplius, aliqui Indi interdum venerunt et sæpe scripserunt

Digitized by Google

ad loca ista, et tamen tale nil insinuaverunt. Credimus item, quod post Antichristi occisionem totus mundus, paucissimis Antichristi indurandis satellitibus demptis, convertetur ad Christum, et ipse Antichristus per totum orbem suos mittet ministros : quæ stare non possent, si ultra paradisum esset hujuscemodi hominum multitudo. Verumtamen esse potest, quod aliqui per Mare oceanum ad Indiam veniant ex aliquibus terris, a paradisi latere sitis.

Præterea communiter dicitur, quod Jerusalem vel Judæa aut Syria, saltem sit in medio terræ habitabilis : quod secundum illam assertionem stare non posset. Legimus insuper in Prophetis, quemadmodum

A Deus quatuor principalibus regnis, præsertim Romano imperio, contulit monarchiam : quod verum non esset, si tot regiones essent ultra paradisum. Amplius, vir ille in itinerario suo ait, quod ex quo de fonte paradisi exeunt quatuor flumina ab hac parte paradisi, merito videatur credendum, alia quatuor flumina ab eodem procedere fonte versus paradisi aliam partem directe oppositam. Istud consequentiam nullam, imo nec apparentiam, habere censetur. Videmus enim in terra fontes

B multos et magnos, ex quibus diversi fluvii oriuntur versus unam terræ habitabilis partem, non tamen versus partem oppositam.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : ADAM VERO COGNOVIT UXOREM SUAM, ETC.

DESCRIPTIS primorum parentum productione, transgressione et ejectione a paradiso, consequenter describitur generatio eorumdem, et multiplicatio generis humani. *Adam vero cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit et peperit Cain.* Ex hoc loco duplex Judæorum error reprobatur. Unus est, quo dicunt Adam habuisse duas uxores : unam et primam, de qua illud Genesis primo scriptum, Masculum et feminam creavit eos, intelligunt; aliam, quæ in paradiso legitur facta de costa Adæ. Aliam enim dicunt factam de limo terræ cum Adam. Unde et Josephus dicit mulierem extra paradisum formatam, simul cum viro in paradisum translatam. In hunc, inquiens, hortum, utpote paradisum, introduxit Deus Adam et Evam, præcipiens eis sollicitudinem habere plantationis. Atque ex his duabus Adæ uxoribus, interminabiles confingunt genealogias; imo (ut fertur) dicunt simias ex una illarum uxorum natas. Sed ex textu eorum error osten-

C ditur, quia in processu textus non fit mentio, nisi de una Adæ uxore, et de hominum generatione ex ea, solaque una uxor legitur a serpente tentata, victa, et cum Adam expulsa. Certumque est et facillime potest probari, quod simiæ ab hominibus distinguantur specifice. Secundus error est Judæorum, quo dicunt quod Adam et Eva genuerunt Cain et Abel in paradiso. Ad quod probandum allegant, quod Genesis primo legitur Deus dixisse, Crescite et multiplicamini : quod argumentum nil va-

D let, quia quum hoc fuerit præceptum affirmativum, obligavit semper, sed non ad semper : idcirco executio illius præcepti fuit intelligenda pro tempore determinato, certo et apto. Unde Augustinus testatur, et præcedenti articulo tactum est, quod non genuerunt in paradiso, quia exspectabant præceptum Dei, quantum ad tempus gignendi. Et item, quod nondum acceperunt generandi præceptum, videlicet quoad temporis determinationem aut operis execu-

Digitized by Google

tionem. Hi autem errores tam stolidi sunt, A textuique contrarii, ut contra eos arguere sit indignum.

Cognovit itaque Adam uxorem suam Evam. Circa quod quidam scribit : Ejecti de deliciis paradisi, recurrerunt ad delicias carnis. Ex quo sequi videtur, quod desiderio voluptatis carnalis fuerint moti ad commixtionem carnalem : quod non apparet consonum veritati, quoniam Adam et Eva post suam expulsionem, suam transgressionem non mediocriter deplanxerunt, atque in compunctione et contritione diu B manserunt. Experti quoque pœnam transgressionis divini præcepti de non edendo ex pomo, studuerunt implere præceptum Dei de generando ex zelo justitiæ et prolis amore. Nec dubitandum est, eos post expulsionem a paradiso, religiose vixisse. Peperit ergo Eva primogenitum suum Cain, *dicens: Possedi hominem per Deum,* id est, naturali dono, virtute seu beneficio Dei, peperi et adepta sum ex viro meo filium istum ; vocavitque eum Cain, quoniam Cain (secundum Hebraicam veritatem C atque Hieronymum) interpretatur acquisitio sive possessio. Consuetudo autem fuit antiquis, imponere nomina pueris suis ex aliqua proprietate aut significatione. Dixit ergo, Possedi hominem per Deum, ac si gratulans et se ipsam consolans, dicat : Quamvis paradiso privata sum, et in exsilium istud projecta, ac multis ærumnis addicta, attamen Deo largiente, ex copula viri adepta sum fructum istum.

Rursumque peperit fratrem ejus Abel: in cujus ortu non legitur aliquid protu- D lisse, quamvis forsitan protulerit, licet scriptum non sit. Moyses enim transilit multa, imo de multis scripsit perpauca. Porro Abel interpretatur uno modo luctus. Hinc in Scholastica historia legitur : Abel sonat luctus vel vapor, quasi cito hinc transiturus, tanquam ipso nomine fuerit prophetatum seu designatum, quod de ipso erat futurum. Abel tamen secundum Josephum, interpretatur, hoc nihil, quoniam non reliquit semen super terram. Hinc aliqui dicunt, quod vocatus sit Abel, id est luctus, ab eventu, quia ob ejus interfectionem, fuerunt parentes ejus in gravissimo diuturnoque luctu. Aliqui quoque dicunt, quod vocatus sit Abel, id est vanitas, quia natura humana jam erat vanitati mortalitatis et instabilitatis subjecta. Abel quippe alio modo interpretatur vanitas, ut ait hic Lyra. Sed contra hoc scribit sic Rabbi Paulus : Abel, dum in Hebraico scribitur cum prima littera A, significat proprie luctum ; sed dum scribitur cum littera H, ut dicatur Habel, non significat luctum, sed vanitatem dumtaxat, prout in principio Ecclesiastæ quo legitur, Vanitas vanitatum, habetur Habel, *Eccle.* I, 2. ut hic. Et ratio hujus nominationis potest accipi ex hoc, quod Abel non remansit posteritas, et ita quoad mundum sensibilem, videbatur quasi in vanum productus, quamvis quoad Deum, mansit in vita immortali. Sed ex his Rabbi Pauli verbis consequens videretur, quod in textu dici debeat Habel, quod communiter non tenetur.

Consequenter exprimitur diversitas officiorum horum fratrum. *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola.* Abel tanquam vir simplex et innocens, elegit sibi officium simplex ac facile, scilicet pecora custodire ac pascere, quod et postea Patriarchæ fecerunt. Et possunt hoc loco nomine ovium, etiam alia pecora domestica designari. Unde et infra fratres Joseph leguntur dixisse : Pastores ovium sumus. De *Gen.* XLVII, 3. quibus constat, quod non solum oves, sed et alia diversa pecora aluerunt, puta camelos, capras, vaccas et boves. Cain autem tanquam versutus et cupidus, coluit terram tanquam rem magis lucrosam. Hinc in Scholastica fertur historia : Quum esset malignissimus, primus coluit terram, ut inde consuleret avaritiæ suæ. Porro Rabbi Paulus ait : Distinctio officiorum Cain et Abel, potest sic considerari. Sciens autem Abel Deum juste maledixisse terræ propter peccatum Adæ, separavit se a terræ cultura, tanquam a re maledicta a Deo,

Digitized by Google

elegitque officium pastoris ovium, quoniam pecora non fuerant maledicta. Cain vero elegit sibi agriculturam, quasi non curans de Dei sententia, quod reputatum est ei ad contemptum. Verumtamen istud non videtur idonee dictum. Deus enim non maledixit terræ secundum se, nec agriculturæ quasi rei illicitæ, præsertim quum in præcedenti capitulo scriptum sit : Emisit Dominus eum, videlicet Adam, de paradiso, ut operaretur terram de qua sumptus est. Unde ostenditur, quod et Adam coluit terram, quum dictum sit ei a Domino : In labore comedes ex ea. Et rursus alia littera habet : Quum operatus fueris terram, non dabit fructus suos. Idcirco, quod Cain dicitur primus terram coluisse, non videtur congrue dictum, nisi forte intelligatur quantum ad filios Adæ.

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, quum scilicet fructus maturi erant et apti ad immolandum. Circa quod dicit quidam, quod obtulit de fructibus terræ vilioribus et corrosis. Quocirca loquitur Rabbi Paulus : Non habetur ex littera, quod Cain obtulit de pejoribus et corrosis. Simpliciter enim dicit Scriptura, quod obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino. Sed ex providentia et diligentia Abel, intelligitur improvidentia et negligentia Cain. Verumtamen per hoc quod Scriptura manifeste testatur ipsum Abel obtulisse de primogenitis gregis sui, adipibusque eorum, probabiliter elici potest, quod Cain obtulit de vilioribus fructibus terræ : erat enim indevotus et cupidus.

Quocirca quæri potest, quis docuit filios Adæ Deo hæc immolare? Ad hoc communiter dicitur, quod Adam docuit eos. Unde in Scholastica historia fertur : Creditur Adam docuisse filios suos, ut Deo offerrent decimas atque primitias. Denique, sicut Thomas conscribit in secunda secundæ, quæstione 85 : Offerre sacrificium Deo, est de lege naturæ. Naturalis enim ratio dictat, ut homo recognoscat se Deo esse subjectum, eamdemque recognitionem per exteriora

A signa aliqua protestetur. Naturale quippe est homini, sensibilibus signis uti ad spiritualia et interiora significanda. Hinc ex naturali ratione processit, quod homo sensibiles res obtulit Deo in signum debitæ subjectionis ac reverentiæ, atque ad protestandum se omnia sua a Domino suscepisse : talis autem oblatio sacrificium appellatur. Verumtamen determinatio sacrificiorum est ex institutione divina aut humana. Ideo quantum ad hoc, variata sunt sacrificia secundum temporum inter-
B valla et hominum status. Hæc Thomas. Insuper, quoniam sacrificium exterius designat sacrificium illud interius, quo homo intus se ipsum offert Deo tanquam principio sui esse et fini suæ salutis : hinc quemadmodum Deo soli debetur sacrificium istud interius, ita et sacrificium illud exterius. Rursus, de qualibet re licite possessa, oblatio fieri potest in evangelica lege, similiter in lege naturæ, ut dicitur ; in aliquibus tamen casibus non recipitur oblatio de re juste possessa.

C *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui,* id est optima et primitiva pecorum suorum, *et de adipibus eorum,* id est de pinguioribus ac melioribus partibus pecorum, ita quod sive integra animalia, sive animalium partes obtulerat, meliora obtulit semper. Josephus dicit quod obtulit primogenita agnorum et lac. *Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus,* id est, approbavit et accepta habuit tam offerentem Abel quam oblationes ipsius, ita quod primo per approbationem respexit Abel
D propter ipsius devotionem, caritatem et gratiam, deinde ad munera ejus. Oblationes enim legis naturæ et etiam legis scriptæ, non erant ex se ipsis sanctæ aut acceptabiles Deo, sed solum ex offerentium dignitate aut bonitate. Unde communiter dicitur, quod placuerunt non ex opere operato, sed ex opere operante. Hinc Josephus : Abel, inquit, justitiam coluit, et in omnibus quæ gerebat, Deum putavit præsentem.

Ad Cain vero et ad munera illius non respexit : Quia nec ipse Cain Deo erat ac-

Digitized by Google

ceptus, sed reprobus propter suas malitias, idcirco nec sacrificia seu dona ipsius Deo complacuerunt. *Iratusque est Cain vehementer,* id est, contra fratrem suum innocentem indignabatur, inviditque ei, videns eum sibi esse prælatum in bonitate et gratia coram Deo : per quod reputavit sibi quasi primogenito ac seniori derogatum, sive injuriam factam a fratre juniore, idcirco optavit se vindicare de eo. *Et concidit vultus ejus,* id est, præ verecundia et tristitia tabescebat, non solum in corde, sed item in facie, quia in vultu passiones affectionesque animæ cito apparent. Propter quod in libro Proverbiorum scriptum
Prov. xv, 13. est : Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi dejicitur spiritus. Et iterum
Eccli. xiii, 31. ait Scriptura : Cor hominis immutat faciem ejus, sive in bonum, sive in malum.
Eccle. ix, 1. Sed quum nesciat homo, an amore sit dignus an odio, qualiter Cain cognovit fratrem suum cum oblationibus suis Deo esse acceptum, se autem reprobatum? Ad hoc patet responsio ex eo quod ait Hieronymus : Unde hoc potuit scire Cain, nisi vera esset interpretatio Theodotionis, qua dicitur, Et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus; super Cain et super sacrificium ejus non inflammavit? Quorum verborum iste est sensus, quod ipso Abel offerente, descendit ignis, et incendit sacrificium ejus, quemadmodum factum
Levit. ix, 24. legitur in Levitico de sacrificio Aaron,
II *Par.* vii, 1. atque in libris Regum de sacrificiis Salo-
III *Reg.* xviii, 38. monis et Eliæ. In libro quoque Judicum legitur ignis consumpsisse sacrificium Gedeonis et Manue. Ex ista igitur inflammatione sensibili cognovit Cain quod dictum est.

Dixit quoque Dominus ad eum : Quare iratus es, et cur concidit facies tua? quasi dicat : Non habes rationabilem causam harum detestabilium passionum tuarum, videlicet iræ, impatientiæ, indignationis, invidiæ, et mœroris perversi, quia potius deberes congratulari fratri tuo in bonis, et gratiæ ejus cordialiter congaudere, imo et ædificari virtutibus ejus, atque ex acce-

A ptione et inflammatione munerum ejus, de tuis perversitatibus corrigi, atque ad meliora mox provocari. Nam gratia ejus tibi non nocet, et ego paratus sum tibi retribuere bona, quemadmodum ei, si egeris virtuose. Ideo subditur : *Nonne si bene egeris,* id est, devote obtuleris, virtuoseque vixeris, et fratri tuo favorabilis fueris, *recipies ?* scilicet justam mercedem a me, qui non sum personarum acceptor, et inflammabo munera tua, sicut et fratris tui. *Sin autem male,* id est, si perverse
B te habeas, pejora et indevote immolando, ac fratrem innoxium odiendo, *statim in foribus peccatum* tuum *aderit ?* id est, mox et evidenter coram te reus eris, ac pœnis obnoxius : quemadmodum id quod præ foribus seu ante januam stat, manifeste adspicitur. Rursus, peccatum tuum in foribus aderit, id est, iniquitas tua comitabitur te intrantem et exeuntem. *Sed sub te erit appetitus ejus,* id est, peccandi affectio et passio, ex qua inclinaris ad opus iniquum, esse debet rationi subjecta, ita
C quod potes resistere, quum liberi exsistas arbitrii. *Et tu dominaberis illius,* id est, dominari merito debes, quia ad hoc obligaris, ut vitiosis motibus domineris, non ipsi motus aut vitia tibi.

Porro S. Hieronymus litteram LXX interpretum ponens, sic ait : Dixit Dominus ad eum : Quare concidit vultus tuus ? Nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti ? quiesce. Ad te conversio ejus, et dominaberis illius. Hæc est littera LXX. Deinde subdit Hieronymus : In He-
D bræo alius sensus est : Quare irasceris ? et quare concidit vultus tuus ? Nonne si bene egeris, dimittetur tibi ? et si male egeris, ante fores peccatum tuum sedebit? Ad te societas ejus, sed tu magis dominare ejus. Quasi dicat : Quare irasceris, et invidia cruciatus, vultum in terram demittis ? Nonne si bene egeris, dimittetur tibi omne delictum ? Vel secundum Theodotionem, Acceptabile erit, id est, munus tuum suscipiam, sicut suscepi munus fratris tui. Quod si male egeris, illico pecca-

Digitized by Google

tum tuum ante vestibulum tuum sedebit, A et tali janitore comitaberis. Sed quia liberi arbitrii es, moneo ut peccatum non tibi, sed tu peccato domineris. Hæc Hieronymus. Circa hæc verba in Scholastica historia dicitur : Recte obtulerat Cain, quia Deo ; sed non recte diviserat, quia se ipsum, qui erat dignior sua oblatione, dedit diabolo. Vel, non recte divisit, quia meliora sibi retinuit. Spicas vero attritas et secus viam corrosas, obtulit Deo. Porro quod LXX transtulerunt, Ad te conversio ejus, sic potest intelligi, id est, peccatum B se vertet ad te, blandieturque tibi, quoniam sua voluptate et prava libertate delectat et allicit atque impugnat.

Quæritur circa prædicta, qualiter Deus loquebatur ad Cain. Ad hoc beatus Augustinus quintodecimo de Civitate Dei, capitulo 7, breviter dat responsum : Locutus est, inquiens, Deus ad Cain eo modo, quo cum primis parentibus, per creaturam subjectam, velut eorum socius, congrua forma, id est, per angelum in humana effigie apparentem. In eodem quoque capitulo C Augustinus hunc passum eleganter et prolixe exponit, inter cetera dicens : Obscuritas hujus verbi, Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti ? multos peperit sensus, quia non elucet, cur vel unde sit dictum ad Cain. Recte quippe offertur sacrificium, quum vero Deo offertur, cui soli est offerendum. Non recte autem dividitur, dum non discernuntur recte loca et tempora, in quibus est offerendum, vel res ipsæ quæ offeruntur ; vel qui offert, non discernit se ipsum, et eum D cui offert, aut eos quibus distribuitur ad vescendum quod oblatum est, aut electiora sibi reservat, ut per divisionem intelligamus hic discretionem. In quo autem horum Cain displicuerit Deo, non potest faciliter inveniri. Sed quia Joannes apostolus in prima sua epistola de his duobus fratribus loquens : Diligatis, inquit, alterutrum, non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum ? Quoniam opera ejus

I Joann. III, 12.

maligna erant, fratris autem justa. Ex quibus datur intelligi, ob hoc Deum non respexisse munera Cain, quia in eo male divisit, quod dedit Deo aliquid sui, et se ipsum sibimetipsi, imo et dæmoni : quod faciunt omnes iniqui, qui non Dei, sed propriam voluntatem sectantur, per quod se ipsos tradunt diabolo. Hæc sententialiter Augustinus.

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Complexum istud, Egrediamur foras, non habetur in Hebræo. Unde ait Hieronymus : Dixitque Cain ad Abel, subaudi ea quæ locutus est Dominus. Superfluum est ergo quod in Samaritanorum et nostrorum voluminibus reperitur, Transeamus in agrum. Hæc Hieronymus. Quocirca sciendum, quod Samaritani a rege Assyriorum missi, eorumque posteri, receperunt Pentateuchum, id est quinque libros Moysis, et aliqua addiderunt ac mutarunt in eis, atque ex hoc devenit additio ista ad fideles. Porro Hieronymus in libro de Hebraicis quæstionibus ait, quod Cain dixit fratri suo Abel, verba increpationis et exhortationis sibi a Domino dicta. Hebræi vero affirmant, quod dixit sibi verba injuriosa.

Quumque essent in agro. Secundum Hieronymum, Cain blande induxit sanctum Abel ad exeundum secum in agrum, recitando ei verba præfata divinitus sibi dicta. Hebræi autem, qui dicunt ipsum Cain dixisse verba dura ad Abel, asserunt impium Cain observasse, quando et qualiter reperiret fratrem suum in agro solum. *Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.* Ecce quanta malignitas, et quanta obstinatio hujus infelicissimi Cain, qui visibiliter ac sensibiliter ac dignantissime informatus, admonitus et blande increpatus a Deo, nequaquam pœnituit, neque compunctus est, sed auxit contemptum in Dominum. Hinc quintodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : In electis operatur Spiritus Sanctus intrinsecus, ut valeat aliqua medicina, id est exhortatio seu increpatio, quæ adhi-

Digitized by Google

betur extrinsecus. Alioqui etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subjecta, in aliqua specie humana alloquatur sensus humanos, sive exteriores, sive quos intus simillimos istis habemus in somnis, nec tamen interiori gratia mentem regat et agat, nil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus, a vasis misericordiæ, vasa iræ discernens, dispensatione sibi nota, multum occulta, sed justa. Deinde sequenti ibi capitulo Augustinus applicat istud ad Cain, ostendens qualiter ex Dei admonitione non sit correctus, sed potius pejoratus.

Rom. IX, 22, 23.

Præterea et alibi Rabbi Paulus ait : Notanda est hic Glossa seu translatio Chaldaica ipsius Jonathæ, quæ apud Hebræos quasi tantæ auctoritatis est sicut textus, in qua legitur : Dixit Cain ad Abel : Non est justitia neque judex, neque sæculum aliud, neque remuneratio justis, neque punitio impiis. Quumque Abel hæc omnia renuisset, consurrexit Cain, et occidit eum. Ex quibus patet, quod Abel fuit primus martyr, et primus sacerdos, et primus virgo. Unde Augustinus in libro de Mirabilibus sacræ Scripturæ : Triplex justitia primo in Abel fuit, qui et munera placita Deo obtulit, ut sacerdos ; et prosapiam generis, id est posteros, non reliquit in sæculo ; et coronam martyrii proprii sanguinis effusione promeruit. Merito ergo Dominus Jesus commisit ei primatum justitiæ hominum : A sanguine, inquiens, Abel justi, etc. Hæc Augustinus. Hinc aliqui dicunt, quod in Abel refulsit et commendatur triplex primatus, utpote sacerdotii, virginitatis, martyrii.

Matth. XXIII, 35.

Verumtamen circa hoc oritur quæstio, quia (ut Hugo de S. Victore et alii concorditer protestantur) in lege naturæ primogeniti erant sacerdotes. Cain autem fuit primogenitus Adæ, vel saltem senior ipso Abel, ergo potius fuit sacerdos quam Abel. Rursus, si ideo fuit sacerdos, quoniam obtulit sacrificium Deo, ergo et simili ratione Cain. Adam quoque indubitanter obtulit Deo oblationes frequenter

A ante filios suos, ergo ipse fuit primus sacerdos. Ad istud videtur mihi posse responderi, quod inter filios ac posteros primorum parentum, Abel vocatur primus sacerdos, vel quia bonus fuit sacerdos, et primus sacerdotum bonorum ; vel quia jus sacerdotale fuit ei desuper datum, et a Cain in ipsum translatum, quemadmodum primo libro Paralipomenon, primogenita dicuntur translata a Ruben, eo quod violasset torum patris sui, et data filiis Joseph. Vel Abel vocatus est sacerdos, ab

I *Par.* V, 1.

B actu et devotione immolandi. Nam et filii David dicuntur fuisse sacerdotes secundo Regum.

II *Reg.* VIII, 18.

Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus? Interrogat Dominus non quasi ignorans, sed quasi redarguendo, fratricidium improperans, atque ut impium ex sua responsione directius justiusque convincat. *Qui respondit : Nescio.* Ecce manifestum mendacium. Nam scivit ubi corpus ejus remansit, quod secundum Josephum occultavit ; et de anima ejus poterat scire

C per fidem, quod in refrigerio esset. Deinde sceleratam et falsam excusationem subjungit : *Numquid custos fratris mei sum ego?* quasi dicat, Ego non teneor curam habere de fratre meo, nec eum ab adversis tueri aut custodire, quum tamen ex naturali lege fuerit obligatus ad ista saltem in casu, quoniam tenebatur eum diligere, sicut se ipsum. O quanta fuit duritia et impudentia Cain, qui tam frontose et quasi imperterrite ausus est respondere, quasi crimen suum posset Deum latere ! Sicque

D impletum fuit in Cain quod Salomon ait : Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. *Dixitque* Dominus *ad eum : Quid fecisti?* quasi diceret, Enorme nimis facinus perpetrasti. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ista est metaphorica et tanquam figurativa locutio, in qua non oportet singula verba accipere juxta primam et propriam significationem eorum. Est itaque sensus : Manifestum est quod fecisti ; quia ipsa effusio sanguinis fratris tui hoc indicat et testatur, et quasi

Prov. XVIII, 3.

Digitized by Google

contra te clamat, ultionem tantæ tuæ impietatis exigens a me.

Qui autem curiosius investigat, quid per vocem sanguinis Abel designetur, audire potest, quod vox sanguinis dicitur sanguis ipse vociferans et vindictam expostulans. Quod totum attribuitur sanguini, non effective, sed materialiter, juxta quem
Dan. III, 59 et seq. Ps. CXLVIII. modum irrationalia et inanimata dicuntur Deum benedicere et laudare. Vel vox sanguinis, appellatur jus seu debitum ultionis in sanguinis effusorem. Denique, quatuor peccata leguntur in Scripturis ad Deum pro ultione clamare, quæ et peccata clamantia nominantur. Primum est homicidium, et præsertim fratricidium, ut patet hoc loco. Secundum est vitium contra naturam, ut
Gen. XVIII, 20. infra habetur : Clamor Sodomorum venit ad me. Tertium est detentio mercedis ope-
Jacob. V, 4. rariorum, de quo Jacobus : Clamor, inquit, eorum in aures Domini Sabaoth introiit. Quartum est oppressio infirmorum. De hoc clamore sanguinis Abel, ad Hebræos scri-
Hebr. XII, 22, 24. ptum est : Accessistis ad montem Sion, et sanguinis adspersionem, melius clamantem quam Abel.

Insuper, ut refert Lyra, in Hebræo habetur : Vox sanguinum fratris tui; et dicunt Hebræi, quod ait pluraliter, sanguinum, quoniam Cain interficiendo Abel justum, factus est reus non solum sanguinis Abel, sed etiam omnium quos generaturus erat, si vivus mansisset. Ex hoc passu Scripturæ accipitur, quod evidentia patrati facinoris, non indiget accusatore seu probatione. Circa quod in Scholastica historia additur : Inde est, quod suspecti in Ecclesia de effusione sanguinis, etiamsi nemo accuset, trahuntur in causam. Quod si negaverint, judicio Dei examinentur. Hæc ibi. Porro quod ait, Judicio Dei examinentur, exponitur sic, id est, juramento, vel per ignem aut aquam. Verumtamen judicia ista per ignem et aquam, sunt modo prohibita, quoniam potius pertinere videntur ad Dei tentationem, quam hominis examinationem seu probationem. Postremo, per vocem sanguinis Abel, quidam intelligunt parentes et propinquos ipsius, qui ejusdem sanguinis secum fuerunt, et contra Cain clamaverunt ad Dominum vel directe, vel occasionaliter ; quia aut ultionem tanti criminis optaverunt, aut ex eorum planctu, dolore ac gemitu, Deus magis provocatus fuit ad punitionem fratricidii Cain.

Deinde describitur punitio Cain : *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Maledictus fuit Cain de cetero super terram a Deo et coram Deo, itemque ab hominibus et coram hominibus : a Deo, quoniam plus quam ante fuit deinceps a Deo reprobatus, relictus, et a donis gratiæ elongatus. Quemadmodum autem benedictio Dei vocatur collatio gratiæ ejus, sic maledictio ejus, uno modo accipitur retractio seu denegatio gratiæ suæ. Fuit quoque maledictus coram Deo, hoc est, vero ac justo judicio Dei. Fuit recte ab hominibus maledictus, quoniam zelo justitiæ maledixerunt ei frequenter propter tantum excessum in proprium fratrem, et quia tam ineffabiliter contristavit suos parentes. Sed et coram hominibus exstitit maledictus, quoniam reputaverunt eum maledictione et omni aspernatione dignissimum. Sed si verba hæc ita erant intelligenda, videtur quod Cain desperaverit juste, utpote qui ab ineffabili Judice se damnandum audivit. Et respondendum, quod non oportebat Cain ita intelligere verba ista per omnia, sicut modo exposita sunt, quamvis sint ita in eo impleta, et secundum prædestinationem Dei sic erat decretum ; imo potuit ea intelligere per modum comminationis, et quantum ad temporalem maledictionem seu pœnam. Verum et Alexander de Hales, et Guillelmus Antisiodorensis, testantur in Summis suis, quod Deus non posset de potentia ordinata alicui viatori suam damnationem absolute prædicere ; quia si sic, homo viator haberet seu teneretur desperare, nec videretur desperando peccare.

Itaque maledictus eris super terram in vita præsenti, deinde sub terra in inferno, in statu futuro ; *quæ aperuit os suum,* hoc est, intra se recepit, et deglutivit fratris

Digitized by Google

tui cruorem. Unde quasi expositorie subditur : *Et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua,* hoc est, effusum per manus tuas sceleratissimas. Itaque Cain maledictus est in propria persona a Deo, et cum hoc in re sibi concessa ad usum, scilicet in terræ maledictione. Sicque punitus est gravius multo quam Adam, quia gravius valde deliquit, quoniam sciens patris sui A justam punitionem, non timuit Deum, sed fratricidium addidit. *Quum operatus fueris eam* per agriculturam, *non dabit tibi fructus suos,* id est, sterilis erit pro parte, et frequenter, ac magis quam ex maledictione ei illata propter peccatum Adæ. *Vagus* per diversa et incerta loca eundo, *et profugus* ab hominibus fugiendo, *eris super terram.*

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI, AB EO LOCO QUO HABETUR : DIXITQUE CAIN AD DOMINUM.

INIQUI semper ad commoda propria sunt reflexi, idcirco non timent directe Dei offensam et elongationem ab eo, sed proprias pœnas. Et quia non habent affectum ad Deum, nec eum sinceriter contemplantur, aut nimis præsumunt de misericordia ejus, quasi et male vivendo possint salvari, aut nimis diffidunt de illa, quasi et pœnitendo nequeant veniam promereri : quod totum ita fuit in Cain, sicut subjungitur : *Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear,* hoc est, tam magna est, ut veniam C promereri non valeam. Hæc fuit desperatio ejus, in qua gravius Deum offendit, quam in fratricidio, præsertim quum et Judas secundum Hieronymum gravius peccavit desperando, quam Christum tradendo. Hebræi tamen (ut dicitur) exponunt verbum istud interrogative, et negative. Quasi dicat : Estne iniquitas mea tam gravis, ut non queam veniam obtinere? quasi dicat, non. Per quod innuisse videtur, quod Deus nimis dure egit secum. Unde et Josephus dicit, quod Cain sacrificavit, et D Deum rogavit, ne iram, hoc est ultionem, susciperet. Et ob hoc sæviorem homicidii pœnam ei Dominus relaxavit. Sed prima expositio, quæ est Sanctorum, est melior; B quia subjungitur : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ,* hoc est, a loco isto expellis me, vel a consortio hominum me repellis; *et a facie tua abscondar,* id est, ab adspectu misericordiæ tuæ, et a protectione tua ero alienus. Quocontra S. Job exoravit : Ne *Job* XIII, 24. abscondas me a facie tua. Peccatum enim est medium inter Deum et peccatorem, et quasi absconditum unum ab alio, quemadmodum loquitur Isaias : Iniquitates vestræ *Is.* LIX, 2. diviserunt inter Deum vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis. Vel, A facie tua abscondar, hoc est, a præsentia tua me subtraham, nec coram te apparere audebo timore pœnarum; quemadmodum Adam et Eva, voce *Gen.* III, 8. Dei audita, se absconderunt. Quamvis enim omnipotens Deus omnia jugiter intueatur, impii tamen quantum in ipsis est, ab eo se subtrahunt, et quærunt latere. Non enim recogitant Dei præsentiam.

Et ero vagus et profugus in terra, juxta sensum expositum. *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me;* quasi dicat : Quicumque primo occurrerit mihi, me trucidabit, tanquam a te maledictum, et omnibus odiosum. Hoc dixit, timendo ne sic eveniret. Aliqui vero dicunt, quod ex desperatione hoc dixit, quasi optando hoc

Digitized by Google

ipsum, quatenus brevi ac celeri morte multas ac diuturnas calamitates sibi imminentes evaderet. *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet,* hoc est, tam austerus tibi non ero, sed tempus pœnitendi præstabo, nec te omnium occisioni expono, quasi possis a quocumque impune occidi. Vel, Nequaquam ita fiet, id est, miserias tibi instantes non evades celeri morte, *sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Verbum hoc, secundum superficiem suam, facile esse videtur, utpote si quis occiderit ipsum Cain, punietur septies plusquam Cain pro fratricidio suo. Sed iste sensus non videtur posse defendi. Quum enim pœna correspondeat culpæ, sequeretur quod occisor ipsius Cain, septies plus peccasset occidendo Cain, quam ipsemet Cain peccavit, occidendo proprium fratrem, justum ac innocentem, ex deliberatione ac mera malitia : quod nequaquam apparet, nec aliquis dicit hoc ; imo communiter dicitur, quod Lamech sagittando occidit Cain nescienter, putans occidere bestiam.

Hinc diversi diversimode exposuerunt hoc verbum, tam Hebræi quam doctores catholici. Itaque sanctus Hieronymus ait : Quod Aquila transtulit, Septempliciter, et Symmachus, Septimus ulciscetur : majores ita intellexerunt, quod Cain interfectus est a Lamech septima generatione post Adam. Alii, quia septenarius numerus plenus est et perfectus, ita dicunt : Qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet. Sicque ab ingenti pœna et omni transeunti supplicio liberavit eum, scilicet Cain. Alii de septem peccatis Cain suspicantur. Primum peccatum ejus dicunt, quod non recte divisit. Secundum, quod fratri invidit. Tertium, quod dolose egit, dicendo, Transeamus in agrum. Quartum, quod eum occidit. Quintum, quod procaciter negavit seu excusavit se. Sextum, quod desperavit. Septimum, quod nec postea se correxit. Inde dicunt eum usque ad septimam generationem dilatum seu a morte protractum, ut saltem adversis compulsus, pœnitentiam ageret, et absolvi mereretur. Sed ex verbis his non videtur haberi manifesta expositio et intelligentia hujus textus.

Porro in Glossa introducitur alia expositio plana et bona, quæ etiam adscribitur sancto Hieronymo : Omnis qui occiderit Cain, septuplum, hoc est valde gravi ultione, punietur. Non enim debuit homo occidere eum, cui Deus reservavit vitam vel ad pœnam ipsius, vel ad aliorum correctionem. Porro Septuaginta sic transtulerunt : Omnis qui occiderit Cain, septem pœnas exsolvet. Quod aliqui sic exponunt : Qui occiderit Cain, imponet finem pœnis temporalibus Cain, quæ usque ad generationem septimam duraverunt. Porro Lyra dicit, quod verbum istud, Septuplum punietur, non possit intelligi de interfectore ipsius Cain, propter motiva superius tacta, ideo addit : Propter quod aliter exponunt Hebræi, dicentes quod ista punitio septupla, refertur ad mortem Cain, exponendo sic litteram : Omnis qui occiderit Cain. Ibi est punctus et finis sententiæ, et subintelligitur, Graviter punietur. Sed modus punitionis non exponitur. Quod autem subditur, Septuplum punietur, secundum proprietatem sermonis Hebraici, tantum est dicere, Septennis punietur. Et intelligitur de ipso Cain, qui in fine septem generationum a Lamech occisus est.

Sed contra istud Rabbi Paulus scribit prolixe. Primo dicit, quod ista sit expositio Rabbi Salomonis, et valde importuna textui, utpote quod ibi sit finis sententiæ, Omnis qui occiderit Cain, et subintelligatur, Graviter puniendus, et quod subticetur modus punitionis. Totum hoc, inquit, fundatur in vacuo, et contra litteram, quæ statim exprimit quantitatem punitionis illius, qui occiderit ipsum Cain : sequitur enim immediate, Septuplum punietur. Idcirco ab aliis expositoribus Hebræorum magis authenticis, aliter exponitur littera ab isto loco, Major est iniquitas mea. Ad quod sciendum, quod sententia Dei contra Cain lata, fuit gravior quam sententia contra Adam lata, in tribus. Primo, quoniam

Deus non maledixit Adæ, sed terræ. Maledixit autem Deus ipsi Cain. Secundo, quoniam in sententia contra Adam lata, non dicitur quod terra non daret ei fructus, sed quod in labore et sudore perciperet fructus ejus. Sed econtra Cain dictum est: Quum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos. Tertio, quoniam Deus dedit Adæ congruum locum ad habitandum, videlicet terram, ubi formatus est. Sed ad Cain locutus est : Vagus et profugus eris super terram ; quibus auditis, Cain desperavit. Petivit tamen ne puniretur plusquam audivit a Deo, utpote, ne occideretur. Et in hoc Dominus condescendit suæ petitioni tanquam justæ, et duo fecit ad tuitionem ipsius Cain. Primo, quia magnam pœnam minabatur cuicumque occisori ipsius, quod scilicet septuplum puniretur, prout littera tam Hebraica quam Latina plane sonat. Secundo, quoniam posuit signum in Cain, quod esset ab occisione securus, sicut in textu subjungitur : ideo expositio ista consonat rationi et textui, quod scilicet septies plus puniretur, qui occideret ipsum Cain, quam erat ipse Cain punitus. Hæc Rabbi Paulus.

Denique ad objectiones contra hoc introductas, respondet dupliciter : Primo, quod iste qui occidisset ipsum Cain, fuisset septies plus punitus, in quantum fecisset hoc contra specialem assecurationem, qua Deus assecuravit ipsum Cain ab occisione, cum appositione signi assecurationis. Secundo, quia interdum majores pœnæ taxantur minoribus criminibus, ad quæ homines sunt proniores : et ita in proposito fuit, quia ad ipsius Cain occisionem multi fuissent proniores, propter ipsius malitiam excessivam, quam ad interficiendum homines alios. Deinde Rabbi Paulus fortiter dicit et tenet, quod Cain non fuit occisus a Lamech, nec ab aliquo alio homine. Ad quod primo allegat Hieronymum in libro de Quæstionibus novi ac veteris Testamenti, dicentem : Frustra putant qui arbitrantur, quod Lamech dixerit de Cain : Occidi virum in furore meo, et juvenem in vulnere meo. Deinde probat istud ex textu, quia quum Cain dixisset Deo, Omnis igitur qui invenerit me, occidet me, Deus statim respondit : Nequaquam ita fiet. Unde non videtur rationabiliter dictum, quod divina assertio frustraretur. Ideo secundum expositionem istam tenetur quod Cain nunquam fuit occisus, sed solum punitus juxta divinam sententiam contra eum latam usque diluvium, in quo diluvio secundum quosdam de antiquis Hebræis, submersus fuit cum omni sua posteritate. Ideo dicunt, quod Scriptura non dicit, quanto tempore vixerit Cain, nec etiam aliquis de successoribus suis, sicut de aliis, eo quod omnes pariter sint submersi. Et probabiliter dici potest, quod Deus voluit ipsum Cain ab occisione tueri, ut pœna sui facinoris ab hominibus diutius videretur, propter quod etiam voluit eum vagum et profugum per mundum discurrere, ut in pluribus locis justitia Dei circa ipsum ostenderetur. Hæc Rabbi Paulus.

Præterea circa hæc verba primo pensandum est, quod expositio ista, quam acriter reprobat Rabbi Paulus, non solum est Rabbi Salomonis et Lyræ, sed etiam multorum catholicorum et antiquorum doctorum fidelium. Ait enim auctor Scholasticæ historiæ : Omnis qui occiderit Cain, supplendum est, Liberabit eum a laboribus atque miseria. Et tunc additur impersonaliter, Septuplum punietur, id est, punitio fiet de eo, id est de Cain, dum vivit in pœna usque ad septimum Lamech. Hæc expositio convenit cum præfata in hoc, quod facit punctum et finem sententiæ ibi, Omnis qui occiderit Cain ; et aliquid ibidem subaudit, et deinde de ipso Cain exponit, Septuplum punietur. Quod autem subaudit, Liberabit eum, potius quam, Graviter punietur, procedit secundum expositionem, qua Cain dicitur optando dixisse : Omnis qui invenerit me, occidet me. Sicque habetur in Glossa : Non morieris cito sicut vis, quia punietur (impersonaliter, id est, punitio fiet de te) septuplum, quoniam vives in cruciatu usque ad

Digitized by Google

septimam generationem, in qua a Lamech occideris. Ergo, Omnis qui occiderit, subaudis, Liberabit te ab illo malæ conscientiæ cruciatu. Hæc Glossa. Simili autem ratione, secundum expositionem qua Cain dicitur timendo dixisse, Omnis qui invenerit me, subintelligendum est post verbum istud, Omnis qui occiderit Cain, graviter punietur. Propter quod etiam non oportuit illam expositionem Hebræis adscribere, quasi ipsi in hoc melius exponerent litteram istam, quam doctores catholici.

Ex his primo habetur, quod expositio illa quam Rabbi Paulus tam absolute et acriter reprobat, non est taliter reprobanda. Secundo, quod Rabbi Paulus affirmat Deum assecurasse ipsum Cain, quod non occideretur ab aliquo, est contra expositionem catholicorum expositorum communiter, sicut jam patuit. Non enim Deus assecuravit eum de occisione absolute, sed quod non occideretur eo modo quo timuit vel optavit, utpote cito seu a quocumque homine aut bestia occurrente. Ideo Paulus iste inconvenienter infert : Unde non videtur rationabiliter dictum, quod divina assertio frustraretur, quasi illi hoc dicant, qui aiunt ipsum Cain interfectum a Lamech ; imo nullus sanæ mentis audet hoc cogitare. Tertio, quod Rabbi Paulus ait, ipsum Cain non esse occisum a Lamech, neque ab alio, non solum est contra commune dictum Catholicorum, sed et contra dictum Hebræorum multorum, ut Lyra allegat. Hieronymus quoque hoc loco ita sentire videtur, ut verba ejus præallegata testantur. Quarto, quod ait, Cain perisse diluvio, non apparet, sic enim vixisset multo plus quam mille annis, quum tamen nullus legatur tamdiu vixisse. Siquidem Mathusalem qui vixit annis nongentis sexaginta novem, obiit ante diluvium anno immediate præcedente, secundum Hieronymum. Mathusalem autem fuit sextus aut septimus post Seth, qui natus est post Cain ; imo secundum dictum istud, Cain vixisset plusquam mille et quadringentis

A annis. Postremo objectionem illam, quod verbum illud, Septuplum punietur, non posset exponi de interfectore ipsius Cain, Rabbi Paulus satis solvit : Frequenter enim contingit, ut ait, quod pro minoribus culpis infligitur major pœna, eo quod homines proniores sint ad culpas illas minores, quatenus terrore pœnarum retrahantur a vitiis illis. Pœnæ quippe vitæ præsentis non solum sunt supplicia, sed item remedia vitiorum. Hinc quoque secundum jura civilia, major pœna infligitur pro uxori-
B cidio, quam pro matricidio, quum tamen matricidium sit gravius crimen.

Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. Signum istud fuit plaga quædam inflicta ipsi Cain a Deo, ut per plagam illam omnes cognoscerent eum esse punitum, excommunicatum et maledictum a Domino propter innocentis fratris sui occisionem, et ita abstinerent ab interfectione ipsius, quem Deus prohibuit trucidari, et suam prohibitionem declaravit
C hoc signo : quod signum seu plaga, fuit (ut aliqui dicunt) vehemens capitis tremor. Alii dicunt, quod fuit horribilis tremor omnium membrorum ipsius, et cum hoc impressio quædam in vultu ejus. Porro secundum Strabum, fuit in Cain tremor corporis et agitatio furiatæ mentis. Unde superius ubi nostra translatio habet, Vagus et profugus eris super terram, Septuaginta transtulerunt, Gemens et tremens eris. *Egressusque Cain a facie Domini.* Corporaliter enim recessit a visibili præ-
D sentia angeli, qui ei apparuit in persona Dei, in forma humana. Spiritualiter vero egressus est per mentis aversionem, elongationem, desperationem et indurationem a Deo et a gratiosa ejus præsentia : de quo recessu loquitur Dominus per Osee : Væ *Osee* VII, 13.
eis, quia recesserunt a me. *Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Nomine Eden, intelligitur paradisus terrestris. Itaque Cain recedens a loco habitationis patris sui Adæ, perrexit versus orientem, et profugus cœpit morari ad

Digitized by Google

orientalem plagam paradisi ab ista parte, remote tamen a paradiso; nec amore paradisi perrexit illuc, sed Deo sic ordinante, ad majorem ejus punitionem, ut recordando paradisi delicias magis affligeretur. De hoc Josephus ait : Peragrans Cain multam terram cum uxore sua Calmana, collocatus est in loco, qui Naida appellatur, ubi et filii nati sunt ei. Septuaginta quoque transtulerunt, Habitavit in terra Naid. Circa quod ait Hieronymus : In Hebræo *nod* dicitur, id est, instabilis et fluctuans et sede incerta. Nec est terra Naid, ut vulgus nostrum putat, sed sensus est, quod juxta sententiam Dei vagus et profugus huc illucque oberravit.

Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit et peperit Enoch. Uxor Cain, fuit etiam soror sua carnalis. Quocirca sciendum, quod S. Methodius martyr et præsul, quum esset in carcere, Deum rogavit, ut sibi aliquid revelaret de principio mundi et fine ejus. Et quod Deus sibi revelavit, reliquit in scriptis, inter cetera dicens : Adam et Eva de paradiso egressi sunt virgines. Quumque Adam quindecim esset annorum, genuit Cain et sororem ejus Calmana. Post alios quindecim annos natus est ei Abel et soror ejus Delbora. Quamvis autem Adam factus sit in ætate et robore virili quasi esset triginta annorum, tamen quando primo plasmatus est, fuit unius diei, deinde unius anni et duorum ac trium, etc., ascendendo paulatim. Et sicut in Scholastica historia tangitur, potuit ante Cain multos filios genuisse, qui hic tacentur. Et similiter inter Cain et Abel. Juxta Methodium quoque, Abel fuit centum annorum quando occisus est. Itaque sicut ait Methodius, Eva in quolibet partu genuit binos, id est masculum et feminam, quod etiam dicunt Hebræi. Sicque Calmana soror ipsius Cain, fuit uxor ipsius.

Et ædificavit civitatem ipse Cain non solus, sed simul cum adjutoribus suis, ex suo semine natis; *et vocavit nomen ejus, ex nomine filii sui Enoch,* id est Enochiam, secundum Josephum. Hanc civitatem Cain

A ædificavit, non statim aut immediate post nativitatem primogeniti sui, sed quum multi fuissent ex se nati. De hoc loquitur Augustinus diffuse quintodecimo de Civitate Dei, ostendens quod primi homines illi tamdiu vivendo poterant valde multiplicari, quum filii Israel sic multiplicati fuerint in Ægypto infra modicum tempus. Præterea Josephus ait : Cain rapinis et violentia opes congregans, suos ad latrocinia et luxuriam invitabat, simplicitatemque vitæ humanæ adinventione men-
B surarum ac ponderum permutavit, atque ad calliditatem et corruptionem perduxit, terminos terræ posuit primus, civitates quoque muravit, et timens eos quos læsit, suos in urbibus congregavit. Rabbi Paulus autem testatur, quod Cain primo invenit prudentiam politicam. Ad quod dicendum videtur, quod quum vitiosis, teste Philosopho, non insit prudentia, ipse pravissimus Cain prudentiam veram non habuit, nec invenit, nec urbes instituit propter commune bonum, sed sicut prætactum
C est, ob finem perversum; sed habuit aliquid simile veræ prudentiæ, sicut et ceteri impii, utpote vulpinam versutiam. Iterum dicit, quod ex quo terra nullum fructum dedit ipsi Cain, idcirco reliquit agriculturam, quam primo elegit. Et ipse ac sua posteritas studuit artibus mechanicis inveniendis, quæ ad hominum convictum sunt utiles. Verumtamen sicut ex præhabita expositione innotuit, non est intelligendum, quod terra nullum fructum protulit Cain, sed minorem quam alii.

D *Porro Enoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Qui accepit uxores duas : nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.* Lamech iste qui septimus fuit ab Adam, tam pravus fuit, quod primus bigamiam induxit, duas accipiendo uxores sine dispensatione divina, contra Dei decretum et legem naturæ, ac morem laudabilem, qui habet vim legis. In prima quippe institutione matrimonii, facta est unica uxor unico viro. Et Deus per Adam

Digitized by Google

decrevit ac dixit : Erunt duo in carne una. Sicque Lamech cum secunda uxore adulterium perpetravit, quia non fuit veraciter uxor : juxta quem modum usque in præsens adulterant Sarraceni, qui plures ducunt uxores, sicut hoc plenius demonstravi in libro quem edidi contra Alcoranum, id est librum legis eorum. Guillelmus quoque Parisiensis idem testatur in libro de Fide et legibus. Refert Josephus, quod Lamech ex duabus suis uxoribus habuit filios septem et septuaginta.

Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum. Iste Jabel vocatur pater habitantium in tentoriis et pastorum, quoniam fuit magister eorum, et præcipuus inter eos, quantum ad multa. Invenit namque artem faciendi portatilia, hoc est tentoria seu portatiles domus pastorum : quæ tentoria pastores secum ferebant tempore opportuno, quando pergere voluerunt ad alia pascua. Ordinavitque pecorum greges, et characteribus seu signis distinxit eos ab invicem. Sed et greges ovium ab hœdorum gregibus separavit, tam secundum qualitatem, videlicet unicolores a multicoloribus, quam secundum ætatem, ut agniculos a maturioribus. Consideravit quoque commixtiones pecorum certis temporibus faciendas, prout in Scholastica fertur historia. *Et nomen fratris ejus Jubal,* quem genuit Ada ex Lamech. *Ipse* Jubal *fuit pater canentium* in *cithara et organo,* hoc est magister et princeps utentium atque ludentium in his musicis instrumentis, quoniam primo invenit musica instrumenta, ut aliqui dicunt; et inventor musicæ secundum Glossam. Verumtamen auctor Scholasticæ historiæ refert, quod non fuit inventor musicorum instrumentorum, quæ diu postea sunt inventa, sed quod fuit inventor consonantiarum, ut labor pastoralis hoc relevaretur solatio, et quasi in delicias verteretur. Denique, ut recitant Rabanus et præfata Historia, ex quo Jubal iste percepit ipsum Adam prophetasse de duplici judicio mundi, uno per aquam, alio A per ignem : ideo scripsit musicæ artem in duabus columnis, et in qualibet totam, hoc est, in columna marmorea, quæ non dissolveretur diluvio, et in columna latericia, quæ non dissolveretur incendio. Istud ex Josepho sumptum est, qui etiam narrat columnam illam marmoream adhuc in terra Syriaca esse. Verumtamen Josephus recitat istud aut simile huic de filiis Seth, ut infra dicetur.

Sella quoque genuit ex Lamech *Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta* B *opera æris et ferri,* id est, ad faciendum omnia quæ fiunt ex ære et ferro. Hic enim primus invenit artem ferrariam, atque ut Josephus scribit, alios docuit artem istam, et res bellicas fecit, et fortitudine cunctos excellens, res bellicas decenter exercuit. Aliqua quoque ad oculorum concupiscentiam spectantia, scilicet sculpturas et picturas invenit. De hoc in Scholastica refertur historia, quod isto Tubalcain fabricante ex ære et ferro, et sculpturas in metallis faciente, præfatus frater ejus Jubal dele- C ctatus sono malleorum, consideravit et excogitavit ex ponderibus malleorum proportiones et consonantias musicæ quæ nascuntur ex illis. Quam inventionem Græci Pythagoræ attribuunt fabulose. Denique Tubalcain iste excogitavit ex opere fruticum operari in metallis. Quum enim frutices incendisset in pascuis, venæ metallorum fluxerunt et eruperunt in rivulos suos, et laminæ inde sublatæ, referebant figuras locorum in quibus jacuerant. *Soror vero Tubalcain* fuit *Noema,* quæ di- D citur invenisse artem variæ texturæ. Et aliqui dicunt, quod invenit lanificium, ad faciendum vestes ex lana, quum homines antea induerentur animalium pelles, sicut induti erant a Deo primi parentes.

Refert hic Lyra, quod Hebræi dicunt præfatum Jabel fecisse tentoria ad ponendum in eis idola, et quod Jubal canebat in instrumentis musicis coram idolis illis, eadem venerando : ex quo infert, quod isti qui descenderunt de Cain, fuerunt malitiosi : quod quamvis sit verum, tamen di-

Digitized by Google

ctum illud Hebræorum videtur contrariari communi dicto doctorum, dicentium quod idololatria post diluvium cœpit, nec ante fuit, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua cunctis innotuit unitas veri Dei. Præterea Rabbi Paulus ait hoc loco, quod Lamech adinvenit tres artes pro filiis suis, videlicet artem faciendi tentoria, artem faciendi musica instrumenta, et artem ferrariam ad arma bellica fabricanda. Sed istud videtur contrariari textui, verbisque Josephi et doctoribus catholicis præallegatis. Nempe si Lamech invenisset has artes, inventio harum artium non adscriberetur filiis ejus, nec unus eorum vocaretur pater habitantium in tentoriis atque pastorum, alter vero pater canentium cithara, etc.

Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ : Audite vocem meam, o *uxores Lamech, auscultate sermonem meum,* id est, auribus corporis et cordis diligenter advertite verba mea, quæ nunc magni ponderis erunt; *quoniam occidi virum,* id est, sagittando interfeci Cain *in vulnus meum,* hoc est ad mei ipsius dolorem et conscientiæ meæ remorsum, *et adolescentulum* occidi *in livorem meum,* hoc est zelo furoris et rancoris contra juvenem illum concepto. *Septuplum ultio dabitur de Cain,* id est, ego ipse graviter valde puniar, eo quod occiderim Cain, juxta sensum in isto articulo præinductum ; *de Lamech vero septuagies septies,* id est, si quis occiderit me, quasi incomparabiliter plus punietur pro suo peccato quo me sponte occideret, quam ego puniri promerui, qui sine proposito meo, et nescienter occidi Cain, non ex invidia aliqua; et de ejus occisione vehementissime doleo, tantumque dolui, quod adolescentulum interfeci, ob hoc, quod ex ejus erronea directione ipsum Cain occidi. Probabile reor, quod quum Lamech occidisset Cain, timuit ab aliquo posterorum ipsius Cain interfici, in ultionem sanguinis Cain, eo quod Cain erat post Adam primus et communis pater totius plebis illius malevolæ. Ideo Lamech dixit hæc verba, ad reprimendum omnes illos a sui occisione. Aliqui autem dicunt, quod uxores istius Lamech, tractabant eum valde male in senio suo : ideo protulit verba hæc ad earum terrorem, ne auderent eum ita affligere. Et sicut in Scholastica habetur historia, Hebræi hoc dicunt, et quamvis quidam hoc reprobet, rationes tamen ejus facillime solvi possent, nec dignum arbitror circa hoc immorari.

Rursus Lyra adducit hic aliam expositionem, dicendo quod uxores Lamech refugiebant ejus concubitum, eo quod occidisset Cain et adolescentulum, quem quidam Hebræi dicunt fuisse Tubalcain filium suum : propter quod metuebant, quod si conciperent ex Lamech, proles nascitura esset a Deo plaganda. Hinc Lamech excusando se dixit : Quoniam occidi virum, etc., juxta sensum præhabitum. Deinde consolando uxores suas, adjecit : Septuplum ultio dabitur de Cain, etc. ; quasi diceret : Si Cain, qui invidiose occidit Abel, non fuit interfectus usque ad septimam generationem ; multo fortius ego, qui ignoranter occidi Cain, non puniar in prole mea usque ad generationes multo plures, vel usque in generationes sine termino. Sed huic expositioni objicitur, quia secundum eam, verbum hoc Lamech fuisset in se falsum. Ipse enim in prole sua fuit punitus diluvio diu ante septimam generationem post eum, imo tota sua progenies periit ante illam. Non autem videtur, quod Scriptura ista canonica tam ponderose recitasset unum mendacium Lamech, præsertim quum recitatio illius non videatur utilis aliunde.

Præterea Rabbi Paulus improbat hanc ipsam expositionem. Id quoque quod recitatum est de uxoribus Lamech, quod ejus vitabant concubitum, non habet auctoritatem aut certitudinem ex Scripturis, nec ex dictis authenticis. Hinc Rabbi Paulus aliam ponit, et approbat expositionem quam Rabbi Moysi adscribit, dicenti quod uxores Lamech videntes fieri diversa opera ex ære et ferro, formidabant quod ex arte

Digitized by Google

illa introducerent arma ad vulnerandum A et occidendum; ideo Lamech retraxit eas ab isto timore, dicens : Occidi virum in vulnus meum ; quasi diceret : Possum occidere in vulnere aut livore sine armis. Verum hæc expositio videtur valde impropria, ut scilicet verbum istud præteriti temporis, Occidi, exponatur per istud complexum, Possum occidere. Hinc prima quam posui, expositio aptior mihi videtur. Quocirca sciendum, quia ut dicunt auctor Scholasticæ historiæ, Glossa, et Rabanus, Lamech vir sagittarius exstitit et venator, B ac diu vivendo incurrit oculorum caliginem ; ideo duxit secum adolescentem, qui sibi monstravit bestias sagittandas, qui videns Cain jacentem retro fruteta, putavit bestiam esse ; sicque ex directione adolescentis, Lamech direxit sagittam in Cain, et eum occidit. Quo cognito, ita accensus est ira contra adolescentem, quod verberavit eum usque ad mortem. Cain autem ita hinc inde latebat, eo quod abominabilis et in timore jugiter fuit. Lamech quoque venabatur et bestias sagittabat, non ut earum C carnibus vesceretur, quoniam ante diluvium non erat manducatio carnium, sed pro sua delectatione et usu pellium ad vestitum.

Deinde describitur, qualiter generatio electorum quorumdam processit ex Adam, quum subditur : *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam ; et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth,* quod uno modo interpretatur positio, et ita accipitur hic. Nam subditur : *Dicens,* ipsa uxor Adæ : *Posuit mihi Deus semen aliud pro* D *Abel,* id est, alium filium, scilicet istum Seth, contulit mihi Deus succedentem in locum Abel, *quem interfecit Cain.* Circa hoc in Scholastica historia fertur : Dicit Strabus, quod Adam post mortem Abel, vovit non se amplius cogniturum uxorem. Verumtamen Strabus recitative magis quam assertive hoc ait : Ferunt, inquiens, post mortem Abel vovisse Adam, se ultra uxorem non cogniturum, nec filium generaturum ; sed Deo jubente per angelum, fregit votum, ut Dei Filius de eo nasceretur, et homo redimeretur. De Cain enim nasci non debuit. Verumtamen Josephus scribit, quod Abel exstincto, et Cain ejecto, amor generationis vehementer angebat Adam. Istud autem quod dicitur de voto seu proposito Adæ de continendo in reliquum, reprobat Rabbi Paulus. Sed dicendum, quod dictum illud satis probabile est ex duobus. Primo, ex vehementissimo mœrore, quem de Abel occisione concepit. Non enim solummodo doluerunt ipse et Eva de Abel interfectione, sed etiam ineffabiliter de tanto maleficio proprii filii, scilicet Cain ; et ideo potuerunt cogitare, melius esse non generare, quam in filiis genitis talia fieri ac videre. Et timuerunt, ne talia de cetero fierent. Sciebant equidem verum esse quod diu postmodum scriptum est : Bonum est mori sine filiis, quam post se relinquere filios nequam. Secundo, quia habetur in textu, quod Adam erat centum et triginta annorum dum genuit Seth. Ex quo elicitur, quod post occisionem Abel diu continuit, saltem secundum computationem Septuaginta interpretum atque Methodii, nisi dicatur alios genuisse inter Abel et Seth, quos Scriptura non exprimit.

Eccli. XVI, 4.

Denique Lyra refert, quod Hebræi dicunt ipsum Lamech convenisse conjuges suas coram Adam, qui erat pater et judex eorum, eo quod nollent sibi misceri. Quumque Adam vellet eas inducere, ut redderent debitum viro suo, dixerunt ad Adam : Castiga primo te ipsum, quoniam diu continuisti ab Eva. Tunc Adam cognovit conjugem suam. Ista fabula stulta est, et manifeste mendosa. Jam enim expositum est, quod secundum doctores catholicos et Hebræos atque Josephum, Lamech ex senectute incurrit oculorum caliginem, antequam interfecit Cain et adolescentem, propter quod factum, dicunt Hebræi isti uxores Lamech abhorruisse ejus concubitum ; sicque Lamech fuisset antiquus atque cæcutiens, antequam Adam genuit Seth, quem genuit quum esset centum triginta annorum, quæ ætas fuit tunc adhuc

juvenilis. Sicque Lamech fuisset senior ipso Adam. Rursus, generatio Cain non potuit protendi usque ad septimam generationem ante nativitatem Seth, seu antequam Adam fuit centum triginta annorum, præsertim quia homines tunc multis annis vixerunt antequam genuerunt. Sed ad hoc quidam respondet, quasi salvando fabulam Hebræorum, quod filii Cain erant luxuriosi, ideo festinabant accipere conjuges. Sicque antequam Adam esset centum triginta annorum, poterant usque ad septimam generationem venire. Quod si verum esset, generatio illa fuisset adhuc multiplicata per plurimos gradus ac numeros ante diluvium : quod est contra doctores sanctos, et contra textum, qui genealogiam Cain terminat in filiis Lamech.

Sed et Seth natus est filius, id est, ipse Seth ex conjuge sua genuit filium, *quem vocavit Enos :* quod nomen interpretatur, homo seu vir ; et optime conveniebat homini huic, qui rationabiliter ac virtuose se habuit, quia subjungitur : *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Non est dubium quin Adam et Eva, et Abel quamdiu vixit, Seth quoque quotidie ac devote invocaverint Deum ; sed iste dicitur specialiter cœpisse Dominum invocare, quoniam cum præcipua devotione hoc fecit, et forte cum specialibus orationibus et ritibus, cærimoniisque decentibus.

Circa hoc refert Lyra, in Hebræo haberi, Tunc cœpit invocare nomen Domini, propter quod Judæi exponunt hanc invocationem de idololatria, quia (ut dicunt) tunc aliqui inceperunt nomen Dei attribuere creaturis, videlicet soli, lunæ, ac idolis : non tamen ab isto devoto Enos, sed a filiis Cain ei contemporaneis, factum est hoc. Istud autem stolide dictum est, quoniam invocatio nominis Dei semper in bono accipitur ; nec sequitur, si tunc idololatria cœpit, quod tunc cœpit invocare nomen Domini, sed potius nomen diaboli, quoniam ab idololatris, etiamsi hoc nesciant, invocatur. Verumtamen S. Hieronymus ait : Plerique Judæorum arbitrantur, quod tunc primo in nomine et similitudine Domini fabricata sint idola. Circa quod aliqui dicunt, et in Scholastica historia tangitur, quod Enos iste excogitavit et fecit imagines ad Dei honorem, et excitandam memoriæ humanæ pigritiam, non ut coleret illas. Ex hoc tamen ut dicitur, alii quidam sumpserunt occasionem erroris. Jam autem superius dictum est, et Thomas in secunda secundæ testatur, quod in prima mundi ætate non fuit idololatria, sed unius Dei solius notitia, ex recenti creationis mundi memoria.

Circa præhabita Josephus scribit : Seth ad ætatem discretionis perveniens, virtutibus studuit ; et quum esset vir egregius, imitatores sui filios dereliquit, qui disciplinam rerum cœlestium, et ornamentum earum primitus invenerunt : et ne perirent quæ invenerunt, quum prædixisset Adam exterminationem omnium rerum, unam per ignem, aliam per aquam, fecerunt duas columnas, unam ex lateribus, aliam ex lapidibus, in ambabus quæ invenerant, conscribentes ; ut si constructa ex lateribus exterminaretur imbribus, lapidea permanens, præberet hominibus scripta cognoscere : quæ lapidea permanet hactenus in Syria.

Digitized by Google

ARTICULUS XXX

ELUCIDATIO SPIRITUALIS AC MYSTICA EJUSDEM CAPITULI.

ADAM *cognovit uxorem suam.* Per Adam intelligitur Christus; per Evam, primitiva illa Ecclesia ex Judaismo nata, quæ Christo adhuc corporaliter in mundo inter homines conversanti adhæsit. Hanc Christus cognovit, quando post suam ascensionem eidem Spiritum Sanctum misit, ejusque donis Ecclesiam illam exuberantissime fecundavit, ita quod tunc *concepit et peperit Cain,* hoc est, Judaicum populum spiritualiter regeneravit in Christo, quando in die sancto Pentecostes, beatissimus princeps Apostolorum Petrus tria
Act. II. 41. millia, et paulo post quinque millia Judæo-
Ibid. IV, 4. rum convertit, atque quotidie plurimi Judæorum in omni Judæa, Galilæa, atque Samaria convertebantur ad Christum, et baptizabantur. Unde Ecclesia ista primitiva, tunc gratulans, dixit: *Possedi hominem per Deum,* hoc est, divina virtute subjeci Christo et mihi per fidem ac evangelicam legem populum istum Judaicum, qui comparatione gentilium, dignus erat homo vocari, hoc est rationalis, unum Deum colendo. Rursus *peperit fratrem ejus Abel.* Per Abel intelligitur plebs gentilis, ad Christum per primitivam Ecclesiam illam conversa, cujus conversio cœpit in glorio-
Ibid. X. so Cornelio centurione et congregatis cum eo, quos præfatus Archiapostolus Christo incorporavit, sicut in Actibus Apostolorum
Ibid. XV, 7. testatur : Vos, inquiens, scitis quomodo Deus primum elegit per os meum ex gentibus assumere populum nomini suo. *Fuit autem Abel pastor ovium :* id est, multi ex gentilitate conversi, facti sunt evangelicæ legis prædicatores, et aliorum prælati, fideliumque pastores, qui fideles sunt
Joann. X, 16. oves Christi, de quibus prædixit : Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. *Et*

A *Cain agricola :* id est, conversi ex Judaismo, laboraverunt ut aliquos ex Synagoga, quæ erat ager ac vinea Dei, ad Christum converterent. Fuit quoque Abel pastor ovium, id est cultor simplicitatis ovinæ et innocentiæ. Cain autem agricola, id est cultor agri interioris, videlicet proprii cordis. Vel agricola fuit, quoniam multi ex Synagoga conversi, adhuc circa legalia observanda erant intenti, quemadmodum in Actibus Apostolorum sanctus Jacobus loquitur Paulo : Vides, frater, quot millia *Act* XXI, 20.
B crediderunt in Judæis, et omnes æmulatores legis sunt.

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino : hoc est, multi ex Judæis conversis adhuc obtulerunt Deo carnalia sacrificia legis. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum :* id est, plebs ex gentilitate conversa, et aliis præsidens, multos excellentiores ex gregibus sibi commissis, induxit ad hoc, quod per palmam martyrii se ipsos Domino de-
C votissime obtulerunt. Rursus, Abel seu populus iste christifidelis, obtulit Deo primogenita gregis sui, id est, quidquid in virtutibus et actibus suis virtuosis præcipuum fuit, divinæ pietati et gratiæ Dei, non viribus suis, adscripsit. Et de adipibus, id est, spirituali fervore et opulentia divinorum charismatum obtulit Deo sacrificium laudis et observantiam mandatorum : siquidem sacrificium salutare, *Eccli.*
respicere in mandatis. Et Dominus ait : XXXV, 2.
Sacrificium laudis honorificabit me. *Et* *Ps.* XLIX, 23.
D *respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus :* quoniam plebs ista christifidelis ex gentilitate electa, fuit acceptissima Deo in se et in actibus ac sacrificiis suis sanctis.

Digitized by Google

Ad Cain vero et ad munera illius non respexit. Hoc intelligendum est de Judæis illis conversis, qui tandem pertinaciter asseruerunt legalia simul cum Evangelio esse servanda : qui hæretici facti, Deo displicuerunt cum sacrificiis suis. Ideo populus iste *iratus est vehementer, et concidit vultus*
Act. xv, 5. *ejus.* Ut enim in Actibus legitur, quidam de hæresi Pharisæorum eorum qui crediderant, surrexerunt, dicentes : Quia oportet circumcidi, et servare legem Moysis, quod etiam alii multi ex Judæis conversis
Ibid. 1. dixerunt, sicut ibidem habetur : Descendentes quidam a Judæa Antiochiam, docebant fratres, quia nisi circumcidamini, non potestis salvi fieri. Quum autem Apostoli cum consilio suo determinassent oppositum, irati sunt illi. Hinc Dominus ait de
Malach. I, 10. populis istis Malachiæ : Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Quod ad litteram dictum est de Sacramento, sacrificioque altaris.

Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es? Sic Dominus per sanctos Apostolos increpavit et docuit Judæos illos, in suis erroribus pertinaces, quorum facies concidit, quando videbant omnem gratiam Dei a Synagoga ad Christifideles transferri, et gentiles sibi præferri ac præfulgere in donis Spiritus Sancti atque miraculis. *Nonne si bene egeris,* credendo et obtemperando apostolicis documentis. Vel, juxta Septuaginta, *Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti?* Recte obtulerunt Judæi isti, quando tempore opportuno obtulerunt legalia ; sed recte non diviserunt, dum sub tempore evangelicæ legis ac gratiæ asseruerunt cærimonialia legis præcepta oportere servari, etiam Evangelio divulgato, atque ab his qui ex gentibus erant conversi. Denique qui agit bonum ex genere, recte offert; sed non recte dividit, nisi cum discretione et debitis circumstantiis agat hoc, utpote loco et tempore congruo ac recta intentione, imo et exclusione vitiorum, ne prava bonis admisceantur. Propter quod dixit Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. Et Deus per Rom. XII, 1.
Jeremiam : Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Nisi istud impleverimus, culpabiles sumus, etiam si bona agere videamur. *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Hoc loco edocemur a Domino, superare nosmetipsos ac proprio animo dominari, passionesque refrenare, et sensitivam partem rationi tenere subjectam, sicque omnia ponere sub ordine divini amoris. Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Jer. XV, 19. Matth. XI, 12.

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras; id est, populus iste Judaicus credens et legalia servans, provocavit conversos ex gentibus ad disputationis conflictum. *Quumque essent in agro* sæculi hujus, *consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.* Quum enim Judæi non potuissent ratione et Scripturarum allegatione Catholicis prævalere, cœperunt eos corporaliter persequi ac necare. Et in hoc hæretici atque increduli fuerunt concordes, quamvis in aliis discordarent. *Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus?* Sic Dominus reprehendit persecutores fidelium, quorum sanguinem requirit et vindicat de Ibid. XXIII,
persecutoribus eorumdem. *Qui respondit : Nescio. Numquid custos fratris mei sum ego?* Judæi namque persecutores Catholicorum in primitiva Ecclesia, non fatebantur se reos ab interfectione fidelium, nec arbitrabantur illorum curam pertinere ad se, sed potius reputabant se obsequium Deo præstare in persecutione et interfectione credentium, sicut Salvator prædixit : Venit hora, ut omnis qui interficit Joann. XVI,
vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 2.
Dixitque Dominus *ad eum : Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Hoc Dominus per prædicatores evangelicæ legis dixit illis perversis Judæis. Hinc enim in Apocalypsi habetur : Animæ interfectorum clamabant voce ma- Apoc. VI, 10.

Digitized by Google

gna : Usquequo Domine, sanctus et verus, non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Denique istud generaliter accipi potest de omnibus injuste et inordinate occisis. Unde Is. xxvi, 21. loquitur Isaias : Revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. Job xvi, 19. Et sanctus Job ait : Terra, ne operias sanguinem meum.

Nunc igitur maledictus eris super terram. Hoc clare impletum est in Judæis illis perversis, qui ob persecutionem suam in Christum et ejus discipulos, temporaliter et æternaliter, corporaliter et spiritualiter a Deo et hominibus maledicti sunt; 1 Thess. ii, 16. quia ut ait Apostolus, Ira Dei pervenit super eos usque in finem. De quibus locutus Ps. lxviii, 25. est Psalmista Deo : Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Denique etiam in Alcorano Mahometi habetur, quod Judæi a Deo relicti sunt, eo quod Jesum non receperunt pro Christo eis promisso. Sarraceni quippe fatentur, quod Jesus Nazarenus sit Christus in lege et Prophetis promissus, ac summus Propheta, sed negant deitatem ipsius. Mahometus namque fuit instructus a Sergio monacho Nestoriano hæretico. Nestorius autem hæresiarcha et inimicus Dei, dixit Christum esse hominem purum. *Quum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Hoc fuit impletum in Judæis, quando propter impietatem suam in Christum, a Romanis vastati sunt, et terra eorum undique demolita. Spiritualius autem loquendo, quando terram suam, id est corpora sua, exercuerunt in observantiis legis, non recte credendo in Christum, corpora eorum nullum protulerunt fructum virtutum, sed putredinem vitiorum. *Vagus et profugus eris super terram,* seu gemens et tremens, secundum aliorum translationem. Nil certius isto. Judæi enim undique sunt dispersi, et dura captivitate premuntur, atque sub Christianorum adversariorum suorum tenentur imperio, sub quo gemunt et tremunt. Unde Danieli Ga- Dan. ix, 26. briel angelus ait de ipsis : Non erit populus Christi qui eum negaturus est, et finis ejus vastitas, et usque ad finem perseverabit desolatio.

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Hoc competit infideli populo Judæorum, qui licet se neget profugum a terra promissionis, et vagum per mundum propter Christi occisionem, et primitivæ Ecclesiæ persecutionem, fatetur tamen se perpetrasse crimen tam grande, ut veniam nequeant impetrare, ita quod liberentur ab ista captivitate. Verumtamen captivitatem suam populus iste deplorat, dicendo : *Ecce ejicis me a facie terræ* patrum meorum, *et a facie tua abscondar.* Sed inter hæc metuit mortem temporalem magis quam Dei offensam, et propriarum animarum interitum; ideo ait : *Omnis qui invenerit me, occidet me. — Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Non enim vult Deus ut incredulus Judæorum populus penitus occidatur, nec quisquam eorum est occidendus, eo quod patres eorum Christum occiderunt, et persecuti sunt ejus primitivam Ecclesiam. Si tamen aliunde meruerint mortem, possunt occidi. Qui vero sine causa rationabili occiderit quemquam eorum, septuplum, id est, valde dure et perfecte punietur, tanquam homicida crudelis. Non enim est miseris et afflictis illis addenda afflictio sine causa idonea, sed pro eorum conversione orare debemus. (Jacob. v, 16 et seq.) *Posuitque Dominus in Cain signum,* id est in populo illo incredulo, *ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.* Hoc signum est prophetia per multos sanctos veteris Testamenti prænuntiata de reservatione Judæorum in vita usque in sæculi finem, ut ex eorum adspectu inducantur Christiani ad considerationem divinæ justitiæ, ad recordationem quoque passionis dominicæ, atque ad confirmationem fidei christianæ, quæ ex illorum tam diuturna derelictione clare probatur, ex quorum etiam libris probamus quæ credimus. Ideo scriptum

Digitized by Google

Ps. LVIII, 12. est : Ne occidas eos, nequando obliviscan- A
tur populi mei.

Egressusque Cain a facie Domini, id
est, a Deo ejectus ac derelictus populus
ille, *habitavit profugus ad orientalem pla-
gam Eden.* Per Eden, intelligitur Ecclesia
Christi ; per orientalem plagam ejus, do-
ctrina legis et Prophetarum, ex qua tan-
quam ex oriente, orta est lux sapientiæ
salutaris universæ militanti Ecclesiæ. In
hac itaque plaga habitavit ac habitat us-
que nunc perfidus populus Hebræorum, in
quantum aliqualem habent cognitionem B
Scripturarum illarum, atque in ea quoti-
die student, Scripturasque illas habent et
veras credunt. Porro ejectionem ipsius
Cain repræsentat Ecclesia, sanguinarios ex-
communicando, præcipue cum candelis
accensis, quoniam vitam hominum exstin-
xerunt. Præterea omnis qui per mortale
peccatum a facie Dei egreditur, mentem
suam avertendo a Creatore, habitat pro-
fugus a mystica unitate Ecclesiæ, vagus
quoque instabilisque in terra, quantum
ad corpus diaboli pertinet : et corde insta- C
biles sunt, passionibusque subduntur, et
Ps. XI, 9. undique evagantur a Deo iniqui. In cir-
cuitu etenim impii ambulant, qui sunt
Is. LVII, 20. tanquam mare fervens, quod non potest
Ps. I, 4. quiescere, et tanquam pulvis quem proji-
cit ventus a facie terræ. *Cognovit autem
Cain uxorem suam, quæ concepit et pe-
perit Enoch.* Per quod designatur, quod
ex pravæ cogitationis radice et interiori
animæ passione procedit opus perversum.
Rursus quasi spiritualis uxor incredulæ
plebis Judææ est Scriptura veteris Testa- D
menti, secundum occidentem litteram in-
tellecta, quam plebs ista sic cognoscit,
seque in ea exercet, et gignit ex ea Enoch,
id est posteritatem sibi in infidelitate et
carnali intellectu Scripturæ consimilem.
Et ædificavit Cain *civitatem.* In exordio
mundi urbem construxit : per quod signifi-
catum est, quod amatores mundi et omnes
iniqui in hoc sæculo remanere, prosperari,
ac locupletari desiderant, et via utuntur
pro patria. Quocontra de sanctis Patriar-
chis ait Apostolus, quod in casulis habi- Hebr. XI,
tabant tanquam hospites et peregrini. Et 13.
rursus : Non habemus hic, inquit, manen- Ibid. XIII,
tem civitatem, sed futuram inquirimus. *Et* 14.
*vocavit nomen ejus ex nomine filii sui
Enoch,* quod interpretatur dedicatio, se-
cundum Hieronymum. Tales namque se
ipsos et pertinentes ad se, ac sua, dedi-
cant et mancipant prosperitati terrenæ ac
vitæ præsenti.

Lamech accepit uxores duas. Per La-
mech intelliguntur lascivi, præsertim adul-
teri et concubinarii ; similiter illi qui cum
sapientia evangelicæ legis, quam sibi de-
sponsarunt, amplectuntur sæcularem pru-
dentiam, atque in sæculo hoc cupiunt vi-
deri ac reputari prudentes. Genuit quoque
Lamech tres filios, quorum primus, scilicet
Jabel, *pater habitantium in tentoriis ac
pastorum,* designat cupidos et avaros, qui
hinc inde moventur, ut colligant sibi ter-
rena et pascant pecora, id est desideria
sua brutalia. Secundus, videlicet Jubal,
pater canentium cithara et organo, eos
designat, qui exteriorum sensuum quæ-
runt et amplectuntur oblectamenta. Ter-
tius, puta Tubalcain, malleator et faber,
significat bellicosos, contentiosos, iracun-
dos, et aliorum tribulatores, qui proximos
suos cædunt verbis duris aut ictibus seu
scandalosis operibus, aut etiam omissio-
nibus et negligentiis vitiosis. Soror de-
mum fratrum istorum Noema, sensualita-
tem designat. *Dixitque Lamech uxoribus
suis, Adæ et Sellæ : Quoniam occidi vi-
rum in vulnus meum, et adolescentulum
in livorem meum.* Libidinosi namque,
omnium ætatum homines scandalizant ad
sui ipsius perniciem, imo sæpe violenter
aut fraudulenter interimunt viros et filios
mulierum quas appetunt, ut eis fruantur
securius. Verumtamen non vult Deus ut
quis scandalizet tales libidinosos, aut inor-
dinate perimat eos, sed potius ad pœniten-
tiam reserventur et retrahantur a vitiis.

*Cognovit quoque adhuc Adam uxorem
suam ; et peperit filium, vocavitque no-
men ejus Seth :* id est, Christus ex Ecclesia

Digitized by Google

post sanctos martyres genuit confessores, A ita quod Ecclesia dixit : *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem interfecit Cain.* Confessores etenim sancti post martyres in eorum locum surrexerunt ac positi sunt. *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste cœpit invocare nomen Domini.* Per hunc Enos intelliguntur devotissimi religiosi, præsertim primi illi anachoretæ ac eremitæ sanctissimi, Paulus, Antonius, Macarius, Hilarion, Pacomius, atque innumerabiles, qui cœperunt Deum cum inaudita devotione, instantia, B puritate die ac nocte exorare, laudare et colere, abstinentissima et rigorosissima conversatione.

Præterea, per Adam potest intelligi Deus omnium pater, qui ex Eva, id est Synagoga, sibi olim per fidem desponsata, genuit Cain, id est populum Judæorum, qui fuit tempore Christi, et Abel, id est Dominum Jesum, quem Judæi illi crucifixerunt, quemadmodum Cain occidit innoxium Abel, qui in multis Christum præfiguravit, videlicet innocentia, justitia, immolatione, martyrio. Inflammavit quoque Deus super Dominum Jesum, qui obtulit semetipsum oblationem et hostiam Patri in odorem suavitatis, ex ardentissima caritate desuper animæ suæ infusa : quæ immolatio Patri superacceptissima fuit. Similiter per Seth, qui interpretatur positio et resurrectio, designatus est Christus primitiæ resurgentium, et primus resurgens ex mortuis, propria potestate, primusque dignitate. Et sicut ex Seth nati sunt electi et virtuosi, ita ex Christo omnes re et nomine Christiani. *I Cor. xv, 20.*

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : HIC EST LIBER GENERATIONIS ADAM.

REPETIT et recapitulat Moyses in exordio hujus capituli generationem Adæ, C ut eam plenius prosequatur. *Hic est liber,* id est scriptura seu littera, *generationis Adam,* hoc est, generationem activam ipsius Adæ describens, quam generationem Adam exercuit seu incepit; *in die qua creavit,* id est, tempore quo formavit *Deus hominem,* scilicet ipsum Adam et ejus uxorem. Ex quo nunc dictum est, In die qua creavit Deus hominem, Hebræi (ut fertur) dicunt ipsum Adam genuisse in paradiso, sicut et ante narratum est. Sed D argumentum eorum nil valet, quia dies nunc capitur pro tempore, prout sæpissime in Scripturis contingit, sicut in Isaia :
Is. iv, 2. In illa die erit germen Domini in magnificentia et gloria. In Joel : In die illa stil- *Joel iii, 18.*
labunt montes dulcedinem. Potest etiam dici, quod dies nunc capitur pro diebus, quemadmodum frequenter singulare ponitur pro plurali; et ita supponit simpliciter seu confuse, ut supra secundo capitulo : Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die quo fecit Deus cœlum et terram et omne virgultum agri. *Ad similitudinem Dei fecit illum, masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis.* Omnia verba hæc habentur circa finem primi capituli, et ibi diffuse exposita sunt, ideo procedendum est modo. *Et vocavit nomen eorum, Adam,* id est, utrumque, scilicet tam virum quam Evam, vocavit hoc nomine Adam. Adam etenim in Hebræo est nomen commune, significans tantum sicut hæc dictio, homo : ideo sicut in Latino tam vir quam mulier dicitur homo, ita in Hebræo uterque dicitur Adam. Attamen Adam etiam in Hebræo frequenter singulariter sumitur pro homine illo

Digitized by Google

primo. Sic ergo vocavit eos Deus, id est, A vocandos instituit, aut per subjectam creaturam expresse vocavit : *in die quo creati sunt,* id est formati. Ambo enim secundum corpus ex præjacenti materia sunt plasmati, Adam ex limo, Eva ex viri costa.

Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit filium *ad imaginem et similitudinem suam,* id est similem sibi in specie, imo et similem sibi in proprietate, hoc est in defectuositate, utpote destitutum originali justitia, mortalem, pas-
Ephes. II, 3. sibilem, et natura filium iræ. Unde ait B
I Cor. XV, 48. Apostolus : Qualis terrenus, tales et terreni. *Vocavitque nomen ejus Seth.* Præcedenti capitulo scriptum est, quod Eva vocavit eum Seth. Itaque ambo sic eum appellabant, seu nomen ab Eva impositum, Adam confirmavit. Sicque Eva nomen primo expressit, deinde Adam. Verumtamen Adam antequam esset tantæ ætatis, genuit Cain et Abel.

Circa hæc oritur quæstio duplex : Prima est, quomodo verum sit quod Adam genuit Seth, quum esset centum triginta C annorum, quum Septuaginta et Josephus, itemque Methodius dicant eum fuisse ducentorum et triginta annorum dum genuit ipsum Seth. Respondetur secundum quosdam, quod Moyses omittit hic centum annos quibus Adam et Eva luxerunt Abel. Sed istud non videtur sufficiens ratio, quia non solum in Adam, sed etiam in posteris ejus omittuntur centum anni in Hebræo et translatione Hieronymi, quoad translationem Septuaginta. Unde ait Hieronymus, et habetur in Glossa : Usque ad diluvium, D ubi in nostris codicibus legitur aliquis genuisse ducentorum annorum et quod excurrit, in Hebræo habet centum annos et reliquos qui sequuntur. Porro per codices nostros intelligit Hieronymus textus Septuaginta interpretum, quorum translatio fuit Hieronymi tempore in usu communi. Secundo quæritur circa id quod in Glossa tangitur, et in Scholastica historia clarius fertur, Adam ad imaginem et similitudinem Dei factus est, reliqui ad similitudinem et imaginem Adæ, qualiter hoc sit verum. Respondetur, quod loquendo de his in quibus imago et similitudo Dei in homine principaliter consideratur, omnes homines ad imaginem et similitudinem Dei producti sunt, in quantum memoriam, intellectum, voluntatemque habent. Sed quantum ad accidentalia aliqua, in quibus imago et similitudo secundario consistit, ceteri ad Adæ imaginem, similitudinemque plasmati sunt, juxta sensum præhabitum.

Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, id est, usque ad tot annos creverunt et multiplicati sunt successive. *Genuitque filios et filias,* imo ut dictum est, Eva in omni partu peperit simul filium ac filiam, secundum Methodium et Hebræos. Horum autem filiorum et filiarum nomina non exprimuntur, quoniam Moyses brevitati studens, ad tempora Abrahæ ac Judæorum festinavit : ideo eorum nomina exprimit, ex quibus Patriarchæ et Prophetæ ac populus Judæorum, imo et Christus, exorti sunt. Aliorum quoque filiorum ac filiarum Adæ progenies diluvio periit. Deinde in textu describitur, quemadmodum Seth genuit Enos, et Enos Cainan, et Cainan Malaleel, et Malaleel Jared, et Jared Enoch. Et item quo anno vitæ suæ genuerunt hi viri, atque quamdiu vixerunt : in quibus computationibus Scriptura non attendit nec curat minutias temporis, an scilicet modicum magis aut minus fuit, sed integros exprimit annos. Quæ autem facillima sunt, nec aliquid circa se dici requirunt, transilire intendo, quia in textu satis habentur. Quemadmodum autem in Scholastica historia dicitur, quidam incipiunt primam ætatem ab Adam, quidam a Seth, quia de Abel nullus est natus, tota generatio Cain diluvio est deleta, sicque Seth fuit primus gradus generationis humanæ.

Porro Enoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem. Iste Enoch fuit septimus ab Adam in generatione Seth, quemadmodum Lamech in generatione Cain. Et sicut septimus ille Lamech

Digitized by Google

fuit pravissimus, ita septimus iste Enoch exstitit optimus. *Et ambulavit Enoch cum Deo,* id est juxta beneplacitum Dei, adhærendo eidem, et sequendo voluntatem ipsius per vitam justam. *Et non apparuit,* id est, a conversatione, societate, atque præsentia hominum repente sublatus est, *quia tulit eum Deus,* id est, transtulit de medio hominum ad alium locum, videlicet paradisum terrestrem, quemadmodum postea diu Eliam. Qualiter autem translatus est Enoch, Scriptura non exprimit; et an aliquis translationi ejus interfuit, ignoratur. Creditur tamen quod angelico ministerio sit translatus.

IV *Reg.* II, 11.

De hoc in Scholastica historia dicitur : Transtulit illum Deus in paradisum, ut in fine temporum cum Elia veniens, convertat corda patrum in filios. Judæi tamen causam translationis Enoch magis attribuunt mysterio numeri septenarii, quam sanctitati ipsius Enoch, quum plures fuerint eo sanctiores, quorum nullus translatus est. In tantum enim aiunt Deum omnia sub septenario disposuisse, quod dicunt eum septem cœlos creasse et septem terras, quas (ut dicunt) David appellat montium fundamenta. Hæc ibi. Lyra quoque refert : Dicunt Judæi, quod licet Enoch esset justus, magnas tamen pronitates habuit ad malum, quibus cum difficultate resistebat. Ideo mortuus est ante finem vitæ suæ naturalis, ne vinceretur malitia. Hæc ille. Et potest esse quod aliqui Judæi hoc dicant, quorum assertio falsa est, quantum ad hoc quod dicunt eum mortuum esse. Non enim Scriptura ista refert de eo sicut de ceteris cunctis quod mortuus sit, sed quod non apparuit, quoniam Dominus tulit eum. Porro quod dicunt de pronitate ejus ad malum, apparentiam habet ex eo, quod scriptum est in libro Sapientiæ : Placens Deo factus dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in brevi, explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius : propter hoc properavit educere eum de medio iniquitatum. Quod totum de Enoch uno modo exponitur. De quo etiam in Ecclesiastico asseritur : Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam. Hinc sancti doctores testantur, quod circa finem mundi cum Elia venturus sit ad prædicandum contra Antichristum, sicut de hoc in Apocalypsi multa leguntur, Deo dicente : Dabo duobus testibus meis, etc. Tunc quoque ab Antichristo interficientur, et debitum mortis solvent. Denique Glossa et Alcuinus affirmant : Enoch tanto tempore præservatur a morte, in signum quia homo jugiter viveret, si non peccasset. De hoc Enoch in Scholastica fertur historia : Enoch litteras quasdam invenit, et aliquos libros scripsit, sub quo Adam creditur mortuus. Huic dicto consonat, quod Judas apostolus in sua allegat Canonica : Prophetavit autem de his septimus ab Adam, Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis. Dicitur autem Enoch septimus post Adam, ipsum Adam includendo, ut patet ex textu, intermedios numerando, qui fuerunt, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared.

Malach. IV, 5, 6. — *Sap.* IV, 10, 11. — *Eccli.* XLIV, 16. — *Apoc.* XI, 3. — *Judæ* 14.

Vixit quoque Mathusalem centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. Mathusalem qui tam diu in virginitate permansit, videtur fuisse vir magnæ devotionis. *Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni ; et mortuus est.* Ad quantam ætatem nullus alius legitur pervenisse. Unde antiquissimus hominum creditur exstitisse, quantum ex Scripturis habetur, fuitque annis triginta novem senior quam Adam. Verumtamen de ætate Mathusalem fuerunt diversæ opiniones : nempe secundum computationem et textum Septuaginta, vixisset quatuordecim annis post diluvium : quod stare non potest, quia non fuit in arca, legiturque obiisse. Alii quidam dixerunt eum obiisse ante diluvium septem annis, quod minus absurdum est. Sed beatus Hieronymus vere et sapienter testatur, quod eodem anno quo diluvium inunda-

vit, defunctus sit modicum ante diluvium, et hoc probat ex textu secundum Hebraicam veritatem. Mathusalem namque vixit centum octoginta septem annis antequam genuit Lamech, quibus si addantur centum octoginta duo anni, quibus vixit Lamech antequam genuit Noe, ut statim dicetur, atque sexcenti anni, quibus vixit Noe ante inundationem diluvii, ut infra habetur, inveniuntur anni nongenti sexaginta novem, quibus vixit Mathusalem. Translatio autem Septuaginta, quantum ad taxationem numeri annorum Mathusalem, fuit corrupta hoc loco, sicut in aliis multis secundum Hieronymum, ut habetur in Glossa. De hoc loquitur Augustinus, ponens diversas opiniones de ætate et vita Mathusalem, et qualiter aliqui volentes salvare computationem Septuaginta, dixerunt ipsum Mathusalem, durante diluvio, fuisse cum patre suo Enoch in paradiso, deinde reductum ad terram mortalium. Quod reprobat Augustinus, et dicit eum obiisse eodem anno quo venit diluvium, secundum Hebraicam veritatem, atque ex vitio et errore scriptorum potuisse accidere errorem, qui in computatione Septuaginta invenitur.

Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Videtur Lamech iste fuisse vir castus et bonus, quia tamdiu continuit antequam generavit. Videtur item prophetali gratia splenduisse, quia de filio suo Noe talia pronuntiavit. Quemadmodum autem in [Act. iv, 36.] Actis Apostolorum leguntur gloriosi et sancti Apostoli Joseph Cyprium appellasse Barnabam, id est filium consolationis, quia de ejus conversione, sanctitate et fructuositate primitiva Ecclesia magnam consolationem accepit; sic Lamech Deo revelante cognoscens, quam virtuose, fructuose ac dulciter filius suus Noe esset inter homines conversaturus, prædixit: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, hoc est, suis virtutibus

A et fructuositatibus dabit nobis relevamen atque solatium inter ipsos labores et opera, quibus occupamur et fatigamur in terra hac a Domino maledicta propter primorum parentum peccata, juxta sensum in expositione capituli tertii introductum. Et aliqui dicunt, quod Lamech prædixit hæc verba de Noe, quia prævidit quod erat reparaturus terram et animalia ac genus humanum post diluvium, et juxta hoc Lamech iste cognovisset quod diluvium erat venturum sub filio suo Noe : quod
B tamen non videtur ex Scripturis evidenter posse haberi, quia sequenti capitulo legitur Deus revelasse ipsi Noe de inundatione diluvii tempore suo. Nec legitur hoc alicui alteri antea revelasse statim, quantum ad temporis determinationem.

Præterea Lyra dicit quod in Hebræo habetur, Iste quietabit nos. Nam et nomen hoc Noe, requies interpretatur. Et dicunt Hebræi, quod Lamech prædixit hæc verba de Noe, non propter sæculi reparationem post finem diluvii, sed quia primo invenit
C artem arandi, quum homines antea colerent terram propriis manibus sine subsidio jumentorum, quod erat valde laboriosum : a quo opere et labore relevavit et quietavit eos Noe, inveniendo artem præfatam. Unde infra capitulo nono Noe vocatur agricola. Sed si Lamech prævidit quod Noe esset inventurus hanc artem, ergo et Lamech aliquo modo eam præscivit. Ad quod dici potest, quod non sequitur, ipsum Lamech eam præscivisse in speciali atque distincte. Verum Rabbi Paulus reprehendit
D utrumque istorum dictorum. Dicit enim quod in Hebræo habetur, Iste consolabitur nos ; et non, Iste quietabit nos. Verius tamen reor, quod verbum Hebraicum sit æquivocum ad utrumque. Dixit quoque : Si Noe fuisset primus inventor artis arandi, Scriptura hoc expressisset, sicut præcedenti expressit capitulo de Jabel, quod fuit pater habitantium in tentoriis et pastorum, atque de Jubal, quod fuit pater canentium cithara, etc. Verumtamen dictum illud Hebræorum est satis consonum

Digitized by Google

textui, idcirco argumentum Rabbi Pauli non prævalet. Nam dici potest, quod scriptura ista satis insinuavit hoc, utpote quod Noe invenit artem arandi per verba hæc Lamech. Nec obstaret quod objicit Rabbi Paulus, videlicet quod infra nono capitulo legitur : Cœpit autem Noe vir agricola exercere terram. Hoc enim non dicitur ad hunc sensum, quod tunc et non ante cœpit esse agricola, sed quod tunc cœpit hoc facere, quantum ad tempus post diluvium: imo stare non potest quod Rabbi Paulus ait, ipsum Noe tunc primo cœpisse esse agricolam in plantatione vineæ, et non ante; quoniam etsi artem arandi non reperisset, attamen potuit esse agricola ante diluvium, quum scriptum sit quarto capitulo, quod Cain fuit agricola. Idcirco nec ex ista auctoritate satis probatur, quod Noe invenit artem arandi. Nihilo minus apparentiam potest habere, quod sicut Noe invenit artem plantandi vitem, ita et artem arandi, quum et textus videatur hoc ipsum innuere. Ego tamen de his quæ certitudinem non habent, nil assero.

Circa præhabita quæritur : Primo, quomodo homines potuerunt ante diluvium vivere tamdiu. De isto multa scribit Augustinus ubi enarrat, qualiter quidam fideles considerantes qualiter multi retraherentur a fide, quoniam incredibile reputabant homines tunc tamdiu vixisse, opinati sunt quod anni de quibus loquitur scriptura hæc, non fuerunt anni solares duodecim mensium, secundum quod annos communiter computamus; sed anni breves, ita quod unus annus solaris comprehenderet decem annos hujusmodi. Diversi enim diversimode computant annos. Istud vero sanctus Augustinus multipliciter reprobat, et specialiter ex duobus. Primo, quoniam Seth quum esset centum et quinque annorum, genuit Enos : ergo secundum illam computationem genuisset filium suum Enos, antequam habuisset undecim annos. Cainan quoque quum esset septuaginta annorum, genuit Malaleel, sicque genuisset, quum erat septem annorum.

A Secundo, quoniam infra habetur, quod sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ. Deinde quod mense secundo, vicesima et septima die mensis, arefacta est terra, et paulo ante, Requievit arca mense septimo super montes Armeniæ. Ex quibus constat, quod anni illi computantur sicut et modo. Præterea sanctus Thomas dicit simpliciter supernaturale fuisse, quod homines illi tamdiu vixerunt, ita quod Deus supernaturaliter conservavit eos in vita
B tamdiu propter celeriorem humani generis multiplicationem, præsertim quum sanctus David ante tot millia annorum locutus sit: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor. *Ps.* LXXXIX, 10. Propter quod etiam de Berzellai scriptum est, quod erat senex valde, id est octogenarius. II *Reg.* XIX, 32.

Verumtamen aliquæ rationes assignantur, quæ poterant naturaliter conferre ad vitam illorum hominum tam longævam.
C Prima est, quod homines, potissimum viri isti boni qui tamdiu vixisse leguntur, erant temperatæ ac sobriæ vitæ. Secunda, quoniam terræ nascentia et fructus ac herbæ quibus sustentabantur, erant ante diluvium multo majoris efficaciæ ac virtutis, quam postea. Tertia, quia natura humana quæ paulatim declinat, erat tunc vigorosior in se ipsa. Quarta, quoniam præcipua bonitas complexionis primorum parentum, immediate a Deo factorum, magis remansit in posteris in prima mundi æta-
D te, quam postea. Quinta est bona influentia, conveniensque adspectus stellarum ac planetarum super locum in quo habitaverunt : quæ duo per assiduum motum cœli sunt tempore procedente mutata. Sexta, quoniam Adam qui erat in naturalium rerum scientia multum excellens, scivit, et sobolem suam docuit, vires lapidum ac herbarum, quæ ad vitæ conservationem ac prolongationem plurimum conferunt. Septima, ut homines diu vivendo, magis proficerent in naturali ac morali

Digitized by Google

scientia, præsertim in astronomia. Hinc Josephus primo Antiquitatum libro disseruit : Nemo ex consideratione et comparatione brevitatis vitæ humanæ quæ nunc est, putet falsa esse, quæ de diuturnitate vitæ antiquorum illorum dicuntur. Illi enim quum essent religiosi, et a Deo ipso formati, eisque pabula opportuniora ad manus ad tempus parata exsisterent, tantorum annorum circulis rite vivebant. Deinde propter virtutes et gloriosas utilitates, quas jugiter scrutabantur, id est astrologiam et geometriam, Deus eis vitæ spatia amplius prolongavit : quæ nunquam ediscere potuissent, nisi sexcentis viverent annis. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Deinde Josephus probat illos tamdiu vixisse per varia, diversosque historiographos gentium plurimarum.

Sed Rabbi Paulus, qui ubique satis pronus est reprehendere Nicolaum de Lyra, contra rationes has arguit, et argumentando aliqua dicit, quæ videntur satis faciliter posse redargui. Primo etenim dicit : Nunquam reperitur aliquis a tertia ætate mundi, quæ scilicet incepit ab Abraham et infra, attigisse fere ducentos annos. Contra
Job XLII, 16. quod videtur sanctus Job, qui fuit secundum quosdam post Abraham, vixitque post suam percussionem et curationem centum quadraginta annis, qui et ante suam percussionem fuit maturæ ætatis. Unde et omnes pueri ejus qui decem erant, ante ejus percussionem ad virilem ætatem seu annum vicesimum pervenisse videntur, vel saltem multi eorum. Unde probabile est, primogenitum inter eos inter tricesimum et quadragesimum annum fuisse aut circiter, ita quod Job omnibus annis ejus simul acceptis, videtur ad minus fuisse ducentorum annorum. Superius quoque ex epistola Alexandri ad Aristotelem allegatum est, quemadmodum sacerdotes solis et lunæ virtute pomorum, quibus vescuntur, vivant annis quadringentis aut circiter. Legitur item in Chronica Martini, quod tempore Caroli Magni fuit quidam nomine

A Joannes, qui vixit pene quadringentis annis, propter quod vocabatur Joannes de Tempore. Imo de pluribus legitur qui post Abraham exstiterunt, et plusquam ducentis annis vixerunt. Deinde argumenta quæ facit contra ea quæ dicta sunt de valore terræ nascentium ante diluvium, de bono adspectu atque influxu cœlestium corporum, aliquam apparentiam sortirentur, si unaquæque causarum illarum assignaretur, quasi per se solam sufficiens causa tantæ diuturnitatis vitæ Patrum il-
B lorum.

Insuper dicit, quod tanta prolongatio vitæ, non contulit ad celerem multiplicationem hominum magis quam brevitas vitæ humanæ in posteris, imo potius minus : in quo non solum contradicit Thomæ, aliisque antiquis doctoribus, sed et experientiæ, ut apparet. Quod vero allegat homines tunc vixisse centum annis antequam genuerunt, non videtur omnifarie rite dictum : quia ut ait Augustinus, Non est putandum, quod illi fuerint semper
C primogeniti, qui primo nati leguntur ; sed illi primo nati leguntur, per quos ordo successionis ad Abraham est deductus ; ceteri frequenter tacentur.

Præterea dicit : Cursus siderum fuit perfecte declaratus tempore Græcorum, quando Ptolemæus scripsit librum qui dicitur Almagesti, in quo omnes cursus siderum plene traduntur. Istud est contra Ptolemæum et omnes majores astrologos, Albategni, Albumasar, Alfraganum, qui fassi sunt neminem in vita præsenti posse
D pertingere ad plenam notitiam omnium cursuum et motuum, virtutum, influentiarum, atque effectuum siderum ac cœlorum. Propter quod dixit Sedulius versificator egregius :

Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora, nosti.

Amplius dicit, quod investigatio Ptolemæi incepit a tempore cujusdam, qui eum præcessit fere per annos trecentos. Istud non potest absolute sic verificari. Consi-

Digitized by Google

deratio enim astronomiæ incepit plusquam per duo millia annorum ante Ptolemæum, ut patet ex his quæ Augustinus ait in libro de Civitate Dei in multis locis, præsertim quum et Abraham patriarcha fuisse legatur magnus astronomus, imo et multi ante diluvium. Ptolemæus autem studuit libro antiquissimorum astronomorum, quos poterat reperire. Iterum dicit, quod ad cognoscendum effectus siderum sufficit tantum tempus, ut fuit inter prædecessorem Ptolemæi et Ptolemæum, quem iste trecentis annis præcessit. Ad quod reor dicendum, quod nec tria millia annorum cum trecentis annis, sufficiunt ad cognoscendum per investigationem et studium universos effectus stellarum in speciali, præsertim quum nullus valeat naturali investigatione cognoscere numerum ipsum stellarum ac singulas stellas, quarum quælibet propriam virtutem ac influentiam A habet, ut in libro de Radiis stellicis ait Alkindus.

Postremo allegat Rabbi Moysen, qui in libro de Directione perplexorum, diuturnitatem illam vitæ Patrum ante diluvium, divino adscribit miraculo, et ait quod Deus voluit viros illos, de quibus in littera scribitur, tamdiu vivere, ut fides de creatione mundi, magis infigeretur cordibus posterorum. Alios vero qui non exprimuntur in littera, dicit Rabbi Moyses non vixisse tamdiu, sed tanto tempore ut post dilu- B vium. Verumtamen huic obviare videtur, quod fuerunt generationes non pauciores ab Adam per Seth, et eos quorum ætas in littera enarratur usque diluvium, quam ab Adam per Cain usque ad illud, quum tamen Cain fuerit plusquam centum annis, ut communiter dicitur, ante Seth natus, imo secundum Methodium, annis centum et quindecim.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : NOE VERO QUUM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM, GENUIT SEM, CHAM ET JAPHET.

CONSEQUENTER describitur, qualiter mundus diluvio perierit, et prima ætas acceperit finem, et qualiter reparatum sit sæculum. Porro prima ætas sæculi quæ ab Adam usque ad Noe duravit, ita quod Noe cœpit esse in ea, continet duo millia ducentos sexaginta quatuor annos, secundum Septuaginta; secundum Hieronymum vero, non plene duo millia; secundum Methodium autem, duo millia. Methodius tamen per chiliades, hoc est millenarios seu mille annos, sæcula seu ætates disponit et computat : idcirco nil certum de annorum numero tradidit, ut in Scholastica historia scribitur.

Noe vero quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet, id C est, hos tres cœpit generare, seu genuit successive, quum haberet annos quingentos. Quis horum trium fuerit primo natus, infra dicetur. Sed mirum quod Noe tamdiu distulit generare, quum nullus ante eum pro media temporis parte legatur tamdiu continuisse, generationemque distulisse. Ad quod juxta considerationem Augustini superiùs tactam, posset quis dicere, quod forsan ante hoc tempus generarit alios, quamvis non sint descripti, quia eorum genealogiam non prosequitur hæc scriptura. D Porro Hebræi, ut Lyra refert, respondent quod Deus voluit justum Noe cum tota sua posteritate a diluvio præservare. Si autem tam cito generasset, ut alii ante eum, posteri ejus fuissent tam abundanter multi-

Digitized by Google

plicati, quod inter eos fuissent plurimi mali, quos in arca salvari dignum non exstitisset; et quia tot homines cum necessariis vitæ non potuissent convenienter collocari in arca. His rationibus objici posset, quod etiam inter hos tres, unus, scilicet Cham, exstitit malus, et tamen in arca fuit. Denique quum arca fuerit ita magna, plures homines potuissent in ea facillime contineri : ideo dici potest, quod Noe videns tot scelera fieri, et ea quotidie multiplicari, forsan retrahebatur a generatione, et cogitavit potius continere. Sed quum Deo revelante cognovisset genus humanum diluvio occidendum, et illud per suos posteros reparandum, proposuit generare. Quod tamen adhuc distulit quasi per annos viginti. Deus quippe prædixit ei de adventu diluvii per annos centum et viginti, antequam inundavit, ut infra patebit.

Hoc in loco pleraque Biblia partiuntur sextum caput.

Quumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent. Istud intelligitur de multiplicatione hominum præcipue copiosa atque malitiosa, quæ fuit secundum numerum, non secundum meritum. Alioqui non dubium, quin a tempore quo Adam cœpit generare, homines cœperunt multiplicari. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant :* hoc est, unusquisque illorum accepit uxorem pulchram, quæ juxta sensualitatem suam sibi magis complacuit, saltem inter illas quas vidit aut æstimavit se posse acquirere.

Circa hæc, antiqua et magna est quæstio, qui fuerunt illi filii Dei. In Scripturis namque filii Dei dici non solent nisi boni, videlicet homines virtuosi, de quibus ait in prima sua epistola Joannes apostolus, Nunc filii Dei sumus; et angeli sancti, de quibus Dominus ait ad Job, Ubi eras quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ? Sed nec virtuosis hominibus, nec angelis sanctis competit actus ille libidinosus jam dictus. Et respondendum, quod verba hæc a diversis, tam Hebræis quam christianis, expositoribus ab antiquo diversimode exposita sunt. Quidam namque per filios Dei intellexerunt dæmones incubos, qui dicuntur filii Dei per naturalem similitudinem intellectualis et spiritualis suæ naturæ cum Deo. Unde et Josephus : Multi, inquit, angeli Dei cum mulieribus coierunt. De talibus ait Apostolus : Nescitis quoniam angelos judicabimus ? Sed huic expositioni objicitur, quia diluvium fuit illatum propter peccata istorum, de quibus hic agitur. Et certum est, quod diluvium inflictum est propter vitia hominum, non dæmonum. Præterea, quamvis dæmones incubi interdum mulieribus sint admixti, non tamen leguntur eas duxisse uxores, quamvis quandoque molesti fuerint virorum uxoribus. Iterum de istis filiis Dei filiabusque hominum Dominus subdit : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Quod non competit dæmonibus incubis. Septuaginta quoque pluraliter transtulerunt, In hominibus istis. Hinc expositionem istam reprobat Lyra.

I Joann. III, 2. Job XXXVIII, 7. I Cor. VI, 3.

Contra quem more solito invehitur Rabbi Paulus. Hæc, inquiens, expositio est consonans litteræ, et etiam sententiæ Augustini. Nam ubi littera nostra habet : Gigantes erant super terram, Hebraica veritas dicit : Nephilim, quod aliud nihil significat nisi cadentes, per quod proprie designantur dæmones lapsi de cœlo. Isti in corporibus assumptis mulieribus commiscebantur. Augustinus quoque de Civitate Dei, dicit esse credendum quod dæmones incubi interdum molesti sunt feminis. Sed mirum apparet, quod Paulus iste sic scribit. In littera enim non dicitur, quod gigantes videntes filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt uxores, etc., sed quod videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, etc. Deinde littera dicit, quod gigantes nati sunt ex concubitu isto filiorum Dei filiarumque hominum. Et hoc dicunt expositores concorditer, et etiam Josephus, Rabbi Salomon, aliique Hebræi : idcirco de

Digitized by Google

gigantibus constat, quod erant veraciter homines, non dæmones incubi.

Amplius quoque quod Rabbi Paulus dicit expositionem illam esse consonam Augustino, manifeste erroneum est : quamvis etenim Augustinus fateatur dæmones incubos interdum misceri cum feminis, non tamen fatetur quod filii Dei, de quibus hic agitur, erant dæmones incubi; imo ex proposito et assertive hoc reprobat. Siquidem quintodecimo de Civitate Dei loquitur : Non autem illos ita fuisse angelos aut filios Dei, ut homines non essent, sicut quidam putant; sed homines procul dubio fuisse, Scriptura ipsa sine ambiguitate declarat. Quum enim præmissum est, quod videntes angeli Dei filias hominum, quia bonæ, id est pulchræ, sunt, sumpserunt sibi uxores, etc., mox adjunctum est, Et dixit Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, eo quod caro sunt. Rursus in eodem libro asserit Augustinus : In apocryphis legitur, quod Enoch scripsit, quod gigantes, de quibus habetur in Genesi, non sunt nati ex hominibus; sed quia hoc falsum est, non creditur Enoch istud scripsisse. Hæc Augustinus.

Ut autem hæc clarius pateant, advertendum quod Thomas ait in prima parte, quæstione 51 : Teste Augustino, multi se expertos affirmant, vel ab expertis audisse, Sylvanos et Faunos, quos vulgus incubos vocat, mulieribus frequenter improbos exstitisse, atque earum expetisse et peregisse concubitum : ideo hoc negare, impudentiæ ac imprudentiæ est. Si ergo ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non erit per semen decisum ab eis, aut eorum corporibus, sed aliunde acceptum, ita quod dæmon qui viro est succubus, mulieri sit incubus, quemadmodum aliarum rerum semina congregant ad producendum quosdam effectus, ut tertio de Trinitate Augustinus testatur. Idcirco sic natus, non est filius dæmonis, sed viri cujus semen dæmon accepit, et mulieri infudit. Hæc Thomas. Hinc super Lucam loquitur Beda : Quidam dæmones dicuntur succubi, qui supponunt se viris in specie mulieris; quidam incubi, qui cognoscunt mulieres in specie viri, forte non luxuria tracti, sed ut hominibus illudant, nec semen emittunt. Istud autem quod Beda ait, quod non emittunt semen, intelligi potest, quod non emittunt proprium semen, et forte interdum non emittunt. Porro Hieronymus ait : Verbum Hebraicum Elohim, utriusque est numeri, ita quod significat Deum aut deos : ideo Aquila ausus est transferre, Filios deorum, deos intelligens sanctos vel angelos : quem sequens Symmachus, transtulit, Videntes filii potentum filias hominum. Hinc quidam dixerunt, quod in Hebræo habeatur : Filii judicum potentum. Et ita exponunt, quod potentes et judices, corruperunt sponsas et filias subditorum : quod quamvis potuerit esse verum, non tamen fuisset sufficiens ratio generalis diluvii.

Est ergo absolute tenendum, quod isti filii Dei, fuerunt posteri nati ex semine Seth et filiorum ejus. Erantque primo devoti vel ipsi, vel patres eorum : idcirco vocati sunt filii Dei seu angeli eo modo, quo in Scripturis quidam homines, ratione vitæ aut officii, nuncupati sunt angeli, sicut sacerdotes vocantur in Malachia propheta, angeli Domini exercituum. Et *Malach.* II, 7. de beatissimo Joanne Baptista prædictum est : Ecce mitto angelum meum. Dicuntur *Ibid.* III, 1. quoque filii deorum, id est hominum divinorum. Per filias autem hominum, intelliguntur filiæ natæ ex semine Cain, quæ erant lascivæ, superbæ, curiosæ et pulchræ, quarum amore capti filii Seth, duxerunt eas conjuges; tuncque communiter invaluerunt vitia super terram, ita quod paucissimi boni manserunt.

Quocirca quæri potest, quo tempore, seu quamdiu ante diluvium factum sit istud. Ad hoc in Scholastica historia respondetur : Tempus quando hoc factum fuit, utrum sub Noe, an ante; et utrum diu aut parum ante, non determinat Scriptura. Porro Josephus dicit, quod filii Seth usque

ad septimam generationem boni manserunt. Post ad vitia sunt delapsi a paternis solennitatibus, id est, ritibus seu observantiis recedentes. Methodius vero causam diluvii et tempus vitiorum illorum diffusius exsequitur, dicens : Anno quingentesimo primæ chiliadis, hoc est primi millenarii, filii Cain abutebantur uxoribus fratrum suorum nimiis fornicationibus ; sexcentesimo anno, mulieres in amentiam versæ, supergressæ seu superjacentes viris abutebantur. Mortuo Adam, Seth separavit cognationem suam a cognatione Cain. De isto multa dicuntur in præfata Scholastica historia, quæ requirantur ibidem. Alibi legitur, quod anno sexcentesimo vitæ Adæ, cœperunt filii Cain abuti uxoribus fratrum suorum per nimias fornicationes. Octingentesimo anno vitæ Adæ, dilatatæ sunt fornicationes super terram nimis et immunditiæ a filiis Cain. Præceperat autem Adam filio suo Seth, ne cognatio sua misceretur nationi Cain. Quadragesimo anno Jared, in secundo millenario sæculi, fuerunt viri malefici, et artis pessimæ inventores de filiis Cain, et omnis immunditia atque spurcitia filiorum Lamech post annos septingentos sub tempore vitæ Jared, cœpit multa malitia pejor priore crescere super terram, quæ a nobis est omittenda. Tunc concupierunt filii Dei filias hominum, et genuerunt ex eis gigantes, qui erant atrocissimi præ cunctis hominibus.

Dixitque Deus. Cui vel qualiter dixit, hoc Scriptura non exprimit. Itaque dixit vel in se ipso hæc cogitans, ac decernens sive definiens, vel per inspirationem internam, aut angelicam revelationem ac apparitionem, locutus est alicui sancto viro, potissime sancto Noe : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Hoc multis modis exponitur. Primo sic : Non permanebit spiritus meus, hoc est ira seu indignatio mea, *in hominem,* id est contra homines, *in æternum,* hoc est absque fine. Quasi dicat : Temporaliter puniam eum, non æternali supplicio, *quia caro est,* id est pronus ad vitia, fragilis,

A atque multiplici infirmitate circumdatus. Ita exponit Hieronymus, dicens : Quia fragilis est hominum conditio, non eos æterno cruciatui reservabo, sed hic eis retribuam quod merentur. Clementia ergo est, non severitas, quod peccator hic pro scelere visitatur. Unde secundum Hieronymum, in Hebræo est : Non judicabit spiritus meus hominem in æternum. Quidam exponunt sic : Non permanebit spiritus meus, hoc est, anima humana a me creata non perseverabit In homine in æternum ; quia per B diluvium animæ hominum auferentur a suis corporibus. Alii ita exponunt : Non permanebit spiritus meus in homine, hoc est, Spiritus Sanctus non permanebit de cetero in istis hominibus, in quibus erat, quamdiu filii Dei erant, Quia caro sunt, id est, totaliter carnales et turpes effecti sunt. Hunc sensum sæpe tangit S. Bernardus.

Eruntque dies illius centum viginti anni : id est, hominibus istis dabo adhuc tempus pœnitendi, et dilationem debitæ pœnæ, ut corrigant se per centum et viginti C annos. Hoc addidit Deus, ne quasi crudelis, videretur locum et tempus pœnitendi non præstitisse peccatoribus illis. Denique Strabus ait, quod Deus hæc dixit eodem anno quo arca cœpit ædificari. Sed quia iniqui illi non correxerunt se, Deus per viginti annos anticipavit vindictam, inducendo diluvium per tot annos citius quam prædixit. Hieronymus vero circa hæc verba dicit, quod Deus dixit ea ad Noe per viginti annos antequam arca cœpta est fieri. Verumtamen alibi tangit et approbat D sensum, qui secundum Strabum jam tactus est. Itaque Deus non dixit hæc verba, præscribendo spatium vitæ humanæ post diluvium, sed determinando tempus pœnitendi, et ad inundationem diluvii, secundum Hieronymum. Idem ait Augustinus quintodecimo de Civitate Dei, ubi ait, aliquos post diluvium excessisse quingentesimum annum. Et infra habetur, quod plurimi post diluvium plusquam ducentis annis vixerunt. Verumtamen Josephus opinatus est, Deum dixisse hæc verba, sta-

Digitized by Google

tuendo terminum vitæ humanæ post diluvium.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis, in quibus filii Dei acceperant filias hominum in uxores : idcirco mox subditur, qualiter factum sit, quod gigantes tunc erant in terra. *Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum,* id est, viri nati ex Seth, qui ad tempus erant devoti, cognoverunt conjuges suas ex semine Cain ortas; *illæque* filiæ *genuerunt, isti sunt potentes* robore corporali et dominatione terrena aliis præsidendo, *a sæculo,* id est a prima mundi ætate, seu ab antiquis temporibus, et *viri famosi,* id est multum nominati, quos excessiva sua malitia fecit famosos, et etiam in quibusdam naturalibus donis ac bonis fortunæ fuerant excellentes. Erant namque gigantes valde proceræ staturæ, excellentis potentiæ ac pluribus præsidentes; erant et mente feroces, superbissimi corde, incircumcisique moribus, carnales, violenti, ac vitiis pleni. Quum itaque filiæ istæ genuissent, Isti sunt potentes, hoc est, nati ex illis, sunt potentes a sæculo ac famosi, puta gigantes.

Circa hæc scribit Rabbi Paulus, quod ex quo in Hebræo habetur, Nephilim, quod interpretatur cadentes, ideo per gigantes primo ac proprie atque ad litteram dæmones designantur, qui corruerunt de cœlo. Sed sicut præhabitum est, istud non valet, et est contra Augustinum aperte aliosque doctores, imo et scripturæ huic non consonat, quæ loquitur de gigantibus istis tanquam de hominibus, et asserit eos in concubitu natos, ita quod non sunt spirituales substantiæ, nec dæmones incubi. Argumentum quoque ipsius infirmum est. Non enim ex nominum interpretatione potest semper sumi expositio litteralis, imo sensus qui ex interpretatione hujusmodi sumitur, est communiter spiritualis, ex quo argumentum sumi non valet. Denique casus est multiplex : idcirco quod dicitur Cadentes, multipliciter accipi potest, imo in bono et malo. Nam et Prophe- A tæ quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in terram et super facies suas, ut Origenes disseruit, et ipsi Prophetæ insinuant, Ezechiele dicente : Vidi, et cecidi in faciem meam. Isaias quoque : Corrui, inquit, quum viderem. Quemadmodum autem dæmones appellantur cadentes, quoniam ceciderunt de cœlo, atque ad spiritualia vitia corruerunt; ita gigantes vocantur cadentes, quoniam ad carnalia, imo ad omnia pene corruerunt facinora. Unde in Scholastica historia fertur : B Gigantes dicuntur a *geos,* quod est terra, quasi terreni. Cui concordat quod ait Glossa : Gigantes filii terræ dicuntur.

Ezech. II, 1. *Is.* XXI, 3.

Primo quæri potest, anne in terra fuerunt gigantes ante concubitum filiorum Seth cum filiabus Cain. Ad quod beatus Augustinus manifeste respondet, quod imo, et probat hoc ex littera ista. Verumtamen probatio Augustini procedit secundum litteram Septuaginta interpretum. Unde Augustinus ita allegat hunc textum : Factum est postquam cœperunt homines C multi fieri super terram, videntes angeli Dei filias hominum, etc. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Et post illud : Quum intrarent filii Dei ad filias hominum, et generabant sibi, illi erant gigantes a sæculo homines nominati. Ex his verbis litteræ Augustinus concludit : Hæc verba Libri divini satis indicant, jam illis diebus fuisse gigantes super terram, quando filii Dei acceperunt uxores filias hominum. Deinde addit : Sed et postquam hoc factum est, nati sunt gigantes. Sic D enim ait Scriptura : Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Et post illud : Quum intrarent filii Dei ad filias hominum. Ergo et ante, et illis diebus, et post illud tempus fuerunt. Porro ex nostra translatione istud non sequitur, saltem tam evidenter : quia quum dictum est, Gigantes erant super terram in diebus illis, mox subditur : Postquam enim ingressi sunt filii Dei, etc. In quibus verbis redditur causa, cur dictum sit, quod gigantes tunc erant super terram. Quod tamen

Digitized by Google

posset exponi de causa a posteriori, quæ A dicitur causa effectus. Verbis autem Augustini concordat, quod ait Methodius martyr : Natus est Adæ filius nomine Seth, vir gigas magnus. Ex quo sequeretur, quod non omnes gigantes mali fuerunt.

Præterea, sicut loquitur Augustinus, hoc movet quosdam, quod ex filiis Dei et filiabus hominum, non quasi homines nostri generis, sed gigantes legimus esse natos. Ad quod ibidem Augustinus respondet : Quasi etiam non nostris temporibus nata sint corpora hominum, longe excedentia B modum nostrum. Nonne ante paucos annos nata est Romæ puella, quæ fuit ibi cum suis parentibus, et corpore giganteo longe ceteris præminebat? Ad quam videndam fiebat mirabilis populorum concursus. Et hoc erat maximæ admirationis, quod ambo parentes ejus non erant tam magnæ quantitatis, sicut quosdam videmus. Hæc Augustinus. Insuper infra in libro Numerorum et Deuteronomio, et in Paralipomenon scribuntur fuisse gigantes, quos ipsa Scriptura docet ex hominibus natos, quamvis C Rabbi Paulus scribat circa hunc passum, etiam gigantes qui fuerunt post diluvium, ex dæmonibus incubis natos, quod nec Scripturis, nec doctoribus consonat, prout Deo præstante, suis locis plenius ostendetur. Unde in Scholastica historia legitur : Post diluvium nati sunt alii gigantes in Hebron, et post in Tanis civitate Ægypti, a qua Titanes vocati sunt. De quorum stirpe fuit Enac, cujus filii habitaverunt in Hebron, de quibus ortus est Goliath, et alii quidam. Ex quibus omnibus innote- D scit, gigantes naturaliter generari, quamvis ad eorum generationem concurrant cœlestes influentiæ naturalesque causæ satis speciales atque occultæ, nec ad eorum generationem requiritur cooperatio dæmonum, seu adhibitio quorumdam seminum occultorum per dæmones, ut Rabbi Paulus affirmat, quamvis fortassis interdum ita contingere queat. Postremo, qui dicuntur esse homines parvuli naturaliter, distant valde a nostrorum corporum quantitate;

Num. XIII, 34. *Deut.* II, 11, 20. I *Par.* XI, 23.

sic gigantes possunt naturaliter nostram quantitatem multum excedere.

Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, hoc est, quod homines multa et magna facinora perpetrarent, *et cuncta cogitatio cordis* humani *intenta esset ad malum omni tempore,* hoc est, quod homines illius temporis indesinenter excogitabant studiose, qualiter possent sua pravissima desideria adimplere, atque ad libitum prævaricari ac delectari, ita quod ex proposito et certa malitia, non ex ignorantia et infirmitate, seu passione solummodo peccaverunt, quemadmodum scriptum est de quibusdam, Scrutati sunt *Ps.* LXIII, 7. iniquitates ; *pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra,* id est, per modum pœnitentis se habuit circa hoc. Non enim mutatio aliqua, nec passionum affectus, nec pœnitudo de facto præterito cadere potest in Deo absolute perfecto, in quo est sapientia infinita, beatitudo immensa, invariabilitasque æterna. Unde per Malachiam testatur : Ego Dominus, et non mutor. *Et* *Malach.* III, 6. *præcavens in futurum,* id est, præfatis malitiis hominum obicem ponere, ac finem imponere proponens, *et tactus dolore cordis intrinsecus,* hoc est, suis effectibus, præsertim hominibus ad suam imaginem conditis, quasi intime condolens instar piissimi patris, utpote per modum contristatissimi habens se, quum tamen in se ipso incommutabiliter infinita jucunditate superplenissimus esset : juxta quem modum loquendi scriptum est in libro Judicum, Dominus doluit super miseriis eo- *Judic.* X, 16. rum ; de quo nihilo minus primo Regum Samuel ait : Triumphator in Israel pœni- I *Reg.* XV, 29. tudine non flectetur ; neque enim homo est ut agat pœnitentiam. *Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ,* id est, universum genus humanum, perpaucis demptis, occidam diluvio ; *ab homine usque ad animantia,* id est tam homines quam animalia terrestria ; *a reptili usque ad volucres cœli,* hoc est tam reptilia terræ quam aves cœli aerei : *pœnitet enim me fecisse eos,* id est, per modum ejus

Digitized by Google

quem pœnitet ea fecisse quæ destruit, habeo me, in eo quod intendo præfata opera mea occidere.

Quamvis autem irrationalia non peccarunt, nihilo minus justo Dei judicio sunt punita, in detestationem excessuum hominum, propter quos facta erant, sicut hoc diffuse expositum est supra. Sed cur tunc pisces non fuerunt deleti, quum et ipsi propter homines essent facti ? Respondetur quod terra et aer quodammodo inquinati fuerunt per scelera hominum, qui in terra et aere, non in aquis morantur. Ideo animalia ad ornatum terræ aerisque spectantia, sunt necata. Natura etiam piscium est, aquis non mergi et perire, sed foveri et delectari. Quid autem dicendum sit de avibus, quarum natura est super aquas natare, infra patebit.

Præterea Scriptura non sine grandi pondere ac rationabilissima causa ita de invariabili Deo locuta est, utpote quod pœnituit eum, et præcaverit in futurum, atque interno cordis dolore sit tactus, quum tamen providissimi sit auctoris, universa fu- A tura sic prævidere, ut prorsus nil agat, de quo postmodum doleat. Cur ergo Spiritus Sanctus per Moysen ita locutus est, nisi ut addiscamus et contemplemur, quantum displiceant Deo, essentialiter sancto, justo et bono, peccata nostra, et diligentius ea vitemus ? Hinc loquitur gratiosissimus Augustinus : Ira Dei, non perturbatio animi ejus est, sed judicium quo irrogatur pœna peccati. Cogitatio vero cordis ipsius, est immutabilis ratio rerum mutandarum. Neque enim Deum cujusquam facti sui B proprie pœnitet, cujus est de omnibus rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Sed nisi Scriptura uteretur talibus verbis, non tam familiariter insinuaret se omni generi hominum quibus vult esse consultum, ut et perterreat superbientes, et excitet negligentes, exerceatque quærentes, et alat intelligentes : quod non faceret, si non prius inclinaret se, et quodammodo descenderet ad jacentes. Porro quod et interitum animalium terrenorum, volatiliumque denuntiat, magnitudinem C cladis designat.

ARTICULUS XXXIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI, A LOCO : NOE VERO INVENIT GRATIAM CORAM DOMINO.

N*OE vero invenit gratiam coram Domino,* hoc est, Deo acceptus fuit ac placens, et gratiam quam optavit, a Domino impetravit. *Hæ sunt generationes Noe. Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis,* id est, inter homines sui temporis suique generis fuit notabiliter justus, dando unicuique quod ei debebat, Deo cultum, sibi ipsi custodiam, proximis suis virtuosum exemplum. Fuit quoque perfectus, secundum quod viatori et viro heroico competere solet perfectio. Fuit ergo justus, servando præcepta ; et perfectus, per multa supererogationis vir- D tuosæ opera. Rursus justus fuit, se ipsum debite gubernando ; perfectus, pro communi bono curam gerendo, et aliis pro posse benefaciendo.

Porro quod additur, In generationibus suis, exponi solet dupliciter. Primo, depressive, ita ut sonet in minorationem sui præconii : quasi dicatur, perfectus fuit inter suos et tempore isto, quando pene omnes pessimi erant, quamvis tempore evangelicæ legis conversatio sua non fuisset magnæ reputationis. Alio modo pro-

Digitized by Google

motive, ita ut sonet in excellentiam suæ laudis : quasi dicatur, Tempore illo quo sic abundavit iniquitas, fuit perfectus, et inter pessimos optimus : quod præcipui meriti est, utpote non vinci a malo, nec a perversis perverti, sed econtrario constanter persistere in omni virtute. Sicque de beato Loth ait princeps Apostolorum : (II Petr. II, 8.) Quod vita et adspectu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justi iniquis operibus affligebant. Et ita intelligendum est istud de Noe, per quem Deus fecit tam grande bonum. Unde de eo scriptum est : (Eccli. XLIV, 17.) Noe inventus est perfectus et justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio; ideo dimissum est reliquum terræ, quum factum est diluvium. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro. Hinc Josephus narrat : Noe graviter ferens actus et consilia iniquorum illorum, agebat ut ad meliora mentem eorum actusque transferret : quos quum videret sibi non acquiescentes, sed vehementer libidine detineri, metuens ne ipsum cum uxoribus et filiis suis occiderent, discessit a terra illa. *Cum Deo ambulavit,* secundum Dei beneplacitum conversando, et ei fideliter adhærendo, quemadmodum præcedenti capitulo dictum fuit de Enoch.

Corrupta est autem terra coram Deo, id est, habitatores terræ per carnalia vitia exteriora infecti sunt; *et repleta est iniquitate,* hoc est, etiam per vitiosos affectus, cogitationesque pessimas intus corrupti sunt. *Quumque vidisset Deus terram esse corruptam,* juxta sensum inductum : *omnis quippe caro,* id est omnis homo, paucissimis demptis, loquendo de hominibus adultæ ætatis, *corruperat viam suam super terram,* hoc est, ordinem legitimæ generationis, per quam generabilia intrant in mundum, et pertingunt ad esse specificum, subvertit per fornicationes, adulteria, et innaturalem modum coeundi, ut tactum est supra, quod mulieres ascenderant viros, et item per vitia contra naturam. Potest quoque per viam intelligi tota eorum vita, quæ fuit vitiis plena. Est autem consuetudo Scripturæ, per omnem carnem, omnem hominem designare, juxta illud in Isaia : Videbit omnis caro salutare Dei nostri. (Is. XL, 5. Luc. III, 6.) Aliqui quoque dicunt, quod homines ex perversitate fecerunt bruta innaturaliter commisceri, contra id quod in Levitico dicitur : Jumenta tua non facies cum alterius generis jumentis coire. (Levit. XIX, 19.)

Dixit Dominus *ad Noe,* per subjectam creaturam, seu angelum in humana specie, ut creditur, apparentem : *Finis universæ carnis venit coram me,* id est, justo judicio instat mors cunctis mortalibus propter eorum excessus. *Repleta est terra iniquitate a facie eorum,* id est, habitatores terræ propria iniquitate repleti sunt. Vel ipsa terra dicitur vitiis suorum habitatorum impleta, quemadmodum locus dicitur adimpleri operatione et culpa locati. *Et ego disperdam eos cum terra,* hoc est, tam habitatores terræ, quam ipsam eorum terram, diversimode perdam : homines hinc inde fugando, terrendo, ac submergendo, ipsamque terram suis fructibus ac solita fecunditate et fructuum suorum virtute privando, superiora etiam terræ loca per aquas diluvii corrumpendo, secundum quod unum elementum est alterius corruptivum. Hinc in Scholastica historia fertur, et idem habetur in Glossa : Tradunt doctores, vigorem fecunditatemque terræ longe inferiorem, seu multo minorem post diluvium esse, quam ante : et ideo esum carnium hominibus esse concessum, quum ante solis terræ fructibus sustentarentur. Denique Lyra refert, quemadmodum Judæi dicunt, quod terra in superficie sua per quantitatem trium palmorum fuerit per aquas diluvii tabefacta, et in aquam conversa. Verumtamen istud de quantitate trium palmorum reor incertum, præsertim quum terra non fuerit ubique ad talem corruptionem æque disposita, nec æque diu aquis operta. Est quoque probabile, quod per salsedinem aquarum abyssi, quæ pro magna parte causaverunt diluvium, terra fuerit vitiata.

Digitized by Google

Fac tibi, hoc est ad præservationem tui ipsius atque tuorum a submersione diluvii, *arcam de lignis lævigatis,* id est complanatis, dolatis, et alleviatis, seu bene siccatis, ut facilius super aquas levetur. Porro in Glossa dicitur, de lignis lævigatis, videlicet fortioribus et imputribilibus ac bene coarctatis, quæ alia translatio vocat quadrata, ut arca nec vi ventorum, nec inundatione aquarum posset dissolvi. Hanc arcam aliqui vocant navem, quod verum est, quantum ad hoc, quod instar navis super aquas ferebatur, et contenta in se, a submersione protexit. Verumtamen non habuit formam navis, sed erat quadrata, latera tamen ipsius inæqualia erant. *Mansiunculas in ea facies,* id est distincta loca, ut diversa reponantur in eis. *Et bitumine linies eam intrinsecus et extrinsecus.* Hoc fuit, ne arca aquarum impetu læderetur. Dicitur namque in Scholastica historia : Bitumen est glutinum ferventissimum ac tenacissimum, quo ligna lita, non dissolvuntur aliqua vi vel arte, id est, non nisi difficillime, nec sine menstruo solvi potest materia bituminata. Augustinus quoque testatur, quod ligna arcæ cohærebant sibi invicem partim bitumine, per epirosque et clavos atque testudines.

Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum erit *latitudo* ipsius, *et triginta cubitorum altitudo illius.* De qualibus cubitis istud dicatur, infra tractabitur. *Fenestram in arca facies.* Ista fenestra stetit altius ipso ostio arcæ. Atque ut Scholastica ait historia, Hebræi dicunt eam fuisse crystallinam, quæ copiose lumen solis reciperet, et aquas repelleret; sed tamen aquæ usque ad eam ascenderant, quod non videtur, nisi forsan ex vehementia impulsionis interdum ; et vocatur in Hebræo meridiana, a Symmacho autem diluculum. Lyra dicit, quod Hebræi dicant, Lucernam facies in ea : quam lucernam aliqui putant fuisse lapidem pretiosum ac splendidum, arcam suo lumine illustrantem, ut facit carbunculus ; sed primum melius sonat.

A Aliqui quoque opinantur, quod fenestra ponitur hic pluraliter, pro fenestris ; quoniam dicunt, tantum ædificium non potuisse per unam fenestram satis illuminari. *Et in cubito consummabis summitatem ejus.* Fuit namque hæc arca in fundamento quadrata, atque in forma longiori altera parte ab angulis in altum conscendens, quousque tectum incepit se angulariter stringere, donec summitas ejus in cubito complebatur, ita quod latera tecta superiora non distabant ab invicem, nisi per B cubitum : sicque per spatium cubitale fuit arca superius plana, quatenus pluvia super tectum descendens, deflueret facilius extra arcam, ipsaque firmius staret inter undarum impulsus. *Ostium autem arcæ pones in * latere deorsum.* Ostium istud factum est in latere arcæ, in ea parte, in qua jungebantur mansio animalium et apotheca, seu victualium locus, ita quod fuit in horum confinio et supra duas cameras inferiores, ut infra plenius exponetur. Ideo dicit Strabus, quod ostium fuit C inter apothecariam et animalium habitationem. *Cœnacula et tristega facies in ea.* Secundum Bedam, στέγη Græce, Latine dicitur tectum. Inde tristega dicuntur triplicia tecta, id est interstitia seu operimenta. Unde Septuaginta transtulerunt, Bicamerata et tricamerata facies in ea, hoc est, locum habentem cameras duas inter se distinctas, et alium locum habentem tres cameras.

* *ex*

Circa quod scribit Strabus : Bicamerata facies in inferioribus, et tricamerata in D superioribus. Quinque enim mansiones distinctæ fuerunt in arca. Infima fuit stercoraria, ad quam stercora defluebant, ne exsistentes in arca, læderentur fœtore. Secunda, apothecaria. Tertia, immitium animalium et serpentium. Quarta, animalium mansuetorum. Quinta, hominum et animalium. Verumtamen diversi diversimode disponunt has mansiones. Nam aliqui dicunt, quod una fuit directe super aliam, secundum totam longitudinem ac latitudinem arcæ, absque hoc quod aliqua ea-

Digitized by Google

rum esset divisa seu distincta in duas aut tres cameras : et dicunt quod infima, fuit sentina seu stercoraria; secunda, apothecaria; tertia, habitatio animalium immitium; quarta, mitium; quinta, hominum et avium. Porro alii dicunt, quod in arca erant ascendendo tres mansiones, una super aliam sita, ita quod infima fuit (ut dictum est) stercoraria seu sentina, ad quam fæces defluebant, quam dicunt non fuisse interclusam, seu in aliquas mansiones divisam. Secunda fuit apotheca, quam dicunt fuisse in cameras duas distinctam, ita quod in una camera erant fructus quibus quædam bruta vescuntur, in alia herbæ quibus vescuntur ceteræ bestiæ. Tertia fuit tricamerata, seu tres cameras habens collaterales, quarum duæ extremæ erant pro bestiis, una pro mitibus, alia pro immitibus, media pro avibus atque hominibus.

Insuper in Scholastica historia dicitur : Arca habuit cameras quinque, quas Augustinus etiam præter sentinam dicit ibi fuisse, asserens super tabulatum sentinæ eam fuisse bicameratam per longum. Una camerarum erat stercoraria, alia apothecaria, et super hanc mansionem fuit alia mansio tricamerata per longum, ita quod laterales cameræ erant una immitium animalium, alia mansuetorum, media hominum et avium. Alii has cameras in altitudine sola disponunt, inferiorem et sentinam vocantes stercorariam; secundam super illam, apothecariam; tertiam, immitium; quartam, mitium animalium; quintam, hominum et avium. Josephus tamen ait, arcam quatuor cameras habuisse, quia stercorariam seu sentinam forsitan non includit nec computat. Hæc ibi. Itaque cœnacula possunt referri ad bicamerata, tristega ad tricamerata.

Præterea præinductum textum quidam sic punctuat : Ostium autem arcæ pones in latere : dicens quod ibi sit punctus secundum Hebræos, ita quod verbum istud, Deorsum, refertur ad textum sequentem : quia (ut dicunt) ostium arcæ non poterat

A convenienter poni in inferiori parte, quoniam arca fuit multum profundata in aqua, et expositores catholici dicunt ostium illud fuisse in confinio habitationis animalium et apothecæ. Sed istud non videtur valere, et punctatio catholicorum probatur aptior esse. Nam et expositores catholici, qui dicunt ostium fuisse in latere arcæ in præfato confinio, textum sic punctuant : Ostium autem arcæ pones in latere deorsum. Ex hoc enim quod fuit deorsum, non sequitur quod fuit in infima parte, sed

B quod fuit infra habitationem omnium animalium et hominum ac avium. Quod si Hebræi et eos sequentes, intelligunt per Deorsum, infimam partem, non possunt hoc verbum, Deorsum, referre ad litteram sequentem, qua dicitur : Cœnacula et tristega facies in ea; quia tristega fuerunt sursum et supra ostium, sicut jam patuit.

Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, et interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est, * id est omne animatum sensitivum habens spiritum seu (* subter cœlum)

C animam vitalem, sive rationalem sive irrationalem. *Et universa quæ in terra sunt, consumentur,* id est, omnia viventia in terra, occidentur, demptis his quæ in arca ducentur. Pisces autem morantur in aquis, nec proprie habent carnem, quamvis dicat Apostolus, Alia caro piscium, large (I Cor. xv, 39.) accipiens nomen carnis. *Ponamque fœdus meum tecum,* id est, pactum amicitiæ specialis tecum inibo et demonstrabo in te, utpote quod te et eos qui tecum arcam intrabunt, præservabo ab imminenti peri-

D culo ex aquarum diluvio, et quod per te reparaturus sum sæculum. Ideo ait Glossa : Ponam fœdus meum tecum, de te et familia tua conservanda ad humani generis reparationem. Infra autem legitur Dominus aliud fœdus pepigisse cum Noe. *Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina,* id est combinata seu duo, *induces in arcam, ut vivant tecum* in arca, *masculini sexus et feminini,* hoc est unum masculum et unam femellam. Qualiter factum sit istud, videlicet qualiter animalia

Digitized by Google

ista ad arcam venerunt, et de quibus animalibus istud intelligatur, infra diligentius exponetur.

Sed quid est quod Dominus nunc legitur præcepisse, ut Noe tolleret secum de cunctis animalium speciebus duo, quum sequenti capitulo Deus legatur jussisse ut Noe tolleret ex omnibus animalibus mundis septena et septena, masculum et feminam, de animalibus vero immundis duo et duo, sed et de volatilibus cœli septena et septena? Et respondendum quod ista commissio legitur facta ipsi Noe a Deo, antequam cœpit arcam ædificare, et tunc facta est ei in generali et indistincte; postmodum vero arca jam præparata, facta est ei jussio illa secunda, in qua in speciali atque distincte Deus expressit, quod ante in communi et confuse mandavit. Numerus autem minor non excludit majorem. Si autem objiciatur, necessarium aut statim congruum exstitisse, ut ante fabricationem arcæ Dominus exprimeret omnia illa distincte, quatenus juxta hoc faceret mansiones arcæ majores sive minores: dicendum, quod Dominus ante hanc jussionem satis exposuit sancto Noe magnitudinem arcæ fiendæ. Potest quoque responderi, quod ante fabricationem Dominus forsan insinuavit Noe istud præceptum distincte, sicut et postea; Moyses tamen non curavit hoc in isto capitulo plene exprimere, quia in sequenti capitulo fuit hoc distincte expressurus ac plene, propter quod satis reputavit nunc dicere in communi.

Bina induces in arcam *de volucribus juxta genus suum,* hoc est de qualibet specie specialissima avium duo; *et de* A *jumentis in genere suo,* id est de qualibet tali specie jumentorum duo. Jumenta autem proprie appellantur animalia domita atque domestica, hominibus accommoda, quæ dicuntur jumenta quasi juvamenta, ut supra inductum est. Nunc tamen per jumenta intelligi possunt bruta in generali, de quibus nunc fit hic mentio specialis. *Et ex omni reptili terræ,* id est ex qualibet reptilium terrestrium specie, *secundum genus suum,* id est secundum suam naturam. Sumitur enim hic genus B pro specie. *Bina de omnibus* jam præfatis, utpote duo de singulis speciebus, *ingredientur tecum* in arcam, *ut possint vivere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt,* id est, aliqua accipies de omnibus rebus aptis esui hominum ac brutorum. Utrum vero intelligendum sit hoc etiam de animalibus illis, quibus homines et quædam bruta naturaliter nutriuntur, infra discutietur. *Et comportabis apud te,* id est, in apotheca arcæ repones, adjuvantibus te filiis tuis ac C ceteris tuis domesticis, quantum oportet. *Et erunt tam tibi quam illis in escam* *; id est, tu ipse cum domesticis tuis tecum ingressuris, et irrationalia animalia in arca nutriemini comestibilibus illis. Unumquodque individuum secundum congruentiam et dispositionem suæ naturæ, seu singuli singulis cibis sibi competentibus nutrientur. Erant autem comestibilia ista valde multa, quia per integrum annum fuerunt in arca ipse Noe cum suis ac bruta. *Fecit igitur * omnia quæ præce-* D *perat illi Deus.* Non quod per se solum executus sit omnia, sed per adjutoria opportuna.

* *cibum*

* *Noe*

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIV

DE OBJECTIONIBUS INFIDELIUM CONTRA PRÆDICTA, ET DE QUÆSTIONIBUS CONCERNENTIBUS PRÆSENS CAPITULUM, AC SOLUTIONIBUS EARUMDEM. DE FIGURA QUOQUE SEU FORMA ET QUANTITATE DISPOSITIONEQUE ARCÆ.

QUEMADMODUM super Genesim in homilia de Arca Noe recitat Origenes, quidam, præsertim Apelles hæreticus, discipulus Marcionis hæresiarchæ, qui Apelles fuit inventor alterius hæresis, ultra eam quam didicit a suo magistro, cum quo intendebat probare, Scripturam veteris Testamenti non esse a Deo : hic ergo Apelles dixit, nullo modo fieri potuisse, ut tam breve spatium arcæ contineret tot animalium genera, eorumque cibos qui illis per totum annum sufficerent, imo non poterat continere saltem quatuor elephantes, quum tamen dicantur in arca fuisse ex immundis animalibus bina et bina, hoc est duo masculi, duæque feminæ, secundum quod indicat sermo repetitus. Ex mundis vero septena et septena, id est paria septena, videlicet quatuordecim talia. Et postea quasi per singulas species sic refragatur Apelles, puta de gryphis. Ex quibus concludit, Constat ergo fictam esse hanc fabulam. Quod si est, constat hanc a Deo non esse Scripturam. Insuper Augustinus tangit alias quorumdam objectiones. Quidam enim dixerunt Moysen non descripsisse rem gestam hoc loco, sed ea quæ scribit de arca, esse intelligenda dumtaxat spiritualiter et figurative. Ad quod aliqua induxerunt motiva. Primo, quia non potuit tam magnum esse diluvium, quod altissimis montibus altius esset quindecim cubitis, propter altitudinem montis Olympi, ad cujus verticem nequeunt nubes ascendere, nec est in vertice isto aer hic crassior, in quo nebulæ, venti ac nubes gignuntur. Secundo, quia ut eis apparet, non poterat tantæ magnitudinis arca compingi. Tertio, quia quum Deus omnipotens omnia possit solo imperio reparare, non videtur ad litteram quod jussit animalia reservari propter destructorum reparationem.

Ad ista objecta responderunt viri catholici, atque ad primum acceperunt responsionem ex Origene, qui ait : Quæ a prudentioribus viris et Hebraicarum traditionum gnaris, atque a veteribus magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Dixerunt ergo majores, quod Moyses, qui (teste Scriptura) doctus erat omni sapientia Ægyptiorum, posuit in hoc loco numerum cubitorum secundum geometricam artem, qua præcipue callent Ægyptii. Unus autem cubitus apud geometras, continet sex cubitos nostros. Hanc Origenis responsionem Augustinus allegat et approbat, quam etiam tangit Hugo de S. Victore in libro suo de Arca Noe. Sic itaque quantitatem cubitorum accipiendo, arca tantæ fuit extensionis, quod capere poterat omnia quæ in textu scribuntur fuisse in ea. *Act. VII, 22.*

Ad secundum respondet Augustinus, admirando cæcitatem adducentium illud objectum. Si enim terra quæ est gravior aqua, potuit tam alte ascendere in monte Olympo, cujus suprema pars terra est, et tamdiu in tanta elevatione persistere, cur aqua non potuit ad tempus breve omni monte ascendere altius per quindecim cubitos? Ad tertium quoque respondet : Illud quod disputant tantæ magnitudinis arcam non potuisse compingi, ineptissime calumniantur, quum sciant maximas urbes esse constructas, nec attendunt centum annos

Digitized by Google

quibus arca illa est fabricata, nisi forte A lapis lapidi cohærere potest sola calce conjunctus, ut murus per tot milliaria circumducatur, et lignum ligno per testudines, epiros, clavos, glutem bituminis adhærere non valet, ut fabricetur arca longe lateque porrecta, non curvis, sed lineis rectis, quam humanus conatus non misit in mare, sed veniens unda levavit, magisque divina providentia quam humana prudentia gubernavit. Ad quartum respondet, quod propter designandum mysterium Deus jussit animalia reservari in arca, sic- B ut in sequenti articulo in spirituali hujus capituli expositione patebit. Præterea Augustinus : Quæritur, inquit, utrum tam magna arca poterat fabricari infra centum annos a quatuor viris, videlicet Noe et tribus filiis ejus : quod si non poterat, non erat magnum adhibere et alios fabros, quamvis accepta laboris sui mercede, non curaverint utrum Noe sapienter an inaniter ageret, nec eam ingressi sunt, quia non crediderunt quod credidit ille.

At vero de forma seu figura arcæ Ori- C genes sic ait : Primo quæritur, qualem oporteat intelligi formam arcæ. Quam ego, inquit, quantum datur intelligi ex Scriptura, puto consurgentem quatuor angulis ex imo, eisdemque angulis paulatim usque ad summum contractis in angustum, ipsam arcam in spatium unius cubiti fuisse collectam. Sic enim refertur, quod in fundamento ejus trecenti cubiti erant in longitudine, quinquaginta in latitudine, in altitudine vero triginta. Sicque collecta est in angustum cacumen, ita ut cubitus sit D longitudo et latitudo ipsius. Et paulo post addit Origenes : Quantum ad necessitatem pluviarum atque diluvii spectat, nulla poterat tam conveniens et congrua forma arcæ dari, quam ut e summo velut ex tecto quodam in angustum culmen educto diffunderet imbrem cadentem, et per ima in aquis quadrata stabilitate consistens, nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium, quæ intrinsecus erant, inclinari posset aut mergi. His consonare videtur quod ait Alcuinus, et habetur in Glossa : Congrue arca in summo, velut tecto quodam angusto, cacuminata est, ut imbrium ruinas diffunderet.

Verumtamen Hugo de S. Victore in libro de Arca Noe, verbis Origenis sic objicit : Sententiæ Origenis plura refragari videntur. Primo, quia hæc forma quam assignat, non videtur ad natandum esse idonea. Constat namque arcam tam magnam, tot animalibus cibariisque onustam, non potuisse supernatare, venientibus aquis, quin pro magna parte sui premeretur deorsum in aquis, ut docet experientia in navibus onera magna gestantibus. Si ergo arca statim ab imo contrahi cœpit, ita ut latera ejus hinc inde se inclinantia non repellerent, sed reciperent fluctus intumescentes, et non tam aqua arcam, quam arca aquam portaret, quomodo fieri poterat, ut non tota statim ad ima descenderet? Rursum, quum Dominus dicit, Pones ostium in latere deorsum, per latus deorsum, videtur significare parietem lateralem, ad differentiam lateris quod sursum erat in tecto, in quo fortassis fenestra posita erat ; et quum iterum infra dicitur, Aperuit Noe tectum arcæ, satis consequenter innuit, ipsam arcam deorsum habuisse parietes, quibus superpositum fuit tectum, quod erat contiguum supremæ mansioni in qua homines erant. Propter has et hujusmodi alias causas, videtur nobis quod in arca parietes erant erecti in quatuor partibus, in quibus tectum superpositum in cacumine suo contrahebatur ad cubiti unius mensuram. Hæc Hugo. Qui iterum ait : In parietibus hujus arcæ foris facti erant nidi sive mansiunculæ quasi affixi ad ipsos parietes, quorum nidorum aditus seu introitus patebat extrinsecus, ipso pariete intus integro permanente, erantque facti hi nidi pro bestiis, quæ nec semper in aqua, nec semper in arida degere possunt, ut sunt luter, vituli quoque marini.

Gen. VIII, 6.

Præterea Hugo scribit de ista materia alia quædam, quæ vel stare non possunt,

Digitized by Google

vel ego non intelligo ea, quod facilius concedi potest. Etenim ait : Cujus altitudinis fuerint parietes arcæ, non dicit auctoritas; sed quantum conjicimus, altitudo parietum usque ad fundum quartæ mansionis extendebatur. Quomodo verum est hoc? Si verum est quod superius dixit, tectum fuisse supremæ mansioni contiguum, parietes namque extendebantur usque ad tectum, ergo altitudo parietum pertingebat usque ad quintam mansionem. Iterum ait : Si quæratur, an æqualis fuit altitudo singularum mansionum, an non, nos ex auctoritate probare non possumus. Interim vero quod auctoritati non exstat contrarium, postulamus nobis concedi. Volumus enim sic distinguere, ut primæ mansioni demus in altitudine quatuor cubitos, secundæ quinque, tertiæ sex, quartæ septem, quintæ et supremæ octo. Et sic altitudo parietum habuit quindecim cubitos, et totidem altitudo tecti. Istud non videtur, quia secundum hoc quarta et quinta mansiones fuissent sub tecto. Secundum expositores autem omnes mansiones erant infra tectum, prout in figuris arcæ, quæ secundum duplicem expositionem dupliciter pingitur, describitur. Denique, si tectum fuisset tantæ altitudinis sicut parietes, capacitas seu spatium intra arcam, fuisset per hoc multum minoratum. Rursus, præhabitum est, quod secundum expositionem, quæ textui et præsertim Septuaginta translationi consonantior est, mansio tertia, quarta et quinta, fuerunt æque altæ, quoniam locus in quo erant situatæ, fuit tricameratus per transversum.

Præterea his quæ Hugo dixit de nidis, consonat quod ait Glossa : quæ in aqua et terra communiter vivunt, sicut lutri, vitulique marini, extra arcam habebant loculos præparatos, in quibus recipi poterant velut in arida. De avibus quoque marinis et fluvialibus idem dicendum est. Hæc Glossa, quæ et Augustino adscribitur.

Amplius circa istud, Trecentorum cubitorum erat longitudo arcæ, scribit Lyra : Aliqui dicunt, quod cubiti isti fuerunt geometrici. Sed tunc occurrit dubium, qualiter ædificium tantæ magnitudinis fieri poterat. Hebræi autem dicunt, quod erant cubiti usuales. Sed dubium tunc occurrit, quomodo tot animalia et cibaria poterant contineri in arca. Istud tamen dubium videtur mihi minus quam primum. Hæc Lyra. Sed sicut ex verbis Augustini jam patuit, minor est difficultas dubii illius prioris. Sciendum quoque, quod aliqui dicunt arcam habuisse triginta cubitos in altitudine infra tectum seu præter altitudinem tecti. Unde in Scholastica historia dicitur, quod arca dicitur habuisse triginta cubitos in altitudine, intelligendum est in corpore ejus, id est, a fundo usque ad tabulatum. Impossibile enim esset, operturam ejus non plus ascendisse, et ligna triginta cubitorum tantam longitudinem ac latitudinem operire. Verumtamen verbum hoc satis obscurum videtur.

Circa præhabita quæritur primo, cur Scriptura ista nil dicat de loco ad quem superfluitates animalium descenderunt. Secundo, an animalia quibus naturale est carnibus vesci, vescebantur eis in arca. Tertio, an animalia commiscebantur in arca. Quarto, an absolute de universis animalium speciebus fuerint ibi individua aliqua. Quinto de potu animalium, quando fuerunt in arca, et quis proposuit eis quotidie necessaria vitæ. Sexto, qualiter devenerunt ad Noe, et quomodo ingressa sunt arcam.

Ad primum horum Origenes respondet : Opportune siluit Scriptura de loco ad fimum animalium reservato, quia de hoc sufficienter docuit ipsius consequentiæ ratio, id est, ex his quæ de animalium mansionibus cibariisque scribuntur, satis consequens fuit ac evidens, quod inferius fuit hujusmodi locus. Et quia ad spiritualem intelligentiam minus digne poterat coaptari, merito ergo Scriptura siluit inde : quia hoc ipsum, quod scilicet siluit inde, rationes suas magis adaptat intellectibus allegoricis.

Digitized by Google

Ad secundum quoque Origenes sic ait: Necessarium videbatur, ut his bestiis, quibus natura dedit carnibus vesci, introducta sint extrinsecus animalia, quorum vescentes carnibus, conservare vitam valeant gratia reparandæ posteritatis. Aliis vero alia servarentur alimenta, quæ naturalis usus deposcit. Porro Augustinus de hoc aliter sentit, dicendo: Solet quosdam movere quæstio de generibus escarum, quæ ibi habere poterant animalia, quæ non nisi carnibus vesci putantur: utrum animalia quibus vescerentur, erant ibi ultra numerum in Scriptura taxatum sine trangressione præcepti, an quod magis credendum est, potuerunt ibi esse præter carnes aliqua alia alimenta, quæ omnibus communia exsistant. Novimus enim quam multa animalia, quibus caro cibus est, quæ pomis frugibusque vescuntur, et maxime fico atque castaneis. Quid ergo mirum, si Noe vir justus et sapiens, cuique animalium generi aptam alimoniam sine carnibus præparavit atque recondidit? Quid est autem quo vesci non cogeret fames? Aut quid non sûave ac salubre facere posset Deus? Qui etiam dedisset illis faciliter vivere sine cibis, nisi conveniret impletioni figuræ tanti mysterii, ut pascerentur. Hæc Augustinus. Et istud verius reor. Quæ enim in arca erant, fuerunt (ut apparet) assecurata a morte quamdiu manebant in ea. Hinc Glossa, itemque Scholastica historia istud sequuntur.

Ad tertium Andreas expositor et alii quidam dicunt, quod bruta prolificabant in arca. Alii dicunt, quod propter generalem mundi afflictionem et desolationem non fuit tunc tempus voluptuosæ commixtionis, quoniam Dominus de ingressu in arcam loquens, seorsum nominavit viros, seorsumque feminas, quemadmodum in exordio sequentis capituli innotescit. Quasi diceret: Tempore tribulationis ab amplexibus est cessandum, prout in Scholastica habetur historia. Ad quod allegari potest, quod imminente subversione Ninivæ, rex (*Jonæ* III, 7.) et principes Ninivæ præceperunt ut homines et jumenta, boves et pecora non gustent quidquam nec pascantur, et aquam non bibant.

Ad quartum Augustinus respondet: Quod autem scrupulosissime quæri solet de minutissimis bestiolis, non solum quales sunt mures et stelliones, verum etiam quales sunt locustæ, scarabei, muscæ ac pulices, annon fuerunt in numero majori in arca quam in textu taxatur. Sic admonendi sunt qui hoc quærunt, sic intelligendum esse quod Dominus ait, Quæ repunt super terram, ut necesse non fuerit conservari in arca, quæ in aquis vivere queunt, non solum mersa, ut pisces, verum etiam supernatantia, sicuti multæ aves. Deinde quum ait, Masculus et femina, profecto intelligitur quod ad reparandam speciem dicit hoc, ac per hoc non fuisse necesse, ut ibi essent ea quæ possunt sine concubitu de materiis aut rerum corruptionibus nasci. Aut si in arca fuerunt, sicut in domibus esse solent, potuerunt ibi esse absque omni numero definito ac certo. Aut si sacratissimum mysterium, quod agebatur tantæ rei figura et etiam facti veritate, aliter non posset impleri, nisi omnia ibi essent numero certo in textu expressa, quæ in aqua vivere nequeunt, non fuit hoc cura ipsius Noe, filiorumque ejus, sed Dei. Non ergo fuerunt in arca quæ sexu carent. Quædam vero de quibuslibet rebus sine concubitu ita nascuntur, ut postea concumbant ac generent, sicut muscæ. In aliis nil maris et feminæ est, sicut in apibus. Alia sic habent sexum, ut non habeant fetum, ut muli et mulæ, de quibus mirum est si fuerint in arca: quæ tamen fuerunt in arca, si hoc ad mysterium pertinebat; nam masculum habent et feminam.

Ad quintum dicendum, quod nomine cibi intelligitur sanctus Noe tam sibi ac suis, quam irrationalibus providisse de necessario potu. Qualiter autem brutis ministrabantur necessaria victui, determinate exponere reor difficile. Quomodo enim octo homines qui erant in arca, potuerunt

Digitized by Google

tot brutis anteponere alimenta? Si autem supernaturale auxilium necessarium fuit, non defuit.

Ad sextum Augustinus respondet, quod non hominis actu, sed Dei nutu, omnia irrationalia illa, etiam aves, venerunt ad Noe, et ingressa sunt arcam sponte: quod angelico obsequio creditur factum, quemadmodum in exordio adducta sunt ad Adam in paradiso, ut videret quid vocaret ea.

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI.

CONCORDITER dicunt doctores, quod per Noe Dominus Jesus Christus signetur. Nec solum per Noe intelligitur Christus secundum quod homo, sed etiam ut est Deus. Quemadmodum enim totius humani generis post diluvium exsistentis, Noe exstat principium, sic Christus secundum quod Deus, est causale principium universorum quæ sunt et vivunt sub sole. Præterea per ætatem sexcentorum annorum, recte significatur æternitas Christi, propter numeri perfectionem. Quemadmodum ergo Noe quum esset quingentorum annorum, genuit Sem, Cham et Japhet, sic Christus in sua æternitate consistens, condidit tria hominum genera in hoc mundo, videlicet gentilem, qui fuit sub lege naturæ; Hebraicum, qui fuit sub lege scripta; christianum, qui est sub lege gratiæ.

Quumque cœpissent homines multiplicari super terram, hoc est, ultra modum et solitum plurimi essent, quod videtur fuisse sub monarchia Romanorum, quando inaudita pax fuit in terra, præliisque cessantibus, homines quasi arena sunt multiplicati. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant.* Illis quippe temporibus temporali prosperitate undique arridente, etiam illi qui fuerunt boni in lege naturali aut scripta, carnales effecti sunt, id est, lascivis curiosisque juncti sunt feminis, propter quod Spiritus Sanctus recessit ab eis. Ex illorum quoque connubio geniti sunt gigantes, id est homines animosi, ambitiosi, et magni ac præpotentes in oculis suis, aut etiam in exterioribus rebus: quorum omnium pravitatem indesinentem, atque ad omnia scelera pronitatem considerans Dominus, quasi pœnitens quod illos fecisset: *Delebo, inquit, hominem,* id est, istos æterna morte damnabo, *usque ad animantia,* hoc est, homines rurales, brutales, indomitos, simul cum illis damnationi adjiciam. *Noe vero invenit gratiam coram Domino:* id est, Christus acceptissimus fuit Patri æterno, imo Christus secundum naturam humanam plus placuit et carior fuit superbeatissimæ Trinitati, quam ceterorum universitas electorum. *Et genuit tres filios.* Per istos tres filios, quos genuit Christus adhuc inter homines conversans in terris, intelligi possunt tres ordines hominum quos convertit, videlicet ordo Apostolorum, chorus septuaginta duorum discipulorum, et reliquorum in eum credentium multitudo.

Quumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. Tunc enim vitia carnalia ac spiritualia, præsertim idololatria, vehementissime invaluerunt, imo et scelera contra naturam in multis. *Dixit ad Noe,* id est ad Christum: *Finis universæ carnis venit coram me,* id est, reproborum carnalium horum iniquitates non feram diutius, sed *disperdam eos cum*

Digitized by Google

terra, hoc est cum operibus suis carnalibus ac terrenis : secundum quod Deus in veteri Testamento per Prophetas prædixit de populo Judæorum, aliisque diversis linguis ac gentibus. Unde Jeremias ait Judæis: Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum. Nempe ut in libro de Doctrina christiana loquitur Augustinus, Deus a quolibet peccatore dignatur certum aliquod pondus seu certam mensuram excessuum tolerare : qua mensura impleta, non suffert diutius. Propter quod infra testatur : Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum.

Jer. XLIV, 2. *Gen.* XV, 16.

Fac tibi arcam de lignis lævigatis, id est, electos a me et vasa misericordiæ, converte per te ac tuos discipulos, atque ex eis Ecclesiam construe, extra quam nullus salvetur, ne totum hominum genus damnetur. Hinc de Christo Zacharias prædixit : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et ædificabit templum Domino. De qua Ecclesia Christus fatetur : Erit unus pastor et unum ovile. Itemque : Nemo venit ad Patrem nisi per me. Hanc arcam Christus ædificavit, conjungendo electos per fidem et caritatem, sicque efficiendo ex eis unum mysticum corpus, cujus ipse est caput. Hinc enim ait : Supra hanc petram, id est fidei firmitatem, seu supra me ipsum, ædificabo Ecclesiam meam. Christus quippe non solum est caput Ecclesiæ, influendo fidelibus vitam gratiæ ac motum justæ conversationis, sed etiam fundamentum, cujus pietati et veritati innituntur fideles, et a quo fundantur et firmantur seu stabiliuntur in cognitione et gratia Dei. Unde protestatus est Paulus : Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Denique arca ista versatur et movetur in hoc mari magno, utpote in hoc sæculo nequam inter tribulationum et tentationum procellas, quibus sæpe agitantur fideles. Sed inter eas ipse Dominus omnium et Salvator, regit, dirigit, et conservat eamdem, atque ad portum salubris quietis gratiæ in præsenti, ac salutis æternæ gloriæ in futuro eam perducit. Et sicut exsistentes in arca Noe, per lignum arcæ et aquas diluvii sunt salvati a morte temporali ; sic exsistentes in Ecclesia, per lignum crucis et aquas Baptismi salvantur a supplicio infernali. Ideo beatissimus princeps Apostolorum : In arca, inquit, octo animæ salvatæ sunt per aquam, sic et vos salvos facit similis formæ Baptismus. Est quoque Ecclesia ex lævigatis lignis, id est firmis et justis hominibus ædificata, qui recte vocantur ligna quadrata, polita, imputribilia, quum sint in æternum victuri, virtutibus decorati, atque in omni eventu constantes, et recti instar quadrati, quod quocumque projiciatur, stat firmiter et erectum.

Zach. VI, 12. *Joann.* X, 16. *Ibid.* XIV, 6. *Matth.* XVI, 18. *I Cor.* III, 11. *I Petr.* III, 20, 21.

Mansiunculas in ea facies. Mansiunculæ istæ sunt particulares Ecclesiæ, diversæ quoque religiones et ordines. Item variæ distinctiones virtutum ac meritorum, et varia dona cœlestium gratiarum, in quibus requiescunt fideles. De quibus Dominus per Isaiam fatetur : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta. Et rursus : Vade, populus meus, intra in cubicula tua, abscondere parumper donec transeat indignatio mea. His mansiunculis correspondent mansiones in patria, id est, diversi gradus præmiorum cœlestium, de quibus Salvator : In domo, inquit, Patris mei mansiones multæ sunt. *Et bitumine linies eam intrinsecus et extrinsecus.* Per bitumen quod ferventissime atque fortissime nectit, sancta caritas, qua nihil ferventius, nihil robustius, nilque indissolubilius colligat, designatur. Tunc ergo Ecclesia intus et extra linitur bitumine, quando fideles se corde et opere diligunt, dum omne quod agunt, ex Dei amore procedit, dum universi per dilectionem uniuntur in Deo, ita ut dicere queant, Quis nos separabit a caritate Dei? dumque solliciti sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ideo Paulus hortatur : Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Is. XXXII, 18. *Ibid.* XXVI, 20. *Joann.* XIV, 2. *Rom.* VIII, 35. *Ephes.* IV, 3. *Coloss.* III, 14.

Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ. Longitudo Ec-

Digitized by Google

clesiæ, est diurna atque longanimis spes Christifidelium, quæ trecentorum est cubitorum, id est perfectæ durationis ab exordio conversionis usque ad beatificum finem, ad omnes pertinens Christianos, fide Trinitatis superbeatissimæ insignitos. Universitas autem fidelium per centenarium designatur, dum Christus in Evan- Luc. xv, 4. gelio loquitur : Quis ex vobis homo qui habet centum oves, etc. ? Quoniam ergo universitas ista ex summa Trinitate subsistit, longitudinemque dierum æternitatis sortitur, recte longitudo ipsius per centenarium triplicatum exprimitur. *Quinquaginta cubitorum latitudo* ejus. Per lati- I Cor. XIII, 7. tudinem intelligitur caritas ad omnia se extendens, quam oportet quinquaginta cubitorum consistere, utpote tantæ exsistentiæ ac vigoris, ut ad quinquagesimum annum remissionis omnium peccatorum, requiemque æternæ felicitatis, in qua omnia bona omissa, plenissime et supereminenter restituuntur, pertingat. *Et triginta cubitorum altitudo illius.* Altitudo Ecclesiæ est contemplatio fidei in hac vita, quæ per observantiam decem præceptorum pertingit ad beatificæ gloriam visionis. In qua quidquid hic promeremur, triplicatum re- Luc. VI, 38. cipimus, sicut Judex ipse testatur : Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Fenestram in arca facies. Per fenestram ipsa fides seu donum sapientiæ rite accipitur, per quam cœlestia intuemur, lumenque gratiæ et splendorem virtutum atque deinde claritatem luminis gloriæ obtinebimus. *Et in uno cubito consummabis summitatem ejus,* id est, vertex Ecclesiæ tantus erit, tam strictus et arduus, ut uni soli, videlicet Christo capiti Ecclesiæ, competat. Hic etenim vertex est suprema perfectio propria soli Christo. *Ostium autem* * ex *arcæ pones in* * *latere deorsum.* Ostium Ec- Joann. x, 7. clesiæ est ipsemet Christus, qui ait : Ego sum ostium ovium. Posuit autem se ipsum in latere Ecclesiæ deorsum, quia totius humilitatis præbuit se exemplum, et universis exhibuit se paratum, ita ut cunctis

A per eum pateret ingressus in sanctam Ecclesiam. Posuit quoque se in latere Ecclesiæ, applicando se pie non solum justis, sed etiam ceteris. Rursus ostium Ecclesiæ est fides, per quam primo in Ecclesiam fit ingressus, seu sacramentum Baptismi, qui est regeneratio spiritualis, ceterorumque janua sacramentorum, vel Pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, et primus post lapsum ingressus : quæ omnia omnibus patent tanquam in latere deorsum locata. Postremo B ostium in latere deorsum, est vulnus lateri Christi infixum, de quo sacramenta profluxerunt Ecclesiæ. *Cœnacula et tristega facies in ea.* Cœnacula sunt officia prælatorum atque doctorum, quorum est corda multitudinis subditorum ac vulgi multiplici cibo spiritualiter reficere, sicut per Jeremiam asserit Deus : Dabo vobis pasto- Jerem. III, 15. res juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Tristega sunt tres status ac gradus fidelium, utpote incipientium, proficientium, et perfectorum ; seu virgi- C num, viduarum, et conjugatorum. In quibus unusquisque juxta suæ vocationis exigentiam conquiescit.

Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, et interficiam omnem carnem. Per diluvium illud intelligit spiritualiter Origenes futurum in fine mundi exterminium omnimodum terræ per ignem, quo omnia viventia in hac terra penitus exstinguentur. *Ponamque fœdus meum tecum.* Hoc est, fœdus summæ amicitiæ inter Patrem et Filium, de quo in Filii baptizatione et D transfiguratione locutus est Pater : Tu es Marc. I, 11. Filius meus dilectus. *Et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum.* Christus namque fuit in ipsa Ecclesia, quemadmodum ait ad Patrem : In medio Ecclesiæ laudabo te. Ad Ps. XXI, 23. discipulos quoque : Ego, ait, in medio ve- Luc. XXII, 27. strum sum sicut qui ministrat. Filii autem Christi fuerunt ejus discipuli, de quibus per Isaiam testatur : Ecce ego et pueri mei Is. VIII, 18. quos dedit mihi Dominus. Uxor Christi, quæ cum ipso intravit Ecclesiam, est con-

Digitized by Google

gregatio ex Judaismo ad evangelicam legem per Christum conversa. Uxores filiorum Christi, sunt particulares Ecclesiæ ab Apostolis et apostolicis viris conversæ, et bene rectæ, quæ omnes universalem introierunt Ecclesiam. *Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini,* hoc est, ex omni genere hominum quosdam utriusque sexus convertes et tibi incorporabis, ut vivant tecum modo per gratiam, et in cœlis per gloriam. *Tolles igitur tecum, ex omnibus escis quæ mandi possunt,* id est, omni genere spiritualium ferculorum implebis Ecclesiam, scilicet sacramentis, scripturis, doctrinis, variisque donis et gratiis Spiritus Sancti, et actibus virtuosis. *Et erunt tam tibi quam illis in escam* *, id est spiritualem refectionem. His etenim reficiuntur suaviter et vere salubriter mentes fidelium, quorum profectus et salus est refectio Salvatoris, cui quum incorporantur fideles, quasi comeduntur ab ipso, quando per conversionem ad ipsum, efficiuntur membra ipsius, quod per ignem caritatis peragitur. *Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus :* id est, Christus secundum naturam assumptam Patri per omnia obedivit, quemadmodum ait : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

* *cibum*

Joann. XIV, 31.

Insuper de hac spirituali expositione arcæ loquitur Augustinus : Mensura longitudinis, latitudinis et altitudinis arcæ, significat corpus humanum, in cujus veritate Christus venit ad homines. Longitudo quippe corporis humani a vertice usque ad vestigia, sexies tantum habet, quantum latitudo, quæ est ab uno latere ad aliud latus ; et decies tantum, quantum altitudo, id est profunditas, cujus altitudinis mensura est a latere usque ad ventrem : ut si metiaris hominem jacentem supinum seu pronum, sexies tantum longus est a capite usque ad calcaneum, quam latus est a dextera in sinistram, seu a sinistra in dexteram ; et decies tantum longus est, quantum altus a terra in qua jacet. Dicitur

A autem arca inferius bicamerata, quia ex Judæis et gentibus est collecta, et continet illos in se ; superius vero tricamerata propter fidem, spem et caritatem. Aut propter fructum centesimum, sexagesimum atque tricesimum. Vel propter tres filios Noe, ex quorum semine nati sunt omnes Ecclesiæ filii. Insuper quod ea quæ de arca sunt scripta, sunt spiritualiter de Ecclesia exponenda, probat ex hoc Augustinus, quod Deus jussit de animalibus mundis septena et septena duci in arcam ; de immundis B vero, bina et bina, quum tamen munda possent reparari per bina et bina, sicut immunda ; et quoniam Deus potuit omnia reparare eo modo quo condidit ea. Hæc Augustinus.

Matth. XIII, 8.

Præterea Gregorius dicit : Arca in inferioribus fuit lata, in superioribus vero angusta, atque in summitate sua ad unius cubiti mensuram pervenit. Inferius enim quadrupedia et reptilia, superius vero aves et homines creditur habuisse. Ibi lata, ubi bestiæ ; ibi angusta, ubi homines erant. C Hæc verba Gregorii, consonare videntur verbis Origenis supradictis de figura seu forma arcæ, quod ab imo forma cœperat contrahi. Deinde addit Gregorius : Arca in summis angustatur usque ad cubitum unum, quoniam in Ecclesia quanto aliqui fuerint sanctiores, tanto sunt pauciores, qui in summo perducuntur ad illum, qui solus sine comparatione natus est Sanctus in terra.

Ait quoque Hugo de S. Victore : Trecentorum cubitorum longitudo designat D sæculum præsens, quod tribus decurrit temporibus, scilicet tempore legis naturalis, tempore legis scriptæ, et tempore gratiæ, per quæ sancta Ecclesia a principio mundi tendit ad patriam. Quinquaginta cubitorum latitudo, universos fideles significat, qui sub uno capite Christo sunt constituti. Nam quinquaginta constant ex septies septem, qui numerus universitatem fidelium signat, uno adjuncto quod Christum significat, qui est caput Ecclesiæ et finis desideriorum nostrorum, propter

Digitized by Google

quod arca in uno cubito consummatur. A Porro altitudo cubitorum triginta, designat triginta libros sacræ Scripturæ, videlicet viginti duos veteris Testamenti, et octo novi, in quibus summa omnium continetur, quæ propter Ecclesiam suam Deus fecit aut faciet. Centum anni quibus ædificata est arca, significant tempus gratiæ quo Ecclesia est formata. Hæc Hugo.

Sensus tropologicus. Postremo juxta tropologiam, per arcam exprimitur mentis nostræ secretum, in quo ab inquietudine mundi et tentationum quiescere et latere debemus. Hujus arcæ ostium, est exitus ad opera bona; fenestra vero, ingressus est ad meditandum ac contemplandum. Mansiones hujus arcæ, sunt diversa genera cogitationum. In hac arca omnia intellectualiter continentur et spiritualia alimenta habentur. Verum hæc prosequi prohibet brevitas, cui insudo.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : DIXITQUE DOMINUS AD EUM.

CONSEQUENTER describitur exsecutio B divinæ comminationis de adductione diluvii. *Dixitque Dominus ad eum,* scilicet ad Noe : *Ingredere tu et omnis domus tua,* id est omnes domestici tui, videlicet uxor tua et filii tui, eorumque conjuges, *in arcam.* Verumtamen ingressionis hujus præceptum implevit Noe, non statim quando Dominus locutus est verba hæc, sed tempore opportuno, ut paulo post scribitur. *Te enim vidi justum coram me,* id est veraciter virtuosum, in tantum ut propter

Gen. VI, 18. te parcam domesticis tuis; *in generatione* C *hac.* Hoc in præcedentis capituli expositione dupliciter explanatum est. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam.* Verumtamen istud videtur obscurum, idcirco doctores in ejus expositione diversificantur. Quidam enim exponunt sic : Ex omnibus animantibus mundis, id est ex qualibet specie specialissima animalium mundorum, accipe septem mares et totidem feminas ; et isti dicunt, quod ex qualibet specie tali fuerunt in arca quatuordecim D individua, et hoc videtur textus prætendere, dicens, Septena et septena, masculum et feminam : quasi dicat, Septem et septem, ita quod septem sint mares, septemque feminæ : quod etiam verba textus paulo post sequentia, insinuare videntur, sicut patebit. *De animantibus vero immundis* tolle *duo et duo, masculum et feminam,* id est bina et bina seu quatuor, secundum istos, ita quod duo erunt masculi et duæ feminæ, ex omni hujusmodi specie. *Sed et de volatilibus cœli septena et septena, masculum et feminam,* hoc est quatuordecim juxta sensum de animalibus mundis inductum. *Ut salvetur semen super faciem universæ terræ,* id est, ut animalia ista post diluvium reparent specierum suarum ruinam, et generando multiplicent suarum individua specierum ubique terrarum.

Circa hoc quæri potest, an de qualibet specie avium fuerunt individua tot in arca, et cur non distinguit Moyses inter aves, vocando aliquas mundas, quasdam vero immundas, potissimum quum secundum legem quædam aves fuerunt immundæ, quædam mundæ. Ad istud non legi responsionem, nec vidi quæstionem hanc motam, idcirco eam determinare non audeo, nec incerta pro certis in expositione Scripturæ scribere volo. Qui autem vult dicere, quod distinctio fuit inter aves quantum ad munditiam et immunditiam, et quan-

Digitized by Google

tum ad numerum, sicut de animalibus dictum est, dicere potest quod Moyses brevitati studens, non distinxit inter aves ; sed de solis septenis et septenis introducendis in arcam, locutus est, intelligendo per ista septena aves mundas : quia quod de animalibus terræ jam dixerat, quantum ad distinctionem et numerum varium, de avibus quoque intelligi voluit. Qui vero superficiem litteræ sequitur, dicere habet, quod de qualibet specie avium non fluvialium et sexum utrumque ad generandum habentium, septena et septena in arcam deducta sunt, id est quatuordecim secundum istam expositionem, et forsitan totidem de avibus fluvialibus generativis, in nidos præfatos arcæ affixos. Et quod propter mysterium non fit distinctio inter aves cœli, sicut inter bestias terræ, utpote propter mysticam significationem infra tangendam. Denique expositioni huic consonare videtur quod paulo post subditur : De animantibus mundis et immundis et de volucribus duo et duo ingressa sunt in arcam ad Noe, masculus et femina. Ex quo (ut apparet) consequitur, quod ea quæ introierunt, ingressa sunt omnia combinata, atque in numero pari, sive in quaternario sive in quatuordenario, ita quod non introierunt septem tantum de animalibus mundis : sic namque septimum intrasset non combinatum, et masculus sine femella, contra quod rursus in isto capitulo subditur : Ingressa sunt ad Noe in arcam bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ ; et quæ ingressa sunt, masculus et femina introierunt. Unde in præcedenti capitulo scriptum est : De volucribus et jumentis et ex omni reptili terræ secundum genus suum, bina de omnibus ingredientur tecum.

Hanc expositionem tenet Andreas expositor, et concordant Hebræi, ut legi. Origenes quoque hoc sentit : Bina, inquiens, et bina, hoc est bini masculi et binæ feminæ de immundis animalibus. Hoc enim indicat sermo repetitus. Ex mundis vero septena et septena, quod est paria septena, in arcam dicuntur inducta. Idem Augustinus insinuare videtur, dicens : Dicunt quidam quantitatem arcæ non potuisse capere tam multa animalium genera in utroque sexu, videlicet bina de immundis, septena de mundis. Ad quod Augustinus ita respondet, ut non neget tantam animalium multitudinem in utroque sexu ibi fuisse, sed arcam fuisse majorem, quam prima facie littera sonare videtur.

His autem objiciunt alii, quod arca fuisset nimis gravata et occupata tanta animalium et avium pluralitate. Item quod ad multiplicationem et reparationem animalium et avium non erat necessaria pluralitas tanta. Hi itaque litteram sic exponunt: Ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam, id est septem de isto animalium genere, et septem de illo, sicque de singulis, ita quod ibi sint tria masculini generis, et tria feminini, septimum vero ut immoletur Deo post egressum ab arca. De animantibus vero immundis duo et duo, id est, de quolibet illorum genere duo. Et simili modo exponunt quod de avibus dicitur, septena et septena. Porro quod sequitur, Bina et bina ingressa sunt, masculus et femina, sic exponunt, quod combinatio illa intelligitur tantum de animalibus quæ erant ad prolificandum reposita. Hanc expositionem sequitur Rabanus, Glossa, et Scholastica historia ; prima tamen videtur consonantior textui, et argumenta in oppositum facta, faciliter solverentur.

Sed jam adhuc oritur quæstio duplex. Prima, quæ animalia vocentur munda, quæ item immunda. Secunda, cur inducta sunt plura, et tam multo plura de mundis, quam de immundis. Ad primam est duplex responsio. Una, quod ea dicuntur munda et ea immunda, quæ post diluvium tempore legis Mosaicæ reputata sunt munda sive immunda. Secunda, quod illa dicuntur immunda, quæ naturaliter sunt esui humano inepta ; munda vero, quæ naturaliter sunt apta ad edendum. Insuper in Glossa tangitur responsio tertia, in qua fertur : Omnia

Digitized by Google

munda sunt naturaliter, sed comparatione melioris naturæ, quædam dicuntur immunda, sicut bos melior est leone, quoniam magis necessarius atque utilior est homini propter quem creata sunt omnia. Ad secundum respondetur, secundum Augustinum, quod principaliter causa illius rei est mystica significatio, quæ tangetur sequenti articulo. Potest et alia ratio assignari, quod munda animalia idcirco fuerunt plura, ut Noe egressus de arca, haberet quod immolaret, et item ut ipse et qui secum fuerunt, haberent ad manducandum, quia post diluvium concessus est esus carnium. Has causas Rabanus tangit. Glossa quoque adjungit, quod ideo munda animalia erant plura, ut plura essent, quæ facto diluvio hominibus prodessent ac deservirent, quam quæ possent nocere, et ita est usque ad præsens.

Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ, id est, omnia viva in terra occidam. Tunc quoque terræ nascentia sunt destructa, arboresque eversæ. Denique usque in præsens inveniuntur corpora arborum magna et longa sub terra, quæ aliqui opinantur ex diluvio sic dejecta ac derelicta. Aliqua etenim ligna quasi imputribilia manent in terra, ipsaque terra interim in pluribus locis est † inalterata. Dicunt quoque Hebræi, ut refert Lyra, quod septem isti dies, quibus differebat diluvium, fuerunt dies deplorationis ipsius Mathusalem, quem dicunt ante hos dies obiisse, atque in hoc honoratum a Deo propter suam justitiam. *Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. Eratque* Noe *sexcentorum annorum quando aquæ diluvii inundaverunt super terram.* Ex quo patet, quod centum annis fuit occupatus in fabrica arcæ, quia (ut dictum est in principio sexti capituli), quingentorum erat annorum, quum Dominus ei jussit facere arcam. Patet quoque, quod primogenitus ejus fuit centum annorum quando intravit arcam; quia quum esset quingentorum annorum, cœpit generare hos tres qui secum ingressi sunt. Dicunt autem doctores, quod infra annos quibus fabricatus est arcam, prædixit hominibus ortum diluvii, eosque ad pœnitentiam hortabatur, qui indurati, non crediderunt nec acquieverunt. Circa quod refert Lyra, quod homines illi induratissimi dixerunt ad Noe, quod interficerent eum si introiret arcam, ne eis submersis, superviveret ipse cum suis. Sed Rabbi Paulus dicit esse fictitium, quum in Scripturis non habeat fundamentum.

Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo in arcam. Seorsum viri, seorsumque feminæ dicuntur arcam ingressi, ad innuendum quod in arca commixti non sunt; infra vero leguntur simul egressi, quum dicitur, Egressus est Noe et uxor ejus : quia ut Salomon ait, Tempus amplexandi, et tempus longe fiendi ab amplexibus. *Eccle.* III, 5. Ingressi sunt in arcam, *propter aquas diluvii,* ne mergerentur. Sicque ingressi sunt, quando aqua cœpit multiplicari. *De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni quod movetur super terram,* id est ex omni genere animalium terrenorum, quæ in se ipsis habent principium vitæ et motus, videlicet animam, *duo et duo,* id est combinata, juxta duplicem expositionem præhabitam, seu potius juxta unam earum, quoniam simul stare non possunt, *ingressa sunt in arcam ad Noe.* Ex quo constat, quod Noe ea non attulit nec collegit, sed nutu divino, angelorumque ministerio sponte et supernaturaliter, quantum ad inductivum motus, venientia introire permisit, intrantiaque suscepit, et congruis mansionibus collocavit, cum adjutorio filiorum suorum. Unde et ipse Noe videtur ante animalia ista arcam ingressus. Forsitan tamen accepit per se et filios suos aliqua animalia domita ex propriis gregibus.

Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, id est in Maio, qui ab Hebræis dicitur Nisan, ut in Glossa atque Scholastica

Digitized by Google

historia fertur. Quidam tamen dicunt, quod Martius ab Hebræis Nisan vocetur. Hebræi autem Aprilem vocant primum mensem. Verumtamen inter Hebræos est diversa opinio et varius modus loquendi de primo mense anni, ut in expositione primi capituli tactum est. Josephus quoque affirmat, quod in legitimis, id est descriptione præceptorum legalium, præsertim quantum ad esum agni paschalis, Moyses ponit Aprilem primum mensem. In contractibus vero et gubernatione sæculi, id est solutione debitorum et locatione do- B morum, servavit solita decreta temporum, et usualem ordinem mensium, qui scilicet a calendis Januarii aliquando inchoat, prout in Scholastica historia, ejusque glossa habetur. *Septimodecimo die mensis* præfati, *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Magna abyssus vocatur Oceanus, ex quo omnes fontes et fluvii ac particularia maria originaliter oriri dicuntur. Unde
Eccle. I, 7. Salomon ait : Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Et rursus : Omnia flumina intrant mare. Fon- C tes ergo abyssi magnæ, appellantur aquæ inclusæ in visceribus terræ, quæ ex Oceano ducunt originem. Hi fontes tunc rumpebantur, id est repente eruperunt, ruptis receptaculis suis, seu præfatis terræ visceribus in quibus continebantur. Et recte rupti dicuntur, ad insinuandum, quod non effluxerunt sensim solito more, sed repentina inundatione terram operuerunt, ut ait Glossa. *Et cataractæ cœli apertæ sunt.* Per cataractas cœli, intelligit aperturas meatusque nubium, seu loca cœli aerei, per D quæ aquæ pluviales descendunt : quæ cataractæ tunc apertæ fuerunt, quia ex nubibus aquæ superabundantissime descenderunt. Cataractæ autem secundum Rabanum, sunt proprie ostia, id est capita Nili, sed abusive pro omnibus fenestris ponuntur. Hinc ait auctor Scholasticæ historiæ : Cataractæ proprie sunt meatus Nili, quum in septem ostia separatur, id est, in septem partes seu capita dividitur, vel loca ejusdem. *Et facta est*

A *pluvia super terram,* hoc est, impetuosissime ac superlargissime cadens in terram ubique, *quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* puta tamdiu, quousque aquæ in tantum ascenderunt quantum omnipotens Deus decrevit. Secundum Josephum, ab Adam usque ad inundationem diluvii, fluxerunt anni duo millia sexcenti quinquaginta sex.

In articulo illius diei ingressus est Noe, etc. De quo die hoc dicitur, quum jam pluraliter dictum sit, quadraginta diebus? Respondendum, quod per diem illum potest intelligi tempus seu prima dies, in quibus sic pluit. Itaque in articulo, id est in parte seu hora clara vel necessitate diei illius, ingressus est arcam cum suis, *et omne animal secundum genus suum,* id est quædam de omni animalium genere, intelligendo per animal feras atque reptilia. De aliis quippe subjungitur, *universaque jumenta in genere suo,* id est quædam animalia domestica seu domita hominibus deservientia, de omni specie jumentorum, juxta quem sensum nunc subditur : *cunctumque volatile secundum genus suum,* id est *universæ aves, omnesque volucres.* Unum horum frequenter pro alio ponitur, nunc tamen accipiuntur distincte, secundum quod aves sunt diversarum proprietatum et naturarum, quemadmodum animalia terræ. De qua re in expositione primi capituli est tractatum. *Bina et bina ex omni carne* ingressa sunt arcam, hoc est, omnia introierunt combinata, quantum ad sexuum distinctionem, quia sive septena et septena de mundis, sive bina et bina de immundis, omnia quantum ad sexum fuerunt distincta et combinata. Itaque ex omni carne *in qua erat spiritus vitæ,* id est, ex omni genere animalis, in quo erat spiritus vitalis, videlicet anima sensitiva, ingressa sunt bina et bina. *Et inclusit eum Dominus deforis,* id est, Deus ministerio angeli clausit ab extra ostium arcæ, liniendo illud bitumine, ne ingredi possent aquæ per aliquas rimas. Sic au-

Digitized by Google

tem non potuit Noe intus exsistens ostium claudere, seu deforis bituminare : idcirco ubi defuit humanum subsidium, adfuit divinum.

Et multiplicatæ sunt aquæ, quoniam a sursum ac deorsum venerunt ad superficiem terræ, et aqua magni maris exivit terminos suos, et fusa est super terram ; *et elevaverunt arcam in sublime, a terra,* utpote super omnes turres seu ædificia ac arbores terræ. *Porro arca ferebatur super aquas* hinc inde, non recto processu, juxta impulsum ventorum ac gurgitum. Erat tamen pro magna parte profundata in aqua, ex magnitudine et gravitate oneris quod gestabat. *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* Voluit namque Dominus aerem quasi purgare a sordibus, quibus impiissimi homines illum suis vitiis, clamoribus, operibus, fumis, fœtoribus inquinarunt. Idcirco tam alte ascendit diluvium, sicut illa ascendere potuerunt. Creditur quoque, quod ignis conflagrationis in die judicii tam alte ascendet. Qualiter autem poterat aqua in tantum multiplicari atque ascendere, præhabitum est. Verumtamen Glossa ait : Sunt qui putant ante diluvium non fuisse talem terræ qualitatem, hoc est bassitudinem ; nec tantam montium altitudinem, qualis et quanta est postea. Nec sine ratione hoc dicitur. Ex confluxu namque et residentia aquarum in aliquibus locis terra consumpta est pro aliqua parte deorsum, et bassior facta : quod circa loca montium qui tunc erant, potissime accidere poterat. Sicque ex tunc montes hujusmodi altiores apparuerunt. Unde nec certum est, quod mons Olympus tunc fuerit tam sublimis ut modo. De quo monte in Scholastica narratur historia : Mons Olympus usque ad liquidum aerem tenditur, super quem litteræ scriptæ in pulvere, repertæ sunt mansisse immotæ ; ubi præ nimia aeris raritate, nec aves vivere queunt, neque philosophi ascendentes potuerunt ibi aliquantulum manere sine

A spongiis aqua plenis, quas suis naribus apponentes, crassiorem inde aerem extraxerunt. His verbis in Glossa adjicitur, quod nec nubes ibi videntur, nec ventus sentitur.

Quæri potest, de quibus intelligendum sit cubitis, quod aqua fertur fuisse quindecim cubitis altior montibus cunctis. Si enim de cubitis geometricis hoc dicatur, fuisset valde mirabile, ideo creditur esse intelligendum de cubitis usualibus. Nec irrationabile, si in descriptione ejusdem ma-
B teriæ, idem diversimode accipiatur, præsertim quando ea de quibus tractatur, et materiam illam concernunt, satis ostendunt, unum illud, utpote pondus seu mensuram, diversimode esse accipiendum, et ita est in proposito. Dum enim arca fertur fuisse trecentorum cubitorum in longitudine, et quinquaginta in latitudine, et triginta in altitudine, et tamen tot animalia totque cibaria in ea fuisse scribuntur, satis innuitur de majoribus cubitis id esse intelligendum ; dum vero describitur ipsa
C aqua fuisse altior omnibus montibus, satis insinuatur sufficere, si de usualibus et minoribus cubitis exponatur.

Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, etc., hoc est, omnia ista occisa sunt, et forte pro magna parte penitus putrefacta, et motu aquarum sublata de terra. *Obtinueruntque aquæ diluvii terram centum quinquaginta diebus,* id est, tot diebus operuerunt et occupaverunt totam ter-
D ram. Quod tamen dupliciter potest intelligi. Primo, incipiendo computationem horum dierum a die quo ingressus est Noe arcam, quo et aqua diluvii cœpit diffundi, usque ad diem quo cœpit aqua diluvii minui sive decrescere. Unde sequenti capitulo legitur : Post dies centum quinquaginta cœperunt aquæ minui. Et ita exponitur in Scholastica historia. Secundo, incipiendo computationem horum dierum, ab eo die quo diluvium factum est tam altum, quod operuit montes altitudine

Digitized by Google

quindecim cubitorum, hoc est a fine defluxus pluvialis : ut sit sensus, quod aquæ in tanta altitudine terram operuerunt per dies centum quinquaginta; quibus expletis, cœperunt decrescere.

Circa præhabita quæritur, an universale diluvium posset naturaliter evenire. Et videtur quod sic, auctoritate Avicennæ, et quorumdam astronomorum hoc sentientium. Præterea, conjunctio planetarum humidorum in pluvialibus signis videtur hoc posse efficere. Aristoteles quoque in libro Meteororum testatur, quod particularia maria post aliqua temporum spatia variant sua loca. Ergo apparet idem posse in toto contingere, quod fit in parte. Et A respondendum, quod universale diluvium, nequaquam possibile est per naturam. Esset enim corruptivum ordinis universi. Et multa ex ista opinione sequuntur absurda, per quæ et Averroes Avicennam satis redarguit. Insuper Aristoteles libro præallegato edocuit, quod dum aliqua terra seu regio operitur de novo aquis maris particularis, terra in qua prius mare fuit, siccatur. Et hoc naturaliter fit ex influxu et diverso respectu cœlesti. Totam vero terram aquis simul cooperiri, docet impos- B sibile esse. Et præsertim impossibile est per naturam fieri diluvium tantum, ut montes universos quindecim cubitis sit transcendens.

ARTICULUS XXXVII

ELUCIDATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI.

SPIRITUALIS intelligentia hujus capituli, magna ex parte inducta est, patuitque in mystica expositione præcedentis capituli. *Dixitque Dominus ad eum,* hoc est ad Christum secundum naturam assumptam. *Ingredere tu et omnis domus tua,* hoc est cuncti discipuli tui, *in arcam,* id est Ecclesiam universalem, cujus primitiva ista Ecclesia fuit pars atque primitiæ, et Christus caput. *Te enim vidi justum coram me.* Christus, in quantum Deus, est substantialiter ipsa justitia. Porro secundum naturam humanam, univer- D sis ac singulis ineffabiliter justior est, quippe qui nunquam peccavit, et tanta æquitate ac gratia exstitit plenus, quod natura creata majoris gratiæ et justitiæ capax non fuit. Ipse etenim Patrem perfe- *Is.* LIII. ctissime honoravit, et pro communi bono totius generis humani laboravit, et dedit se ipsum in mortem.

Denique Noe interpretatur requies, quod potissime competit Salvatori, qui tulit pec- C cata mundi. Et in Evangelio protestatur : Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Jugum enim meum suave est. *Matth.* XI, 28, 30. De hoc loquitur Origenes : Noe interpretatur requies vel justus, qui est Christus Jesus. Neque enim illi Noe convenit quod dixit Lamech pater ipsius : Iste dabit nobis requiem ab operibus et tristitiis manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. *Gen.* V, 29. Quomodo enim ille Noe dedit requiem patri suo Lamech, aut populo qui tunc fuit, quum illis temporibus iracundia Dei magis ostensa est, et Deus ipse locutus est, Pœnitet me fecisse hominem, *Ibid.* VI, 7. et super omnia datur signum summæ offensæ Dei universalis interitus cunctorum in terra viventium ? Si vero respicias ad Dominum nostrum Jesum, de quo dicitur, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; *Joann.* I, 29. et iterum, Factus est pro nobis maledictum, ut nos a maledicto legis redimeret; *Galat.* III, 13. qui etiam ait, Venite ad me, et invenietis requiem animabus ve- *Matth.* XI, 28, 29.

Digitized by Google

stris : invenies hunc esse qui vere requiem (A) dedit hominibus, liberavitque terram de maledicto quo maledixerat ei Deus. Hæc verba Origenis non sunt sic intelligenda, quasi præallegata verba nullo modo convenerint ipsi Noe ad litteram, sed quia non convenerunt ei ita perfecte ut Christo. Insuper, sicut Noe tantam invenit gratiam coram Deo, quod propter merita ejus
Gen. VI, 18. Deus pepercit domesticis ejus qui secum fuerunt in arca, sic propter Christum misertus est Dominus universis qui per Christum salvantur in Ecclesia ; imo se- (B)
Ephes. I, 4. cundum Apostolum, Deus elegit nos in
Joann. I, 17. Christo, de quo Joannes ait : Gratia et veritas per Jesum facta est. Christus enim ut homo salvator, est causa meritoria omnis gratiæ quæ membris suis confertur. Unde in ipso ponitur gratia capitis, qua influit membris suis.

Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam. De animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. Sed et de volatilibus cœli septena et septena, ma- (C) *sculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universæ terræ.* Per animalia munda, intelligi possunt hi, qui ante evangelicæ legis prædicationem aliquo modo honeste vixerunt in lege naturæ, aut etiam in lege scripta, ita quod comparatione aliorum quasi mundi fuerunt. Isti in majori numero fuerunt conversi tempore evangelicæ prædicationis, in quantum se præparaverunt ad gratiam Christi. Et re-
Is. XI, 2. cte per septenarium numerum exprimun-
Act. II, 4. tur, quoniam septiformi gratia Sancti Spi- (D) ritus sunt repleti. Et qui inter eos fuerunt perfectiores, significantur per mares, alii per femellas. Porro per animalia immunda insinuantur carnales et prorsus indigni, quorum nonnulli sunt misericordissime præventi atque conversi, qui binario designantur, quia binarius primo ab unitate recedens, divisionem et infirmitatem frequenter significat. Per volatilia quoque ingeniosi, periti, et contemplativi intelliguntur, inter quos nullus appellatur im-

mundus, quum omnes tales dicantur suo modo perfecti, quamvis non æque perfecti. Unde et inter eos masculus et femina reperiuntur. Per hos Deus salvavit semen super terram, quia per eos convertit alios
multos, qui adoptivi filii Dei exstiterunt. *Rom.* VIII, 15.

Post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, hoc est, post tempus evangelicæ legis ac gratiæ, infligam obstinatis atque incredulis et ingratis plagas temporalis interitus et æternæ damnationis. Septenario quippe exprimitur tempus gratiæ et salutis. Per quadraginta vero, tempus punitionis eorum, qui decem præcepta et quatuor Evangeliorum doctrinam per quatuor mundi partes spreverunt. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt.* Per hoc figuratum est, quod tribulatio super iniquos consurget desuper ac deorsum, ita quod elementa et mixta atque cœlestia ad eorum punitionem excitabuntur, sicut et Dominus in Evangelio
pandit : Erunt, inquiens, terræ motus ma- *Luc.* XXI, 11.
gni per loca, et pestilentiæ et fames, terroresque de cœlo. Unde in libro Sapientiæ
habetur : Armabit creaturam ad ultionem *Sap.* V, 18, 21.
inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Et rursus in
eodem libro legitur : Creatura enim tibi *Ibid.* XVI, 24.
factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Itaque fontes abyssi sunt inundationes tribulationum magnarum. Et cataractæ cœli, sunt aperturæ quæ videntur in cœlis, dum fulgura et cœlestes impressiones apparent. Propter quod stellæ cœli *Marc.* XIII, 25.
dicuntur casuræ.

In articulo illius diei ingressus est Noe, etc., id est, in exordio evangelicæ legis ingressus est Christus et ejus familia sanctam Ecclesiam, juxta sensum præhabitum. *Bina et bina* ingressa sunt *ex omni carne,* id est gemina caritate conjuncti. Unde et Christus misit discipulos suos combinatos in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus. *Et inclusit eum*

Digitized by Google

Dominus deforis, id est, Deus Pater Christum secundum ipsius humanitatem ab omni adversitate protexit, ab omni vitio præservavit, ab omni tribulatione eripuit: non quod adversitates et tribulationes perpessus non sit, sed quia ei nil nocuerunt, sed maxime profuerunt : non ei dumtaxat, quantum ad cumulum præmii accidentalis, quod per talia ei accrevit, sed et toti generi humano, quod per ipsius Ps. LXXXVIII, 23. passionem salvatum est. Nihil enim profecit inimicus in eo. Propter quod Isaias Is. XLIX, 2. testatur : In umbra manus suæ protexit me. Nam et anima Christi a suæ creationis exordio confirmata fuit perfecte in bono, quemadmodum comprehensores in cœlo, imo præ omnibus illis. *Et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime, a terra.* Istæ sunt aquæ tribulationis, quibus fideles exercentur in terra. De Ps. LXVIII, 2. quibus canit Psalmista : Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Denique, aquæ istæ ele- A vant arcam in altum, quando fideles in tentationibus et afflictionibus ad Deum confugiunt, eumque invocant, et omne gaudium arbitrantur, dum in varias tentationes Jacob. I, 2. et adversitates labuntur. Tunc quoque arca fertur super aquas hujusmodi, quia non vincitur eis Ecclesia, sed prævalet, Deo juvante. Quod totum ad tempus Antichristi apte refertur, quando gravissima tribulatio erit, nec tamen Ecclesia in toto deficiet.

Opertique sunt montes excelsi, etc. Per hoc datur intelligi, quod prælati et spiri- B tuales viri in persecutionibus, tentationibus et tribulationibus opprimuntur. Quod maxime fiet sub persecutione impiissimi Antichristi, qui erit homo peccati, filius II Thess. II, 3. perditionis, vasque principis dæmoniorum. *Obtinueruntque aquæ diluvii terram centum quinquaginta diebus.* Per dies illos intelligi potest tempus quo persecutio Antichristi durabit. Quæ tamen diutius quam per tot dies creditur duratura. Attamen Matth. XXIV, 22. breviabuntur illi dies propter electos.

ARTICULUS XXXVIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : RECORDATUS AUTEM DOMINUS NOE, CUNCTORUMQUE ANIMANTIUM, ETC.

PRÆSENTI capitulo narrat Scriptura, C qualiter cessavit diluvium, et quomodo Noe egressus est arcam. *Recordatus autem Dominus Noe, cunctorumque animantium et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca,* hoc est, per pium effectum ostendit se memorem ejus, minorando diluvium, ut exsistentes in arca, consolationem et habitationem in terra reciperent. Porro in invariabili Deo non cadit recens recordatio, neque oblivio, sed Scriptura loquitur de incomprehensibili Deo more humano, condescendens infirmitati intel- D ligentiæ nostræ. Itaque recordatus Dominus ipsius Noe, et omnium animalium brutorumque quæ erant cum eo, *adduxit spiritum,* id est ventum siccantem *super terram,* ut flatu venti aquæ impellerentur ad redeundum in propria loca, quia tantus locus in aere non fuit eis connaturalis. De tali spiritu fertur in Psalmo : Dixit, et Ps. CVI, 25. stetit spiritus procellæ. Itemque : Flavit Ps. CXLVII, 18. spiritus ejus, et fluent aquæ. *Et imminutæ sunt aquæ,* hoc est, paulatim cœperunt decrescere ; *et clausi sunt fontes abyssi,* id est, viscera seu ventriculi terræ, in quibus continentur subterraneæ aquæ, reclusi sunt, ita quod non emanaverunt aquas ex se super terram, sed effusas potius resorbuerunt ; *et cataractæ cœli* sunt clausæ;

Digitized by Google

et prohibitæ sunt pluviæ de cælo : hoc est, aperturæ et meatus nubium cessaverunt, et loca cœli aerei per quæ pluvia descenderat, in se ipsis reclusa sunt, ita quod aer non dividebatur ut prius per pluvias.

Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes, id est, hinc inde se concutientes atque fluctuantes, et ad loca Oceani particulariumque marium revertentes. Non enim omnes aquæ in Oceanum decurrebant, sed multæ in particularibus maribus remanserunt, et in subterraneis locis ac fluviis, præsertim in quatuor fluviis paradisi. *Et cæperunt minui post centum quinquaginta dies,* quibus obtinuerant et operuerant terram, prout in fine præcedentis capituli dictum est, dupliciterque expositum. *Requievitque arca mense septimo, vicesima septima die mensis,* hoc est vicesima septima die mensis septimi illius anni quo fuit diluvium ; *super montes Armeniæ,* quæ alio nomine dicitur Ararat, secundum doctores. *At vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem* ejusdem anni. Non quod decimo mense illo completa sit decrescentia, seu recessus aquarum a terra, ut statim patebit ex textu, sed decimo mense facta est tanta diminutio aquæ, quod cacumina montium apparuerunt, sicut subjungitur : *Decimo enim mense, prima die mensis* decimi *apparuerunt cacumina montium ;* et tunc totum corpus arcæ fuit extra aquam, quando resedit super montes Armeniæ. Et aqua descenderat ad minus per quindecim cubitos, et forte aliqui montium illorum erant sibi invicem tam propinqui in situ, quod arca ista longissima simul requievit super capita duorum aut plurium montium ; vel si requievit super unum montem, ponitur plurale pro singulari. Eratque mons iste magnæ extensionis in vertice, ita quod super eum potuit arca quiescere.

De hac re in Scholastica recitatur historia : Arca requievit super montes Armeniæ, ubi usque nunc provinciales ostendunt reliquias arcæ. Denique ut Josephus refert, historiographi Barbarorum mentionem faciunt hujus arcæ atque diluvii. Scribit enim Berosus Chaldæus : Dicitur quædam pars esse navis illius quæ in Armeniam venit, et quoddam bitumen tolli ex ea, quo homines maxime ad piandum utuntur. De eodem scribit Hieronymus Ægyptius, Manasseus quoque Damascenus : Est, inquit, excelsus mons in Armenia, qui Baris appellatur, in quo sermo est, quemdam devectum in arca, etc. Ex quibus etiam constat, arcam venisse ad ipsam Armeniam, et requievisse in montibus ejus, et mentitos esse hæreticos, qui dixerunt historiam istam de arca, esse fabulam fictam : propter quod etiam errant Judæi, qui (ut Lyra refert) affirmant, arcam quievisse in alia terra, cujus montes usque Armeniam protenduntur, et ideo montes Armeniæ nominantur.

Quumque transissent quadraginta dies, a die quo apparuerunt primo cacumina montium, *aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat,* quæ fenestra fuit facta in tecto arcæ, ut dictum est in expositione sexti capituli, *dimisit corvum,* ut per eum exploraret, an terra esset siccata in sua planitie ; *qui egrediebatur et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram,* id est, donec terra siccaretur ab aquis, quæ defluxerunt a terra : non quod corvus post illam siccationem ad Noe redierit, sed quia nec ante eam, nec postea est reversus ad arcam. Sicque Donec, excludit tempus præcedens, nec statuit sequens, juxta quem modum fertur in Psalmo : Sede a dextris meis, donec ponam *Ps.* CX, 1. inimicos tuos, etc. Atque in Matthæo : Non *Matth.* I, 25. cognovit eam, scilicet Joseph Mariam, donec peperit filium suum primogenitum. Juxta hanc expositionem corvus nunquam reversus est : ideo secundum Augustinum intelligendum est, quod mansit alicui cadaveri insidens. Verumtamen Josephus dicit, quod rediit. Et Lyra dicit quod in Hebræo habetur, Qui egrediebatur exiens et revertens. Et idem ait Hieronymus li-

Digitized by Google

bro de Hebraicis quæstionibus. Circa quod A dicunt Hebræi, quod corvus legationem suam non fecit, sed circa arcam volitans, eo quod undique aquam conspiceret, quæsivit reingredi, et intravit ut nutrimentum haberet. In Glossa vero sic dicitur : In Hebræo habetur, Egressus est exiens et non revertens, donec siccarentur aquæ.

Emisit quoque columbam post eum, ut videret, id est, ex columbæ effectu cognosceret, *si jam cessassent aquæ super faciem terræ,* id est, an a superficie terræ omnino abiissent. Sive enim corvus dica- B tur statim reversus ad Noe, sive nunquam reversus, non scivit ex corvi effectu an planities terræ esset siccata. Poterat enim manere super cadaver natans in aqua, aut circa alicujus montis cacumen jacens. *Quæ quum non invenisset ubi requiesceret pes ejus,* quia columba abhorret super cadaver sedere, montium quoque capita adhuc erant lutosa ac nimium humida, *reversa est ad eum in arcam,* propter quietem et pastum. *Aquæ enim erant super universam terram,* hoc est, adhuc operuerant to- C tam terram planam, non montuosam. Terra etenim montuosa, fuit pro magna parte jam nudata ab aquis. *Extenditque manum suam, et apprehensam intulit in arcam ;* forte enim sedebat super tectum arcæ juxta fenestram. Unde quod jam ante scriptum est, eam rediisse in arcam, intelligendum est, quod rediit usque ad tectum arcæ per se, et tunc Noe apprehendit eam ac introduxit. *Exspectatis autem ultra septem diebus aliis :* ex quo sequitur, quod Noe post emissionem corvi exspectavit sep- D tem dies, antequam emisit columbam ; et ea reversa, rursus denuo evolutis tot diebus, *rursum dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam,* forte ejusdem diei, quo eam emisit, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* An columba tulit ramum illum de arbore olivæ adhuc stante, an potius reperit eum in terra, non exprimit textus. Et videtur quod tulit eum de arbore, quoniam ramus iste fuit foliis virens. Oppositum tamen apparet, quia subjungitur : *Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram :* quod non potuisset, si ramus fuisset sublatus de arbore. Quocirca rursus inquiritur, quia si columba jam reperit ubi requiesceret pes suus, cur revertebatur ad arcam. Dici potest, quod terra erat adhuc nimis mollis ac lutea ad manendum in ea, prout infra clarebit. Nutu tamen divino creditur factum, ut ita rediret cum ramo pro certificatione ipsius Noe.

Exspectavitque nihilo minus septem alios dies, ut post tantum tempus majorem certificationem de terræ siccatione acciperet ; *et emisit columbam* tertia vice, *quæ non est reversa ultra ad eum,* quoniam terra fuit jam satis solida pro columba, et potuit in ea invenire necessaria pabula. *Igitur sexcentesimo primo anno* vitæ Noe, *primo mense* anni apud Hebræos, puta Aprili, secundum doctores præallegatos, vel Martio, ut aliqui dicunt, *prima die mensis* illius, *imminutæ sunt aquæ super terram,* ita quod totaliter recesserunt a terra ad habitandum præordinata. Corvus namque fuit emissus undecimo mense, utpote evolutis quadraginta diebus a decimo mense. Post emissionem autem corvi usque ad tertiam columbæ emissionem, fluxerunt tres hebdomadæ, sic quod columba fuit tertio emissa duodecimo mense. *Et aperiens Noe tectum arcæ, adspexit,* id est fenestram quæ erat in tecto, sicut aliquis dicitur aperire domum dum aperit januam domus. Aliqui tamen dicunt, quod nunc aliud designatur per apertionem tecti arcæ, quam supra per apertionem fenestræ, quod ad litteram non videtur. Poterat enim per fenestram satis circumspicere terram. *Viditque quod exsiccata esset superficies terræ :* nondum tamen exivit de arca, quoniam terra non erat adhuc satis dura et solida facta pro inhabitatione animalium terrestrium et hominum ; et quoniam exspectavit revelationem Dei de tempore exeundi. *Mense secundo* anni præfati, *septimo et vicesimo die mensis* secundi, *arefacta est terra,* id

Digitized by Google

est, satis siccata et indurata ad habitandum et operandum in ea. Siquidem quasi duo menses fluxerunt interim a prima die primi mensis anni illius.

Locutus est autem Deus ad Noe, dicens : Egredere de arca, tu et uxor tua, et filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram. Itaque, sicut ex Dei imperio arcam intravit, ita ex Dei imperio est egressus; atque ut dictum est, quando jussit eum exire, mixtim expressit eum et conjugem ejus, ejusque filios et eorum uxores, ad innuendum quod de cetero esset tempus maritalis amplexus. Dicunt quoque expositores concorditer, quod Noe cum suis fuit integro anno in arca, eodemque die exiit quo intravit. Nec obstat, quod in præcedenti capitulo legitur, diluvium incepisse anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimadecima die mensis illius; nunc vero dicitur exivisse anno sexcentesimo primo vitæ Noe, mense secundo, vicesima septima die mensis : quoniam annus solaris excedit lunarem in diebus, qui supercrescunt in mense isto secundo sexcentesimi primi anni vitæ Noe, ultra dies taxatos in mense secundo anni sexcentesimi vitæ illius. Judæi autem computant menses secundum lunationes. *Crescite et multiplicamini super* terram, id est, per generationem augeantur individua vestra : quod dictum est ad Noe pro omnibus domesticis ejus qui secum erant in arca, et animantibus universis, ut scilicet de cetero generationi insisterent. An vero et ipse Noe postea genuerit, postea inquiretur.

Ædificavit autem Noe altare Domino : quia in lege naturæ offerebantur sacrificia Deo, ut dictum est de Abel et Cain. Ædificavit autem altare istud statim post egressionem de arca, de qua exivit in Armenia, atque ut in Scholastica fertur historia, Armenii vocant locum ubi exivit, egressorium. Filii vero Noe vocaverunt eum Thanon, id est octo, eo quod octo homines ibi exierint arcam. Unde et aliqui imaginati sunt, quod Noe fecit altare illud de octo lapidibus, atque (ut Josephus ait) provinciales ibidem nunc usque ostendunt reliquias arcæ. In eadem Historia legitur, quod uxor Noe vocata sit Puarphara; uxor Sem, Pharsia; uxor Cham, Cathaflua; uxor Japhet, Flua. *Et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis :* quæ cur munda vocata sint, patuit in expositione præcedentis capituli; *obtulit holocausta super altare :* et hoc pro gratiarum actione liberationis suæ et domesticorum suorum, atque in recognitionem summi et universalis ac independentis Domini Dei, beneficiorumque ejus. Porro holocaustum proprie appellatur sacrificium, quod ad divinæ reverentiam majestatis totum comburitur. Aliqui quoque dicunt, quod de qualibet specie pecorum, volatiliumque mundorum obtulit individuum unum, ut tactum est, exponendo præcedens capitulum, et successive hoc facere potuit, adjuveruntque eum filii sui in ædificando altare et immolatione, in quantum fuerat opportunum, applicando seu præparando materiam.

Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, id est, holocaustum istud complacuit ei non secundum se, seu ex opere operato, sed ex opere operante, videlicet fide et devotione offerentis; *et ait* ad eum : *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines,* id est, propter vitia hominum non inducam de cetero habitatoribus terræ, ipsique terræ et brutis tam gravem et universalem vindictam seu plagam, nec ipsos homines propter eorum peccata ita simul plagabo, usque in finem mundi exclusive, quia in fine sæculi erit horribilior plaga quam fuit diluvium, utpote conflagratio mundi per ignem, quo tunc omnes in terra viventes exstinguentur. Denique Josephus refert, quod Noe formidans, ne Deus rursus induceret humano generi diluvium, Dominum exora-

Digitized by Google

vit ne hoc amplius faceret, et sacrificavit ei pro causa hac. Tunc Deus respondit se exaudisse preces illius, et cetera quæ hic leguntur. *Sensus enim,* non solum exteriores, sed etiam interiores, *et cogitatio humani cordis,* hoc est ipsa vis cogitativa seu intellectiva, et item voluntas, *in malum prona sunt* culpæ, utpote ad peccandum, præsertim ex infectione originalis peccati seu fomite. Præsertim quoque quatuor vires hominis sunt infectæ et pronæ ad vitia, scilicet vis concupiscibilis, irascibilis, rationalis et voluntas. In quibus ponuntur quatuor vulnera animæ, quæ sunt, concupiscentia, infirmitas, error, malitia. Concupiscibilis, prona est nimis ad appetendum illicita. Irascibilis, debilis est ad resistendum prohibitis. Intellectus, pronus est ad errores et falsa ; voluntas, ad perversa ac vitiosa. Et pronitas ista ad vitia, partim alleviat et aliquo modo excusat hominum culpas, quia diminuit rationem voluntarii, quod proprie est de ratione peccati. Prona sunt ergo hæc ad malum *ab adolescentia sua,* id est a tempore quo homo uti incipit ratione. Tunc enim radicalia mala illa incipiunt in actum erumpere, nisi per Dei gratiam et virtutes frenentur. *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem,* id est omne animatum tam rationale quam irrationale in terra, *sicut feci,* perpaucis individuis demptis. Quocirca posset quis dicere : Nonne Deus ante diluvium scivit hanc hominum pronitatem in malum? quare ergo tunc induxit diluvium ? Et respondendum, quod Deus interdum ostendit rigorem suæ justitiæ, interdum vero dulcorem suæ clementiæ, secundum beneplacitum et ordinem imperscrutabilis atque immensæ sapientiæ suæ. Omnia etenim facit, ut sua perfectio in rebus resplendeat.

Cunctis diebus terræ, sementis et messis, id est semen seu seminatio ac seges seu fructificatio terræ, *frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent,* id est, non cessabunt in toto, sed usque in finem mundi successive et ordinate evenient. Solemus autem frigus et hiemem pro eodem accipere, seu unum pro qualitate alterius, similiter æstum atque æstatem : sic et nunc potest frigus pro qualitate seu rigore hiemis accipi, et hiems pro parte anni seu tempore hiemali. Similiterque dicendum est de æstate et æstu. Vel frigus sumitur pro frigidiori hiemis parte, et æstus pro calidiori æstatis parte : sicque residuum tempus hiemis et æstatis, accipi posset quasi pro tempore quod in ver et autumnum dividimus, potissimum juxta vulgarem modum loquendi, quo totum annum in hiemem et æstatem distinguimus. Distinctio autem istorum, quam introducit hic Lyra, secundum Hebræos non habet generaliter veritatem nec locum, nisi in certis terris : quod brevitati studens, declarare omitto quum parvi sit ponderis.

Postremo, in expositione hujus capituli facit Lyra grandem discussionem, quam profunde seu per quot cubitos arca intravit aquas diluvii. Et primo dicit, quod non intravit quindecim cubitis : quia si sic, non potuisset super aquas flotare, sed tetigisset capita montium, quoniam aqua erat altior montibus quindecim cubitis tantum. Secundo dicit, quod arca tantum præcise intravit aquam, quantum aqua excedebat montes, quando arca primo requievit super montes. Tertio tandem concludit, quod arca intravit aquam tredecim cubitis et parum plus, secundum textum nostræ translationis.

Circa hæc Rabbi Paulus scribit, quod inquisitio ista sit magis curiosa quam utilis, quia non confert cognitionem utilem in credendis, nec requiritur ad plenam litteræ expositionem. Ex quibus concludit : Ideo Glossa nostra mentionem non facit de hoc, nec (ut credo) aliquis Sanctorum, nec etiam Hebræorum doctorum, nisi solus Rabbi Salomon, qui in hujusmodi vanis quæstionibus longam facit altercationem. Deinde reprobat argumentum primi dicti Nicolai de Lyra, quoniam etsi arca intrasset aquam quindecim cubitis, non seque-

Digitized by Google

retur quod montium capita tetigisset, nec flotare quivisset. Potuisset enim flotare in terris planis, quæ multo plures et majores sunt montuosis. Deinde reprobat secundum dictum illius. Nam quando arca requievit super montes Armeniæ, non intravit tantum præcise aquas, quantum aquæ erant montibus altiores, nisi quis dicat, quod montes illi Armeniæ fuissent altissimi montes totius terræ, quod non apparet, præsertim propter altitudinem montis Olympi. Et ideo potuit aqua alibi altior esse quam fuit spatium profunditatis, qua arca intravit aquas, quando primo super montes quievit. Consequenter reprobat tertium dictum illius. Quod, prolixitatem vitans, prosequi cesso. Ultimo addit : Hæc introduxi, ad ostendendum ineptitudinem Rabbi Salomonis in expositione Scripturæ, licet Lyra eum frequenter alleget. Hæc Rabbi Paulus.

Verumtamen Hugo de S. Victore in libro suo de Arca Noe, aliquid tangit de quantitate profundationis arcæ in aqua, dicendo : Verisimile est quod duæ inferiores mansiones arcæ, arca natante, premebantur inter aquas deorsum, videlicet mansio infima in qua recipiebantur superfluitates naturæ, et secunda in qua continebantur cibaria. Tertia vero in qua animalia erant, quæ spiramento aperti aeris eguerunt, prima super aquas eminebat. Sed juxta hanc positionem dici non potest, quod arca intraverit tredecim cubitis aquas, quoniam Hugo dicit infimam mansionem arcæ, habuisse in altitudine cubitos quatuor, secundam cubitos quinque, et ita arca non intrasset aquam nisi per cubitos circiter novem. Attamen magna et exquisita inquisitio de quantitate profundationis arcæ in aqua, videtur inutilis. Unde nec Hugo multum super hoc tractat.

ARTICULUS XXXIX

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI OCTAVI.

PER recordationem, qua Dominus recordatus est ipsius Noe et exsistentium secum in arca, designatur quod Deus permittit electos suos in Ecclesia militante ad tempus affligi, tentari, et variis tribulationibus exerceri, sed non supra vires eorum, neque in finem deserit eos, sed per misericordiæ suæ effectus ostendit se memorem eorumdem, pie visitando, consolando ac confortando, ita ut dicant : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Itemque : Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et denuo : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ideo non debemus in adversis deficere, nec pusillanimitate tabescere, nec unquam de gratiosa Dei subventione diffidere. Præterea recordatus est Dominus Noe, id est Christi, cujus in tantum videbatur oblitus tempore passionis, ut Christus ipse clamaverit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? et rursus in Psalmo : Repleta est malis anima mea ; Æstimatus sum cum descendentibus in lacum ; Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius. Unde de ipso dictum est in Isaia : Vidimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Itaque recordatus est Deus Pater hominis Christi, quando ipso Domino Jesu Christo in cruce clamante, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, Deus Pater spiritum Christi suscepit, et paulo post eumdem spiritum seu animam reuni-

Judith VIII, 22 *et seq.* — *Ps.* LXXXIX, 15. — II *Cor.* I, 3, 4. — *Ps.* XCIII, 19. — *Matth.* XXVII, 46. — *Ps.* LXXXVII, 4-6. — *Is.* LIII, 4. — *Luc.* XXIII, 46.

Digitized by Google

vit corpori ejus, illud mox glorificando, et A tam corpus quam animam Christi ab omni passibilitate penitus exaltando. Tunc quoque recordatus est Dominus cunctorum animantium quæ erant cum eo, hoc est omnium discipulorum Christi, qui in ejus societate et congregatione fuerunt ante passionem ipsius.

Et adduxit spiritum super terram, id est, Spiritum Sanctum misit illis in signo sensibili in die sacratissimo Pentecostes, per cujus charismata illos excellentissime vivificavit, exhilaravit et sublimavit. *Et* B *imminutæ sunt aquæ,* id est, tribulationes atque formidines quas ante habuerunt discipuli, tunc cessarunt, quemadmodum de sacratissima illa Ecclesia primitiva Actuum secundo scriptum est (*Act.* II, 44, 46, 47.): Omnes qui credebant, erant pariter, et erant eis omnia communia, sumebantque cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. (*Ibid.* V, 13.) Ceterorum autem nemo audebat se conjungere eis, sed beatificabat eos populus, et metus magnus erat in omnibus C aliis. *Et clausi sunt fontes abyssi* magnæ. Per fontes abyssi intelliguntur Scribæ et Pharisæi, sacerdotes atque pontifices Synagogæ, quæ erat instar abyssi repleta aqua sapientiæ legis, et doctrina Prophetarum, legaliumque doctorum; sed omnes fontes isti clausi sunt, Christo sermocinante, et ejus Apostolis atque discipulis post susceptionem Spiritus Sancti, (*Ibid.* II, 4.) quando non potuerunt resistere et contradicere Spiritui (*Ibid.* VI, 10.) Sancto qui loquebatur per os Christi, discipulorumque ejus, quibus ante passionem D promisit (*Luc.* XXI, 15.): Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Hinc de Christo Evangelista testatur (*Matth.* VII, 29.), quod erat docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi, ita quod omnes mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus: propter quod quidam ex adversariis Christi, evidentia veritatis compulsi, dixerunt (*Joann.* VII, 46.): Nunquam locutus est homo sicut hic loquitur.

Et cataractæ cœli. Cataractæ cœli, id est fenestræ Synagogæ, erant præcepta cærimonialia legis, per quæ olim sol sapientiæ splenduit et refulsit in Synagoga: quæ fenestræ Evangelio divulgato sunt clausæ, quia tunc finem sumpserunt, et per eorum observantiam non fiebat illuminatio, sed excæcatio et condemnatio observantium ea, sicut dixit Apostolus (*Galat.* V, 2.): Quia si circumcidamini, Christus nihil proderit vobis. *Et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo:* id est, gratia atque auctoritas prædicandi, ablata est Synagogæ, in qua Deus olim per gratiam quasi in cœlo regnavit, quemadmodum nunc in Ecclesia regnat. Tota autem gratia, sapientia, et multiplex eminentia, quæ olim in Synagoga fuerunt, ad Ecclesiam Christi per gloriosos Apostolos sunt translatæ cum ineffabili superabundantia et profectu. *Reversæque sunt aquæ de terra euntes et revertentes:* id est, vera intelligentia Scripturarum et sapientia salutaris, fideique doctrina reliquerunt Judæam seu Synagogam, euntes ad Christi Ecclesiam et gentilitatem conversam. *Et cœperunt minui post centum quinquaginta dies.* Per hos dies insinuatur tempus evangelicæ prædicationis usque ad ejus divulgationem: qua facta, legalia erant mortifera. Ideo extunc cœperunt præfatæ aquæ a Judæis deficere et abire. Tuncque *requievit arca super montes Armeniæ:* id est, congregatio ecclesiastica innitebatur Apostolorum doctrinis. Tunc quoque *apparuerunt cacumina montium:* id est, dignitas, sanctitas et eminentia multiformis Apostolorum et apostolicorum virorum ac ceterorum Ecclesiæ prælatorum cœpit undique declarari atque agnosci, et a fidelibus latissime honorari ac allegari, de quibus ait Psalmista (*Ps.* LXXXVI, 1.): Fundamenta ejus in montibus sanctis. Et Isaias (*Is.* II, 2.): Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.

Quumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum. Per quadraginta dies, tempus luctus ac pœnitentiæ designa-

Digitized by Google

tur, post quod Christus emittit corvum, id est, homines sæculares permittit ad exteriora sua redire negotia, qui frequenter remanent extra, inordinate adhærendo rebus terrenis, et obliviscuntur devotionis et compunctionis præhabitæ. Tuncque Salvator emittit post eos columbam, id est viros innocentes ac simplices prædicatores et contemplativos, ut revocent illos ad viam salutis, obedientiamque et caritatem Ecclesiæ, denuntiando eis sæculi vanitates, impiorumque clades ac futura supplicia. Quumque columba hæc non invenit sibi quietem in exterioribus rebus et actibus, nec pedem suum figere potest in eis, fructificando in conversione pravorum, et reducendo eos juxta desiderium suum ad Dominum, redit in arcam, hoc est ad interna exercitia ecclesiasticæ politiæ, et suscipit eam Christus ac introducit in sanctuarium suum, in contemplationis secretum, in cellam vinariam, quæ est spiritualis inebriatio, et suavis refectio ex copiosa degustatione increatæ dulcedinis, copiosaque participatione supernorum charismatum ac valida inflammatione Spiritus Sancti. *Aquæ enim erant super universam terram.* Istæ sunt aquæ mundanæ prudentiæ, quæ superfusa est cordibus hominum
Luc. xvi, 8. mundanorum; quia ut ait Salvator, Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in sua generatione. Sed et aquæ, id est multitudo et inquietudo tentationum, vitiorum, passionum, atque multiplicium tribulationum abundant in terrenis et corporalibus istis hominibus.

Exspectatis autem ultra septem diebus aliis, rursus dimisit columbam ex arca. Sic Christus non semel dumtaxat, sed iterum ac frequenter mittit prædicatores et vicarios suos ac servos ferventes ad pravorum conversionem; nec frustra, quia interdum aliqui convertuntur : sicque redit columba ad Christum ad vesperam, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo,* id est, devoti prædicatores et fideles prælati, ac fervidi famuli Creatoris, dum fructum fecerunt in aliis, ad Dominum se convertunt, et ei omne bonum cum gratiarum actione præcordiali adscribunt, ramumque olivæ, id est meritum quod assecuti sunt, et pietatis opus quod exercuerunt, Deo præsentant humiliter ac devote, ad vesperam, hoc est post expletionem occupationis suæ circa exteriora, in quibus quamdam obscurationem splendidæ contemplationis quandoque incurrunt; sed redeuntes ad domum, mox recuperare amissa conantur, et magis quam ante illuminantur. *Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram.* Sic Christus in tali casu videt, quod præfatæ aquæ vitiorum, passionum ac mundanæ prudentiæ, ablatæ sunt a cordibus horum qui vere ad ipsum conversi sunt. Deinde emittit rursus columbam, quæ ultra non redit ad eum. Per hoc designatur, quod tales viri virtutum per columbam expressi, post frequentem suam emissionem et administrationem circa exteriora agenda ac alios convertendos, tandem relicta Ecclesia militante, triumphantem ingrediuntur.

Igitur sexcentesimo primo anno vitæ Noe, *imminutæ sunt aquæ super terram :* hoc est, infra unum annum designatum per annum quo Noe fuit in arca, quum haberet annos sexcentos, aquæ sapientiæ et gratiarum fluenta totaliter sunt subtracta Judæis incredulis. Deinde Judæa arefacta est, id est indurata in sua perfidia atque ab omni humore gratiæ desiccata. Denique, per tectum arcæ, puta Ecclesiæ, potest intelligi divina protectio seu evangelica theoria, qua teguntur ac defenduntur credentes. Tectum quoque Ecclesiæ, sunt prælati et viri perfecti : hoc tectum aperit Christus, dum corda eorum revelat ad intuendum cœlestia ac divina seu abdita Scripturarum, dum item per eos considerat, seu eos ad considerandum inducit, qualiter corda subditorum ac infirmorum disposita sint. *Locutus est autem Deus ad Noe, dicens : Egredere de arca, tu et uxor tua, et filii tui,* etc. : id est, obstinatis Judæis, voluit Deus ut Christus et primitiva ejus Ecclesia, quæ fuit sponsa ipsius, hoc

Digitized by Google

est sancti Apostoli et plurimi Judæorum A ab eis conversi, ad totius mundi informationem atque conversionem procederent. Non quod Christus in cœlo tunc residens, corporaliter cum suis discipulis, sed spiritualiter tantum profectus sit, quibus jam ante promiserat : Ego vobiscum sum cunctis diebus; et, Non relinquam vos orphanos. (*Matth.* XXVIII, 20. *Joann.* XIV, 18.) Sed quomodo tunc de arca, id est de Ecclesia, exierunt? Dicendum, quod exierunt de ea, non eam relinquendo, sed dilatando : sicque ejus angustias deserendo, et ipsam ubique terrarum plantando; B sicque creverunt et multiplicati sunt in toto orbe super numerum.

Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Dominus noster Jesus Christus constantissime prædicando, justissime conversando, strenuissime increpando pontifices, Scribas et Pharisæos Judæorum, ædificavit sibi altare, id est, crucis patibulum sibi parari ab illis ac erigi procuravit, quia ex actibus illis præfatis, moti fuerunt ad C interfectionem ipsius. Ædificavit quoque sibi altare, id est, aram crucis voluit sibi parari, in qua obtulit semetipsum Deo Patri. Tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, hoc est, universos suos electos activos ac contemplativos, et potissimum eos quos ex Judæis collegit, cordi suo inscribens, ac suæ memoriæ imprimens, eos secum Patri offerens ac præsentans. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis,* id est, passionem Christi gratissimam et superacceptissimam habuit, et D caritatem animæ Christi, ex qua sponte omnia protulit, maxime approbavit, et vere suavissimam judicavit. Nam passio Christi ex parte patientis, summe complacuit Patri; propter quod ait Apostolus : Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. (*Ephes.* V, 2.) Et Isaias : Oblatus est, inquit, quia ipse voluit. (*Is.* LIII, 7.) Unde et ipsemet fassus est : Animam meam pono pro ovibus meis. (*Joann.* X, 15.) *Et ait ad eum : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines :* hoc est, virtute et merito tuæ passionis, o Christe unigenite mi dilecte, propitiabor hominibus, et piissimus ero tempore evangelicæ legis, ultra omne tempus præteritum. Etenim propter Christum, et merito suæ sanctissimæ conversationis, ardentissimæ caritatis, et acerbissimæ passionis, summe et incomparabiliter propitiatus est Deus Pater, imo Trinitas tota superbenedicta hominibus.

Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt, etc. Non solum ex originalis peccati infectione consurgit pronitas ista ad vitia. Nam et primi parentes, quum essent in gratia et originali justitia conditi, ante suam transgressionem tam proni fuerunt ad malum, quod Eva ex una persuasione serpentis, Dei mandatum transgressa est, similiter Adam occasione uxoris. Et quid dicam de primis parentibus aliunde ad malum inductis, quum et creatura illa altissima atque dignissima, angelus primus ac summus, ex se ipso ad tantam impietatem inductus sit, (*Is.* XIV, 12 *et seq.*) tamque sceleratissime lapsus, cui et alii angeli multi tam faciliter consenserunt? Itaque creatura rationalis et intellectualis, secundum se accepta, et sibi ipsi relicta, ad malum est prona. Et eo ipso quo ex nihilo facta est, et ad finem alium a se ordinata, potest deficere et peccare, nisi desuper adjuvetur; et sicut indiget Creatoris conservatione ut in esse suo subsistat, ita voluntas ejus indiget incessanter adjutorio gratiæ Dei, ut in bono permaneat et non peccet. Quod semper pensare debemus, et humiliare ac aspernari nosmetipsos, et jugiter timorati consistere, ac in solo Creatore confidere, ipsumque indesinenter invocare; et quidquid boni agimus aut habemus, ipsi cum omni gratiarum actione et profundissima humilitate adscribere. *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.* Ante adventum Christi, Deus pene omnem animam viventem vita naturæ, percussit plaga justæ derelictionis et excæcationis in-

Digitized by Google

ternæ, sicut in Actibus loquitur Paulus : A Act. xiv, 15. Deus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et Isaias : Is. LIII, 6. Nos omnes, inquit, quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit. Sed per Christum et ejus discipulos cunctis hominibus annuntiata est via salutis, neque deinceps reliquit genus humanum Deus, ut prius. *Cunctis diebus terræ, sementis,* hoc est seminatio verbi cœlestis, *et messis,* id est fructificatio inde proveniens, *frigus,* hoc est infrigidatio a concupiscentiæ, iræ, ceterarumque passionum B fervore, *et æstus,* hoc est ardor vehemens divini amoris, *æstas,* hoc est sinceritas contemplationis et gratiæ, *et hiems,* id est rigor compunctionis ac pœnitentiæ, *nox,* hoc est tribulatio seu tentatio electos exercens, *et dies,* id est gratiosa illuminatio eorumdem, *non requiescent,* hoc est, in Ecclesia esse non desinent, in vasis misericordiæ usque in finem mundi.

Postremo, spiritualis intelligentia hujus capituli posset trahi ad tempus Antichristi, sub cujus persecutione silebit Ecclesia pro maxima sui parte, et multi fidelium se abscondent, et quasi in arca in abscondito remanebunt. Deinde impiissimo interfecto, recordabitur Deus suæ Ecclesiæ, adducetque spiritum super terram, quia fideles exibunt ad prædicandum liberrime, et totus quasi mundus convertetur ad Christum, ac Spiritu Sancto implebitur. Longum esset totum hoc per singula prosequi. Hoc quoque prædictis adjiciendum, quia per hoc quod columba emissa non potuit in montium cacuminibus propter eorum lutositatem quiescere, designatur quod Spiritus Sanctus qui per columbam sæpe exprimitur, non invenit sibi quietem in multis doctoribus, prædicatoribus, sacerdotibus, principibus ac prælatis, propter carnalem et turpem eorum vitam.

ARTICULUS XL

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : BENEDIXITQUE DEUS NOE, ETC.

B*ENEDIXITQUE Deus Noe et filiis* C *ejus.* Hoc de spirituali benedictione a quibusdam exponitur : ut sit sensus, quod dona gratiæ ac virtutum eis infudit, aut infusa auxit, et fructuosa effecit. Aliqui tamen dicunt, quod Cham filius Noe fuit semper iniquus, quamvis propter merita patris sui fuerat a diluvio præservatus. Credendum est etiam, quod Deus benedixit uxoribus Noe, filiorumque ejus. *Et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini,* id est, generando augete et multiplicate individua vestræ speciei ; *et replete terram* D vestra posteritate, hoc est, incipite eam implere hominibus. Istud tamen præceptum refertur ad filios Noe, non ad ipsum Noe, nisi dicatur post diluvium genuisse : de qua re infra quæretur. *Et terror ac tremor vester sit super cuncta animantia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur super terram,* id est, omnia animalia terrestria, cunctæque aves cœli aerei, et universa reptilia terræ, timeant vos, et ad vestrum tremant adspectum.

Quæritur, an dictum sit hoc Noe et filiis ejus pro ipsis dumtaxat, an etiam pro eorum posteris universis. Respondetur, quod sic specialiter dictum est hoc Noe et filiis ejus, ut nihilo minus in eorum personis dictum sit aliqualiter cunctis hominibus. Dictum est enim ad illos specialiter, ne, quia pauci erant, timerent a multis ferocibus bestiis lædi. In eorum

Digitized by Google

quoque personis dictum est hoc ad omnes A homines, quoniam irrationabilia naturaliter metuunt homines, faciemque humanam. Et raro aut nunquam invaderent hominem, nisi provocata aut fame impulsa. Præfata tamen irrationabilia non fuerunt Noe et filiis ejus tam plene subjecta ac obedientia, sicut primis parentibus in statu innocentiæ.

Circa hæc verba dicit Gregorius : Homo non hominibus, sed irrationabilibus est prælatus natura, id est naturali dignitate et ordine. Ideo dicitur ei : Ut ab animali- B bus, non ab hominibus, timeatur; quoniam ab æquali velle timeri, est contra naturam superbire. Unde antiqui patres non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse dicuntur. Natura ergo omnes homines æquales genuit; sed pro varietate meritorum, dispensatio Dei justa, sed occulta, alios aliis præponit, ut humana formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Præpositi autem ex hoc timore nequaquam superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum quæ- C rant justitiam. Non enim hominibus, sed bestiis, dominantur; quia ex qua parte bestiales sunt, id est carnales seu proni ad malum, ex ea parte formidini sunt substrati.

Circa hæc quæri potest, qualiter ista sint vera, et utrum post originale peccatum inductum sit dominium unius super alium, ex solo demerito culpæ, ita quod non sit de jure naturali atque divino. Et objici potest contra verba Gregorii, quia Paulus

Ephes. VI, 5. apostolus præcipit servis, ut cum timore D et tremore dominis suis obediant : ergo et domini hoc a servis exigere possunt ut debitum, et præsertim prælati a sibi commissis exigere possunt ac debent, ut debite timeantur; imo princeps Apostolo-

I *Petr.* II, 18. rum jubet in sua Canonica : Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Jus ergo divinum seu Deus prætulit hominem homini, vultque hominem ab homine formidari. Antiqui etiam patres, non solum pecoribus, sed et hominibus præfuerunt, videlicet Abraham trecentis servis *Gen.* XIV. 14.

suis, et Moyses Israelitis ac David populo Judæorum. Verum ad omnia ista patet solutio ex his quæ dicta sunt supra, articulo vicesimo septimo; ubi quæsitum atque tractatum est, quomodo in statu innocentiæ fuisset dominium, et qualiter non. Tale enim dominium, quale fuisset in innocentiæ statu, etiam nunc est ex ordinatione divina, non in pœnam culpæ, sed propter subditorum profectum. Dominium vero quod est in commodum dominantis, non subditorum, ex culpa inductum est. De duplici isto dominio dictum est ibi diffusius.

Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, id est, vestræ potestati et usui vestro eos subjicio, ut vel arte, vel vi eos capere valeatis, et vesci eisdem. Interdum tamen belluæ quædam marinæ evertunt naves, et devorant homines; quod consecutum est ex peccato : ideo pisces et cetera bruta non sunt ita perfecte subjecta potestati humanæ in statu naturæ corruptæ, sicut in statu innocentiæ. *Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.* Non est hoc absolute intelligendum de omni animato ac mobili ex se ipso : non enim venenosa et alia quædam turpissima data sunt homini ad edendum; sed intelligendum est de universis animalibus humano esui aptis. *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, hoc est, volatilia cœli, bestias terræ, et pisces maris vobis concedo in usum et esum, nunc post diluvium, quemadmodum ante diluvium contuli vobis ad edendum olera, et terræ nascentia cetera. Vel, Quasi olera, hoc est, ut eis tam libere vescamini, sicut oleribus. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*, id est suffocatum seu strangulatum, submersum et omne tale quod moritur sine sanguinis effusione. Vel, Carnem cum sanguine, hoc est, non comedetis sanguinem scorsum, seu separatum a carnalibus, utpote aliquid confectum ex sanguine, sicut potestis comedere carnem

Digitized by Google

sanguine ejus fuso. Istud quoque in Actibus Apostolorum sanxerunt Apostoli : Visum est, inquiunt, Spiritui Sancto et nobis, nihil aliud imponere vobis, nisi ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et suffocato, et sanguine, et fornicatione. Potest quoque ita exponi : Carnem cum sanguine non comedetis, id est morticinum et captum a bestia seu aucupio, nisi ejus quod ita capitur, sanguis primo fundatur. Unde Ezechiel ait : Omne morticinum et captum a bestia non comedent sacerdotes. Itaque post diluvium concessit Deus hominibus carnes et pisces ad manducandum : tum quia natura humana de cetero fuit fragilior et pluribus indigens, tum quia fecunditas terræ exstitit minorata, et terræ nascentia minus vigorosa minusque nutritiva; ideo ait Glossa : Esus carnium videtur concessus post diluvium propter infecunditatem terræ, et hominis fragilitatem. Hinc cantat Psalmographus Deo : Omnia subjecisti sub pedibus ejus, videlicet hominis, oves et boves universas, etc. Quæri potest, an istud præceptum obliget modo. Respondetur, quod non omnifarie, neque in quantum fuit cærimoniale. Et quod in Actibus Apostolorum leguntur instituisse Apostoli, fuit solum ex certa ratione servandum ad tempus, quantum ad id quod tangitur ibi de observatione quorumdam legalium, quatenus conversi ex Judaismo et gentilitate, coalescerent simul pacifice, nec scandalizarent se invicem, sicut de hoc super Actus Apostolorum plenius scripsi.

(Act. xv, 28, 29. — Ezech. xliv, 31. — Ps. viii, 8. — Act. xv, 29. — In Actus Apostolorum scripsit ante hoc opus.)

Deinde subjungitur ratio, cur caro cum sanguine non sit edenda. *Sanguinem enim animarum vestrarum,* hoc est sanguinem vestrum, intelligendo totum pro parte, seu Sanguinem animarum vestrarum, id est corporum vestrorum animatorum, utpote effusionem injustam sanguinis humani, *requiram de manu cunctarum bestiarum,* hoc est bestialium atque ferocium ac fortium hominum. Vel, De manu bestiarum, id est actu feroci brutorum, quia in detestationem homicidii, quandoque occiditur bestia illud committens, ne amplius illud committat, quemadmodum Deus præcepit occidi pecus, cum quo homo coierit. Vel sic : Requiram sanguinem vestrum, supple effusum, de manu, hoc est operatione seu violentia bestiarum, *et de manu hominis,* hoc est, sive homo per se ipsum immediate, sive per bestiam occiderit hominem, puniam hujusmodi homicidam. *De manu viri et de manu fratris ejus requiram animam hominis;* id est, exstinctionem injustam vitæ humanæ, videlicet homicidium, requiram et vindicabo, sive occidatur homo a viro extraneo, sive a propinquo ac proximo, et sive hoc fiat a proposito et rancore ab inimico, sive a casu et ignoranter a quocumque propinquo. Quamvis enim utrumque horum non sit æque enorme, tamen et illud quod fit a casu, non evadit omnimodam pœnam, nisi forte in aliquo casu, ut si occisor propinquus et amicus, in nullo fuerit negligens circa ea vitanda per quæ proximum interemit. *Quicumque fuderit humanum sanguinem,* contra processum et ordinem juris, *fundetur sanguis illius.* Videtur hoc concordare verbo Christi, dicentis : Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Sed objici potest, quia et ipse Moyses sanguinem fudit, occidendo Ægyptium, nec tamen effusus est sanguis ejus. Et multi sceleratissimi homicidæ obierunt in pace naturalique morte. Est itaque sensus : Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, hoc est, occidi meretur secundum juris rigorem. Sicque quod dicitur, Fundetur, non est assertio aut prænuntiatio, quod semper sic fiat, sed jussio, ut sic fiat de lege communi. Vel, Sanguis ejus fundetur, hoc est, spiritualiter morietur et propria iniquitate peribit, nec mortem æternam effugiet, nisi forte vere, id est condigne pœniteat. Causa quoque cur tam facinorosum, atque tam acriter ulciscendum sit homicidium, subditur : *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Quum ergo tantæ sit dignitatis, impiissimum est eum occidere, prætermisso ordine

(Levit. xx, 15. — Matth. xxvi, 52. — Exod. ii, 12.)

Digitized by Google

juris; et propter conformitatem naturæ, propter quam est naturaliter diligendus, quia homicidium est contra legem naturalem itemque divinam.

Præterea quæritur, quid ista ratio pertineat ad præfatum præceptum, quo Deus prohibuit manducare carnem cum sanguine. Prohibitio namque homicidii seu ultio ejus, non videtur aliquo modo causa seu ratio, cur caro animalis non sit cum sanguine comedenda. Respondetur, quod causa accipitur hic pro motivo vel signo, ita quod Deus in ampliorem homicidii detestationem ac prohibitionem, prohibuit animalia atrocius suffocari aut edi, quam ratio dictat. Aut quod tanta prohibitio ac ultio homicidii, signum est quod Deus non vult animalia crudelius strangulari, laniari, ac comedi, quam oportet seu expedit. *Deut.* xiv, 21. Unde in Deuteronomio prohibet Deus hœdum coqui in lacte matris suæ, *Ibid.* xxii, 6. et avem capi cum pullis suis, et consimilia quædam, quæ quamvis spiritualem habeant rationem, habent tamen et litteralem, ut *Exod.* xxiii, 5. scilicet homo circa bruta quamdam exhibeat pietatem, quatenus sic discat eam amplius exhibere hominibus, prout Rabbi Moyses scribit, et suo loco, Deo præstante, dicetur. Et ex inductis etiam constat, non esse satis idonee dictum, quod Rabbi Paulus hoc loco in reprobationem Nicolai de Lyra, scribit, dicendo : Qualitercumque littera exponatur, ex hoc quod Deus prohibuit homicidium, non habetur ratio ad hoc, quod caro animalis non comedatur cum sanguine. Hoc enim non consonat textui, in quo quum Dominus jussit, Carnem cum sanguine non comedetis, protinus subditur, Sanguinem enim animarum vestrarum requiram : quod tanquam causa prohibitionis illius inseritur. Dicit autem Rabbi Paulus, quod pro hac conjunctione causali, Enim, in Hebræo habetur, Verumtamen, ut sit sensus : Verumtamen sanguinem animarum vestrarum requiram, id est, quamvis concesserim occisionem et esum animalium, non tamen hominum. Et quamvis hæc littera planior esset, littera tamen nostræ translationis videtur fecundior, potestque esse quod dictio Hebraica sit ad utramque æquivoca.

Consequenter describitur, qualiter Deus assecuravit ipsum Noe, quod diluvium de *Gen.* viii, 21. cetero non veniet : quod quamvis jam per verba ei promiserat, jam tamen per signum sensibile idem ei insinuat. Nempe ut Josephus recitat, homines maxime tunc timebant, ne rursus inundaret diluvium. Noe quoque quum quotidie Dominum exoraret, ne hoc amplius fieret, ideo Dominus pepigit pactum cum Noe de hoc, sicut subjungitur : *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum,* hoc est, cum te ac filiis tuis inibo et ponam fœdus seu ordinationem, et quamdam spontaneam obligationem, per signum sensibile de diluvio amplius non venturo; *et cum semine vestro post vos,* id est, pactum istud concernet etiam posteros vestros usque in finem mundi, ita quod et ipsi erunt de diluvio assecurati; *et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum,* id est ad omne irrationale animal vobiscum exsistens, *tam in volucribus, quam in jumentis et pecudibus terræ, cunctisque* aliis, puta reptilibus, *quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ,* quæ vel nunc sunt, vel postea erunt. *Statuam pactum meum* præfatum, ita quod istud etiam irrationalia ista concernet, sic quod non peribunt diluvio; *vobiscum,* scilicet sicut constitui istud tecum, atque cum filiis ac posteris tuis. *Neque erit deinceps diluvium dissipans omnem terram,* id est, universos habitatores et bruta ac fructus terræ evertens, quasi dicat : Non erit ultra universale diluvium. Particularia tamen diluvia interim sæpius contigerunt, in quibus multa millia hominum ac brutorum submersa sunt. *Dixitque Deus : Hoc est signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum in generationes sempiternas :* id est, sensibile indicium pacti, quod statuo inter me et homines ac jumenta usque ad finem mundi, est istud quod sequitur : *Arcum meum,*

Digitized by Google

id est iridem, quæ habet formam arcus extenti, videlicet semicirculi, *ponam,* id est apparere faciam, *in nubibus, et erit signum fœderis* initi *inter me et inter terram,* id est habitatores terræ. *Quumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus :* non quod semper appareat aut sit iris, quando sunt nubes, sed interdum ; *et recordabor fœderis mei* facti *vobiscum :* id est, per effectum monstrabo me memorem pacti hujus, et per modum recordantis habebo me pie vobiscum agendo.

Circa hæc dicunt Glossa et Scholastica historia, item Strabus et alii : Arcus est signum duorum judiciorum, unius per aquam facti, ac præteriti, ne timeatur ; et alterius quod fiet per ignem, ut exspectetur : ideo iris duos habet colores, unum ceruleum, qui aqueus est atque exterior, et designat judicium jam diluvio factum ; alium rubeum, qui igneus est et interior, significatque judicium per ignem futurum. Et tradunt Sancti, quod quadraginta annis ante judicium non videbitur arcus : quod etiam naturaliter demonstrabit desiccationem aeris tunc inceptam. Hæc ibi. Sed istis objicitur : Quum iris sit naturalis effectus, et ante diluvium fuit, quemadmodum nubes et pluviæ, non ergo est signum pacti præfati, supernaturaliumque judiciorum. Ad hoc quidam dixerunt, quod ante diluvium non fuerunt nubes, nec pluviæ, neque iris. Unde in Scholastica fertur historia : Usque diluvium non fuerunt aquæ collectæ in nubes. Alcuinus etiam ait : Quoniam arcus non est, nisi ex radiis solis et humida nube, videtur quod ante diluvium non fuerint pluviæ. Poterat autem ex rore et fontium inundatione terra fecundari.

Sed istud non placet aliis, quoniam sufficientes totalesque causæ nubium et pluviarum ac iridis, fuerunt ante diluvium, sicut et nunc, videlicet calor solis, influentia siderum, dispositio aeris, aqua maris ac fluminum et indigentia terræ. Iris autem fit ex repercussione radiorum solis ad nubem aquosam : quæ repercussio fuit tunc naturaliter ut nunc, nisi quis dicat quod miraculose et supernaturaliter tunc prohibebatur : contra quod loquitur Augustinus, quod Deus res creatas sic administrat ac regit, ut eas agere sinat proprias operationes et motus. Nec terra poterat ubique sufficienter irrigari ex rore et fontibus ; imo sicut quibusdam terris irrigatio pluvialis nociva est, ut patet de terra Ægypti, ita quibusdam terris nociva est irrigatio fluvialis. Propter quod in Deuteronomio scriptum est : Terra ad quam ingredieris, videlicet terra promissionis, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluviam. Denique, supra dictum est, Non enim pluerat Dominus super terram : quod dictum est pro tempore illo, antequam primi parentes peccaverunt, quod tempus erat brevissimum, et vix unius hebdomadæ : per quod satis insinuari videtur, quod postea infra duo millia annorum, qui ante diluvium erant, sæpius pluit. *Deut.* XI, 10, 11.

Alii ergo dicunt ante diluvium fuisse nubes, pluvias et iridem. Nihilo minus asserunt, iridem post diluvium datam in signum diluvii non futuri, non in signum pure ad placitum, sicut nomina significant rem, sed in signum quodammodo naturale, sicut urina signum est sanitatis. Iris namque generatur tempore non multum sicco, nec multum pluvioso, quia fit in nube rorida soli opposita : ad quam iridem requiritur etiam nubes densa, sic tamen, ut vapores non sint in tanta abundantia, quin solis calor queat eos resolvere, ita quod ex eis non sequitur pluvia magna. Sicque iris naturaliter signat diluvium non cito futurum. Sed contra hanc responsionem arguit quidam, cujus dicta Rabbi Paulus satis reprobat in hoc loco. Nec enim positionem illam satis idonee et integre recitare censetur, et contra verba magis quam contra mentem ponentium arguit. Non enim positio illa vult dicere, quod apparitio iridis sit signum pure natura-

le, et necessarium ex se diluvii nunquam futuri; sed quantum ad hoc dicitur signum naturale illius rei, in quantum designat ex sua natura diluvium non cito futurum, per quod habet congruentiam naturalem designandi ex beneplacito Dei diluvium nunquam futurum. Nec huic positioni contrariatur positio tertia, et clarior, dicens quod iris est signum ad placitum diluvii non futuri, in quantum Deus ex beneplacito suo sic ordinavit et voluit, ut apparitio hujus naturalis effectus, videlicet iridis, sit signum rememorativum fœderis Dei cum hominibus initi de diluvio non futuro, seu signum diluvii nunquam venturi. Quemadmodum interdum lapis jacens in agro, ex beneplacito hominum fit signum divisionis hereditatum seu dominiorum. Et hanc positionem inducit Rabbi Moyses Gerundensis, quam et sanctus Thomas in quodam approbat loco. Nec inconveniens est, ut naturalis effectus sit signum ad placitum supernaturalis aut voluntariæ rei, quam naturaliter designare non valet.

Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, et Japhet. Porro Cham ipse est pater Chanaan. Sequenti capitulo legitur Cham filius Noe multos genuisse, inter quos Chanaan ultimus ponitur. Quare ergo nunc solus exprimitur, et specialiter filius Cham vocatur? Respondetur, quia de Chananæis ex Chanaan ortis intendebat Moyses plura conscribere, qualiter scilicet

Josue XVI, 10. eorum terra data sit filiis Israel; et quoniam Chanaan mores patris sui perversos creditur magis esse secutus, sicut et posteri Chanaan hujus. *Tres isti filii sunt Noe,* videlicet Sem, Cham, et Japhet. Dicit autem Hieronymus: Septuaginta sæpe non valentes HETH litteram Hebræam, quia duplicem sonat adspirationem, in Græcum vertere, addiderunt χ litteram Græcam, docentes in hujusmodi vocabulis adspirandum. Unde transtulerunt Cham, pro eo quod est Ham, a quo Ægyptus usque hodie lingua eorum vocatur Ham. *Et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram,* id est, universi

A homines in toto mundo propagati sunt a præfatis filiis Noe.

Cœpit autem Noe vir agricola: cur Noe vocatus sit agricola, dictum est plenius circa finem expositionis quinti capituli; *exercere terram,* quod etiam aliqualiter fecit ante diluvium, sicut præhabitum est. *Et plantavit vineam.* Aliqui dicunt, quod vinea ista jam creverat, atque a Deo producta exstiterat, et plantata seu radicata in terra. Noe tamen dicitur eam plantasse, quia silvestris et dimissa fuerat vinea il-

B la, ideo diligentius coluit illam. Porro in Scholastica historia legitur: Noe plantavit vineam, labruscas naturales trahens per cultum ad vineæ usum. Dicitur autem labrusca, a *labrum,* quod est labium animalium, quoniam labris eorum appendet atque exponitur dum ea pascuntur. Vel, quia in labris, id est extremitatibus viarum solent nasci. *Bibensque vinum, inebriatus est:* non enim expertus fuerat ante vim vini, nec ante diluvium exstitit usus vini, ut dicitur, et Alcuinus insinuat; *et nudatus in*

C *tabernaculo suo,* id est in sinu et verecundiæ loco, ubi generativa vis quasi in tabernaculo demoratur. *Quod quum vidisset Cham pater Chanaan, verenda patris sui esse nudata.* Ex quo elicitur, quod homines tunc usque femoralibus non utebantur. Et si dicatur, quod forte deposuit ea, dicendum quod non deposuisset ea in die, et quando adhuc bibebat. Dicuntque aliqui, quod mulier nomine Semiramis, invenit postmodum femoralium formationem et usum. Alibi legitur, quod Minerva quæ vo-

D cabatur dea sapientiæ, invenit usum lini ac olei et femoralium, nisi forte sit eadem mulier pluribus designata nominibus. *Nuntiavit duobus fratribus suis foras,* ut secum deriderent proprium patrem, tanquam inhonestum et turpiter se habentem. *At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui; faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt.* In quo patet caritas, reverentia, et pudicitia ipsorum ad patrem suum.

Digitized by Google

Evigilans autem Noe ex vino, id est ex somno quem ex immoderata vini potatione incurrit, *quum didicisset,* vel ex revelatione humana, vel ex revelatione divina seu spiritu prophetali, ut Glossa interlinearis videtur innuere, *quæ fecerat ei filius suus minor,* videlicet Cham, qui etsi non fuerit ultimus natu, fuit tamen minor virtute et gratia, et per consequens vilior ac indignior. Vel minor forsan statura, aut minor primogenito; sicque ultimo natus, minimus dici posset, secundum quod infra filii Jacob dixerunt de Benjamin : Minimus cum patre est. Quidam tamen per minorem istum, intelligunt Japhet, ita quod Noe cognovit quod Japhet junior fratribus suis, habuit se magis reverenter ac sapienter circa patrem suum, quam Cham senior eo. *Ait : Maledictus* † *puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Refert quidam, quod aliqui dicunt Chanaan filium Cham, maledici a Noe, quoniam primo vidit virilia Noe avi sui, et retulit patri suo Cham se ea vidisse. Sicque incepit crimen illius derisionis a Chanaan. Sed istud videtur ineptum. Nullus enim trium filiorum Noe genuit ante diluvium, sed postea. Plantatio autem vineæ facta a Noe, videtur contigisse post diluvium satis cito, ut textus insinuare censetur. Statim etenim post diluvium concessus est a Deo hominibus usus vini, quemadmodum carnium eisdem ex causis. Ergo Chanaan fuit tunc juvenis multum. Propter quod in littera puer vocatur.

Gen. XLII, 13.

Verumtamen tunc quæstio oritur, cur propter patris peccatum maledicitur filius, quum alibi scriptum sit, Filius non portabit iniquitatem patris. Respondetur, quod pater maledicitur in filio suo, et per filium suum. Deus enim visitat iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. Quum equidem filius sit aliquid sui patris, utpote ex ejus substantia natus, quantum ad corpus : potest juste, quantum ad corporalia quædam mala pœnalia, puniri pro parentum peccato; non autem quantum ad animam, ita ut spiritualia dona gratiæ ac virtutum, filiis subtrahantur propter culpam parentum. Animam quippe habet filius, non a parentibus, sed immediate a Deo. Hæc autem maledictio Chanaan fuit quoddam malum pœnæ temporalis, videlicet servitus corporalis, quæ nec in Cham, nec in filio ejus Chanaan, sed diu post in Chananæis impleta est, qui filiis Israel ex Sem natis, fuerunt diu omnino subjecti. Nec hoc fuit injustum, quoniam Chananæi illi iniquitatem Cham et filii ejus Chanaan sunt secuti, et multo majora commiserunt peccata : quemadmodum Judæi usque in præsens pro Christi occisione in miseriis detinentur, quoniam patrum suorum qui Christum occiderunt, impietatem perfidiamque sequuntur. Pœna vero filiorum redundat in patres. Hinc Strabus ait : Chananæi a Chanaan orti, hac maledictione prophetantur expellendi et subjiciendi. Et idem habetur in Glossa. Itaque, Maledictus Chanaan, hoc est temporalibus pœnis addictus, juxta sensum inductum, servus servorum, id est servus maxime subditus, erit fratribus suis. Porro Cham patrem suum sic subsannando, peccavit mortaliter, et pœnam meruit infernalem : quam tamen pater ejus ei imprecari non voluit, nec prænuntiare; temporalem vero pœnam posteritati prædixit, quoniam talis pœna est medicinalis.

Ezech. XVIII, 20. Exod. XX, 5. Num. XIV, 18.

Circa quod quæri potest, cur Noe vir justus, pius, et patiens, maledixit sic posteris suis. Respondetur, quod fecit hoc non rancore aut vitio, sed justitiæ zelo, imo ex caritate, ut per temporalia corrigerentur adversa. Et magis fuit prophetica prænuntiatio, quam mali imprecatio; atque ut in Scholastica fertur historia, iste est sensus : Maledictus Chanaan puer, hoc est, tu Cham non læteris de filio tuo, sicut nec ego de te.

Dixitque Noe : *Benedictus Dominus Deus Sem,* id est, sit Deus laudatus et glorificatus pro donis gratiæ, quæ daturus est Sem et posteris ejus. Hoc dixit, quia prævidit in spiritu quod in posteris Sem, scilicet filiis Israel, permansurus erat cultus

Digitized by Google

Dei, aliis ad idolorum culturam ruentibus; A *sit Chanaan servus ejus,* id est, posteritas Chanaan serviat posteritati Sem, sicut ostensum est. *Dilatet Deus Japhet,* id est, semen ejus multiplicet : quod impletum est in gentilibus multis ex semine Japhet natis, ut sequenti patebit capitulo. *Et habitet in tabernaculis Sem.* Istud secundum Hieronymum, impletum est in conversis ex gentilitate, qui ejectis et reprobatis Judæis incredulis, habitaverunt in terra promissionis, seu potius in spiritualibus bonis, videlicet in scientia Scripturarum veteris B Testamenti, versantur, et in Ecclesia Dei, in qua ante erant filii Sem. In veteri quoque Testamento quidam gentiles ex Japhet orti, ad Judaismum convertebantur. *Sitque Chanaan servus ejus,* id est, etiam posteritati ipsius Japhet famuletur posteritas Chanaan. Gentiles quippe conversi, dominati sunt copiose et sæpe incredulis gentibus. Itaque sicut Noe maledixit Cham et posteris ejus, propter irreverentiam et ingratitudinem ac derisionem suam in patrem suum, sic benedixit filiis suis Sem C et Japhet, eorumque posteris, propter benevolentiam et reverentiam ipsorum in se patrem eorum. Ex quibus etiam patet, quam grandi gratia prophetiæ fuerit decoratus.

Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis, et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est. Sicque post diluvium nullus pervenit ad ejus ætatem, nec ante diluvium aliquis fuit senior, dempto Mathusalem, qui decem et D novem annis diutius vixit. Dempto quoque Jared, qui vixit annis nongentis sexaginta duobus.

Circa præhabita quæritur, an Noe post diluvium genuit aliquam prolem, ex qua nati sint alii. Et apparet quod non, quia in isto capitulo clarissime dictum est, quod ex his tribus filiis Noe, videlicet Sem, Cham, et Japhet, disseminatum est omne genus hominum super universam terram. Quod etiam Augustinus, aliique doctores concorditer asserunt. Oppositum vero videtur, auctoritate Methodii martyris, qui in libello suo apertissime scribit, quod centesimo anno tertiæ chiliadis, hoc est, tertii millenarii a principio mundi, Noe genuit filium nomine Jonitum. Et de filio isto ejusque regno, multa scribit Methodius, asserens eum accepisse a Deo sapientiæ donum, et invenisse astronomiam. Denique auctor Scholasticæ historiæ ista quasi vera allegat, et multa de Jonito isto prosequitur. Et natus est Jonitus secundum istos, egresso Noe de arca. Alioqui fuisset in arca. Ad istud breviter respondendo, fateor me nescire, nec posse perpendere, qualiter ista narratio de Jonito, possit cum Scriptura ista canonica concordari. Et si vera esset, mirum valde quod Moyses nihil tetigisset de ea, quum tanta consequenter scribat de rebus multo minoribus, et generationibus filiorum Noe, ostendens ex eis ceteros omnes posteriores esse exortos : ideo nolo incerta certis præponere, nec derogare auctoritati Scripturæ canonicæ, propter ea quæ minoris aut parvæ seu nullius sunt auctoritatis. Porro qui narrationem illam de Jonito vult salvare, ad ista respondeat.

Digitized by Google

ARTICULUS XLI

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI NONI.

B*ENEDIXITQUE Deus Noe et filiis ejus.* Post Christi passionem et resurrectionem, Deus Pater seu Trinitas Deus, Christo homini benedixit, eum glorificando, quantum ad humanitatem assumptam. Benedixit etiam ei, per evangelicam prædicationem eum ubique laudando, et per diversa miracula exaltando. Filiis vero ejus (puta discipulis) benedixit, variarum gratiarum charismata conferendo eisdem. *Et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini,* alios convertendo ad fidem, spiritualesque filios generando. Crescite quoque, proficiendo in omni gratia ac virtute, quod tamen Christo non competebat, nisi secundum exteriorem manifestationem. Unde in
Luc. II, 52. Evangelio legitur : Jesus proficiebat sapientia, ætate, et gratia. *Et replete terram* fidelibus. Dilataverunt enim sancti Apostoli Ecclesiam Christi per omnia climata mundi. *Et terror ac tremor vester sit super cuncta animantia terræ, et super omnes volucres cœli,* hoc est, universi qui convertuntur ad fidem, sive per animalia terrestria, sive per volatilia designentur, propter proprietatum suarum diversitates, timeant vos ac formident. Deus quippe
Ps. XLIV, 17. constituit sanctos Apostolos principes super omnem terram. Subditi autem habent prælatos suos diligere ac timere. *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Per pisces maris, intelliguntur lascivi, qui in aquis concupiscentiæ volutantur ; vel prudentes sæculi, qui in humanæ sapientiæ abundantia, quasi aquis natant ; sive hære-
Prov. IX, 17. tici, quibus aquæ furtivæ et propriæ et separatæ doctrinæ, sunt dulciores quam aquæ sapientiæ salutaris Catholicorum. Omnes isti traditi sunt manui Apostolorum discipulorumque Christi ; tum quoniam multos ex eorum genere talium hominum converterunt; tum quoniam omnibus illis per sapientiam desuper eis infusam prævaluerunt, sicut Christus prædixit : Dabo vobis Luc. XXI, 15.
os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. *Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum :* id est, de conversione universorum hominum spiritualiter reficiemini, et quosdam, imo et plurimos, de omni genere hominum incorporabitis Christo, et ex eis nutrietis Ecclesiam. Tales enim sunt nutritivæ Ecclesiæ partes, ex quibus quotidie alitur, augetur et impinguatur, eosque in mysticum suum convertit ac trajicit corpus, propter quod, sicut in Actibus legitur, dictum est beatissimo Archiapostolo : Surge, Act. X, 13.
Petre, occide et manduca.

Quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Per olera virentia, exprimuntur electi qui ex Judaismo conversi sunt, qui et antea in Synagoga floruerunt per notitiam legis et cultum unius Dei. Quemadmodum ergo tales Apostolis dati sunt in præfatam refectionem, conversionem et incorporationem, ita deinde Deus eis subjecit om- Ps. XLVI, 4.
nes gentes, tribus et linguas, quoniam, In Ps. XVIII, 5.
omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, impletumque est quod Daniel prophetavit : Omnes Dan. VII, 14.
populi, tribus et linguæ servient ei, videlicet Christo. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis :* id est, carnalia opera et peccata hominum prædictorum non acceptabitis, sed per confessionem effundi facietis ab eis, præcipiendo eisdem :
Confitemini alterutrum peccata vestra. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis ; de manu viri et de* Jacob. V, 16.

Digitized by Google

manu fratris ejus requiram animam hominis. Per hæc verba Deus prohibet, juxta mysticum sensum, spirituale homicidium, ne quis invidendo, loquendo, obloquendo, aut scandalizando proximum perimat, quod totum Deus districte ulciscitur. Nempe per sanguinem animarum seu hominis, designatur in hac auctoritate spiritualis vita, quæ est vita gratiæ et virtutis. Unde ad Ezechielem loquitur Deus de pereunte : (*Ezech.* III, 18.) Sanguinem ejus de manu tua requiram. Hinc subditur : *Quicumque effuderit humanum sanguinem,* hoc est, aliquem ad mortale peccatum induxerit, seu animam ejus spiritualiter occiderit, *fundetur sanguis illius,* id est, etiam ipse alium taliter scandalizando, peccat mortaliter et peribit.

Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro, etc. *Arcum meum ponam in nubibus,* etc. Per arcum seu iridem, significatur Christi humanitas, ejusque passio ; quæ humanitas tanquam arcus in passione extenta est, et rubeo colore rosei sanguinis sui perfusa, colore- (*Joann.* XIX, 34.) que aqueo, dum aqua exivit de latere ejus transverberato. Hunc arcum ponit Deus in nubibus, id est in scripturis Prophetarum atque Apostolorum, in sermonibus quoque prædicatorum : qui arcus est signum pacis et fœderis inter Deum et homines, quo- (*Coloss.* I, 20.) niam Christus per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt. Hunc arcum Deus Pater intuetur. Filius namque ostendit Patri latus et vulnera, idcirco Pater miseretur hominibus, nec aquas diluvii ultra inducit, hoc est, homines non relinquit, nec plagat ulterius, quemadmodum olim in lege naturali ac scripta.

Tres isti filii sunt Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. Per Sem, qui interpretatur nominatus, designatur chorus Apostolorum, qui ceteris Christi discipulis excellentiores et famosiores fuerunt. Per Cham, qui interpretatur callidus, intelliguntur hæretici, qui in primitiva Ecclesia consurrexerunt adversus Catholicos pleni vulpina versutia, et humana aut naturali quadam scientia, seque Christi discipulos ac filios nominaverunt. Porro per Japhet, qui interpretatur latitudo, intelligitur ordo septuaginta duorum discipulorum, et aliorum primorum credentium. Ex quibus tribus propagati sunt ceteri Christiani, tam catholici, qui soli vere Christiani censentur ; quam hæretici, qui se Christianos mendaciter appellarunt.

Cœpit autem Noe vir agricola exercere terram. Christus vir est, de quo loquitur Jeremias : Novum faciet Dominus super (*Jer.* XXXI, 22.) terram, Mulier circumdabit virum. Ipse quoque agricola, qui corda humana vomere prædicationis salubriter fregit, semine verbi cœlestis fecundavit, et triticum, puta electos, in horreum suæ collegit Ecclesiæ. Nec obstat quod ait : Ego sum vitis (*Joann.* XV, 1.) vera, et Pater meus agricola est. Nam Christus, in quantum Deus, est idem cum Patre agricola ; imo tota superdignissima Trinitas est unus agricola, sicut et unus creator. Nihilo minus Christus, secundum naturam humanam, agricola est quasi instrumentalis ; nec solum ipse, sed et prælati ejus vicarii, quum scriptum sit : Homo (*Matth.* XXI, 33.) quidam paterfamilias plantavit vineam, et locavit eam agricolis. Porro Deus Trinitas est principalis agricola, qui solus per interiorem gratiæ infusionem, totiusque obicis potestativam remotionem, cordium cultor est. Cœpit autem Christus per se ipsum, factus homo, exercere terram, videlicet Synagogam, quæ terrena habebat promissa, prædicando Judæis. *Et plantavit vineam,* scilicet primitivam Ecclesiam, imo et Synagogam, secundum quod Deus, plantavit, de qua loquitur Isaias : Vinea Domi- (*Is.* V, 7.) ni Sabaoth domus Israel est. Et Osee : Vi- (*Osee* X, 1.) tis frondosa Israel. *Bibensque vinum,* id est rigorem justitiæ et increpationis vigorem assumens, de quo vino testatur, quod Samaritanus infudit vulnerato vinum et (*Luc.* X, 34.) oleum, *inebriatus est,* id est, caritatis fervore, Passionisque calice excessive repletus est usque ad summum, juxta illud Threnorum, Inebriavit me absinthio ; *et* (*Thren.* III, 15.)

Digitized by Google

nudatus in tabernaculo suo : nudus enim in cruce suspensus est; et hoc, In tabernaculo suo, utpote in medio populi Synagogæ. *Quod quum vidisset Cham pater Chanaan,* id est incredulus populus Judæorum, pater infidelium posterorum, *verenda patris sui esse nudata,* hoc est, mortalitatem, humanæque carnis fragilitatem Christi creatoris sui patere ad oculum, *nuntiavit duobus fratribus suis,* id est, tam ceteros Judæos quam Gentiles, qui natura fratres eorum erant, provocavit ad
Matth. xxvii, 2. Christi irrisionem, dicendo : Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.
Luc. xxiii, 5. Itemque : Commovit populum et seduxit. *At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis :* hoc est, conversi ad Christum ex Judaismo et paganismo, præfatam Christi nuditatem rationabiliter excusarunt, et defenderunt ab omni incredulorum aspernatione, dicentes Christum non necessitate, nec propria culpa, sed caritate et pro totius mundi salute incarnatum et crucifixum. Hinc secundum Augustinum, per pallium exprimitur sacramentum; per humeros, memoria præteritorum.

Evigilans autem Noe ex vino, hoc est, a somno mortis resurgens, *quum didicisset,* secundum animam a Verbo æterno, a quo tota sua humana fluxit cognitio, *quæ fecerat ei filius suus minor,* id est, qualiter subsannatus erat a viliori et recentiori populo Judæorum incredulo, de quibus per
Is. i, 2. Isaiam locutus est, Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; *ait : Maledictus † puer Chanaan,* id est puerilis et stolidus populus iste incredulus, *servus servorum erit fratribus suis,* id est, in captivitatem et servitutem fidelium redigetur, sicut dudum impletum est. Porro Sem et Japhet, videlicet conversi ex Synagoga et gentibus, sunt benedicti a Deo. *Dilatet Deus Japhet,* id est, conversa gentilitas, per quatuor mundi partes dilatetur ac diffundatur. *Et habitet in tabernaculis Sem.* Hoc Rabbi Paulus exponit de Deo et Virgine gloriosa ex Sem nata, in cujus sacratissimæ Virginis mundissimo utero Unigenitus Patris per Incarnationis mysterium novem mensibus habitavit. Unde de ipsa exponitur et cantatur illud Ecclesiastici : Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Eccli. xxiv, 12.
Japhet quoque, id est conversa gentilitas, habitavit in tabernaculis Sem, sicut præcedenti articulo patuit, et hoc de quibusdam de Sem natis, inde expulsis, puta incredulis, aliis vero permanentibus in tabernaculis illis : quia ex duobus populis illis facta est una Ecclesia. Per quod concordatur contrarietas, quæ esse videtur inter Hieronymum, asserentem quod Japhet seu gentilitas credens in Christum, habitat in tabernaculis Sem, Israele inde ejecto; et Rabbi Paulum, dicentem quod debeat intelligi, Israele non ejecto.

Præterea juxta tropologiam, per Noe qui cœpit exercere terram, plantavitque vineam, designatur prælatus, gregem sibi commissum per disciplinam exercens, et verbis ac factis ædificans : qui vino inebriatur ac dormit, quando de sua prælatione aut fructificatione inaniter gloriatur, aut intumescit, aut aliqua carnalitate fœdatur, tuncque verenda, id est turpia vitia ejus nudantur. Quo cognito, Cham, id est quicumque subditus, pravus, ingratus ac indiscretus, prælatum suum dijudicat et contemnit, et fratribus seu aliis subditis, verenda patris sui ostendit, eis insinuando quod in superiore exstat culpabile; propter hoc maledictionem meretur. Sed boni subditi, talia pie quantum valent, excusant ac celant, sive dissimulant : ideo benedicuntur a Domino, atque per bona opera, seu aliorum conversionem dilatantur, ac Deo in ipsis commorante lætantur. Sensus tropologicus.

Juxta hoc quæri potest, an subditi debeant superiorum suorum vitia occultare. Circa hoc in Decreto multæ inducuntur auctoritates ad partem utramque. Alexander quoque de Hales doctor præcipuus, super tertium Sententiarum multa circa hoc scribit. Sed breviter responsio stat in hoc, quod subditi non debent superiorum suorum culpas ex aliqua prava radice mani-

Digitized by Google

festare, nec obloqui illis, neque temerarie judicare de ipsis ; sed loco et tempore opportuno, possunt ac debent illos caritative cum timore Dei et reverentia accusare A apud eos, qui possunt prodesse, et maxime quando commune bonum id exigit. Per hanc responsionem concordantur plurimæ auctoritates.

ARTICULUS XLII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : HÆ SUNT GENERATIONES FILIORUM NOE, SEM, CHAM, ET JAPHET.

NUNC describuntur generationes filiorum Noe : *Hæ sunt generationes filiorum Noe,* videlicet istorum, *Sem, Cham, et Japhet. Natique sunt eis filii post diluvium. Filii Japhet.* Primo describitur generatio ipsius Japhet, qui secundum Augustinum aliosque communiter, fuit junior aliis duobus, ut gradatim ascendendo, perveniatur ad descriptionem filiorum Sem. Cujus generationem Moyses magis prosequi intendebat, quia ex eo sunt nati Hebræi. *Gomer,* a quo secundum Josephum nati ac nominati sunt Galatæ, qui Latine C Gallogræci dicuntur, a quibus juxta quosdam postea vocati sunt Gallici. *Et Magog,* a quo secundum Hieronymum nati sunt Scythæ, qui et Massagetæ putantur secundum Glossam. Magog tamen quando-
Ezech. xxxviii et xxxix. que est nomen populi. Unde in Ezechiele et Apocalypsi multa sunt scripta de Gog
Apoc. xx, 7. et Magog. *Et Madai,* a quo Medi vocati sunt ; *et Javan,* de quo Græci descenderunt, propter quod usque nunc Græcia in Hebræo vocatur Javan ; *et Thubal,* de quo Hispani ; *et Mosoch,* de quo Cappadoces ; D *et Thiras,* a quo Trachæi seu Thraces. *Porro filii Gomer* fuerunt : *Asenech,* quod nomen interdum est appellatio feminæ, nam uxor Joseph vocata est Asenech ; *et Riphath, et Thogorma. Filii autem Javan* fuerunt : *Elisa,* a quo Elisæi, id est Græci ; *et Tharsis,* a quo Cilices, quorum urbs
Act. xxii, 3. nomine Tharsus, a Paulo apostolo nobilis est ; *Cetthim, et Dodanim,* a quo Rhodii. *Ab* B *his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis,* id est, a præfatis filiis atque nepotibus Japhet facta est insularum aliquarum partitio, unaquaque tribu appropriante sibi provinciam aliquam. Ideo subditur : *Unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis,* hoc est, quilibet sortitus est mansionem in terra populi sui et linguæ suæ, quod tamen post dissipationem turris Babylonicæ factum est, et nunc per anticipationem narratur, quoniam usque ad turris illius constructionem una omnium fuit lingua.

Deinde describitur generatio Cham, qui medius fuit inter filios Noe. *Filii autem Cham* fuerunt : *Chus,* a quo Æthiopes : hinc Æthiopia in Hebræo Chus nominatur ; *et Mesraim,* a quo descenderunt Ægyptii : nam et Ægyptus in Hebræo Mesraim nuncupatur ; *et Phuth,* de quo Libyes, qui post Phuthæi vocati sunt : unde fluvius Mauritaniæ Phuth dicitur, et omnis regio ista vocatur Phuthensis, secundum Glossam ; *et Chanaan,* de quo nati sunt Chananæi. *Filii* autem *Chus* fuerunt : *Saba,* a quo Sabæi ; *et Hevila,* de quo Gætuli, in parte majoris Africæ adhærentes deserto ; *et Sabatha,* de quo Sabatheni, qui et Astabori dicuntur, secundum Hieronymum ; *et Regma, et Sabathaca. Filii Regma* filii Chus, nati ex Cham : *Saba, et Dadan.* Secundum Hieronymum, Regma et Sabathaca perdiderunt paulatim nomina sua antiqua, et quæ nomina habeant nunc pro

Digitized by Google

illis, ignoratur. *Porro Chus genuit Nemrod.* Ex hoc rursus suspectus est libellus Methodii, in quo Nemrod dicitur natus de filiis Hiron, filii Sem. Et quamvis Nemrod regnasset super posteros Cham, ex hoc non diceretur natus de Chus filio Cham.

Ipse cœpit esse potens in terra. Unde Septuaginta transtulerunt, Cœpit esse gigas in terra, atque ut fertur in glossa Scholasticæ historiæ, decem cubitorum exstiterat. *Et erat robustus venator coram Domino.* Circa hoc loquitur Alcuinus : Nemrod fuit robustus venator, id est hominum oppressor atque exstinctor, allexitque homines ad ædificandum Babylonicam turrim. Josephus quoque ait : Nemrod nova cupiditate regnandi tyrannidem arripuit, fuitque auctor ædificandæ turris quæ tangeret cœlum. Fuit itaque fortis venator coram Domino qui omnia intuetur. Tamen secundum Augustinum melius dicitur, quod fuit fortis venator contra Dominum, id est Deo per superbiam suam contrarius ac rebellis. Sicque habet translatio qua utitur Augustinus. Credo etiam quod fuit bestiarum venator, quemadmodum Lamech ante diluvium, non tamen solum propter animalium pelles ut Lamech, sed item propter carnes bestiarum edendas. *Ab * hoc exivit proverbium : Quasi Nemrod robustus venator coram Domino :* id est, quando aliquis videbatur magnus tyrannus, validusque oppressor sive venator, dicebatur de eo verbum istud vulgare : Iste quasi Nemrod robustus venator coram Domino.

[* Ob]

Fuit autem principium regni ejus Babylon, id est, Nemrod primo regnare incepit in Babylone, quæ tamen tunc aliter vocabatur : nam propter divisionem linguarum, ibi postea factam, dicta est Babylon ; *et Arach,* id est Edessa civitas Mesopotamiæ alio nomine, *et Achad, et Chalanne,* quæ postea a Seleuco rege Asiæ, Seleucia est vocata. Regnavit ergo in urbibus istis, *in terra,* id est regione *Sennaar. De terra illa,* videlicet Sennaar, *egressus est Assur.* Hoc quidam exponunt de Assur filio Sem, dicentes quod Assur iste noluit acquiescere impio Nemrod in ædificatione turris, idcirco recessit et fugit ab eo ad terram remotam ante inhabitatam, quæ post ex nomine ejus est vocata Assyria. In Scholastica quoque historia dicitur, quod Nemrod violenter expulit illum Assur de terra Sennaar, quæ ejus erat hereditario jure. Quidam vero exponunt istud non de Assur filio Sem, sed de regno Assyriorum, quod dicunt inde egressum. Sed primæ expositioni videtur concordare, quod subditur : *Et ædificavit Niniven, et plateas civitatis* illius, *et Chale,* id est urbem sic dictam. *Resen quoque* urbem sitam *inter Niniven et Chale. Hæc,* scilicet Ninive, *est civitas magna.* Scriptum est enim in Jona : Ninive magna erat itinere dierum trium. Ubi Hieronymus ait, quod tanta fuit magnitudo ipsius, quantum ad murorum circuitum, imo secundum Glossam ibidem, circuiri vix poterat infra tres dies. Denique Augustinus scribit de his, quod Assur dicitur exisse de terra Sennaar, ædificasseque Niniven ac alias urbes, longe postea factum est : quod Moyses hac occasione perstrinxit, ut nobilitatem regni Assyriorum ostenderet, quod Ninus filius Beli dilatavit mirifice, conditor civitatis quæ ex nomine ejus vocata est Ninive. Verumtamen alii dicunt, quod præfatus Assur filius Sem, condidit Niniven, tamen sub alio nomine, postmodum vero vocata est Ninive a Nino, qui eam plurimum ampliavit.

[Jonæ III, 3.]

At vero Mesraim, filius Cham, *genuit Ludim, et Anamim, et Laabim,* etc. Ponuntur hic nomina filiorum Mesraim, per quæ septem gentes ex illis filiis natæ insinuantur ; atque ut ait Hieronymus, gentes istæ ignotæ sunt nobis, vel quia præliis sunt deletæ, aut alia nomina sunt sortitæ, excepto Laabim, a quo dicti sunt Libyes, qui ante vocabantur Phuthæi. *Et Chasluim ; de quibus egressi,* id est nati *sunt Philistiim et Caphtorim.*

Porro circa illud quod dictum est, Filii Regma, Saba et Dadan, Josephus dicit : Filii Regma, Saba et Judas. Et dicit quod Judas iste in Ægypto habitans, Judæis co-

Digitized by Google

gnomen suum reliquit, ita quod ab eo Judæi sint dicti. Quod non videtur idonee dictum, quia etsi filius iste Regma dictus fuerit Judas, tamen de semine fuit Cham: ideo non apparet, quod Judæi de Sem nati, ab isto Juda Cham filio, cognomen acceperint; sed potius a Juda patriarcha filio Jacob, qui inter fratres suos fuit fortissimus, atque post Joseph præcipuus, quia ex eo nati sunt reges. *Gen.* XLIX, 8.

Deinceps ponuntur nomina filiorum Chanaan. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum,* a quo nominata est Sidon urbs Phœniciæ; et *Hethæum et Jebusæum et Amorrhæum et Gergesæum et Hevæum :* omnia ista propria nomina, etiam sunt nomina communia populorum ex viris natorum, ut infra in multis patebit locis; *et Aracæum,* qui construxit oppidum nomine Arcas, contra Tripolim in radicibus Libani; *et Cynæum,* * a quo urbs Cyn; *et Aradium,* a quo Aradii, qui Aradiam insulam inhabitaverunt; *Samaræum,* a quo Samaria nomen sumpsit; *et Amathæum,* a quo Emath civitas, quæ alio nomine Antiochia appellatur. *Et per hos disseminati sunt populi Chananæorum,* id est, diversæ gentes, videlicet undecim, natæ et multiplicatæ sunt super terram ex undecim fratribus illis. *Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam :* id est, loca habitationis gentium harum extendebantur a civitate Sidone, ambulantibus ibi usque Geraram Palæstinæ, et Gazam urbem Philistiim ; *donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham et Adamam et Seboim* *, id est terram ubi quatuor urbes istæ stabant, antequam subverterentur igne et sulfure : quæ et subversæ erant, quando hæc Moyses scripsit; non tamen, quando quæ narrat nunc, contigerunt. *Hi sunt filii Cham,* hoc est generati ab eo, non immediate, sed per Chanaan.

* *Sinæum*

* *usque Lesa*

Consequenter describitur generatio Sem, quæ ultimo enarratur, quoniam Moyses vult eam diffusius prosequi. *De Sem quoque nati sunt patres* * *filiorum omnium Heber,* hoc est, patres omnium qui nati sunt ex Heber, geniti sunt ex Sem, ita quod universi Hebræi sunt nati de semine Sem. Et specialiter exprimit ipsum Heber, quamvis sit quintus a Sem, quia ex Heber nati ac cognominati sunt Hebræi, in quibus viguit cultus Dei, quibus et Moyses scripsit hæc. *Fratre Japhet majore :* qui Sem fuit major seu senior ac dignior fratre suo Japhet. *Filii Sem* fuerunt : *Elam,* a quo descenderunt Elamitæ ac principes Persidis; *et Assur,* a quo Assyrii; *et Arphaxad,* a quo Chaldæi; *et Lud,* a quo Lydii; *et Aram,* a quo Syri, quorum metropolis est Damascus. *Filii Aram* fuerunt : *Hus,* qui condidit Trachonitidem et Damascum, secundum Glossam, et dominatus est ibi, a quo etiam nominata est terra Hus, quam Septuaginta Ausitidem vocant, id est australem. Unde in libro Job, ubi nostra habet translatio, Vir erat in terra Hus; Septuaginta transtulerunt, Vir fuit in terra Ausitidis. De semine Hus creditur Job fuisse, juxta Scripturam prætactam : Vir erat in terra Hus, nomine Job. *Job* I, 1. *Et Hul,* a quo Armenii, qui ab Euphrate fluvio tenent Asiæ partem usque ad Indicum mare; *et Gether,* a quo † Acharii; *et Mes,* a quo † Messii, qui a Septuaginta vocantur Mosoch, id est Mæones. *At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. Natique sunt Heber filii duo. Nomen uni Phaleg,* id est quod interpretatur divisio, ideo subditur ratio nominis ejus, *eo quod in diebus ejus divisa sit terra :* quia in tempore ejus creditur facta linguarum confusio, destructio turris, et ex consequenti provinciarum distinctio. Dicuntque aliqui, quod Heber hoc prævidit in spiritu, tanquam prophetiæ spiritum habens, idcirco filium suum sic appellavit. *Et nomen fratris ejus Jectan. Qui Jectan genuit Elmodad,* et alios undecim qui nominantur in textu; et populi nati ex eis, sunt nobis ignoti, secundum Hieronymum, ex causis prætactis.

* *patre*

Hæ familiæ Noe, juxta populos et nationes suas, id est secundum numerum et distinctionem ipsorum. *Ab his divisæ sunt*

Digitized by Google

gentes in terra post diluvium. Dicit au- A tem Isidorus, quod ex tribus filiis Noe natæ sunt gentes septuaginta duæ, videlicet quindecim de Japhet, triginta de Cham, viginti septem de Sem. Idem in Scholastica historia fertur. Verumtamen Augustinus computat ex eis generationes seu tribus ac gentes septuaginta tres. De Cham enim computat nationes triginta et unam. Nihilo minus Augustinus post fatetur, quod melius computantur non nisi septuaginta duæ. Non est autem putandum, secundum Augustinum, quod non fuerint multo plu- B res homines nati ex præfatis filiis trium filiorum Noe, quam in littera ista exprimitur.

Præterea Alcuinus ait : Sem, ut adstruunt, sortitus est Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Unde Josephus ait apertius : Filii Japhet tenuerunt septentrionalem regionem, a Tauro et Amano montibus Ciliciæ et Syriæ usque ad fluvium Tanaim ; in Europa vero usque ad Gadira. Filii vero Cham a provincia Syriæ, et Amano et Libano montibus, cunctas ter- C ras obtinuerunt, quæcumque ad mare sunt positæ, appendentes etiam eas quæ sunt usque Oceanum. Filii vero Sem seorsum habitaverunt, ab Euphrate facientes initium. Præterea, in Scholastica historia recitatur, quod Cham vixit usque ad tempus Nini, et regnavit in Braccia, dicebaturque Zoroastres, qui fuit magister astrorum et inventor magicæ artis, qui et septem liberales artes scripsit in quatuordecim columnis, videlicet in septem æreis atque in septem latericiis, totas in utrisque septenis, contra utrumque diluvium, scilicet aquæ et ignis. Augustinus quoque testatur, quod ante diluvium scripsit eas in columnis, et post diluvium eadem curiositate quæsivit. Ex quo apparet, quod semper exstitit malus. Insuper Philo disertissimus Judæorum, testatur in libro Quæstionum super Genesim, quod ex tribus filiis Noe, ipso vivente, viginti quatuor millia virorum et centum, præter mulieres et parvulos, nata sunt. Postremo, ut tactum est, Judæi dicti sunt Hebræi ab Heber patriarcha. Augustinus tamen quæstionem inducit, an potius dicti sint Hebræi ab Heber, vel ab Abraham, quasi Habræi, quoniam Abraham fuit principalior pater eorum. Tenendum est autem, quod ab Heber sic dicti sint, præsertim quum et ipse Abraham infra vocetur Hebræus, quod et Josephus asserit. Attamen Rabbi Paulus dicit oppositum, quod alibi reprobavi. *Gen.* XIV, 13.

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS.

QUOD præcedenti capitulo dictum est D de gentium divisione, nunc declaratur, videlicet cur et qualiter factum sit. *Erat autem terra labii unius et sermonum eorumdem :* id est, universi habitatores terræ erant tunc ejusdem loquelæ, quantum ad habitualem facultatem loquendi ; eorumdem quoque verborum, quantum ad loquendi usum seu actum. Fuitque lingua illa idioma Hebræum, primis parentibus inditum, et in eorum posteris universis relictum, usque ad tempus unde nunc agitur. Quemadmodum enim homines universi ejusdem sunt speciei et conformis ingenii, sic rationabile fuit, ut eisdem uterentur sermonibus, per quod etiam poterant sibi invicem facilius communicare, succurrere, et prodesse. *Quumque proficiscerentur de oriente,* recedendo de orientali plaga terræ, *invenerunt campum in terra Sen-*

Digitized by Google

naar, quæ postea dicta est terra Babylonis et Chaldæa, in qua postmodum Nabuchodonosor rex Chaldæorum regnavit ; *et habitaverunt in eo,* id est, habitare cœperunt ibidem. Fuit enim campus ille planus, pulcher, longissimus atque latissimus, et per consequens aptus ad cohabitationem eorum, et constructionem urbis ac turris, per quam possent evadere diluvium, si veniret, cujus inundationem vehementer timebant, non credentes pacto Dei cum Noe peracto de diluvio amplius non futuro. Hinc in Scholastica historia legitur : Post obitum Noe moventes pedes suos ab oriente, convenerunt duces in campum unum Sennaar, et timentes diluvium, consilio Nemrod volentis regnare super eos, cœperunt ædificare. Dicitur autem in eadem Historia, quod exemplo Nemrod regnantis super filios Cham, cœpit et Jectan regnare super filios Sem, et Sufene super filios Japhet. Itaque duces illi convenerunt in campum præfatum cum populis suis, ad providendum sibi contra diluvium. Circa hoc Josephus narrat, quod filii Noe primo de montibus ad campestria descenderunt, posteri vero eorum præ timore diluvii non audebant descendere, sed filii Noe induxerunt eos ad descendendum.

Gen. VIII, 21. Ibid. IX, 15.

Dixitque alter ad proximum suum, id est mutuo se hortabantur : *Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni,* ut indurata materia non valeat aquis dissolvi, nec habuerunt lapides tunc ad manum. *Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento.* Unde infra legitur de puteis bituminis, sicque bitumen poterant copiose acquirere. Dicitur quoque in Glossa, quod non potest aquis dissolvi postquam siccatum est, nec potest aliqua re dissolvi nisi menstruo sanguine. *Et dixerunt : Venite, et faciamus nobis,* utpote ad commodum et honorem nostrum, non ad gloriam Dei, *civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum,* id est, tam altam sicut fieri potest. Hoc dixerunt ex consilio Nemrod, volueruntque turrim in medio construere civitatis, tanquam fortalitium et consistorium seu prætorium dominorum, tam altum, ut aquis quantumlibet erumpentibus operiri non posset. Circa quod tangit Augustinus, quod per turrim singulariter nominatam, intelliguntur turres pluraliter, ita quod vel omnes turres civitatis intendebant altissimas facere, vel unam inter eas præcipue altam. Verum (ut loquitur Augustinus) quid fecisset eorum vana præsumptio, quando aquæ excessissent montes altissimos, nebulosumque aerem, pertingendo ad aerem tam subtilem, quod in eo homines vivere nequeunt? *Et celebremus nomen nostrum,* id est, nomen famosum ac inclytum procuremus ac relinquamus nobismetipsis, *antequam dividamur in universas terras.* Videbant enim posteros suos universos non posse habitare in loco illo, sed undique diffundendos, quibus voluerunt præbere exemplum ædificandi talem confugii turrim. Itaque incitati fuerunt ad ædificandum urbem illam turrimque, non tantum timore diluvii, sed et desiderio famæ humanæ ac gloriæ temporalis, in quo patet eorum elatio.

Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim quam ædificaverant, id est ædificare cœperant, *filii Adam,* qui in hoc secuti sunt transgressionem Adæ. Porro Septuaginta transtulerunt, Filii hominum. Nam isti fuerunt filii hominum, non filii Dei. Loquitur autem Scriptura de incircumscriptibili, invariabili et supersapientissimo Deo more humano, non quod ipse in sua deitate descendat aut videre incipiat seu aliquid discat, sed quia ipse qui præsidet cœlis, aliquid de novo agit in terris, seque per effectum demonstrat attendere ea quæ in terris geruntur. Ideo loquitur Augustinus : Non loco movetur qui semper ubique est totus, sed descendere dicitur, quum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, ostendit nobis præsentiam ejus ; atque (ut ait Gregorius) descendere Dei, est humanorum actuum attendere pravitatem. Utitur quoque Scriptura hoc

modo loquendi, ad innuendum quod prælati et judices non debent aliquid judicare, nisi illud prius diligenter considerent. *Et dixit Dominus : Ecce unus est populus,* unus, inquam, in generali, et unus consensu malo ac cohabitatione, imo et unitate naturæ specificæ, *et unum est labium,* id est idioma, *omnibus. Cœperuntque hoc facere,* scilicet urbem et turrim istam construere, *nec desistent,* quantum in ipsis est, et nisi impediantur virtute divina, *a cogitationibus suis,* quibus firmiter proposuerunt ista ædificare, *donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Jam dictum est semel, Descendit autem Dominus ut videret civitatem : quomodo ergo nunc denuo dicitur, Venite igitur, descendamus ? Ad hoc Augustinus respondet dupliciter. Primo, ut istud quod dicitur, Venite, descendamus, sit recapitulatio, pandens qualiter factum sit quod prius dictum est, Descendit Dominus. Secundo, ut istud sit verbum Dei ad angelos, qui in destructione turris fuerunt divinæ exsecutores justitiæ, in quibus Deus descendit, quia in ipsis fuit. Itaque Dominus dixit, Confundamus linguam eorum, id est, linguis eorum inferamus diversas loquelas, non plures eidem, sed uni linguæ istam loquelam, alii illam.

Circa hoc scribit Alcuinus : In hac divisione linguarum nil novum fecit Dominus, sed dicendi modos et formas loquelarum gentibus diversis divisit. Unde easdem syllabas, et ejusdem potestatis litteras, aliter et aliter conjunctas, in diversis linguis invenimus, quod in Scholastica habetur historia : quod intelligi potest quantum ad verborum materiam, præsertim remotam, quæ sunt syllabæ ipsæ ; sed quantum ad formam verborum, utpote quoad litterarum et syllabarum proximam connexionem ac propriam contemperationem, fecit Dominus in divisione illa aliquid novum, imo rem valde mirabilem et supernaturalem, ita quod homines cœperunt subito linguis uti, et verba proferre quæ nun-

A quam antea audierunt nec didicerunt. Propter quod Augustinus fatetur : Per linguas divisæ sunt gentes, sicut placuit Deo, qui hoc modis occultis, nobisque incomprehensibilibus fecit. Insuper verbum hoc, Venite, descendamus, etc., potest esse verbum totius superdignissimæ Trinitatis ad se ipsam, cujus indivisa sunt opera, seu Patris ad Filium ac Spiritum Sanctum.

Ut non audiat unusquisque vocem proximi sui, hoc est, ne unus eorum intelligat verba alterius. Attamen non fuerunt ibi in-

B ductæ tot linguæ, quot homines ibi fuerunt, sed plures manserunt ejusdem loquelæ. Nihilo minus Deus (ut reor) ita disposuit, quod in pertinentibus ad ædificationem inceptam, nullus eorum alium intellexit ; vel quia hi qui in ædificando erant permixti, fuerunt differentium loquelarum, seu alio modo, Deo omnipotente id disponente. *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras,* videlicet quosdam in unam provinciam, quosdam in aliam. Qui enim ejusdem erant loque-

C læ, sibi invicem cohærebant. *Et cessaverunt ædificare civitatem* et turrim. In primis enim quum cœpissent loqui diversis linguis, nec se invicem intelligerent, nescientes quid eis acciderit, putabant se ab invicem derideri, cœperuntque indignari et corrixari. Uno etiam hoc aut illud postulante, alter aliud porrigebat. Deinde advertentes plagam et ultionem sibi a Deo inflictam, exterriti sunt, formidantes graviorem vindictam, propter quod cessaverunt ab opere illo. *Idcirco vocatum est*

D *nomen ejus,* videlicet civitatis illius, *Babel,* seu Babylon aut Babylonia, quod interpretatur confusio ; *quia ibi confusum est labium universæ terræ,* id est, cuncti habitatores terræ incurrerunt ibi confusionem et perturbationem ex varietate idiomatum suorum : quod intelligendum est de his, qui ibi fuerunt et peccaverunt in ædificio illo per consensum, suggestionem, vel actum. Heber vero et boni viri qui fuerunt cum ipso, nec consenserunt operi illi, manserunt in pristina lingua,

Digitized by Google

quæ ante fuerat cunctis communis, et vocabatur humana, atque extunc mansit eis eorumque posteris propria, et Hebræa vocata est. *Et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum :* non quod illi soli poterant omnes mundi regiones implere aut occupare, sed per eos inceptum est hoc, et per eorum posteros consummatum. Unusquisque autem recessit ab eo quem intelligere non valebat, tanquam non potens conversari et loqui cum eo.

Circa hæc quæritur primo, quot novæ loquelæ fuerunt inductæ ibi. Secundo, an omnes loquelæ quæ sunt in mundo, fuerunt inductæ ibidem, dempta Hebræa. Tertio, an omnes qui erant ejusdem gentis, facti sint linguæ ejusdem. Ad ista patet aliqualis responsio ex verbis Augustini, dicentis : Ex tribus filiis Noe, septuaginta duæ gentes ac totidem linguæ per terras esse cœperunt, quæ gentes crescendo etiam insulas impleverunt. Auctus est autem numerus gentium multo amplius quam linguarum. Nam et in Africa novimus multas barbaras gentes esse in una lingua.

Præterea circa hæc movet Augustinus tres quæstiones. Prima est, qualiter feræ prorsus indomitæ, quæ ex sola commixtione nascuntur, potuerunt venire et esse in insulis. Ad quod dicit : Credi possunt natando venisse ad proximas insulas. Sunt autem quædam insulæ tam longe positæ a terris feras tales continentibus, ut nulla fera videatur potuisse natando venisse ad insulas illas. Quod si homines adduxerunt eas secum captas, non est incredibile venandi studio id fieri potuisse, quamvis negandum non sit, eas transferri potuisse jussu Dei et opera angelorum. Si vero ex terra exortæ sunt, quemadmodum in principio mundi, quando dixit Deus, Producat terra animam viventem, clarissime patet, omnia animalia fuisse in arca, non tam reparandorum animalium causa, quam gratia figurandarum variarum gentium propter Ecclesiæ sacramentum.

Gen. 1, 24.

Secundo quærit, an ex Adam seu filiis Noe, propagata sint monstruosa hominum genera, quæ gentium narrat historia, quorum quidam dicuntur habere oculum in media fronte; quidam plantas habere versas post crura; quidam habere naturam utriusque sexus, dexteramque mamillam virilem, sinistram femineam, vicibus quoque inter se coeundo et gignere et parere; alii ora non habere, sed per nares solo halitu vivere; alii cubitalem habere staturam, qui Pygmæi vocantur, et octavum vitæ non excedere annum. Item dicunt gentem esse, ubi singula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, et sunt mirabilis celeritatis, quos Sciopodas vocant, quod tempore æstus resupini in terra jacentes, umbra pedum se protegunt a calore. Et quid de Cynocephalis dicam, quorum canina capita atque latratus, magis videntur ostendere bruta, quam homines? Ad istud Augustinus non dat certam responsionem; sed primo ait, quod non sit necesse credere omnia hujusmodi hominum genera esse. Secundo, quod si homines sunt, indubitanter ex primis parentibus nati sunt. Tertio, quod eadem ratio potest assignari de monstruosis talibus gentibus, qualis apud nos redditur de monstruosis hominum membris seu partibus. Et circa hoc quibusdam interpositis, ait : Absurdum nobis videri non debet, quod sicut in singulis gentibus sunt aliqua particularium hominum monstra, ita in toto genere humano sint gentes aliquæ monstruosæ. Quarto refert de quodam, qui natus est non diu ante tempora sua, lunatas habens manus ac pedes, et binos tantummodo digitos in eisdem. Refert quoque de alio monstro non diu ante sua tempora nato, quod superioribus membris fuit duplex homo, inferioribus simplex : nam habuit duo capita, duoque pectora et quatuor manus, sed unum ventrem et duos pedes. Quinto concedit esse Hermaphroditos, quamvis paucissimi sint, in quibus ita uterque sexus apparet, ut incertum sit ex quo potius debeant nominari. Deinde finali-

Digitized by Google

ter sic respondet, quod præfata hominum aut quasi hominum monstra omnino non sunt, aut si sunt, homines non sunt; aut si homines sunt, ex Adam sunt. Præterea Joannes Mandevillæ in itinerario suo multa scribit de præfatis et aliis quampluribus talibus monstruosis gentibus, asserens eas esse. Alexander quoque de Hales in scripto suo super secundum Sententiarum, præfatam movens quæstionem, multa circa eam inducit, non tamen certitudinaliter ac plene eam determinat, magis tamen videtur declinare ad hoc, quod credendum sit eas esse. Qualiter vero talia naturaliter fieri possunt, longum est pertractare : ideo hoc in præfato doctore et in libro Guillelmi Parisiensis de Universo, potest inquiri. Verumtamen certum est, esse Cynocephalos ac Pygmæos, quum de Pygmæis
Ezech. xxvii, 11. in Ezechiele dicatur : Sed et Pygmæi qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis; ipsi compleverunt decorem tuum. An tamen sint homines, vertitur nonnullis in dubium.

Tertio quærit Augustinus, an (sicut narratur) sint homines antipodes, id est, ex adverso sub terra contra nos gradientes : quod Augustinus dicit nequaquam esse credendum, nec ab historiis recitatum, sed a quibusdam quasi ratiocinando opinatum, eo quod terra sphæricæ sit figuræ, ideo partem terræ quæ infra nos est, habitatione hominum carere non posse. Ad quod Augustinus respondet, quod licet terra sit sphærica, non tamen est certum, quod terra in parte illa quæ infra est, sit discooperta ab aquis. Et quamvis discooperta consisteret, tamen contra Scripturam hanc esset dicere, quod ibi homines habitent, eo quod nimis absurdum sit dicere aliquos homines ex hac terra in illam partem navigare ac pervenire potuisse, immensitate Oceani peragrata. Verumtamen ex his quæ in sphæra mundi probantur, constat qualiter partes terræ in quibus homines commorantur, multipliciter differunt situ, qualitate, distinctioneque temporum.

A Præterea de turre Babel Josephus scribit, quod latitudo ejus fuit tam magna, ut prope eam adspicientibus longitudo ejus videretur minor quam latitudo. Dii vero, utpote angeli, ventum miserunt, et turrim everterunt. De hac turre dixit Sibylla : Quum omnes homines unius vocis exsisterent, quidam turrim ædificaverunt excelsam, tanquam per eam ascensuri in cœlum. Estius quoque historiographus scribit de campo Sennaar, dicens : Quidam in Sennaar Babylonis venerunt, qui deinde
B divisi sunt diversitate linguarum et emigrantes apprehenderunt mediterranea atque maritima.

Consequenter reditur ad generationem Sem. Quemadmodum autem asserit Augustinus, omissis ceteris filiis Sem, illi describuntur et connectuntur in ordine generationis, per quos directe veniretur ad Abram, sicut in his qui ante diluvium erant, connectuntur nati ex Seth, per quos ad Noe perventum est. Itaque dicitur : *Hæ sunt generationes Sem,* id est filii gene-
C rati ex Sem. *Sem centum erat annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.* Sexto capitulo dictum est, quod Noe genuit Sem, Cham et Japhet, quum esset quingentorum annorum ante diluvium, quod inundavit sexcentesimo anno Noe. Ergo Sem fuit centum annorum dum venit diluvium, seu in ipso diluvio. Ergo dum genuit Arphaxad, biennio post diluvium evoluto, fuit ad minus centum et duorum annorum, si tamen fuit primogenitus Noe. Quomodo ergo nunc dicitur
D fuisse centum annorum quando genuit Arphaxad, quod fuit duobus post diluvium annis? Ex hac ratione (ut refert Lyra) dicunt Hebræi, quod Sem non fuit primogenitus Noe, sed Japhet, quod nec textui nostro, nec sanctis doctoribus consonat. Jam enim Japhet vocatus est junior filius Noe, et si primogenitus exstitisset, Scriptura non nominasset eum post Cham vitiosum, dato quod nominasset eum post Sem virtuosum et magis electum. Dicendum ergo cum Augustino, Beda et aliis,

Digitized by Google

quod Sem primogenitus Noe fuit. Ad objectionem vero dicendum, quod consuetudo est Scripturæ, non exprimere minutias aut modicum excrementum numerorum et temporum. Vel forsitan ipse Noe non fuit præcise quingentorum annorum dum genuit Sem, nec sexcentorum erumpente diluvio, quia in tanta ætate non computabatur biennium supercrescens sive deficiens. *Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis.*

Deinde littera expositione non indiget usque ibi, *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram et Nachor et Aran.* Qualiter verum est hoc, quum paulo post habeatur in littera, quod Thare mortuus est in Haran, quum esset ducentorum et quinque annorum, atque quod Abram post mortem Thare patris sui egressus est de Haran, quum esset septuaginta quinque annorum, ex quibus concluditur, quod Thare erat centum triginta annorum quum genuit Abram? Respondetur secundum Augustinum et eum sequentes, quod Thare septuagenarius generavit, id est generare cœpit, præfatos filios suos, ita quod primogenitum inter eos genuit septuagenarius, et ille primogenitus non erat Abram, sed multis annis postmodum Abram natus est, quum scilicet Thare esset centum triginta annorum, secundum unum modum loquendi tactum ab Augustino, qui etiam tangit alium modum, secundum quem Abram dicitur genitus, quum Thare esset septuaginta annorum : sicque Abram diceretur primogenitus Thare, quod tamen non videtur posse teneri. Nam infra habetur, quod Abraham centenario exsistente, Sara uxor sua nonagenaria fuit, quæ tamen fuit filia Aran fratris ipsius Abrahæ, sicque Aran junior Abraham fratre suo, genuisset filiam suam Saram, quum vix decem esset annorum. Hinc etiam alii dicunt, quod sexaginta anni fluxerunt inter nativitatem primogeniti filii hujus Thare et nativitatem Abræ, qui inter filios Thare primo exprimitur propter multiplicem eminentiam ejus. Unde et Augustinus fatetur, et idem in Glossa habetur, quod in enumeratione filiorum Thare non attenditur ordo nativitatis seu temporis, sed significatio futuræ dignitatis. In Scholastica quoque fertur historia, quod in enumeratione filiorum Thare in littera est ordo præposterus, quoniam Aran fuit primogenitus, Nachorque medius, et Abram ultimus.

Porro Aran genuit Lot, et etiam filias duas, quæ paulo post nominantur. *Mortuusque est Aran ante patrem suum in Ur Chaldæorum.* Hoc dupliciter explanatur. Nam aliqui dicunt, quod Nemrod rex Sennaar seu Chaldææ, projecit Aran et Abram in ignem, quia nolebant juxta ejus præceptum adorare et colere ignem, et quod Aran fuit combustus in igne, Abram vero tanquam majoris fidei, exivit divina virtute illæsus, præsertim quia de semine ejus Christus fuerat nasciturus. Et ita per Ur intelligitur ignis. Unde et infra Dominus ait ad Abram : Ego sum qui eduxi te de Gen. xv, 7.
Ur Chaldæorum. In Esdra vero Dominus ait apertius : Ego sum qui eduxi Abram de II Esdras ix, 7.
igne Chaldæorum. Dicunt quoque aliqui, quod factum sit istud in præsentia Thare, imo et ex accusatione ipsius qua accusavit filium suum Aran vel Abram aut ambos ipsi Nemrod de hoc, quod ignem adorare spreverunt, sicque mortuus sit Aran ante patrem suum, hoc est in præsentia ejus. Unde Septuaginta transtulerunt, Coram patre suo. Secundo exponitur, intelligendo per Ur, locum in Chaldæa, in quo dicunt obiisse hunc Aran ante patrem suum, id est diu ante obitum patris sui. Hinc Josephus dicit, quod Ur sit hic nomen civitatis, in qua hactenus sepultura ipsius Aran ostenditur. Hoc idem Rabbi Manahen protestatur.

Duxerunt autem Abram et Nachor frater ejus *uxores,* id est, quilibet eorum unam, videlicet : *Nomen uxoris Abram, Sarai ; et nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ et Jeschæ.* Aran namque frater Abræ et Nachor, genuit filiam unam nomine Sarai seu Sara, quæ alio nomine dicta est Jescha, vel secundum

Digitized by Google

Hieronymum, cognominata est Jescha. Harum duarum unam, scilicet Sarai, accepit Abram in uxorem, aliam Nachor; imo secundum Scholasticam historiam, ipse Thare dedit unam Abræ, alteram Nachor. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, et Sarai nurum suam,* id est uxorem filii sui, *et eduxit eos de Ur Chaldæorum,* juxta sensum expositum, *ut irent in terram Chanaan.* Ex quo videtur constare, quod Thare non accusavit filium suum Aran aut Abram, de hoc quod ignem non voluit adorare; imo concors fuit cum eis, atque (ut alii dicunt) idcirco sumpsit secum Abram et Lot et Sarai, ut irent simul in terram Chanaan, quia non voluit sustinere molestias Chaldæorum, incitantium eum ad ignis adorationem. *Veneruntque usque ad Haran* civitatem Mesopotamiæ, *et habitaverunt ibi;* mutato proposito eundi in terram Chanaan. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran* urbe præfata, quam Septuaginta vocant
Act. VII, 2. Charan, sicque in Actibus Apostolorum vocatur.

Quæritur, cur de Thare nunc dicitur quod mortuus sit, quod in isto capitulo de nullo exprimitur a Sem inclusive usque ad Thare. Respondent Alcuinus et alii, quod de aliis non dicitur in isto capitulo, quod mortui sunt sicut de his qui præcesserunt diluvium, quoniam nullus horum de lege mortis exemptus est, quemadmodum inter illos Enoch de morte est præservatus. *Gen.* V, 24. Cur vero Thare mortuus scribitur, dici potest, quod non absolute dicitur mortuus sine additamento, sed mortuus in Haran, ne putaretur ingressus terram Chanaan sicut proposuit, quia præmisit Scriptura, Ut irent in terram Chanaan. Insuper constat ex dictis, quod tempore Abræ non erat matrimonium inter patruum et neptem prohibitum, quum Sarai fuerit filia fratris sui mariti, et hoc idem ait Hieronymus.

Quæritur, an Thare fuerit idololatra. Et ex prædictis apparet, quod non. Oppositum vero apparet ex eo, quod Josue locutus est filiis Israel : Trans fluvium habi- *Josue* XXIV, 2.
taverunt patres vestri, Thare pater Abrahæ et Nachor, servieruntque diis alienis. Ad hoc aliqui dicunt, quod Thare et Nachor ad idololatriam lapsi sunt in terra Haran seu Mesopotamia; verumtamen hoc loco non legitur quod Thare duxerit secum filium suum Nachor in Haran. Infra tamen satis patebit, quod Nachor habitaverit ibi, vel saltem posteritas ejus, et si non ivit illuc cum patre suo, forsan secutus est eum, imo (secundum Augustinum) secutus est ipsum. Opinatur enim Augustinus, quod ideo Thare non dicitur secum duxisse filium suum Nachor, quoniam Nachor adhæsit idololatriæ Chaldæorum, et post vel inde pœnitendo, aut persecutionem fugiendo, secutus sit Thare patrem suum, habitavitque secum cum conjuge sua in Haran.

ARTICULUS XLIV

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI UNDECIMI.

E*RAT autem terra labii unius et sermonum eorumdem.* Per terram designantur homines carnales et vani, rebus terrenis potius quam divinis intenti. Quorum unum est labium, quoniam omnes verba iniqua loquuntur, et frequenter concordant in vitiis atque erroribus. *Quumque proficiscerentur de oriente,* id est, verum et æternale lumen ac Christi doctrinam dereliquissent, de quo loquitur Zacharias,

Digitized by Google

Zach. VI, 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus; *invenerunt* A *campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo.* Sennaar interpretatur fœtor seu excussio dentium, per quod intelligitur abundantia iniquitatum, quibus nihil fœtidius coram Deo et angelis ejus : quibus iniquitatibus desunt dentes, hoc est vis et diligentia terendi semen verbi cœlestis pro interiori refectione. In hac terra Sennaar, id est terrenis cordibus quæ subjecta sunt vitiis et erroribus istis, est campus, id est lata via perditionis, planaque quies impiæ voluptatis. In quo campo mo- B rantur præfati terreni, qui per lata perditionis itinera gradiuntur, et delectantur in rebus pravissimis. Contra quos scriptum
Eccli. XVIII, 30. est : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. *Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni.* Per lateres designantur magnificæ cogitationes de se ipso, quæ igni coquuntur, dum privati amoris fervore durantur et roborantur. Ex his construunt impii turrim superbiæ, propriam excellentiam, præsidentiam, laudem C et gloriam hominum appetendo; præfatosque lateres bitumine, id est sensuali viscositate seu fœditate, quasi inseparabiliter nectunt, quando et carnalium oblectamentorum affectione pravas cogitationes elationis continuant et defendunt, ita ut corripi ac corrigi dedignentur. Hanc turrim volunt erigere usque ad cœlum, quoniam Dei voluntati atque præceptis suas superbas ac improbas præferunt voluntates, nec subjici volunt, tanquam filii ejus
Is. XIV, 14. qui dixit : In cœlum conscendam, et si- D milis ero Altissimo. Ideo scriptum est de
Job XV, 25, 26. superbo in Job : Tetendit contra Deum manum suam, et cucurrit adversus eum erecto collo. *Et celebremus nomen nostrum.* Hoc est quod homines vani, superbi ac stolidi præcipue cupiunt procurare et habere in hac vita et post mortem, ab hominibus reputari, laudari, ac late famari, non
I Tim. I, 17. obstante quod scriptum est : Soli Deo ho-
II Cor. X, 17. nor et gloria. Itemque : Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim quam ædificaverant filii Adam. Hæc civitas est impiorum societas, ecclesia malignorum, congregatio infructuosorum reproborumque hominum, qui sunt corpus diaboli, et spiritu elationis, magis autem privato sui ipsius amore nectuntur, moventur ac agitantur ad opera mala ac pessima. Nempe duo amores, duas constituunt civitates, quoniam amor Dei crescens usque ad contemptum sui, Dei constituit civitatem; amor vero sui, crescens usque ad contemptum Dei, efficit civitatem diaboli, quæ Babylon appellatur, cujus constructor et princeps est Nemrod, id est diabolus, adeo potens ut non Job XLI, 24.
sit potestas super terram quæ ei valeat comparari. Estque animarum venator ac devorator, nam esca ejus electa, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os Ibid. XL, 18.
ejus. Ille est primus iste apostata, totius elationis inventor. De hac civitate Deus loquitur per Osee prophetam : Non ingre- Osee XI, 9.
diar civitatem. Longe quippe est Domi- Prov. XV, 29.
nus ab impiis. Hanc civitatem ædificant filii transgressoris Adæ ex semetipsis, tanquam ex putridis saxis; quia peccando faciunt se ipsos membra diaboli, ac mortuos lapides Babylonicæ urbis. Hanc civitatem et turrim considerat Deus, qui loquitur per Prophetam : Cognovi scelera Amos V, 12.
vestra. Oculi etenim Domini multo luci- Eccli. XXIII, 28.
diores sole, circumspicientes omnes vias hominum.

Et dixit : Venite igitur, descendamus, et confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Hoc facit Omnipotens, quando impedit pravos ab exsecutione conceptæ elationis atque malitiæ, et male concordes facit discordes, ac contra se invicem incitari permittit, quemadmodum inter habitatores Sichem et Abimelech misit spiritum pes- Judic. IX, 23.
simum. Ipse enim apprehendit astutos in astutia eorum, de quo testatur Scriptura : Qui dissipat cogitationes malignorum, ne Job V, 12.
manus eorum possint implere quæ cœperant. *Atque ita divisit eos Dominus ex*

Digitized by Google

illo loco in universas terras : hoc est, per A diversos errores ac vitia permittit impios, præsertim hæreticos, ab invicem separari, quamvis ad resistendum Catholicis sint unanimes. *Idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ.* Civitas diaboli, seu congregatio iniquorum, recte vocatur Babel, hoc est confusio, quoniam corda malorum omni confusione vitiorum et deordinatione propriarum perversitatum sunt plena, quorum mens a Deo aversa est, in quibus caro dominatur spiritui, imo eorum corpori et B animæ dominatur diabolus, cui infelices deserviunt : propter quod sacratissimus
II Petr. II, 19. princeps Apostolorum Petrus fatetur : Iniqui sunt servi corruptionis ; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Idcirco et Romam appellat Babylonem, dicendo : Salutat vos Ecclesia quæ est in I Petr. V, 13.
Babylone coelecta. Quorum et labia sunt confusa, quia loquuntur verba iniqua, et invicem corrixantur. Quod si aliquando bona pronuntiant, non tamen eorum verbis opera propria correspondent. Et dicitur unicuique talium : Ex ore tuo te judico, serve nequam. Luc. XIX, 22.

Postremo, per hoc quod Deus eduxit Abram de Ur seu igne Chaldæorum, figuratum est, quod Deus servos suos fideles liberat a tentationibus carnalium desideriorum, et inflammationibus dæmonum. Per hoc quoque, quod Thare tulit Abram, Lot et Sarai de populo Chaldæorum, ut iret in Chanaan, designatur quod bonus prælatus debet sibi commissos a pravis pro posse separare consortiis, seque cum illis applicare et associare bonis ac justis.

ARTICULUS XLV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAM : EGREDERE DE TERRA TUA.

SANCTUS Moyses in præsenti capitulo C incipit gesta præcipui Patriarchæ, videlicet Abrahæ, prosequi ac singulatim describere. *Dixit autem Dominus ad Abram.* Si quæratur, qualiter et in qua forma locutus sit Deus ad Abram, dici potest quod per angelum in humana specie apparentem, quemadmodum dictum est de apparitionibus et locutionibus factis a Deo ad Adam et Noe. *Egredere de terra tua.* Quando et ubi locutus sit Deus ista ad Abram, diversi diversimode opinantur, quibusdam dicentibus, quod ante mortem Thare patris sui, aliis autem quod postea. Sic et de loco varie æstimatur. Ait enim beatus Ste-
Act. VII, 2-4. phanus protomartyr : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham, quum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, et dixit ad illum : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, videlicet Chanaan. Hæc autem narratio S. Stephani, imo et Lucæ evangelistæ, discordare videtur a littera ista Geneseos in tribus : Primo, in hoc quod dicit, Dominum ista locutum ad Abram ante mortem patris sui. In fine enim præcedentis capituli legitur, quemadmodum Thare pater Abræ in Haran de- D functus sit, et nunc in exordio hujus capituli legitur, quod dixit Dominus Abræ verba prætacta, quasi juxta ordinem rei gestæ dictum sit hoc, ipso Thare defuncto. Porro secundum beati Stephani recitationem, Deus locutus est istud ad Abram, ante patris sui decessum, quod etiam in

sequentibus clarius innotescet. Secundo, A quod Stephanus dicit ista a Domino dicta ad Abram, antequam moraretur in Charan: præcedenti autem capitulo scriptum est, quod Thare cum filio suo Abram de Chaldæa veniens, venit in Haran, id est Charan, et habitavit ibidem cum Abram. Deinde in isto capitulo scribitur, quod ipso Thare defuncto in Haran, Dominus locutus est ista ad Abram. Tertio, quod Stephanus ait ipsum Abram de Chaldæa egressum, postquam audivit a Domino verba præscripta. Moyses autem præcedenti capitulo B scripsit, quod Thare cum Abram exiit de Chaldæa, et habitavit in Haran Mesopotamiæ urbe, et obiit ibi. Deinde in isto refert capitulo, quemadmodum Thare defuncto, Deus dixerit Abræ verba hæc: Exi de terra tua, etc.

Ad ista a diversis diversimode respondetur, estque prolixum omnia recitare. Augustinus namque ista concordat et solvit per modos loquendi Scripturæ, quibus multa per anticipationem et recapitulationem dicuntur. Hieronymus vero circa hoc C dicit, veram esse relationem Hebræorum, dicentium, quod Abram liberatus sit de igne, in quem projecerant eum Chaldæi, eo quod ignem noluerit adorare, et quod tempus vitæ suæ computetur ei ex illo die. Planius autem loquendo, dicendum, quod
Act. VII, 2. Deus locutus est verba hæc Abræ in Mesopotamia, venienti cum patre suo Thare ex Chaldæa, antequam intravit aut inhabitavit civitatem, quæ dicitur Haran seu Charan, ut Stephanus refert, quod fuit ante obitum Thare. Quod vero nunc legitur, post D mortem Thare Deum ista dixisse ad Abram, dupliciter solvitur: Primo, ut istud nunc dictum intelligatur per recapitulationem, quia Scriptura non semper refert res gestas eo ordine quo sunt factæ. Secundo, ut credamus Deum bis dixisse verba ista ad Abram: primo ante obitum patris sui, et antequam habitavit secum in Haran, videlicet quando de Chaldæa veniens, Mesopotamiam est ingressus, ut tactum est. Secundo, post patris sui decessum, ut legitur hic. Nec repetitio ista fuit ob inobedientiam aut negligentiam Abræ, quia præceptum affirmativum non obligat, nisi pro tempore opportuno. Et istam solutionem tangit auctor Scholasticæ historiæ circa Actus Apostolorum, quam et Lyra sequitur ibi.

Præterea, quod Stephanus narrat ipsum Abram de Chaldæa exisse, postquam audivit verba ista a Domino, duobus solvitur modis. Primo, ut Mesopotamia dicatur pars Chaldææ, sicque dicatur Abram tunc de Chaldæa exisse, quia de Mesopotamia, quæ est pars Chaldææ, exivit. Hanc autem solutionem Rabanus ponit, quæ et in Scholastica historia tangitur, et ex verbis Augustini elicitur. Secundo, ut Abram dicatur primo de Chaldæa corporaliter exivisse, sed cum proposito redeundi; nunc autem præceptum sit ei, ut etiam mente inde exiret, id est, Mesopotamiam deserens, eundo ad terram promissionis, abjiceret propositum revertendi in Chaldæam. Hanc solutionem ponunt Strabus, Beda, Scholastica historia, imo et Glossa hoc loco, Augustinus quoque.

Sed quidam tam super Actus Apostolorum, quam circa hunc locum, solutionem hanc reprobat, eo quod non videatur rationabile æstimare, quod Abram proposuerit in Chaldæam redire, in qua Nemrod tyrannus regnavit. Verum hæc ratio modici est vigoris, nec propter eam oportet tantorum reprobare verba doctorum. Siquidem probabiliter dici potest, quod quia Abram fuit multo junior ipso Nemrod, intendebat redire in Chaldæam, si contingeret Nemrod ante se mori, et istud est multum apparens. Abram namque, quando cum patre suo Thare exivit Chaldæam, nullum habuit præceptum a Deo relinquendi Chaldæam seu terram natalem: ideo, sicut naturale est hominibus ad natalem affici terram, verisimile est eum habuisse propositum et affectum redeundi ad eam occasione oblata. Denique præfatus ita exponit hunc passum: Egredere, id est longius recede, de terra tua, scilicet

Digitized by Google

de Chaldæa, videlicet quoniam de Mesopotamia exeundo versus terram promissionis, longius quam ante abiit a Chaldæa. Probat quoque convenientiam expositionis istius, quia (ut ait) in Hebræo habetur: Vade tibi de terra tua. Quasi dicatur: Pro utilitate tua longius vade ab ea. Ad quod dicendum videtur, quod expositio illa sit multum impropria et inusitata. Non enim proprie aut usitate loquendo, dicitur quis egredi de aliqua provincia, regione aut urbe, quia recedendo de alia provincia, regione aut urbe, longius recedit ab illa. Littera quoque Hebraica quam inducit, non est plus pro expositione ipsius, quam eorum quos reprobat, sed potius minus. Sive enim dicatur Abram de Chaldæa exisse, quia longius recessit ab ea, sive quia reliquit propositum redeundi ad illam, totum hoc fuit pro utilitate ipsius: imo magis videtur fuisse pro salute animæ suæ, quod spiritualiter eam reliquit et exiit, utpote deponendo propositum redeundi ad ipsam, quam quod corpore longius recessit ab ea, quum ratio virtutis ac meritum magis consistant in interioribus, quam exterioribus rebus et actibus.

Amplius, Rabbi Paulus circa hunc locum reprobat Lyram, qui per terram, de qua Dominus ait, Egredere de terra tua, Chaldæam intelligit, dicens Abram natum esse in terra Chaldææ: quod Paulus iste redarguit, asserens Abram esse in Mesopotamia natum. Quocirca sciendum, quod Paulus hoc dicens, non solum contradicit Nicolao de Lyra, sed et sancto Hieronymo, Augustino, Strabo, Bedæ, ceterisque doctoribus catholicis communiter, imo et Josepho, multis quoque doctoribus Hebræorum. Hieronymus quippe in multis locis testatur, quod Abram in Chaldæa sit natus, et inde in Mesopotamiam cum patre suo profectus. Denique Augustinus sic ait: Sicut Scriptura sancta indicante didicimus, in regione Chaldæorum natus est Abram. Deinde Augustinus probat hoc per ea quæ scripta sunt in Judith historia, ubi Achior de filiis Israel protestatur (*Judith* v, 6-9.): Populus iste ex proge-

A nie Chaldæorum est, et primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum, et Deus præcepit eis ut exirent inde, et habitarent in Charan. In littera quoque præcedentis capituli apertissime scribitur: Tulit Thare Abram filium suum, et eduxit de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan.

Argumenta quoque Rabbi Pauli non prævalent, sed falsa includunt. Primo enim sic arguit: Constat quod Babylonia cum B tota terra Sennaar, quæ est Chaldæa, pertinebat ad Cham filium Noe, et posteritatem ejus. Abram autem descendit de Sem, cujus posteritas in aliis regionibus habitavit. Error istius verbi, ex præinductis verbis Augustini et Judith, jam patet: quia de filiis Israel universaliter dictum est, quod sint de progenie Chaldæorum. Textus quoque præcedentis capituli manifeste sic loquitur, quasi Thare genuerit tres filios suos, videlicet Abram, Nachor et Aran, in Chaldæa, præsertim quum Aran dicatur C mortuus in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. Denique decimo capitulo scriptum est, quod Sem genuit Arphaxad, a quo secundum expositores, descenderunt Chaldæi, ut ibi expositum est. In ejusdem etiam expositione capituli dicebatur, quod Assur filius Cham, egressus est de terra Sennaar seu Chaldæa, expulsus inde a Nemrod, quum tamen terra illa hereditario jure pertineret ad ipsum Assur: quo patet, quod Nemrod terram illam violenter obtinuit, prout ex Scholastica est ibi allegatum historia. D Secundo arguit Rabbi Paulus, quoniam infra legitur Abraham præcepisse servo suo, ut iret in terram cognationis suæ, ad accipiendum inde uxorem filio suo Isaac, et dicit quod in Hebræo habetur, Ad terram nativitatis meæ, ubi nostra translatio continet, Ad terram cognationis meæ. Ad quod dici potest, quod dictio Hebraica illa sit forte ad utrumque æquivoca. Tertio arguit, quoniam in libro Josue habetur, qualiter ipse Josue locutus est filiis Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri (*Josue* xxiv, 2.)

ab initio, Thare pater Abrahæ et Nachor. A Constat autem quod trans fluvium est Mesopotamia. Et quum dicit, Ab initio, satis insinuat, quod inde sint oriundi. Ad quod respondetur, quod per terram trans fluvium, intelligitur ibi non Mesopotamia, sed Chaldæa. Et per fluvium, ibi intelligitur Euphrates, secundum expositores, qui per Chaldæam decurrit, ut dictum est plenius in expositione secundi capituli. Denique Mesopotamia non sortitur hoc nomen, quia trans fluvium sita est, sed quia in medio duorum est fluminum. Dicitur enim B a *meso,* quod est medium, et *potamos* aqua, quasi in aquarum medio posita, quemadmodum dicitur Aquilegia, quasi aquis ligata, prout in Scholastica fertur historia. Hæc omnia dicta sunt circa exordium hujus capituli.

Egredere de terra tua, id est, sic ab Haran civitate Mesopotamiæ vade ad terram Chanaan, ut propositum et affectum redeundi ad Chaldæam omnino abjicias; *et de cognatione tua,* id est a consanguineis tuis, quos in Chaldæa et Mesopotamia ha- C bes; *et de domo,* id est habitaculo et domesticis seu familia, *patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi,* videlicet in terram Chanaan : quæ non exprimitur in speciali a Domino, ut per hoc obedientia Abræ major monstraretur, dum obedit pergendo ad locum, cujus nomen et qualitatem nondum a Domino didicit. Unde *Hebr.* XI, 8. ad Hebræos Apostolus : Fide, inquit, qui vocatur Abraham, obedivit exire in locum quem accepturus erat, nesciens quo iret. *Faciamque te in gentem magnam,* id est, D copiosum populum faciam nasci ex te successive et mediate, non obstante quod uxor tua sit naturaliter infecunda; *et benedicam tibi,* id est, spiritualia dona gratiæ ac virtutum, temporalium quoque abundantiam tibi præstabo; *et magnificabo nomen tuum,* dando tibi famam præclaram, memoriamque perpetuam in hoc mundo, *Prov.* X, 7. juxta illud Proverbiorum, Memoria justi cum laudibus; *erisque benedictus* sublimiter valde.

Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi. Aliter Deus benedicit hominibus, aliter unus homini alteri benedicit. Deus etenim hominibus benedicit, dona gratiæ dando et multiplicando; homo autem homini benedicit, bona de ipso dicendo, seu eum laudando. Prælati tamen dicuntur interdum subditos benedicere consecrando, seu ad divina deputando eosdem. Constat autem quod multi infideles ac reprobi benedixerint Abrahæ in hac vita, ipsum laudando, quemad- *Gen.* XXIII, 6. modum infra de Hemor habetur, qui di- *Act.* VII, 16. xit : Princeps Dei es apud nos. Similiter Sarraceni nunc usque magnifice laudant eum, sicut et impiissimus ac diabolicus Mahometus, qui in Alcorano suo vocat Abraham virum sanctissimum. Quomodo ergo verum est quod Dominus ait, Benedicam benedicentibus tibi ? Et respondendum, quod quum Deus nullum bonum deserat irremuneratum, et ipsa laudatio justorum sit quoddam bonum ex genere, Deus aliquo modo remunerat eam, saltem in vita hac, quæ remuneratio benedictio Dei vocatur. Si vero exponatur de fidelibus, qui ex caritate benedicunt Abrahæ, certum est, quod talis benedictio, quum sit actus meritorius, augmentum gratiæ et gloriam promeretur : juxta quem modum dicit Apostolus, quod nemo potest dicere Dominus I *Cor.* XII, 3. Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *Atque in te,* id est in Christo ex tuo semine nascituro, jam nato, *benedicentur universæ cognationes terræ :* hoc est, universæ gentes, tribus et linguæ, credendo in Christum, gratiam in præsenti, et gloriam in futuro consequentur, juxta illud Psalmi : Benedi- *Ps.* LXXI, 17. centur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Unde ab Isaia dictum est : Servos suos vocabit Dominus *Is.* LXV, 15, 16. nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen.

Porro Judæi, ut dicitur, ita exponunt : Benedicentur in te, etc., id est, forma et exemplar benedicendi omni populo eris, ita quod dum quis voluerit alteri benedicere, dicet : Benedicat seu faciat tibi Deus

Digitized by Google

sicut benedixit Abrahæ. Sed istud inconvenienter dictum censetur, quum innumerabiles gentes exstiterint, et innumerabiles tribus sint, in quibus non observatur forma aut modus hujusmodi benedictionis. Circa hoc Rabbi Paulus scribit, licet vera sit expositio illa prima, videlicet, quod benedictio Christi fit super omnem nationem terræ, hoc tamen non fuit Abræ promissum hoc loco. Verum in hoc Rabbi Paulus non solum contradicit Lyræ, sed etiam Augustino et Isidoro, aliisque catholicis doctoribus communiter. Ait enim B. Augustinus : Advertendum est, duas res esse promissas Abrahæ, in verbis præhabitis, quod semen ejus possessurum esset terram Chanaan ; aliam quoque multo præstantiorem, non de carnali, sed spirituali semine, scilicet Christo, per quod pater est non tantum unius Israeliticæ gentis, sed omnium gentium quæ fidei hujus vestigia consequentur. Idem dicit Isidorus et habetur in Glossa.

Egressus est itaque Abram de Haran urbe Mesopotamiæ, *sicut præceperat ei Deus, et ivit cum eo Lot,* qui magis elegit adhærere suo patruo justo, videlicet Abræ, quam inter ceteros consanguineos suos injustos aut minus justos manere. *Tulitque uxorem suam Sarai, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran,* id est animantia quæ acquisierant ibi, et dispositive produxerant, applicando activa passivis, videlicet mares femellis. Vel, animas, hoc est familiam quam ibi acceperant, seu servos et ancillas quos emerant, aut eos quos forsan ad unius Dei cultum attraxerant, quorum animas dispositive produxerant, quantum ad esse gratiæ. *Quumque venissent in terram Chanaan, pertransivit Abram terram illam usque ad locum Sichem,* hoc est usque ad urbem sic appellatam, quæ in
Joann. IV, 5. Evangelio dicitur Sichar, quod nomen venit ex corrupta prolatione ; *et usque ad convallem Illustrem,* id est delectabilem et præclaram, ubi erat Pentapolis, seu re-

A gio quinque civitatum postea subversarum, videlicet Sodomæ, Gomorrhæ, etc., Gen. XIII, 10.
ut infra dicetur, quæ regio fuit ante suam eversionem valde amœna atque præcipua. *Chananæus autem tunc erat in terra,* id est, Chananæi orti ex Cham filio Noe, tunc habitaverunt in terra illa, quæ ordinatione divina et dispositione ipsius Noe, ut dicunt Hebræi, danda fuit semini Abrahæ. Nam et Melchisedech, qui creditur fuisse Sem filius Noe, ut infra magis patebit, habitavit atque regnavit in Salem urbe terræ
B Chanaan.

Apparuitque Dominus Abram in loco præfato, *et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino qui apparuit ei, et invocavit nomen ejus,* gratias agens ei de beneficiis ac promissis ipsius, propter quod construxit ibi illud altare, super quod obtulit hostias ei, prout consuetudinis erat in lege naturali, sicut prædictum est de Abel et Noe. *Et inde transgrediens ad montem, qui est,* vel, Ibid. IV, 4. Ibid. VIII, 20.
ut aliqui habent, *vadit,* id est vergit seu
C situs est, *contra orientem Bethel,* hoc est ex opposito orientalis plagæ, per respectum ad urbem nomine Bethel, *tetendit ibi tabernaculum suum* inter Bethel et oppidum Hai. Propter quod subditur : *ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai.* Itaque sanctus Patriarcha cum sua familia in tabernaculis quæ secum detulit, et hinc inde expandit, moratus est, quemadmodum ad Hebræos scribit Apostolus : Fide Hebr. XI, 9, 10.
moratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum
D Isaac et Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. *Ædificavit quoque ibi altare Domino.* In quo patet fervor suæ devotionis. *Perrexitque Abram vadens et ultra progrediens ad meridiem,* hoc est ad partem terræ Chanaan, respicientem Ægyptum, quæ est ad meridiem respectu Judææ. Non ex animi levitate tantus Patriarcha, tam frequenter locum mutavit, sed ex divino instinctu, ut terram semini suo

Digitized by Google

promissam circumspiciens, et perpendens, gratias Deo ageret ampliores.

Facta est autem fames in terra Chanaan, hoc est caristia, sive ex causa naturali, sive ob vitia Chananæorum, vel propter utrumque; *descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur,* id est, ut tanquam peregrinus habitaret *ibi* ad tempus, quousque scilicet fame sublata, rediret ad terram ad quam desuper jussus fuit accedere. Descendit itaque, id est descendere cœpit in Ægyptum, eundo ad illam, quæ in bassiori est situ, quam terra promissionis. Circa hoc Josephus scribit: Audiens Abram Ægyptios feliciter vivere, adiit eos, ut eorum abundantia participaretur, et sacerdotum auditor esset, atque cognosceret quæ de diis exponerent, ut aut meliores inveniens sequeretur, aut sua prudentia eos in ornatum meliorem transponeret. *Dixitque uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier, et quod quum viderint te Ægyptii, dicturi sunt, Uxor illius est, et interficient me,* nisi tu acquiescas petitioni meæ, *et te reservabunt.* Quomodo sanctus Patriarcha, cui Deus promiserat quod semini suo daret terram Chanaan, hoc dicere potuit, aut occidi expavit, quum nondum haberet prolem, quasi divina promissio posset frustrari in eo? Ad hoc dici potest, quod dixit hoc secundum inferiorum causarum considerationem. Attenta enim libidine Ægyptiorum, probabile erat sic esse venturum, loquendo modo humano. Sic et David cui Deus regnum Israel jam promiserat, timuit a Saul occidi, et semel desperavit se posse evadere, tandemque dixit: Aliquando una die incidam in manus Saul. (I *Reg.* xxvii, 1.) Iterum dici potest, quod sicut Abraham paratus fuit filium suum Isaac immolare, non obstante quod Deus ei spoponderat, In Isaac vocabitur tibi semen, (*Gen.* xxi, 12.) nec tamen hæsitavit diffidentia de veritate promissionis divinæ, sciens quia a mortuis potens est Deus suscitare; sic poterat cogitare de semetipso, et nihilo minus mortem naturaliter formidare, violentamque mortem velle evadere.

Circa hunc locum quidam ait, quod Ægyptii reputabant adulterium majus esse peccatum, quam homicidium. Hoc tamen reor incertum, neque ex littera sequitur. Potuissent quippe Ægyptii amore libidinis maritum aliquando occidisse, ut ejus conjuge liberius fruerentur, quamvis scirent homicidium adulterio esse gravius. Sicut et nunc aliqui impii Christiani, non obstante quod sciant homicidium esse enormius adulterio, interdum occidunt maritum, ut ejus uxore fruantur; imo vir bonus posset tentationem talem incidere, ut patet in David, qui fecit occidi Uriam, sive ut ejus haberet uxorem, sive ut crimen quod cum illa commiserat, celaretur, vel potius propter utrumque. (II *Reg.* xi, 15.) Denique, quam grave reputabant Ægyptii homicidium, quod item illud morte puniebant, constat ex hoc quod sicut in Exodo legitur, quum Moyses audisset publicatum esse, qualiter ipse occidit Ægyptium, fugit; (*Exod.* ii, 15.) quia et Pharao ob hoc voluit eum occidere, non obstante quod talis ac tantus esset in Pharaonis palatio. Præterea idem ait circa hunc passum, quod Deus permisit famem fieri in terra Chanaan, ut ostenderetur fides Abræ, qui ex illo eventu non diffidebat de veritate divinæ promissionis, qua dictum erat ad eum, quod tam sublimiter esset benedicendus in terra illa, quum tamen jam ex indigentia victualium cogeretur eam exire. Sed quamvis hoc poterat esse aliqua causa præfatæ permissionis, non tamen apparet, quod propter ostensionem fidei Abræ, Deus induxerit plagam famis super gentem illam, tam longe ac late.

Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis. Per hoc Abram non est mentitus, nec persuasit uxori ut mentiretur, sed ut veritatem caute celaret, bona æquivocatione, non fallacia perniciosa, utendo. Multis etiam modis dicuntur homines fratres simul sive sorores, utpote propter identitatem naturæ specificæ, propter amicitiam specialem, propter consanguinitatem, propter fidei et religionis communionem: sicque Sarai fuit soror sui mariti pluribus

modis, quia valde propinqua, ejusdemque A speciei, et quia carissima ei, et quia ejusdem religionis ac fidei. *Ut bene sit mihi propter te,* hoc est, quatenus amore tui, et propter talem assertionem, quod scilicet soror mea sis, bene faciant mihi Ægyptii; *et vivat anima mea,* id est, ego ipse in vita permaneam, nec occidar, *ob gratiam tui,* hoc est propter hanc beneficentiam tuam circa me, seu propter gratiositatem et amabilitatem tuam, qua complacebis Ægyptiis.

Circa hoc quærit quidam, quomodo B Abraham per tale mendacium exposuit conjugem suam periculo adulterii : quæ quæstio non videtur congrue mota, quoniam sicut nunc patuit, verba ista non erant falsa, nec exposuit conjugem suam directe periculo adulterationis. Denique, ex hoc quod Ægyptii æstimabant feminam illam non esse alicui maritatam, non fuisset ibi formalis ratio adulterii, ex parte ipsorum, velut si quis accedat alienam quam putat suam uxorem. Abram quoque quum esset vir sanctus atque propheta, confi- C debat in Domino, quod conjugem suam servaret intactam. Attamen fecit et facere debuit quod in se erat, utendo bona ac humana industria, et sibi ac suis de necessariis providendo : quia ut asserit Augustinus, qui periculum non cavet, quantum potest, magis tentat Deum quam sperat in eo.

Circa hoc quidam scribit, quod homo in periculis positus, semper agere debet ad sui liberationem, quod potest secundum viam humanam, ut non tentet Deum. Is- D tud non est satis idonee dictum, nec universaliter verum, quum certum sit, quod plures martyres utriusque sexus noluerunt imminentem occisionem evadere, quum et apertis carceribus possent et rogarentur abire; imo quum beatissimus Petrus apostolus ad instantiam fratrum Romam exisset ad evadendum persecutionem tyranni, occurrit ei Salvator : Vado, inquiens, Romam iterum crucifigi. Quo dicto, disparuit Christus, et Petrus reversus est.

Rursus idem scribit hoc loco : Sciebat Abram quod reges tempore illo non accedebant ad uxores suas de novo acceptas, nisi post anni circulum; quia ut dicitur in libro Esther, sex mensibus ungebantur oleo myrtino, et aliis sex mensibus utebantur quibusdam pigmentis variisque unguentis. Istud nec verum videtur, nec apparentiam habet, nec allegatio libri Esther est ad propositum, nec recte adducta. Fuisset enim tunc regibus id et nunc molestum tamdiu differri, et carere cupitis amplexibus. Ex multis quoque antiquis historiis posset probari oppositum, imo et ex historia Esther. In libro etenim Esther non legitur, sicut iste allegat, quod uxores de novo acceptæ, totidem mensibus ungerentur; sed quod puellæ ad cubiculum regis Assueri ducendæ, sic ungebantur, quousque rex unam ex illis eligeret in uxorem; et illæ puellæ erant concubinæ, non conjuges regis. Et dato quod hoc fuisset consuetudo apud reges Persarum et Medorum, et tempore Assueri, qui plusquam per mille quingentos annos fuit post Pharaonem istum Ægypti regem, non tamen sequeretur quod apud reges Ægypti, et tempore Abrahæ fuerat talis consuetudo. Insuper in libro Esther habetur, quod dum Assuerus rex elegisset eam in conjugem, statim dedit requiem in universo regno suo ac munera, et jussit parari convivium pro conjunctione et nuptiis Esther, nec fit ibi aliqua mentio de protractione carnalis copulæ, postquam in conjugem est assumpta. Similiter in libro primo Machabæorum, ubi describitur connubium initum inter Alexandrum regem Asiæ, et Cleopatram filiam regis Ægypti, non fit mentio de tali dilatione carnalis conjunctionis; sed quod Ptolemæus rex in Ptolemaide celebravit nuptias filiæ suæ in gloria magna : nec in aliqua scriptura authentica invenitur, quod consuetudinis fuerit regibus post nuptiarum celebrationem abstinere per annum a conjugali accessu.

Esth. II, 12. *Ibid.* II, 18. I *Mach.* X, 58.

Quumque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod

Digitized by Google

pulchra esset nimis. Ad corporalem autem pulchritudinem tria requiruntur, secundum Philosophum : Primum est elegans statura, seu condecens magnitudo : ideo homines parvæ staturæ non dicuntur proprie pulchri, quamvis dici possint decori. Secundum est proportionata cohabitudo membrorum. Tertium, superfusio naturalis vividique coloris. *Et nuntiaverunt principes Pharaoni,* id est regi Ægypti, cujus reges tunc cognominabantur Pharaones, sicut et postea Ptolemæi, et sicut reges Franciæ cognominantur Delphini, quum tamen aliud habeant proprium nomen. Quidam per principes, intelligit custodes passagii : quod ineptum videtur, quum passagii custodia non sit tam altum officium. Idcirco principes rectius intelliguntur quidam præcipui et majores regis officiati, qui quod ab inferioribus forsitan perceperunt, regi denuntiaverunt ad complacendum eidem. *Et laudaverunt illam apud illum,* id est Sarai apud Pharaonem, dicendo quod esset pulchra, morigerata, honesta ; *et sublata est mulier in domum Pharaonis,* id est, Pharao jussit ut sibi adduceretur. *Abram vero bene usi sunt propter illam,* id est, bene fecerunt ei amore Sarai, quam putabant ipsius sororem. *Fueruntque ei oves et boves, asini et asinæ et cameli, servi et famulæ.* Ægyptii namque contulerunt ei munera, honoraveruntque eum ob causam prætactam. Et quoniam in aliquibus eos instruxit, ditatus est ibi in his. Nempe, ut Josephus refert, et in Scholastica recitatur historia, arithmeticam et astrologiam docuit eos. Quæ scientiæ postea ab Ægyptiis pervenerunt ad Græcos. Ipseque Abram, secundum Josephum, primus ausus est pronuntiare, Deum unum esse omnium creatorem, quod conjiciebat per mutationes terræ et maris, per ea quæ contingunt circa solem et lunam, atque ex omnibus quæ circa cœlum semper eveniunt. De eodem quoque refert Berosus : Post diluvium decima generatione, fuit apud Chaldæos vir justus et magnus, in cœlestibus rebus expertus. Verumtamen reor, quod Noe et Melchisedech et alii justi ante Abram, publice docuerunt subditos et posteros suos, unum esse omnium Creatorem ac Deum; et item, quod Abram ex supernaturali illuminatione magis quam ex astronomia cognovit hoc ipsum.

Si præterea quæratur, cur Pharao non cognovit conjugem Abræ, quum esset in domum suam deducta : respondet Augustinus, quod flagellationibus divinis fuit super hoc impeditus. Verumtamen in Glossa tangitur, quod ex libro Esther est allegatum de præparatione puellarum, quæ ad thalamum regis perducebantur. In Scholastica historia scribitur, quod Deus impedivit desiderium Pharaonis ægritudine et tumultu causarum. Hinc subditur : *Flagellavit autem Dominus Pharaonem et domum,* id est familiam, *ejus plagis maximis, propter uxorem Abram,* id est, ob hoc, quod eam injuste abstulerant, et Pharao detinere proponeret. Si quæratur, quæ fuerunt maximæ plagæ istæ : jam tactum est, quod ægritudines erant, seu impossibilitas pariendi, puta uxorum Pharaonis, et servarum ejus conclusio, sicut infra habetur de domo Abimelech; aut seminis fluxus, seu terror somniorum, apparitioque monstrorum.

Esth. II, 12. *Gen.* XX, 18.

Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Quidnam est hoc quod fecisti mihi? Quasi dicat : Cur exposuisti me huic periculo, et his plagis? *Quare non indicasti quod uxor tua esset? Quam ob causam dixisti sororem tuam esse, ut tollerem eam mihi in uxorem?* An Abram ad ista responderit, textus non exprimit. Potuit autem causam rationabilem assignare, quæ tacta est, ne videlicet propter uxorem suam occideretur a plebe Ægypti. Sed unde cognovit Pharao, quod Sarai esset uxor Abræ? Dicunt aliqui, quod ex revelatione. Porro Scholastica historia dicit, quod dum sacerdotes Ægypti sacrificarent pro regis sanatione, acceperunt responsum, quod Pharao propter injuriam peregrino illatam in sublatione suæ uxoris, esset punitus. Sed mirum, quod tantus rex voluit uxorem

Digitized by Google

simplicis peregrini, quam putavit ejus sororem, accipere conjugem. Ad quod dici potest, quod pulchritudo et modestia mulieris traxerunt eum ad hoc; honestas quoque et sapientia Abræ, quem fratrem illius credebat. Præterea, circa illud, Flagellavit Dominus Pharaonem propter uxorem Abræ, recitat Lyra, quod in Hebræo habetur, Propter verbum Sarai uxoris Abræ; quia ut dicunt Hebræi, Sarai habuit angelum sanctum corporis sui custodem. Unde Sarai dicente ad angelum, ut percuteret A Pharaonem, percussit eum. Sic sancta Cæcilia dixit ad sponsum suum : Habeo angelum corporis mei custodem. Et simile legitur de beata Agnete. *Nunc ergo ecce conjux tua, accipe eam, et vade. Præcepitque Pharao super Abram viris,* id est, ministris suis præcepit de Abram, ut eum et domesticos ejus cum securitate ex Ægypto deducerent; ideo subditur : *Et deduxerunt eum et uxorem ejus, et omnia quæ habebat,* puta familiam, pecora, et cetera quæ habebat.

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI.

D*IXIT autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi.* Abram nomine et virtute Christum præfiguravit. Abram namque per duas syllabas, interpretatur pater excelsus, Abraham vero, pater multarum gentium. Porro Christus, in quantum Deus, est pater excelsus creatione, gubernatione, justificatione; imo sic tota superadoranda, supersubstantialisque Trinitas est unus pater excelsus, sicut et unus creator, unus gubernator, unus justificator, prædestinator et glorificator. Sic quoque Christus est multarum gentium pater. Itaque Christo, prout est Verbum æternum, dixit Pater non præcipiendo tanquam minori, sed volendo et quasi practice intelligendo, seu per generationem æternam dando et communicando ei totam sapientiam suam, sicut et deitatem atque essentiam : *Egredere de terra tua,* id est, per Incarnationis mysterium de cœlo in terram descende, hominibusque appare,
Ps. xviii, 7. quemadmodum scriptum est : A summo
Joann. xvi, 28. cœlo egressio ejus. Unde et Christus : Exivi, inquit, a Patre, et veni in mundum. B Cœlum quippe est terra vivorum, et patria Beatorum. *Et de cognatione tua,* id est multitudine supernorum spirituum, qui (in quantum intellectualis simplicisque naturæ sunt, et Deo beatifice perfruuntur) quamdam cum Verbo æterno, a quo conditi sunt, cognationem sortiri videntur. A quibus quasi egressus est, inter homines conversando, non illis divinam præsentiam subtrahendo, sicut nec locum mutando egressus est. *Et de domo patris tui,* de qua ait : In domo Patris mei Joann. xiv, 2.
C mansiones multæ sunt. *Et veni in terram quam monstravero tibi,* hoc est in terram mortalium, et in Judæam seu Synagogam. Descendit enim in inferiores partes terræ, Ephes. iv, 9.
secundum Apostolum : quam terram Pater Christo secundum naturam divinam monstravit, non de novo aut temporaliter ei aliquid ostendendo seu instruendo, sed sicut prætactum est, per divinam generationem, totam suam increatam sapientiam ei communicando. Hinc apud Joannem locutus est : Pater diligit Filium, et omnia de- Joann. v, 20.
D monstrat ei quæ ipse facit.

Præterea, Christus secundum naturam assumptam, est pater excelsus, et multa-

Digitized by Google

rum gentium, in quantum summus pontifex, et prælatus ac legislator Ecclesiæ. Cui ergo Pater præcepit, ut egrederetur de terra sua, id est, Apostolos faceret ire ad gentium conversionem, relicta Judæa, Synagoga ac templo, in quibus Deus ante per gratiam habitavit. Apostoli namque Christum spiritualiter ad gentes undique portaverunt. Sicque venit ad terram gentilitatis, imo ad corda gentium electarum, et hoc Christus homo, Deo Patre jubente, significavit Apostolis ante eorum divisionem. Unde Paulus Barnabasque dixerunt
Act. XIII, 46. Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Hinc Pater per
Is. XLIX, 6. Isaiam locutus est Christo : Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. *Faciamque te in gentem magnam,* etc. Istud totum incomparabiliter plenius in Christo, quam in Abraham est completum. Itaque Christum fecit Deus Pater seu Trinitas summa, in gentem magnam, convertendo ad ipsum innumerabiles populos nationum ubique terrarum, qui in Christo sunt regenerati, et filii ejus effecti. *Et benedicam tibi.* Humanitati Christi Deus Pater plenissime benedixit, totam ipsius capacitatem implendo supernaturalibus donis gratiæ et gloriæ, omnique sapientia ac virtute, quemadmodum scri-
Ps. XLIV, 3. ptum est : Benedixit te Deus in æternum.
Ibid. 8. Itemque : Unxit te Deus, Deus tuus, etc. *Et magnificabo nomen tuum.* Deus etenim ex-
Philipp. II, 9. altavit Christum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Benedixit quoque benedicentibus Christum, et maledicentibus ei, puta Judæis, hæreticis, ceterisque incredulis ac blasphemis, maledixit.

Egressus est itaque Abram, etc., id est, Christus per Apostolorum prædicationem ad gentes transivit. Et *uxorem suam,* id est primitivam Ecclesiam, ac *Lot,* eos videlicet qui secundum carnem ei propinqui erant, fecit secum ad gentes procedere, et per prædicatores suos terram eorum perambulavit, in qua tunc morabatur Chananæus, id est incredulus populus, Chananæorum antiquorum vitiis plenus. Illam igitur terram dedit Deus semini Christi, utpote populo christiano, de quo ab Isaia est prædictum : Si posuerit animam suam *Is.* LIII, 10.
pro peccato, videbit semen longævum. Et alibi : Omnes qui viderint eos, cognoscent *Ibid.* LXI, 9.
illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. *Qui ædificavit ibi altare Domino.* Christus enim ubique ædificari fecit ecclesias, atque in eis altaria, quæ et spiritualiter ædificavit per fidem et caritatem in corde fidelium, in quibus et per quos offert sacrificium laudis Patri indesinenter, imo et se ipsum facit offerri. *Et invocavit nomen ejus,* quoniam interpellat pro nobis, et pro nostra offertur salute. Unde per Malachiam Dominus contestatur: In omni loco offertur nomini meo obla- *Malach.* I, 11.
tio munda. *Et inde transgrediens ad montem qui est contra orientem Bethel,* hoc est, ad Romanum imperium et ad excellentiam philosophorum, qui erant per elationem erecti contra veræ et salutaris sapientiæ ortum ac lucem, quæ sapientia est in Bethel, id est in domo Dei. *Tetendit ibi tabernaculum suum,* hoc est, Ecclesiam dilatavit ibidem, subjiciendo illos fidei christianæ. Unde ad Corinthios fatetur Apostolus : Arma militiæ nostræ non car- II *Cor.* X, 4, 5.
nalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. *Ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai.* Per occidentem intelligi potest adversitatum eventus, seu obscura Dei cognitio per speculum in ænigmate; per orientem vero, prosperitatis et felicitatis præsentia, caritatisque fervor, et clara cognitio deitatis per speciem. Bethel vero interpretatur domus Dei, per quam Ecclesia militans designatur; Hai vero, oculus seu fons, per quod triumphans insinuatur Ecclesia. Christus itaque habet Bethel, id est

Ecclesiam militantem, ab occidente, hoc est, in his qui adversitatibus exercentur, et per fidem ambulantes Deum ænigmatice vident; Hai autem, id est Ecclesiam triumphantem in suis electis, qui plena felicitate et omni prosperitate replentur. Inter hos Christus est medius, unius (videlicet militantis) Ecclesiæ membra triumphanti conjungens.

Facta est autem fames in terra, id est omnium spiritualium alimentorum defectus, Synagoga quærente terrena, præsertim quando Judæi prædicationem Apostolorum abjecerunt animo obstinato. *Descenditque Abram in Ægyptum,* id est, Christus per Apostolos suos ingressus est gentilitatem; *ut peregrinaretur ibi,* id est, tanquam hospes et peregrinus habitaret in cordibus credulorum, de quo Jeremias
Jer. xiv, 8. prædixit : Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? *Dixitque uxori suæ,* id est primitivæ Ecclesiæ, quam pro magna et præcipua parte misit ad gentes convertendas : *Novi quod pulchra sis mulier,* id est congregatio et sponsa mea omni virtute et gratia perornata; *et quod quum viderint te Ægyptii, dicturi sunt, Uxor illius est, et interficient me, et te reservabunt.* Ægyptii isti sunt dæmones, qui visa Christi Ecclesia, contulerunt dicentes : Ecce ista est Christi sponsa; et nisi sunt eam a Christo avertere, ac spiritualiter constuprare ac perdere, imo et Christum in credentium cordibus enecare, ita ut ibi amplius non esset per gratiam, nec regnaret per fidem. *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis,* id est, constanter me confitere, et me veraciter incarnatum testare, ita quod per assumptam humanitatem tuus sim frater; *ut bene sit mihi propter te,* id est, regnem in populo christiano usque ad finem mundi, et vivam in credentium mente per fidem.

Quumque ingressus esset Abram Ægyptum, id est, Christus in gentilitate conversa regnaret, *viderunt Ægyptii,* utpote dæmones, *mulierem,* id est Ecclesiam, *quod pulchra esset nimis, et nuntiaverunt Pharaoni,* hoc est principi tenebrarum ; *et laudaverunt illam apud illum,* virtutes, signa et opera Ecclesiæ recitando principi suo; *et sublata est mulier in domum Pharaonis:* id est, Ecclesia electorum in medio hominum iniquorum qui sunt domus diaboli, posita est in hoc mundo, cui et Christus dixit : Ecce ego mitto vos sicut Matth. x, 16.
oves in medio luporum. *Abram vero bene usi sunt propter illam:* id est, Christi misericordiam magnificam esse dixerunt et infinitam, ut per hoc facilius allicerent ad peccandum fideles ; *fueruntque ei oves et boves, asini et asinæ et cameli, servi et famulæ :* hoc est, non solum innocentes et simplices, sed et grossi, rudes, duri et male laboriosi, corporaliterque robusti, ad Christum conversi sunt, quorum et plurimi de misericordia Dei temerarie præsumentes, carnales et bestiales effecti sunt. *Flagellavit autem Dominus Pharaonem et domum ejus plagis maximis, propter uxorem Abram.* Dominus enim per angelos sanctos et homines virtuosos, graviter ac multipliciter tribulat dæmones, eorumque principem, refrenando eos ac superando et deridendo, eo quod Christi Ecclesiam sic tentare non cessent; et tandem eorum miseria multum augebitur, dum juxta Isaiæ Is. xxiv, 22.
oraculum congregabuntur congregatione unius fascis, et claudentur in carcere. *Vocavitque Pharao Abram,* etc. Hoc fit, quando diabolus videt et confitetur se victum a membris Christi, et dimittit victores in pace, ut serviant Christo.

Sensus tropologicus. Postremo Abram juxta tropologiam designat unumquemque fidelem, cui jubet aut consulit Christus, ut egrediatur de terra sua, relinquendo propter ipsum omnia exteriora; et de cognatione sua, relinquendo propinquos; et de domo patris sui, deserendo domesticos : quatenus ad nihil horum inordinate afficiatur, imo et se ipsum abneget, vincat, mortificet, et sedens in claustro, levet se super se contemplando divina ; veniatque in terram quam Do- Thren. III, 28.
minus ei monstrat, sanctam ingrediendo

Digitized by Google

religionem, atque ad patriam festinando A cœlestem, ut faciat eum in gentem magnam, alios ædificando, et convertendo per ipsum, et benedicat ei, dando centuplum in præsenti, et vitam gloriæ in futuro.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : ASCENDIT ERGO ABRAM DE ÆGYPTO.

A*SCENDIT ergo Abram de Ægypto,* B quæ in decliviori est situ quam regio Chanaan, *ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam* terræ Chanaan. *Erat autem dives valde in possessione auri et argenti. Reversusque est per iter quo venerat,* id est per quod Ægyptum intraverat a meridie. Reversusque est, inquam, *a meridie,* id est plaga meridiana, vel ab Ægypto, quæ respectu terræ Chanaan, est versus meridiem, *in Bethel,* urbem præfatam. Ait quidam, quod in Hebræo habetur, Reversus C est per mansiones quibus venerat : quod exponendo, affirmat, quod Abram, quando intravit Ægyptum, non habebat sufficientem pecuniam ad solvendum in hospitiis suas expensas; idcirco per eadem revertebatur hospitia, ut solveret debita quæ ibi contraxit. Istud fabulosum videtur, nec apparentiam habet, quum Deus promiserit Abræ benedictionem in spiritualibus ac temporalibus, antequam exivit a Mesopotamia ad terram promissionis, nec unquam fuit tam pauper, ut non haberet tantillum D pecuniæ, qua solveret in via suas expensas. Erat quoque ignotus in illis hospitiis, idcirco non habet apparentiam quod dedissent ei dilationem solutionis expensarum, nisi forsan sub pignore.

Facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot : quia ut habetur in littera, uterque eorum habuit pecora multa, diversorumque generum, et tabernacula pro se et pertinentibus sibi, videlicet pro suis domesticis et jumentis. *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul.* Poterat utique terra Chanaan capere eos, sed non ita, ut pacifice simul manerent, videlicet sine contentione pastorum suorum, quorum unusquisque festinavit meliora pascua præoccupare, nec cesserunt sibi ad invicem, quum essent homines imperfecti. *Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus,* id est populi Chananæorum ac Pherezæorum, qui nati fuerunt ex filiis Chanaan filii Cham, *habitabant in terra illa.* Hoc interponit Scriptura, secundum Rabbi Paulum, ad innuendum quod causa separationis Abræ a Lot fuit, quoniam Abram timuit quod habitatores terræ illius videntes tantam opulentiam suam ac sui nepotis, spoliarent aut expellerent se et Lot a terra illa. Alii dicunt, quod Abram timuit posse ex contentionibus pastorum litem moveri coram infidelibus illis judicibus. *Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et tuos : fratres enim sumus,* id est multum propinqui. Timuit itaque Abram ne ex occasione contentionis pastorum suorum etiam inter eos oriretur contentio, quæ inter domesticos tanto detestabilior est, quanto mutua pax eorum est appetibilior. *Ecce universa terra coram te est,* id est, terram istam præsentialiter vides : idcirco considerare potes quæ pars ejus aptior tibi sit. *Recede a me, obsecro.* Melius namque est, salva caritate et pace, corporaliter separari et seorsum morari, quam cum caritatis et pacis detrimento simul et corpore habitare.

Digitized by Google

Si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. In his verbis apparet eximia bonitas Abræ, utpote caritas, mansuetudo, pietas, et humilitas ejus, quia quum esset tam sublimiter major ac eruditior, tamen in omnibus detulit suo nepoti, electionem dans ei, et communi providens paci. Ex quo Abræ facto, secundum Augustinum, fortassis effecta est laudabilis ista consuetudo, quod quando aliquid terrenum est inter homines dividendum, major dividat, et minor eligat.

Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, id est, circumquaque adspiciens, consideravit regionem sitam circa Jordanem, quæ tunc fuit regio Pentapolis ; *quæ universa rigabatur aquis Jordanis,* opportune extra fluentis, aut etiam pluviis, *antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini,* hoc est, sicut paradisus irrigatur fonte ac fluvio exsistente in eo, *et sicut Ægyptus* irrigatur Nilo, *venientibus in Segor,* id est in adspectu eorum, qui ab Ægypto vadunt in urbem, Segor vocatam, circa quod iter terra Ægypti est pulchra ac fertilis valde. *Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem,* hoc est, in aliqua parte regionis illius habitare elegit ; *et recessit ab oriente,* id est plaga orientali, in qua erat cum Abram, quæ respectu regionis quam elegit Lot ad inhabitandum, fuit orientalis ; *divisique sunt alterutrum a fratre suo,* id est, unus eorum recessit ab altero sibi propinquo. *Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem,* hoc est in urbibus Pentapolis, *et habitavit in Sodomis,* id est civitatibus Sodomorum, præsertim in Sodoma, quæ erat principalis inter quinque urbes illas præfatas. Ex quo videtur, quod successive habitavit in pluribus oppidorum illorum, nisi forte plurale pro singulari ponatur, juxta modum loquendi quo aliquid attribuitur multitudini, quia convenit uni aut alicui parti ejus. Estque probabile, quod Lot paulatim experiens impietatem oppidanorum illorum, recessit ab una urbe ad aliam, æstimans habitatores unius meliores habitatoribus alterius urbis, si tamen in diversis oppidis illis successive moratus est.

Præterea quæritur, cur Lot quum esset vir justus, elegit habitationem inter pessimos Sodomitas. Ad quod dicendum, quod aliqui adscribunt hoc imperfectioni ipsius, et dicunt nonnulli eum pejoratum ex cohabitatione illorum : quod non videtur consonare verbis dignissimi principis Apostolorum, qui in sua secunda scribit Canonica : Adspectu et auditu Lot justus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant. II Petr. II, 8. Ideo dici potest, quod forte non scivit tantam facinorositatem eorum, quando inter eos habitare elegit ac cœpit. Vel dispensatione et ordinatione divina id factum est, ut virtus Lot magis exercitaretur et ostenderetur per illorum pravitatem nequissimam, quatenus ejus exemplo discamus non perverti ab impiis, sed et ut Sodomitæ ejus virtutibus ædificarentur. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant,* etc., de quorum sceleribus infra dicetur.

Dixitque Dominus ad Abram postquam divisus est ab eo Lot. Abram quippe in aliena habitans terra, antiquam habuit consolationem ex cohabitatione Lot nepotis ac socii sui : idcirco dum amore virtutum separasset eum a se, meruit consolationem divinam accipere, et etiam quia contentiones jam erant a domo sua sublatæ. *Leva oculos tuos in directum, et vide a loco in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem,* id est ad quatuor plagas terræ Chanaan in qua stas. *Omnem terram quam conspicis,* id est universam terram Chanaan, cujus partem nunc vides oculo corporali, *tibi dabo,* id est posteris tuis. Ideo expositorie subditur : *et semini tuo,* videlicet filiis Israel, *usque in sempiternum,* id est per spatium valde longum, vel usque in finem mundi, nisi peccando meruerint eam amittere. Tales namque promissiones in-

telliguntur sub conditione. Verum ut ait
Act. VII, 5. B. Stephanus, Deus non dedit Abrahæ hereditatem in terra illa nec passum pedis. *Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ,* id est, innumerabiliter eos multiplicabo. *Si quis hominum potest numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit;* quasi dicat : Tam innumerabilis erit posteritas tua, ut pulvis terræ. Hæc tamen hyperbolica locutio est, utpote per excessum dicta, ad insinuandum magnitudinem rei, seu vehementem multitudinem posterorum Abrahæ patriar-
Gen. XLI, 44. chæ, sicut ad Joseph Pharao dixit: Absque oris tui imperio nullus movebit manum aut pedem in omni terra Ægypti; juxta quem modum etiam de electis et amicis
Ps. CXXXVIII, 18. Dei fertur in Psalmo, Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Et si ista promissio verificari potest in sola multiplicatione filiorum Israel, quanto magis si eis addantur Ismaelitæ ac aliæ nationes magnæ et multæ ex filiis Abrahæ nati, de quibus infra habebitur? *Surge* † *ergo, et perambula terram in longitudine et latitudine sua, quia daturus sum eam tibi :* ut scias magnitudinem beneficii mei, et futuram multitudinem sobolis tuæ, atque ut obediendo mihi in ista perambulatione terræ, merearis gratiam ampliorem, aut etiam hujus promissi impletionem.

Movens igitur Abram tabernaculum suum, id est secum deferens illud, *venit* cum uxore et domesticis atque pecoribus suis, *et habitavit juxta convallem Mambre,* hoc est viri sic dicti, a quo vallis illa cognominata est, ita quod Mambre fuit cum fratribus suis Abræ confœderatus, ut patebit sequenti capitulo. Intelligendum est tamen, quod obedientissimus Abram statim divinum istud implevit præceptum. Est quoque hæc convallis *in Hebron,* id est juxta Hebron. *Ædificavitque ibi altare Domino,* eisdem de causis, ob quas et alibi, sicut jam patuit.

Sensus spiritualis. Præterea, juxta spiritualem intelligentiam, per ascensum Abræ et conjugis ac domesticorum ipsius ab Ægypto ad plagam australem, significatūr ascensio Christi et fidelium ejus ad orientem lucis æternæ ac patriam Beatorum, in qua ferventissimus calor est Solis justitiæ. Per divitias vero ipsorum in argento et auro, spiritualis opulentia Catholicorum in omni virtute et gratia, præsertim in caritate et sapientia, designatur. Per rixas demum pastorum Abram et Lot, intelligitur contentio, quæ est inter justos et injustos prælatos, seu inter catholicos et hæreticos propter greges eis subjectos : quoniam justi et catholici præsidentes maxime dolent, dum vident populum Dei ab impiis perfidisve prælatis negligi, scandalizari, ac male doceri et decipi. Amplius, exemplo Abræ discamus esse solliciti servare unitatem *Ephes.* IV, 3.
spiritus in vinculo pacis, nec solum superioribus cedere ac parere, sed et inferioribus humiliter loqui, pie deferre, et omnem contentionis, iræ, impatientiæ, cupiditatis inquietudinem evitare : quod et religiosis summe est necessarium, quum sanctus testetur Hieronymus : Nulla vita deterior est, quam corpore simul manere, et animo dissentire. Et vere infelices sunt, quibus non unum, sed diversum cor est. Insuper promissio Abræ facta de multiplicatione sobolis suæ, multo præclarius est impleta in multiplicatione fidelium christianorum, qui juxta Apostolum ad Galatas, per *Galat.* III, 7.
fidem sunt filii Abrahæ. Semini quoque Abrahæ, utpote Christo secundum naturam humanam, data est in sempiternum, non solum Chanaan terra, sed totus orbis terrarum : cujus semen, id est plebs christiana instar pulveris innumerabilis facta est. Unde Pater ait ad Christum : Po- *Ps.* II, 8.
stula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Constat item quod Christus per prædicatores suos gloriosos Apostolos, terram in longitudine ac latitudine perambulavit.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : FACTUM EST AUTEM IN ILLO TEMPORE.

F*ACTUM est autem in illo tempore.* In isto capitulo describitur fidelitas Abræ, et constantia ejus ac fortitudo, quorum occasione recitatur hic bellum inter gentilium reges peractum, nec est difficultas in littera. *Factum est,* inquit, *ut Amraphel rex Sennaar,* id est Chaldææ seu Babylonis ; atque ut Lyra refert, Hebræi communiter dicunt, quod Amraphel iste fuit Nemrod, quem dicunt fuisse binomium. Quod si verum est, vixisset Nemrod iste valde diu. Fuit enim filius Chus filii Cham, qui Cham fuit filius Noe, a quo Abram decimus fuit. *Et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor rex Elamitarum.* Sicut in Scholastica historia dicitur, jam dominandi libido in tantum processerat, quod pene quælibet civitas habuit regem. Quorum plurimi subditi erant alicui regi majori, et tandem omnes monarchæ alicui, ac primum monarchæ Assyriorum. *Et Thadal rex Gentium,* id est, qui rex Gentium appellatur, vel propter multitudinem gentium sibi subditarum, vel quia in ejus dominio erant homines plurium nationum. *Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum,* et ceteros quatuor qui in littera exprimuntur : qui quinque regnaverunt in quinque urbibus regionis quæ vocatur Pentapolis, a πέντε, quod est quinque, et πόλις, civitas, inter quos rex Sodomorum dicitur fuisse principalis. Pro eo autem quod nostra translatio habet, Contra Sennaab regem Adamæ, dicit Lyra in Hebræo haberi, Regem Balæ ; estque Bala nomen civitatis, quæ alio nomine dicitur Segor. Sed non apparet sic esse, quum in littera alius rex Balæ introducatur, nec aliter essent quinque reges, de quibus hic sermo. Adama quoque fuit alia

A urbs quam Bala. *Omnes isti,* videlicet quinque reges Pentapolis, *convenerunt in vallem Silvestrem,* quæ præcedenti capitulo appellatur vallis Illustris ; *quæ nunc est mare Salis,* id est, post subversionem Pentapolis, facta et vocata est lacus salsissimus et mare Mortuum, quoniam nullus piscis in eo vivere potest, propter spissitudinem et ineptitudinem aquæ illius, quæ tam spissa et sordida est, ut pannus in ea potius inquinetur quam lavetur.

Deinde subjungitur causa prælii hujus.
B *Duodecim enim annis servierant* quinque reges prædicti, *Chodorlahomor* regi Elamitarum, qui subjugaverat eos sibi, ita quod dederunt ei tributum duodecim annis ; *et in tertiodecimo anno recesserunt ab eo* per rebellionem, non per loci mutationem, de quo recessu Joram rex Israel IV *Reg.* III, 7.
loquitur in quarto Regum libro, Moab recessit a me. *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, et reges qui cum eo erant, percusseruntque Raphaim,* id est quosdam fortes seu gigantes natos de Raphaim, aut Raphaim nominatos,
C *in Astaroth,* hoc est in loco sic nuncupato ; *et Carnaim et Zuzim cum eis,* id est nationes sic appellatas, quæ erant terribiles et robustæ, secundum Hieronymum, occiderunt cum præfatis gigantibus Raphaim; *et Emim,* id est populum sic vocatum, *in Save Cariathaim,* hoc est, in civitate seu loco sic dicto occiderunt, *et Chorræos in montibus Seir,* id est gentem sic nominatam, habitantem in montibus Seir, quæ gens infra vocatur Horræi, *usque ad cam-*
D *pestria Pharan,* id est urbis sic nuncupatæ, *quæ est in solitudine. Reversique sunt* quatuor reges prædicti, *et venerunt usque ad fontem Misphat,* id est ad locum

Digitized by Google

fontis illius, in quo loco Deus postea produxit filiis Israel aquam de petra : ideo subditur, *ipsa est Cades,* quia sic dictus est locus ille alio nomine, de quo loco infra habebitur. Et secundum Hieronymum, vocatur fons Judicii, quoniam Deus judicavit populum Israel contra se murmurantem, vel, ut alii dicunt, Moysen et Aaron, (*Num.* xx, 12.) qui fuerunt ibi increduli Deo, videlicet ad aquas Contradictionis, propter quod Deus tulit contra eos sententiam, quod non ingrederentur terram promissionis. Quidam dicit, quod vocetur fons Judicii, quoniam judices terræ illius convenerunt ibi ad determinandum judicia. Sed mirum si in loco isto deserto convenerunt ad judicandum. *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum,* id est populum regionis illius, in qua postea habitaverunt Amalecitæ, qui tempore hujus belli nondum fuerunt nati ; *et Amorrhæum,* hoc est populum Amorrhæorum, natum ex Amorrhæo filio Chanaan, filii Cham, ut dictum est capitulo decimo ; *qui habitabat in Asasonthamar,* id est in loco sic nominato, qui in libro Paralipomenon vocatur Engaddi, secundum quosdam.

Quæri potest, cur præfati quatuor reges, qui venerunt ad pugnandum contra quinque reges Pentapolis, interfecerunt tot alios populos. Ad quod aliqui dicunt, quod populi illi fuerunt adversarii trium regum qui venerunt cum prædicto rege Elamitarum, qui adjuvit eos ad dejiciendum adversarios eorumdem, deinde adjuverunt eum contra reges Pentapolis. Scriptura autem non exprimit illud, ut dicunt, quia non concernit facta Abræ et Lot.

Et egressi sunt rex Sodomorum, etc. Hic recitatur qualiter in valle Silvestri congressi sunt quinque reges Pentapolis contra quatuor reges prædictos. *Et terga verterunt, cecideruntque ibi.* Porro in textu statim ante hæc verba habetur, *Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis :* et ita quod dictum est, Cecideruntque ibi, exponunt quod rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ cum multis de suo exercitu fugientes, corruerunt in puteos illos, a quibus tamen exisse dicuntur, vel humano vel divino auxilio. Nam paulo post subditur, quod rex Sodomorum venit obviam Abræ post hæc. Potest tamen exponi, quod quidam ex eorum populo sint occisi in valle illa. *Et qui remanserant, fugerunt ad montem,* id est, qui a quatuor regibus illis occisi non sunt, ad loca confugerunt montana. Denique vallis ista habebat bituminis puteos, vel quia ex foveis illis erumpebat et tollebatur bitumen, vel quia inde accipiebatur materia ex qua cæmentum sive bitumen fiebat. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum,* etc.; *necnon et Lot et omnem substantiam ejus,* etc. Hoc fecerunt quatuor reges victores horum quinque regum, quemadmodum moris est in bello, diripere spolia devictorum.

Et ecce unus qui evaserat de prælio, ut quidam de exercitu regis Sodomorum, *nuntiavit Abram Hebræo,* id est ex semine Heber nato. Ex quo patet, quod Judæi et Israelitæ dicuntur Hebræi non ab Abram, quasi Abræi, sed ab Heber, ut dictum est. Iste fugiens a prælio, scivit Lot esse nepotem Abræ, ipsumque Abram esse virum potentem et sapientem : ideo nuntiavit ei captivitatem et adversitatem sui nepotis. *Qui* Abram *habitavit in valle Mambre Amorrhæi,* id est in valle quæ nomen accepit a viro nomine Mambre, qui fuerat Amorrhæus; itaque in valle Mambre Amorrhæi *fratris Eschol et fratris Aner,* quia hi duo viri, videlicet Eschol et Aner, fuerunt fratres carnales istius Mambre. *Hi enim pepigerant fœdus cum Abram,* id est, pactum amicitiæ secum inierant. Ubi quæri potest, cur vir ille fidelis cum infidelibus illis pepigerit pactum tale. Respondetur, quod ex quo inter illos demorabatur, poterat in licitis et honestis cum ipsis contrahere fœdus, præsertim quatenus hac occasione traheret eos ad cultum unius Dei. Quod et forsitan antea fecit, quamvis Scriptura non referat hoc.

Quod quum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit

Digitized by Google

expeditos vernaculos suos, hoc est, numerando adunavit servos suos ad pugnam aptos, *trecentos decem et octo.* Ex quo patet quam magnus et dives vir fuerit. Accepit etiam secum tres fratres præfatos sibi confœderatos, de quibus probabile est, quod et ipsi non paucos de suis familiis et propinquis secum assumpserint. *Et persecutus est eos,* scilicet quatuor reges prænominatos, *usque Dan,* id est usque ad fontem nomine Dan, qui est unus duorum fontium ex quibus emanat Jordanis. Circa quod ait Glossa : Ex duobus fontibus non multum a se distantibus, rivus in unum collectus, vocatur Jordanis. Nam alter fons Jor dicitur. Interea Abram persecutus est reges istos, non quod reges a facie ejus fugerunt, imo nihil sciverunt de ejus adventu. *Et divisis sociis,* id est vernaculis suis in tres turmas partitis, ut ex tribus locis hostes invaderet. Sic et Gedeon trecentos viros suos divisit in totidem partes. (Judic. VII, 16.) Vel, divisis sociis, id est vernaculis suis separatis a tribus fratribus illis et eorum auxiliariis, *irruit super eos nocte,* utpote improvise, *et percussit eos,* id est, dormientes invasit ac trucidavit, *usque Hoba,* id est locum sic dictum, et Phœnicem urbem, *quæ est ad lævam,* id est sinistram, *Damasci.* Quum enim plurimi excitati fugam arriperent, persecutus est, et fugientes prostravit, quia præ securitate incauta erant paulo ante inebriati, et prorsus incpti ad prælium. *Reduxitque omnem substantiam et Lot, mulieres quoque,* quas reges illi ex urbibus Pentapolis secum duxerunt captivas, *et populum* captum, qui erat de exercitu quinque regum. *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus,* videlicet Abræ, *postquam reversus est a cæde,* id est occisione seu percussione *regum* quatuor prædictorum. Egressus est, inquam, in occursum ei *in valle Save,* id est sic appellata, *quæ est vallis Regis :* nam alio nomine dicta est vallis Regis, ab aliquo rege quicumque fuerit ille, propter aliquod speciale quod rex iste in valle illa commisit aut habuit, aut aliquid tale.

At vero Melchisedech rex Salem, id est civitatis, quæ postea Jerusalem est vocata, *proferens panem et vinum,* non ad reficiendum ipsum Abram et populum ejus, ut dicunt infideles Judæi, quoniam Abram et populus ejus portaverunt secum spolia et victualia regum quos occiderunt, ita quod cibariis abundabant ; sed protulit panem et vinum, ad offerendum Domino pro gratiarum actione de victoria Abræ concessa. Propter quod subditur : *Erat enim sacerdos Dei summi.* In lege enim naturæ primogeniti erant sacerdotes. Et interdum sacerdotium transferebatur a primogenito ad posterius natum, sicut et jus primogenituræ ex inspiratione et ordinatione divina. Sacerdotium quoque Melchisedech fuit figura sacerdotii Christi, ut infra tangetur. *Benedixit ei,* videlicet Abræ tanquam major minori, imprecando ei bona ; *et ait : Benedictus Abram Deo excelso,* id est, ad laudem et gloriam Dei sublimis, est Abram benedictus et laude dignus, seu Domino deputatus ; *et benedictus Deus excelsus.* Deus autem essentialiter benedictus est, tanquam in se ipso perfectus et sanctus, et omni bono nomine superdignissimus, omnis etiam benedictionis et gratiæ causa. *Quo protegente,* id est auxiliante et defendente te, o Abram, *hostes in manibus tuis sunt,* id est, subjecti sunt tibi et victi a te. *Et dedit ei decimas ex omnibus,* id est, Abram dedit Melchisedech regi decimas, de omnibus spoliis aut etiam aliis rebus tanquam majori ac sacerdoti. Denique, ut in Scholastica historia fertur, tunc primo leguntur decimæ datæ. Primitiæ vero ab Abel Deo oblatæ leguntur.

Dixit autem rex Sodomorum, qui egressus fuit obviam Abræ, ad honorandum eum, et ad regratiandum ei, quod adversarios a quibus ipse victus erat, prostravit et spolia retulit : *Da mihi animas,* hoc est, captivos restitue mihi, qui de populo meo sunt, ut revertantur ad propria ; *cetera tolle tibi,* id est, substantiam seu spolia reserva pro te et auxiliariis tuis. *Qui*

respondit ei : Levo manum meam ad A *Deum excelsum possessorem cœli et terræ,* id est, per Deum omnium creatorem ac dominum, elevata manu, juro : et dicunt quod iste fuit modus jurandi ; *quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam,* id est, penitus nihil, quantumlibet parvum, sumam, *ex omnibus quæ tua sunt,* id est, tua erant antequam succubuisti, et ea perdidisti in bello, vel quæ adhuc tua sunt de jure aut facto ; *ne dicas, Ego ditavi Abram,* hoc est, ne inde te jactes et mihi improperes. Nec ex su- B perbia dixit hoc Abram, sed quoniam Deus ei promiserat, quod benediceret ei in omnibus, ideo noluit suam locupletationem adscribi hominibus. *Exceptis his quæ comederunt juvenes,* id est, vernaculi mei qui pugnaverunt, quorum expensas jam factas ex spoliis, non persolvo nec reddo ; *et partibus virorum,* hoc est spoliis seu stipendiis quæ juste debentur viris Amorrhæis, *qui venerunt mecum,* videlicet *Aner, Eschol et Mambre. Isti accipiant partes suas,* quæ jure prælii eis debentur. Circa C quod ait Glossa : Abram vir justus manus suas excutit ab omni munere. In quo ostenditur, quod bella a fidelibus non cupiditate, sed caritate et æquitate committenda sunt. Stipendia quoque militantium excipit, et partes eorum qui secum pugnaverunt, partim justitiam suam demonstrans, partim stipendia legitime pugnantibus debita non abnuens.

Is. XXXIII, 5.

Præterea de isto Melchisedech scribit Hieronymus, quod Hebræi dicunt eum fuisse Sem filium Noe ; et omnes primogeni- D tos a Noe usque ad Aaron, sacerdotes fuisse, qui in conviviis et oblationibus populo benedicebant. In Scholastica quoque habetur historia, quod aliqui dicunt, a præfata victoria Abræ et remissione captivorum quos reduxit, annum jubilæum habuisse initium, et quod ideo institutus est quinquagesimus, quia Lot tunc erat quinquagenarius. Vel, quia quinquaginta anni fluxerunt, ex quo Dominus erat Abræ locutus, quando egrediebatur de Haran. Verumtamen verius dici videtur, quod annus jubilæus et quinquagenarius fuit primo divinitus per Moysen institutus, atque in hoc facto Abræ præfiguratus. Nec istud de annis Lot seu tempore allocutionis illius divinæ ad Abram, certitudinem habet.

Præterea de excellentia Melchisedech et sacerdotio ejus, et qualiter Christus dicitur sacerdos factus in æternum, secundum ordinem Melchisedech, multa scribit Apostolus in epistola ad Hebræos, inter cetera dicens : Præcursor pro nobis introiit Jesus secundum ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum. Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, cui et decimas omnium divisit Abraham, qui Melchisedech interpretatur rex justitiæ ; deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis ; sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Quocirca pensandum, quia ut scribit Thomas in tertia parte Summæ suæ, quæstione 21, In officio sacerdotis duo considerantur : primum est ipsa oblatio ; secundum, sacrificii consummatio, per quam hi pro quibus sacrificium immolatur, effectum sacrificii consequuntur. Effectus autem sacrificii Christi, quo obtulit se ipsum in ara crucis, est consecutio felicitatis æternæ. Passus est enim pro nobis, propter bona futura, cœlestia et æterna. Ideo sacerdotium Christi vocatur æternum. Et item idcirco, quoniam aliud sacerdotium non succedet ei in vita præsenti.

Ps. CIX, 4. *Hebr.* VI, 20. *Ibid.* VII, 1-3.

Præterea sacerdotium Christi et sacerdotium evangelicæ legis, in multis excellit sacerdotium veteris legis, quoniam aufert peccata, et æternaliter manet : quod significatum est per sacerdotium Melchisedech, qui decimas sumpsit ab Abram, in cujus lumbis quodammodo decimatus est Levi seu legalis sacerdos. Unde sacerdotium Christi, dicitur secundum ordinem Melchisedech, propter eminentiam veri sacrificii quod est Christus, seu Sacramentum altaris super sacrificia legis Mosaicæ.

Ibid. 9, 10.

Digitized by Google

Sacrificium enim Melchisedech, quod fuit oblatio panis et vini, in Ecclesia continuatur et consummatur usque ad finem mundi. Et quantum ad hoc, sacerdotium Melchisedech perfectius præfiguravit sacerdotium Christi, quam sacerdotium illud legale. Verumtamen advertendum, quia ut tactum est, in sacerdotio Christi duo pensantur, puta oblatio, oblationisque effectus. Quantum ad primum, sacerdotium legale magis perfecte præfiguravit sacerdotium Christi, quam sacerdotium Melchisedech, quia in sacrificiis legis fiebat effusio sanguinis, sicut et Christus se offerendo sanguinem suum fudit pro nobis. Sed quoad effectum quemdam oblationis Christi, qui est mystica unitas Ecclesiæ, sacerdotium Melchisedech magis perfecte præfiguravit sacerdotium Christi. Obtulit namque Melchisedech panem et vinum, per quæ unitas Ecclesiæ designatur, quam Christus per fidem caritatemque colligit. Propterea sub speciebus panis et vini, sacrificium Christi atque Ecclesiæ frequentatur.

Amplius, ipse Melchisedech, dicitur sine patre et matre ac genealogia, non habens dierum initium neque finem, quoniam in Scriptura non legitur initium aut finis genealogiæ ipsius. Sed contra hoc objici potest, quoniam pari ratione et ceteri, quorum genealogiæ exordium ac finis non describuntur, dicerentur sine patre et matre, et non habentes finem initiumve dierum. Præterea dictum est, communiterque tenetur, quod Melchisedech fuit Sem filius Noe. Genealogia vero Sem, et ini- A tium ac finis vitæ suæ, in Genesi describuntur. Et respondendum quoad primum, quod ceterorum de quibus ait Scriptura canonica, aliquo modo in ipsis Scripturis describitur, aut insinuatur genealogia. Et ita non est de patriarcha Melchisedech. Ad secundum communiter respondetur, quod genealogia Melchisedech, non describitur sub nomine isto Melchisedech, quamvis describatur sub nomine Sem. Contra quod denuo objici posset, quod propter diversitatem nominum non fit in re significa- B ta mutatio : idcirco non sequitur, quod genealogia illius viri in Scripturis non exprimatur, quamvis non exprimatur sub nomine isto Melchisedech, imo potius sequitur quod exprimatur, quia sub nomine isto Sem recitatur. Ad quod poterit responderi, quod Melchisedech dicitur sine genealogia et sine patre ac matre, ac sine principio et fine, propter nimiam ejus antiquitatem post diluvium, quæ tanta exstiterat, quod nullus contemporaneus ei, noverat tam principium ejus quam finem, C seu parentes ejus ac mortem, sensitiva et præsentiali cognitione.

Insuper, Melchisedech vocatus est nomine isto Melchisedech, quod interpretatur rex justitiæ, quum antea vocaretur Sem, propter opportunum regimen quo præfuit suis. Et item rex Salem, id est rex pacis, quia in præcipua pace regnavit. Postremo, quia Melchisedech fuit rex Salem seu Jerusalem, quæ est in terra Chanaan, dicunt quidam doctores quod terra Chanaan ordinatione divina et institutione ipsius Noe, D pertinuit ad posteros Sem ac filios Israel.

ARTICULUS XLIX

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI INTELLIGENTIA.

PUGNA quatuor infidelium regum, contra quinque perfidos reges, in primis
Prov. XIII, 10. designat, quod inter ambitiosos et superbos semper sunt jurgia ; quod item iniqui raro concordant ad invicem, imo contra se mutuo præliantur frequenter. Et rur-

sus, quod etiam vitia quædam impugnant A
se invicem, quemadmodum gula instigat ad esum ac potum superfluum, vana gloria interdum retrahit inde desiderio laudis humanæ. Idem quoque designat, quod quatuor peccata præcipua, quæ quatuor virtutibus cardinalibus exstant contraria, utpote intemperantia, timor inordinatus, indiscretio, injustitia, impugnant quinque hominis sensus, seu potius hominem interiorem per quinque sensus exteriores.

In hujuscemodi autem pugna interdum B
etiam aliqui electi et boni, qui designantur per Lot, captivantur vinculis impietatis, corruendo in vitiorum consensum et actum. Quod alius tale malum evadens, et victo compatiens, denuntiat *Abræ Hebræo*, id est viro contemplativo seu prædicatori devoto, qui virtutibus mox armatus, insequitur invisibiles hostes, et orando seu prædicando reducit ad viam salutis virum bonum qui erat seductus, omnemque substantiam ejus reportat, dum ei cooperatur ad recuperandum spiritualia gratiæ dona C
quæ perdidit : quibus cognitis, *Melchisedech*, id est quicumque magnus prælatus, graditur in occursum hujusmodi reductoris, benedicitque Deo, et gratias agit ei pro eo, quod dedit suo ministro victoriam contra invisibiles hostes. *Occurrit quoque ei rex Sodomorum.* Per quod figuratur, quod homini virtuoso frequenter se ingerit vanæ gloriæ et elationis tentatio de opere notabiliter bono ac arduo. Cui vir justus respondere debet cum Abram : Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, id est, in nullo tibi consentiam.

Denique per hoc quod rex Sodomorum dixit ad Abram, *Da mihi animas, cetera tolle tibi :* insinuatur quod diabolus rex *Job* XLI, 25.
filiorum superbiæ, non aliud quærit finaliter, nisi animas hominum, et cetera eis permittit, dummodo animas rapere permittatur. Insuper per bellum Abræ, qui de fide et obedientia specialiter commendatur, datur intelligi quod virtutes contra vitia jugiter prælientur, præfataque quatuor vitia, imo et universa peccata per fidem formatam et obedientiam sanctam vincantur. Propter quod ait Apostolus : In omni- *Ephes.* VI, 16.
bus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Discipulus quoque quem diligebat Jesus : Hæc est, inquit, victoria quæ vincit mun- I *Joann.* V, 4.
dum, fides nostra.

ARTICULUS L

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTIDECIMI : HIS ITAQUE TRANSACTIS, FACTUS EST SERMO DOMINI AD ABRAM.

H*IS itaque transactis, factus est sermo* D
Domini ad Abram per visionem, hoc est allocutionem internam, imaginariam adspectionem, seu exteriorem atque sensibilem apparitionem in vigilia factam, per modum sæpe prætactum, *dicens : Noli timere*, inordinato, carnali, aut humano timore, *Abram*. Qui in terra aliena habitavit ut peregrinus, victis tot regibus, poterat formidare, ne impugnaretur a successoribus et propinquis regum illorum, atque ut aliqui dicunt, verebatur, ne grandis illa victoria, qua vicit quatuor reges, esset tota merces suæ justitiæ. Sed non apparet, quod vir tantæ illuminationis, putaverit temporalem et exteriorem illum triumphum, esse condignum et sufficiens præmium actuum meritoriorum, et vere virtuosorum. Abram autem ex multis revelationibus scivit se esse in statu salutis.

Digitized by Google

Ego protector tuus sum contra visibiles A et invisibiles hostes tuos, ut vel ad mortale peccatum induci non poteris, vel si inductus fueris, tamen finaliter non per-
Ps. xvii, 31. ibis. Denique Deus protector est omnium in se sperantium, ac diligentium eum, qui tamen interdum vincuntur et cadunt: quod non est ex defectu divinæ protectionis, sed ex infirmitate et negligentia eorumdem. Sunt autem diversi gradus protectionis divinæ. Nam Virginem gloriosam protexit non solum ab omni mortali, sed item ab omni veniali peccato; sanctifica- B tos autem in utero, et confirmatos in gratia, protexit deinceps ab omni mortali, ne laberentur in illud. Indiguit autem Abram protectione divina, præcipue quoniam in medio idololatrarum ac pessimorum tunc
Ibid. 27. morabatur, ne cum perversis illis perverteretur. *Et merces tua magna nimis,* hoc est, magnum valde præmium tibi paratum est pro obedientia tua et ceteris tuis virtutibus. Porro merces illa magna nimis, non poterat esse temporale aut exterius bonum dumtaxat, quum illud non sit suf- C ficiens præmium operis virtuosi, sed beatifica deitatis fruitio, quæ est incomparabile bonum, et quodammodo infinitum, utpote infiniti increatique boni immediata, secura, et sempiterna possessio.

Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis. Circa hoc quidam exponendo sic ait : Ac si dicat, Parum valebunt ista, ex quo filium non habeo. Sed non videtur, quod Abram vir spiritualis et sapiens, magnam illam mercedem æternæ felicitatis atque D divinæ fruitionis taliter parvipendit, quod parum reputaverit eam, nisi prolem haberet antequam moreretur. Præterea, rursus mirum apparet, qualiter Abram vir fidelis dixerit, Ego vadam absque liberis; quum jam ante Deus promiserit ei semen et copiosam posteritatem, terram Chanaan possessuram. Itaque quod Abram ait, Domine Deus, quid dabis mihi? non dixit parvipendendo præmium istud magnum nimis sibi promissum, nisi haberet et filium. Sed dixit hoc quasi admirando et pie conquerendo et quodammodo per locum a minori argumentando, tanquam diceret : Quid est quod promittis mihi illa bona futura, quam maxima, qui non confers mihi bonum multo minus ac temporale, videlicet prolem, pro qua toties oro, et quam ardenter desidero? Potest quoque sic exponi : Abram enim ex revelatione divina noverat mundi Salvatorem ex suo semine nasciturum, sine cujus adventu et salvatione noverat genus humanum non esse redimendum : quoniam ergo vidit se nondum habere filium, neque secundum inferiorum naturaliumque causarum processum ac ordinem habiturum, admirando et pie conquerendo, non discredendo, locutus est : Domine Deus, quid dabis mihi? quasi dicat : Æternam illam beatitudinem qualiter possum sperare? Ego enim vadam sine liberis, hoc est, ad aliam vitam quæ erit mihi in limbo patrum, transibo per mortem temporalem, non relinquendo nec habendo semen seu filium. Et hoc secundum processum inferiorum causarum, quum uxor mea sit sterilis, et ita Salvator mundi non orietur ex semine meo, nec per eum adepturus sum maximum præmium illud. Itaque verba hæc, Ego vadam absque liberis, Abram non protulit absolute asserendo, quia sic fuisset mentitus, et divinæ promissioni incredulus, sed secundum quemdam particularem respectum, loquendo.

Et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer, hoc est, juvenis iste nomine Damascus, est filius procuratoris domus meæ, qui vocatur Eliezer; quasi dicat : Dispensator domus meæ filium habet, non ego; et ita quantum ad hoc, sum miserior eo. Vel, Damascus iste, filius Eliezer procuratoris mei, supple, Erit mihi pro † libero, seu filio adoptivo, et ita erit heres meus. Lot etenim nepos Abræ, nondum habebat prolem, quando hæc dixit Abram. Hinc subditur : *Mihi autem non dedisti semen,* quum tamen tantam benedictionem promiseris mihi. *Et ecce vernaculus meus,* videlicet præfatus Damascus,

Digitized by Google

qui vocatur vernaculus, id est servus in A domo Abræ domini sui natus, *erit heres meus.* Intendebat namque Abram illum adoptare in filium, si proprium semen non obtineret. Unde hæc verba protulit, secundum inferiorum causarum considerationem et æstimationem humanam. Damascus iste (ut in Glossa et Scholastica historia recitatur) condidit urbem, quæ ab ejus nomine Damascus vocata est, et postea regnavit in ea. Hæc est Damascus illa famosa. Præterea, S. Patriarchæ ardentissime optaverunt Christum ex eorum semine B nasci. Quumque Christus sit Deus et homo, poterant omnia alia pro modico reputare, nisi Christus ex eorum semine nasceretur.

Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens : Non erit hic heres tuus; sed qui egredietur de utero tuo, id est ex semine corporis tui gignetur. Nec est imaginandum cum Apollinari hæresiarcha rudissimo, quod anima rationalis sit ex traduce, aut simul cum semine resolvatur et producatur ab anima generantis, quum et Aristoteles satis demonstret, quod C intellectus sit omnino ab extra. *Ipsum habebis heredem. Eduxitque eum foras,* id est, Dominus præcepit Abræ ut egrederetur. Ex quo constat, quod visio et allocutio ista incepit in domo. Et reor quod in aliquo loco domus secretiori, in quo Abram vacabat orationi et devotioni. Sic Ezech. III, 1. et Ezechieli jussit Dominus, Egredere in campum, et ibi loquar tecum. *Et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes,* id est, universitatem stellarum numerando perstringe et apprehende; quasi D dicat, Hoc non potes præ multitudine earumdem, imo hoc Deo adscribitur tanquam Ps. CXLVI, 4. præcipuum aliquid, juxta illud Psalmi : Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. Verumtamen cives superni sciunt numerum siderum, sed homo viator naturaliter nequit sidera plenarie computare. Hinc Augustinus loquitur : Auctoritas libri hujus (id est Genesis) contemnit eos, qui universum stellarum numerum comprehendisse et conscripsisse jactantur, sicut Aratus vel Eudoxus, vel si qui alii sunt; quia nec omnes stellæ videri possunt. Nam quantum quisque acutius intuetur, tanto plures videt : exceptis sideribus, quæ in alia orbis parte a nobis remotissima, oriri et occidere perhibentur. Patet quoque ex isto, quod revelatio ista facta sit Abræ in nocte, quando sincero aere videri poterant stellæ, quanquam omnipotenti Creatori exstet facillimum etiam in die clarissimo stellas ad oculum demonstrare.

Et dixit ei : Sic erit semen tuum, id est, posteritas tua innumerabilis erit instar stellarum, quod tamen hyperbolice dictum est, utpote per excessum. Absolute enim loquendo, semen Abræ non esset tam innumerabile, si totum simul esset collectum, ut sidera cœli. Circa hunc locum scribit Lyra, quod Deus per hanc promissionem principaliter intendebat promittere Abræ et semini ejus vitam beatam, quæ erit in resurrectione futura perfecte, quando resurgentes distabunt ab invicem in splendore quemadmodum stellæ, secundum illud Apostoli : Stella differt a stella I Cor. XV, 41, 42. in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum. Atque ad istud probandum allegat quod ait Salvator : Abraham pater vester Joann. VIII, 56. exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. Dies autem Christi vocatur tempus suæ passionis et resurrectionis, in qua aperta est janua regni cœlestis, et patres de limbo educti sunt. Idcirco in offertorio Missæ defunctorum cantatur : Signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus. Sed contra hæc arguit Rabbi Paulus, quia (ut ait) præallegata Christi verba non sunt referenda ad visionem Abræ, de qua agitur in hoc loco, quoniam hic non fit mentio de Christi passione aut resurrectione, nec in re nec in figura. Ad quod dicere potest, qui vult verba Lyræ salvare, quod hic fit mentio de Christi passione et resurrectione in earum effectu, videlicet de felicitate æterna, quam Christus sua passione generi hu-

Digitized by Google

mano promeruit et recuperavit. Verum est tamen, quod præinducta Salvatoris verba, Abraham pater vester exsultavit, etc., aptius referuntur ad aliam visionem Abræ factam, quam istam, præsertim quantum ad id quod dictum est Abræ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, quod Abram de Christo ad litteram intellexit, et tunc diem Christi spiritualiter vidit. Verumtamen Rabbi Paulus concedit, quod Abram intellexit sibi et semini suo, hoc loco esse promissa, non solum bona terrena, sed item cœlestia. Unde et Augustinus : Videtur, inquit, mihi hoc loco promissa posteritas cœlesti felicitate sublimis : quia non dixit Dominus, Erit semen tuum innumerabile, sicut arena terræ ; sed dictum est, Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli. Circa quod Rabbi Paulus scribit : Quasi dicat, Cœleste, lucidum, et incorruptibile erit semen tuum, juxta illud *Dan.* XII, 3. Danielis : Qui multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Credidit Abram Deo sibi hæc promittenti, quæ erant supernaturalia potissime, quantum ad bona æterna. Posteritas quoque carnalis ex sterili conjuge fuit supernaturalis, quantum ad modum acquirendi eamdem. Et ita hæc credere ex caritate, fuit meritorium, propter quod subditur : *Et reputatum est illi ad justitiam*, id est, Deus judicavit eum juste egisse ita credendo, et justificatus est credendo hoc ipsum, non quod ante non fuerit justus, sed quia nunc justior factus est. Sumitur autem justitia hic, prout est virtus communis. Nam omnis virtus est quædam justitia, in quantum homo per eam se habet ut debet aut decet. Hanc quoque auctorita- *Rom.* IV, 3. tem allegat Apostolus ad Romanos, et item *Galat.* III, 6. ad Galatas, ad probandum quod Abraham per fidem placuit Deo, etiam ante suam circumcisionem. Patet insuper ex hoc loco, quod fides justificat hominem : quod intelligendum est de fide per dilectionem formata, et de justificatione formali. Id- *Act.* XIII, 39. circo in Actis scriptum est : In hoc, scilicet in Christo, omnis qui credit, justificatur. Fides namque est fundamentum virtutum, et justificationis exordium.

Dixitque Dominus *ad eum : Ego Dominus qui eduxi te de Ur*, id est igne seu regione, *Chaldæorum*, sicut hoc supra fuit diffusius expositum, *ut darem tibi terram istam, et possideres eam :* tibi, inquam, id est posteris tuis. Non tamen possessio terræ hujus, fuit principalis finalisque causa eductionis Abræ de Chaldæa ; sed expletio mysteriorum Christi, qui ex semine Abræ voluit incarnari, conversari, et genus humanum in terra promissionis salvare. *At ille ait : Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam* in posteris meis? Jam dictum est, quod Abram credidit Deo. Quod ergo nunc ait, Unde scire possum, non venit ex incredulitate aut diffidentia, sed desiderio informationis majoris de modo quo fieret, quemadmodum beatissima Virgo, audita annuntiatione superincomprehensibilis incarnationis Filii Dei, ait : Quomodo fiet istud ? *Luc.* I, 34. Ideo loquitur Augustinus, quod ideo dixit Abram hæc verba, quatenus rei quam credidit, aliqua similitudo adhiberetur, qua ejus modus agnosceretur. Et quoniam Abram quæsivit hoc signum, inolevit Judæis mos signa quærendi, ut in Scholastica historia dicitur.

Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, hoc est trium annorum, *et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam*. Ideo Dominus specialiter jussit ista animalia irrationalia, videlicet tria terrestria, et duo aerea accipi et offerri, quoniam erat futurum, ut ex eis dumtaxat fierent sacrificia in lege per Moysen data, excepto quod in emundatione leprosi, fiebat de passeribus oblatio. Sicque oblatio illa non fuit communis, propter quod non fit nunc sermo de ea. Cur autem præcepit Deus, ut tria animalia ista terrestria essent triennia ? Respondetur ex Augustino, quod ideo, quia populus Israel in tertia mundi ætate, quæ cœpit ab Abraham, et duravit usque ad

Digitized by Google

David, adolevit seu crevit. Potest etiam dici, quod animalia illa in triennio majorem habent aptitudinem, vivacitatem, robur, aut proprietatem ad immolandum, et propter commendandum superbeatissimæ Trinitatis mysterium, propter quod etiam tria jussa sunt accipi.

Qui tollens universa hæc : non in ipsa nocte, qua facta est ei revelatio ista, sed die immediate sequente ; *divisit ea per medium,* utpote tria animalia illa terrestria, *et utrasque partes contra se altrinsecus posuit,* utpote ambas partes seu medietates cujuslibet animalis occisi, ita quod una animalis occisi medietas, sic jacuit. ex opposito alterius medietatis, quod inter eas potuit quis transire, propter causam infra tangendam ; *aves autem,* scilicet turturem et columbam, *non divisit* per medium, ut animalia alia. Videtur tamen quod eas occidit, et forsitan unam occisam posuit juxta unam partem animalium divisorum, et aliam avem occisam juxta aliam illorum animalium partem. Cur aves non divisit? De hoc spiritualis ratio assignatur. Primo, quod per animalia designantur carnales, qui dividuntur per schismata et peccata; per aves vero, spirituales, qui *Ephes.* IV, solliciti sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Secundo, quod per animalia designantur activi, qui circa plurima distrahuntur, quemadmodum Dominus dixit *Luc.* X, 41 ad sanctam Martham, Sollicita es, et turbaris erga plurima; per aves, contemplativi, qui circa unum intenti sunt, et recolligunt se in Deum. *Descenderuntque volucres super cadavera,* hoc est super carnes illas occisas, ut ex eis comederent. Et dicit quidam, quod aves istæ erant de nocte volantes. Quod non videtur consonare verbis, nam subditur: *et abigebat eas Abram.* Quo constat, quod in die descenderunt super sacrificia ejus. *Quumque sol occumberet, pavor irruit super Abram.* Ex quibus apparet, quod clara die volucres super carnes illas descenderant, quia et Abram vidit eas, et ante solis occubitum fuit hoc.

A Itaque quum sol occubuisset, pavor irruit super Abram. Aliqui textus habent, Sopor irruit, etc. Circa quod Lyra ait, quod in Hebræo habetur, Ecstasis irruit, etc. Et per ecstasim intelligit raptum seu alienationem ab exterioribus sensibus. Porro, secundum Rabbi Paulum, in Hebræo habetur proprie, Sopor, sicut in translatione nostra, in qua secundum Lyram dicitur, Sopor irruit : ex quo etiam satis apparet, quod Lyra frequenter dicit aliter haberi in Hebræo, quam in nostra translatione, B quum tamen ita non sit absolute loquendo. Dicitque Rabbi Paulus, quod in Hebræo eadem dictio ponitur hic, quæ supra secundo capitulo habetur : Immisit Dominus soporem in Adam. Verumtamen omnia concordando, dici potest quod verbum Hebraicum exstet æquivocum. Nam et in verbis illis, Immisit Dominus soporem in Adam, per soporem illum intelligitur ad litteram, non somnus quicumque naturalis aut solitus, sed potius raptus aut ecstasis, ut dictum est ibi. Septuaginta quoque C transtulerunt, Pavor irruit, etc. Et potuit esse, ut Abram gravaretur naturaliter quodam somno, aut supernaturaliter perduceretur ad raptum aut ecstasim, per quem raptum disponeretur ad revelationem mox subditam.

Et horror magnus et tenebrosus invasit eum. Quæri potest, ex qua causa oriebatur in Abram horror iste tam magnus et tenebrosus, id est afflictivus et gravis seu in tenebris ortus. Respondetur, quod passiones animæ communiter generantur ex aliD qua prævia sensitiva apprehensione seu sensatione. Interdum vero oriuntur ex causis valde occultis, aut supernaturalibus, ita quod homo ipse qui patitur eas, cognoscere nequit causam immediatam et propriam unde nascuntur ; sic dum aliquis tremit et pavet ex appropinquatione seu præsentia hostis sive latronis aut periculi imminentis, quum tamen ignoret se illis appropinquare. Sicque ad propositum dici potest, quod ex operatione occulta angelici spiritus, oriebatur in Abram magnus pa-

Digitized by Google

vor iste. Potest enim angelus bonus, imo et angelus malus, corporalem hominis naturam faciliter ac multipliciter ac fortiter immutare. Probabiliter quoque dici potest, quod in hujuscemodi tremefactione atque formidine, præcedit et adest interior quædam imaginatio saltem occulta cujusdam mali sive adversitatis. Sicque fuisse in Abram videtur. Nam et in Scholastica fertur historia, quod horror iste tam ingens, fuit pars signi quod petiit Abram, ut tactum est. Ex quo sequi videtur, quod fuit quodammodo supernaturalis, utpote præfigurativus futurorum : idcirco subjungitur, quod timor iste significavit.

Dictumque est ad eum, puta ad Abram a Domino : *Scito prænoscens,* id est prophetaliter jam prænoscas, *quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua,* hoc est, quod posteritas tua habitabit in terra aliena : *et subjicient eos servituti, et affligent,* id est, hi in quorum regionibus posteri tui erunt peregrini, subdent posteros tuos famulatui gravi et tribulationi multiplici, *quadringentis annis:* non quod servitus et afflictio tot annis durabunt, sed quia peregrinatio præfata erit tam diuturna, et infra annos illos evenient et complebuntur prædicta servitus atque afflictio. Itaque quod ait, quadringentis annis, determinat complexum illud, Peregrinum futurum sit; non autem verbum illud, Subjicient eos servituti.

Denique, quod semen Abræ seu filii Israel non habitaverint in Ægypto tot annis, facile est ex textu probare. Nam infra
Gen. XLVI, 7. habetur, quod Jacob descendit in Ægyptum cum filiis suis et filiis filiorum suorum, hoc est, verbi gratia, cum filio suo Levi, et cum Caath filio Levi. Caath vero genuit Amram, cujus filii fuerunt Moyses et Aaron, qui eduxerunt filios Israel de
Exod. VI, 18, 20. Ægypto. Caath vero vixit annis centum triginta tribus, Amram autem centum triginta septem, ut legitur in Exodo. Moyses demum, quum esset octoginta annorum, filios Israel de Ægypto eduxit : sicque totum tempus vitæ Caath et Amram ac Moysis usque ad octogesimum vitæ suæ annum, non fuit nisi trecenti et quinquaginta anni. Nec tamen filii Israel fuerunt tamdiu in terra Ægypti ; imo ab annis præfatis oportet subtrahere totum tempus quo vixit Caath, antequam introivit Ægyptum, et annos quibus vixit postquam genuit Amram, tempus quoque quo vixit Amram postquam Moysen generavit. Idcirco, ut dicunt Hebræi et multi Catholici, filii Israel non fuerunt in Ægypto, nisi annis ducentis et decem. Nec tamen toto tempore illo fuerunt servituti et afflictioni ibidem subjecti ; imo multis annis ibi in honore fuerunt sub Joseph et fratribus ejus, ut Gen. XLVII, 11, 12.
infra patebit.

Præterea anni hi quadringenti, computari possunt a nativitate Isaac, qui proprie dictus est filius Abrahæ prælectus, et per repromissionem concessus, propter quod dictum est Abrahæ : In Isaac vocabitur tibi semen. Isaac autem sexagenarius genuit Jacob, qui quum esset centum triginta annorum, Ægyptum ingressus est, ut infra in textu habetur : qui anni ducentis et decem annis præfatis appositi, faciunt adæquate annos quadringentos, quibus semen Abrahæ exstitit peregrinum in terra non sua, partim in Palæstina, videlicet in terra Chanaan et Geraræ, partimque in Ægypto. Verumtamen Augustinus ab anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis de Ægypto, computat annos quadringentos et quinque, et dicit quod Scriptura non facit mentionem de illis quinque annis, quia consuetudo est Scripturæ, non curare minutias numeri aut temporis. Computat autem Augustinus secundum translationem Septuaginta. Sed circa hæc oritur difficultas, quoniam in Actis loquitur Paulus apostolus : Deus sorte distribuit eis terram, Act. XIII, 19, 20.
quasi post quadringentos et quinquaginta annos. Porro ad Galatas ait : Quæ post qua- Galat. III, 17.
dringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit, etc. Respondetur, quod tempus illud quadringentorum quinquaginta annorum, computatur a nativitate Isaac usque ad divisionem terræ promis- Josue XIII, 7.

sionis factam sub Josue, ut in Josue libro legitur; anni vero quadringenti et triginta, computantur a tempore quo ista promissio facta est Abræ. Sed rursus objicitur contra prædicta, quoniam in Exodi libro scriptum est : Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Ergo non solum annis ducentis et decem, sed amplius quam quadringentis in Ægypto morati sunt. Hujus solutionem usque ad locum illum suspendo, quanquam breviter dici posset, quod in auctoritate hac Exodi, per habitationem in Ægypto, datur intelligi habitatio filiorum Israel in Ægypto, et habitatio patrum eorum in Chanaan.

Exod. XII, 0.

Verumtamen gentem cui servituri sunt, puta Ægyptios, *ego judicabo,* id est, juste indurabo, reprobabo, ac puniam plagis temporalibus, quæ in Exodo describuntur; deinde damnatione æterna, quia per plagas temporales non erunt conversi et emendati. Istud Dominus dixit ad Abram pro consolatione ipsius, qui de futuris suæ posteritatis tribulationibus poterat contristari. *Et post hæc egredientur cum magna substantia.* Nam multi filiorum Israel egredientium de Ægypto, fuerunt divites valde, habueruntque pecora multa, et ultra hoc, Deo jubente, egressuri mox de Ægypto, mutuarunt ab Ægyptiis vasa aurea atque argentea, vestesque pretiosas ac plurimas, prout in Exodi libro recitatur. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace,* hoc est, per mortem temporalem transibis ad sanctos Patriarchas in limbo patrum detentos, de quorum semine natus es, quamvis aliqui patrum tuorum qui fuerunt post illos, fuerint vitiosi, et item idololatræ; *sepultus in senectute bona,* hoc est, virtuoso senio consummatus, et in statu salutis defunctus. Verumtamen ante corporis sepulturam discessit anima sancti viri ad limbum, si tamen nihil purgandum detulit secum. Denique per hunc modum loquendi insinuavit Moyses animæ immortalitatem, et vitam aliam post præsentem, quoniam mortem nominat transitum ad prædecessores defunctos, qui nisi essent post mortem, nullus iret ad eos post mortem. Rursus per verba hæc Deus assecuravit Abram de sua salute, præsertim si verba hæc intellexit per modum absolutæ assertionis absque conditione implicita.

Ibid. 35.

Generatione autem quarta revertentur huc, hoc est, quarto viro nato post eum, qui simul cum sobole sua intrabit Ægyptum, redibunt posteri tui ad terram hanc Chanaan, et hoc in computatione successionis tribus sacerdotalis sive Leviticæ. Levi enim genuit Caath, Caath Amram, Amram Aaron, Aaron Eleazarum, qui cum patre suo Aaron exivit Ægyptum. Sicque Eleazarus fuit quartus post Levi, ipso Levi excluso. Quidam computationem istam a Levi incipiunt inclusive, et dicunt quod secundum successionem tribus sacerdotalis, quinta generatione egressi sunt : secundum quod Septuaginta translatio continet, Quinta generatione redibunt. Alii vero dicunt hoc adimpletum in regia tribu, videlicet generatione Judæ, qui genuit Phares patrem Aram, qui Aram genuit Aminadab, patrem Naasson, qui cum patre suo Ægyptum est egressus. Computationum vero diversitas faciliter concordatur per diversam inceptionem, atque per terminorum inclusionem aut exclusionem. Porro quidam incipit computationem istam a Jacob, et dicit quod si computentur generationes ab eo per lineam generationum, inveniuntur quatuor usque ad reditum in terram promissionis, quoniam Jacob genuit Judam, Judas vero Phares, Phares autem Esron, Esron vero Caleb, qui terram promissionis intravit. Quod autem Caleb sit filius Esron, probatur ex primo libro Paralipomenon. Sed advertendum, quod istud stare non potest, quoniam Caleb ille filius Esron, alius fuit ab isto Caleb, qui terram promissionis ingressus est. Siquidem Caleb iste, fuit pater ipsius Hur, qui genuit Uri patrem Beseleel, qui Beseleel exivit Ægyptum cum patre suo, fuitque quartus vel saltem tertius post illum Caleb. Caleb vero qui terram promis-

Ruth IV, 18-20. *Matth.* I, 3, 4.

I *Par.* II, 18-21.

Digitized by Google

Josue xiv, 7. sionis intravit, erat solum quadraginta an- A norum, vel potius minus, quando exivit Ægyptum. Nam quadragenarius erat, quando cum ceteris ad explorandum terram a Moyse missus est.

Deinde subditur causa tantæ dilationis, qua filii Israel protracti sunt ab ingressu terræ eis promissæ. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus,* id est, nondum impleverunt mensuram seu pondus facinorum, quod ab eis pietas mea sustinere decrevit, antequam ejiciantur de terra sua. Ex hoc B accipit Augustinus, quod scribit in libro de Doctrina christiana, quod Deus dignatur ab unoquoque homine seu populo sustinere certam mensuram culparum, qua Is. xxx, 18. impleta, non tolerat eum diutius. Exspectat enim ut misereatur, ut loquitur Isaias, hoc est, ut homines se emendent, quibus misericordia Dei abutentibus adhibet ultionem. Propter quod asserit Jeremias : Jer. xliv, 22. Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum. Verumtamen quicumque peccat mortali- C ter, non solum meretur damnationem æternam, sed etiam immediate mortem corporalem, et omnium exteriorum rerum privationem. Estque indignus pane quo vescitur, et omnium creaturarum obsequio, usu, ac ope.

Consequenter redit Moyses ad prosecutionem historiæ. *Quum ergo occubuisset sol,* ut dictum est paulo ante, *facta est caligo tenebrosa.* Hoc non fuit mirum, quod post solis occasum caligo inducta est, sed caligo ista fuit tenebrosior solito, et forte D apparuit densissima nubes, quæ fuit pars signi petiti, et significavit vehementiam adversitatum tribulationumque filiorum Israel in Ægypto. *Et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis.* Istud fuit signum veritatis divinæ promissionis præfatæ.

Circa verba hæc duo quæruntur. Primo, an ista fuerunt ibi realiter, scilicet fornax fumans, et lampas ignis, an per similitudinem et imaginariam visionem dumtaxat. Secundo, an ibi apparuerunt duo ignes, videlicet ignis fornacis, et ignis lampadis. Ad primum istorum videtur quibusdam dicendum, quod ibi apparebat realiter ignis, ut dicunt nonnulli quod apparuit ibi ad repræsentandum divinæ majestatis præsentiam, sicut in rubo monteque Sinai. His Exod. iii, 2. Ibid. xix, 18. consonat quod in Scholastica historia fertur, quod ignis ille consumpsit sacrificium Abræ, hoc est carnes illas divisas. Unde si realem habuit ignis actionem, videtur fuisse realiter ignis, non similitudo dumtaxat. Ad secundum aliqui dicunt, quod non fuit nisi unus ignis. Ait namque præfata Historia, quod apparuit ignis quasi clibani; verumtamen textui magis consonare censetur, quod duo ignes ibi fuerunt : unus fornacis ardentis ac fumigantis, stans fixe in loco suo; alter lampadis, qui pertransivit inter partes prædictas. Subditur enim in textu : Et lampas ignis *transiens inter divisiones illas,* utpote inter carnes ab invicem divisas ac positas. Nam et Septuaginta transtulerunt : Quum autem jam sol erat ad occasum, flamma facta est, et fornax fumibunda, et lampades ignis, quæ pertransierunt per media illa divisa. Et forsitan ex clibano illo ardente erumpebant quasi lampades ignis, volitantes inter carnes illas, et comburentes easdem : in signum, quod sacrificium Abræ exstitit Deo acceptum. Fuit itaque ibi reale aliquid simile clibano, et ministerio angeli tota visio ista exhibebatur. Præterea quæritur, cur ignis lampadis pertransivit partes præfatas. Respondetur, quoniam inter antiquos fuit consuetudo, ut percutientes pactum seu fœdus pariter ineuntes, occiderent atque dividerent aliquod animal, et inter partes divisas transirent, quasi ad innuendum quod morte efficerentur condigni, qui pactum infringerent. Hinc apud Jeremiam ait Dominus de obstinatis Judæis : Non observaverunt verba fœderis Jer. xxxiv, 18. mei, in quibus assensi sunt; vitulum quem consciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones ejus. Quoniam itaque Dominus in hac visione pepigit fœdus cum Abram, ut protinus subjungetur, idcirco

Digitized by Google

ignis iste Dei præsentiam repræsentans, A transivit inter illa divisa, sicque Deus cum Abram agens, habuit se modo humano.

In die illo. Istud quod subditur, videtur factum in nocte, sicut et visio jam descripta, idcirco per diem illum intelligitur dies naturalis, qui noctem includit. *Pepigit Dominus fœdus cum Abram,* id est, firmiter ei promisit, *dicens : Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten.* Secundum Augustinum, non dixit, A flumine magno Ægypti, hoc est a Nilo, sed a flu- B vio parvo, qui dividit inter Ægyptum et Palæstinam, et vocatur fluvius iste Rhinocolura, estque terminus terræ promissionis a parte australi versus Ægyptum ; Euphrates vero est terminus terræ ejusdem ex parte opposita versus Chaldæos, inter quos Euphrates currit. *Cinœos et Cenezœos et Cedmonœos et Hethœos,* etc. Nominantur hic decem gentes, quarum terras Deus promisit semini Abræ. Et est sensus : Gentes has, id est terram earum, dabo posteris tuis. Prænominatæ quoque gentes *Gen.* x, 15-18. istæ, sunt ex Chanaan natæ, ut superius dictum est, quamvis aliqua nomina varientur.

ARTICULUS LI

DE SPIRITUALI SENSU EJUSDEM CAPITULI QUINTIDECIMI.

H*IS itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram, dicens : Noli ti-* C *mere.* Quemadmodum Deus confortavit et consolatus est Abram quum infideles vicisset, sic admonet et consolatur unumquemque fidelem, qui tentationibus viriliter restitit, et vitia expugnavit, ne timeat inordinate ob hoc, quod invisibiles hostes semel victi solent acrius impugnare, atque callidius impetuosiusque insurgere ac tentare. Tali ergo fideli loquitur Dominus :
Rom. XVI, 20. *Ego protector tuus sum,* qui conteram Satanam sub pedibus tuis velociter; *et merces tua magna nimis,* quemadmodum ait Apo- D
II *Cor.* IV, 17. stolus : Id quod in præsenti est modicum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus
I *Cor.* XV, 58. operatur in nobis. Itemque : Stabiles, inquit, estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Talis ergo Dei pugnator indiget assidua armatura virtutum, ut cum omni humilitate et firmitate speret in Domino, et jugiter invocet eum, nec unquam inani securitate torpescat, imo quotidie custoditior ferventiorque reddatur, atque quod non sunt *Rom.* VIII, 18. condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, efficaciter contempletur.

Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis. Vir fidelis per Abram designatus, divini amoris ardore succensus, et fraternæ salutis zelo transverberatus, propria salute nequaquam contentus est, et quidquid sibi pro præmio desuper promittatur, non conquiescit nisi et alios verbo aut oratione, bonæque vitæ exemplis ac meritis trahat ad Creatorem, et quasi spiritualiter pariat Christo : quod dum se videt aut arbitratur non facere, conqueritur se sine spirituali semine recedere de hac vita, quum tamen videat seu confidat quosdam bonos activos et sæculares, trahere proximos ad salutem. *Et ecce vernaculus meus erit heres meus :* id est, proximus meus servus, sanguine Christi emptus, in domo Ecclesiæ constitutus, obtinebit, alios convertendo, munera gratiarum quæ mihi dedisti, quibus privatum modo me vereor, eo quod

Digitized by Google

nullum tibi gignere queam. Nempe vir talis dum se putat non fructificare in aliis, æstimat Deum sibi iratum, seque pristina gratia destitutum, quem Dominus protinus per inspirationem internam aut alio modo consolatur, dicendo : *Non erit hic heres tuus; sed qui egredietur de utero tuo,* id est, quem semine verbi cœlestis ex corde tuo egredientis converteris, et caritate mentis tuæ spiritualiter genueris, *ipsum habebis heredem,* gratiam tibi collatam administrando in ipsum, et communicando eidem, et relinquendo eum post te in Ecclesia militante successorem tuæ gratiæ ac virtutis, ita quod quasi stella pulcherrima fulgebit in ea, imo et plures convertes, quod credens vir talis, justificatur a Deo. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram, et possideres eam*, id est, de igne carnalium desideriorum et fervore tentationum te erui, ut terrenos et carnales meritis tuis converterem, et eos in spirituales filios possideres : quod fructuosis pastoribus ac prædicatoribus virtuosis potissimum condonatur et competit.

Præterea vir talis, propriam fragilitatem insufficientiamque perpendens, ait : *Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam?* id est, quod terrenos sic traham ad te, spiritualesque natos habebo eos, quod non nisi per specialem atque præcipuam tuam gratiam fieri valet. *Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium,* id est propriam carnem tuam, ex se ipsa instar vaccæ pigram ac tardam ad bona, et quasi capram ad prava pronam ac prosilientem, lascivam quoque tanquam arietem ; *turturem quoque et columbam,* id est spiritum tuum rationalem, instar turturis ad futura suspirantem, et propter mala gementem, ac simplicem veluti columbam. Hæc, inquam, tolle et offer mihi in holocaustum, ut te totum meo cultui mancipans, merearis tanta gratia adimpleri, quod in alios possis eam transfundere. Hoc itaque ait vir talis, carnemque propriam dividit, castigando et flagellando eam quotidie, ita ut dicat : Quoniam propter te (Ps. xliii, 22.) mortificamur tota die. Sed spiritum suum non dividit, imo eum totum in Deo recolligit, integrat et adunat. *Descenderuntque volucres super cadavera.* Volucres istæ (Luc. viii, 5, 12.) sunt dæmones, qui semen verbi ac gratiæ Dei nituntur de agro cordis auferre, et sacrificia orationum nostrarum contaminare, corpus et animam inquinare, atque per evagationes et pravas affectiones, ac sinistras intentiones, quidquid Deo offerimus, facere inacceptum. Quas aves pestiferas volitantes, oportet nos cum omni agilitate et diligentia semper abigere, ut stabiles simus ac puri, præsertim in deitatis obsequio Sacrificioque altaris.

Quumque sol occumberet, pavor, seu sopor, *irruit super Abram.* Sic plane dum Sol sapientiæ atque justitiæ Christus Dominus paululum subtrahit homini spirituali lucem contemplationis et rorem consolationis supernæ, irruit super eum sopor pigritiæ, negligentiæ somnus, et multiplex timor gravis. Nam et interdum veretur se divinitus derelictum ac periturum. Deinde Dominus consolatur eumdem, prænuntians ei, quod semen suum futurum sit peregrinum in terra non sua, et affligendum. Electi namque et boni sunt in sæculo isto quasi in gravi exsilio, in quo multipliciter tribulantur, atque nonnunquam servituti invisibilium hostium ac vitiorum subduntur ; imo ad minus servire coguntur necessitatibus miseri corporis, a pravis et reprobis affliguntur hominibus, quos judicaturus est Dominus. Deinceps electi taliter exercitati et expurgati, revertuntur cum spirituali opulentia grandi ad Dominum. Et quarta generatione, videlicet post interiorum reformationem, verborum directionem, operum debitorum exsecutionem et proximorum ædificationem, ingrediuntur triumphantis Ecclesiæ patriam eis promissam. Interim vero apparet eis clibanus fumans, lampasque ignis transiens inter præfatas divisiones : quia ut ait Scri-

Digitized by Google

Eccli. xxvii, 6.
A ptura, Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Itemque :
Sap. iii, 6.
Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus.

Postremo Augustinus tangit aliam spiritualem hujus capituli intelligentiam, quam et Isidorus ac Richardus inducunt, sed prolixitatem devitans, pertranseo.

Sensus allegoricus de Christo.

Præterea, quoniam Abram figura est Christi, potest capitulum istud allegorice de Christo exponi, ita : *Factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens : Noli timere :* id est, Verbum æternum,
B seu Deus Pater, aut Trinitas Deus, dixit Christo secundum suam humanam naturam, Ne timeas inter adversa, quæ tibi intulerunt aut inferre conati sunt Judæi increduli : non quod aliquis timor inordinatus potuit esse in Christo, qui secundum naturam assumptam fuit perfecte confirmatus in bono ; sed ne naturali timore, quem interdum sponte assumpsit, diu immoraretur, et ne eum frequentius quam oportebat, assumeret. Unde in persona Christi cantat Ecclesia : In die qua invo-
C cavi te, Domine, dixisti, Ne timeas. Potest quoque exponi hoc verbum, Noli timere, non quasi hortando ne formidaret, sed congratulando suæ perfectioni, qua inordinate nihil pavebat, quemadmodum ca-
Ps. cxlviii,
nimus : Laudate eum omnes angeli ejus. *Ego protector tuus sum.* Nam Deus Pater, seu Verbum æternum, fuit in omnibus humanitatis Christi defensor ab omni malo culpæ, et item a malis pœnalibus, ita quod animæ Christi nullam læsionem nocivam inducere potuerunt, propter quod apud
D
Is. xlix, 2.
Isaiam Christus testatur : In umbra manus suæ protexit me. *Et merces tua magna nimis.* Beatificam deitatis fruitionem, quæ est essentiale præmium omnium Beatorum, habuit anima Christi a suæ creationis et incarnationis Verbi exordio, nec eam promeruit. Postmodum vero promeruit sibi præmium accidentale, videlicet sui corporis glorificationem et judiciariam potestatem, suique nominis honorificentissimam dilatationem per totum orbem terrarum. Et de hoc præmio quod Christus sua humiliatione, patientia, labore, et passione sibi ipsi promeruit, potest exponi quod dictum est, Merces tua magna nimis. Vel, merces Christi vocatur magnitudo gratiæ, plenitudoque gloriæ, quam meruit suis electis, quibus tota sua conversatio et passio in hoc mundo meritoria fuit, in quantum ex ardentissima caritate pro eorum salute omnia gessit ac pertulit.

Dixitque Abram, id est Christus : *Domine Deus, quid dabis mihi* pro mercede laborum meorum ? *Ego vadam absque liberis,* hoc est Judæis, propter quos veni in mundum, et quibus specialiter missus sum : eos non converti, non fructificavi in eis pro maxima parte eorum, in tantum quod tempore passionis pene omnes corruerunt a fide ; et in cruce moriens, non reliqui semen ex eis, nisi perpaucum. Hinc in Isaia loquitur Christus affectu dolentis de Judæorum perditione : Ego dixi, In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. *Et filius procuratoris* mei *iste Damascus.* Procurator Christi, potest intelligi Moyses, qui tanquam Dei dispensator præfuit Synagogæ, et multos convertit : sicque filius ejus fuit populus sibi subjectus atque obediens, præsertim qui terram promissionis intravit. *Et ecce vernaculus meus erit heres meus.* Hereditas Christi fuit populus Synagogæ, sicut per Isaiam fatetur, Hereditas mea Israel ; vernaculus vero Christi, fuit cœtus sacerdotum et ceterorum, qui tempore Christi præfuit Synagogæ. Ille etenim cœtus, natus fuit in lege divini obsequii, atque in domo seu populo Dei. Ille itaque impiissimus cœtus, voluit esse heres ac dominus Synagogæ seu vineæ Christi, ipso Christo expulso. Nam eo viso, locuti sunt : Hic est heres, venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas, prout Christus in evangelica docet parabola : Homo, inquiens, paterfamilias plantavit vineam, et locavit eam agricolis, etc. *Statimque sermo Domini factus est ad*

Joann. v, 43. Matth. xv, 24. — Is. xlix, 4. — Ibid. xix, 25. — Matth. xxi, 38. — Ibid. 33.

Digitized by Google

eum, dicens : Non erit hic heres tuus, id est, impius cœtus iste non diu præsidebit Synagogæ, imo cito post tuam passionem penitus vastabitur, quemadmodum factum est per Romanos, et a Daniele prædictum
Dan. IX, 26. est : Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et usque in finem perseverabit desolatio ; *sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem,* id est, Judæos electos, quos proprii cordis tui doctrina docebis et convertes, habebis filios atque discipulos, et per eos convertes innumerabiles alios.

Eduxitque eum foras, id est, Deus eduxit Christum hominem a præfata consideratione, ad considerationem conversionis gentium universarum ; *et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes,* id est, quia potes. Nam anima Christi cuncta creata distincte cognovit. *Et dixit ei : Sic erit semen tuum,* id est, tam innumerabilis erit populus qui a te Christo vocabitur christianus, et tanquam stellæ splendidus erit per gratiam in Ecclesia militante, et sicut sol fulgebit in Ecclesia triumphante.
Is. XLIX, 6. Hinc in Isaia Pater loquitur Christo : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam,* id est, Christus cognovit promissionem hanc veram esse, non tamen per fidem, quæ est theologica virtus, quæ non fuit in eo, quoniam fuit comprehensor perfectus secundum supremam suæ animæ portionem.

Dixitque ad eum : Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, id est de passione et persecutionibus infidelium Judæorum, resuscitando te tertia die ad impassibilem et beatissimam vitam ; *ut darem tibi terram, et possideres eam,* id est, totum mundum legi ac ditioni tuæ
Ps. XXI, 28. subjicerem, juxta illud : Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines
Ps. LXXI, 8. terræ. Itemque : Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad

A terminos orbis terræ. *At ille ait : Domine Deus, unde scire possum,* etc., id est, experimentalem modum ac processum hujus rei mihi ostende. Hoc Christus non ait ex ignorantia aut diffidentia, sed ex superabundantia quadam, qua id quod scitur, libenter prospicitur. *Respondens Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium,* id est, lascivum, petulantem, ac contumacem populum Judæorum applica tibi, prædicando eisdem ; *turturem*
B *quoque et columbam,* hoc est, quosdam etiam virtuosos, pudicos et simplices ex plebe illa tibi assume. Hoc Christus fecit omnibus talibus evangelizando, divisitque vitiosos illos, quoniam quosdam ex eis pie convertit, et alios juste reliquit, propter quod dixit : Nunc judicium est mundi. Joann. XII, 31.
Ceteros non divisit, sed recollegit in unum, et fecit ex eis primitivam Ecclesiam. *Descenderuntque volucres,* id est dæmones, *super cadavera,* quoniam passione instante Christus locutus est Petro : Simon, ecce Luc. XXII, 31.
C Satan expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem oravi pro te. Christus quoque eos abegit, sicut dixit ad Patrem : Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex Joann. XVII, 12.
eis quemquam.

Quum sol occumberet, pavor irruit super Abram, et horror magnus, etc. Tunc sol quasi occubuit, quando Verbum æternum solitam consolationis internæ redundantiam humanitati Christi, quantum ad partem ejus sensitivam, subtraxit, tempore scilicet passionis, in tantum quod dixit :
D Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Ps. XXI, 2.
Tunc intensissimus pavor et maximus horror Christum invasit, quando et sudor ejus factus est quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Luc. XXII, 44.
Cœpit etenim contristari et pavere, dixitque : Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. XXVI, 37.38.
Dictumque est ad eum : Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Tunc enim Deo volente Christus actualiter consideravit omnem adversitatem, tribulationem et passionem,

Digitized by Google

quam universi electi in sæculo isto pro fide ipsius ac sua salute erant passuri : quod utique ab incarnationis exordio scivit; sed tunc cum vehementissima compassione hoc ipsum intuebatur. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace,* descendendo in limbum patrum, ut eos inde educas, *sepultus in senectute bona,* non annorum, (Sap. IV, 8.) sed omni maturitate virtutum. Senectus enim venerabilis est, non annorum numero computata, etc. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Amorrhæi isti, sunt reprobi qui affligunt et exercent electos usque ad tempus præfinitum a Domino.

Quum ergo occubuisset sol, id est, dum Christus expallescens penderet in cruce, (Luc. XXIII, 44.) *facta est caligo tenebrosa,* quia tunc tenebræ factæ sunt super universam terram ab hóra sexta usque ad nonam ; *et apparuit clibanus fumans,* id est, tribulatio summe angustians, invasit eos qui cruci Christi

A assistebant, et pertinebant ad eum ; *et lampas ignis, transiens inter divisiones illas,* hoc est fervor doloris penetrans corda eorum, quos Christus divisit a reprobis et reposuit sibi. *In die illo pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens : Semini tuo dabo terram hanc.* Quum enim Christus passione instante factus in agonia prolixius oraret, sanguinemque sudaret, apparuit illi angelus de cœlo confortans eum, (Luc. XXII, 43.) id est per modum confortantis se habens, verba confortativa et conso-

B latoria proferendo, commemorando videlicet fructuositatem passionis instantis, et qualiter propter eam Deus Pater totum mundum evangelicæ legi subjiceret, et cunctis propitiaretur hominibus, sicut per Zachariam Pater testatur de Christo : Auferam iniquitatem terræ illius in (Zach. III, 9.) die una, et potestas ejus a mari usque (Ibid. IX, 10.) ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.

ARTICULUS LII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : IGITUR SARAI UXOR ABRAM NON GENUERAT LIBEROS.

PROLIFICATIO Abræ consequenter describitur. *Igitur Sarai uxor Abram non genuerat sibi liberos,* imo nullam prolem hucusque, quoniam naturali sterilitate impediebatur concipere. *Sed habens ancillam Ægyptiam* natione, *nomine Agar, dixit marito suo : Ecce conclusit me Dominus ne parerem,* id est, fecunditatem uteri non contulit mihi. Opera enim naturæ, sunt opera Creatoris. Et dicitur Deus Sarai conclusisse, quia non aperiebatur uterus ejus ad fructuosam seminis susceptionem. *Ingredere ad ancillam meam,* id est, in conjugem accipe eam, et cognosce ; *si forte saltem ex illa suscipiam filios,* hoc est, quatenus Deo præstante, ipsa ex te con-

C cipiat, et proles nata ex ea, sit mea per adoptionem seu jure dominii. Refert Lyra, quod Hebræi dicant hanc Agar fuisse filiam regis Ægypti, ita quod una conjugum Pharaonis considerans sanctitatem Sarai, et qualiter propter eam Deus flagellavit Pharaonem et domum ipsius, tradidit filiam suam Sarai in ancillam, potius cupiens filiam suam servire in domo matronæ tam virtuosæ, quam honorari in domo paterna. Additque Lyra, istud non esse absonum rationi, quum in libro Esther le-

D gatur, quod multi gentilium videntes qua- (Esth. VIII, 17.) liter Deus liberavit Judæos de insidiis Aman, transtulerunt se ad legem et cærimonias Judæorum. Sed Rabbi Paulus dicit

Digitized by Google

istud de Agar esse ficticium, et quod allegatio ista ex libro Esther non probet intentum, quia gentiles illi non subjecerunt se Domino, sed ritui Judæorum. Verumtamen reor probabile, quod Agar ista erat valde proba, notabilisque puella, eo quod Sarai quæ multas habebat ancillas, dedit eam suo marito præ ceteris.

Sed circa hæc oriuntur difficultates. Primo, cur Sarai rogavit virum suum, ut duceret aliam conjugem, quum Deus jam
Gen. xv, 4 *et seq.* ante promiserit Abræ quod esset sobolem habiturus. Respondetur, quod Sarai ignoravit an promissio illa esset implenda per se, et timuit ne ex sua sterilitate frustraretur effectu, idcirco optavit eam impleri per aliam. Sed tunc rursus oritur difficultas, cur Abram acquievit precibus Sarai in isto; nam scire poterat quod promissio illa erat per Sarai adimplenda. Ad quod dicendum, quod hucusque non legitur hoc Abræ revelatum. Rabanus quoque dicit, Abram semen suum multiplicandum audierat, sed per quam feminam, nesciebat. Et quoniam primam conjugem noverat sterilem, duxit secundam, quam speravit fecundam. Præterea quæritur, qualiter licuit Abræ, ad instantiam conjugis suæ, accipere conjugem aliam, sicque inducere bigamiam, quum Lamech de bigamia reprehendatur, et naturalis lex dictet, ut unicus unicæ copuletur, nec aliquis Sanctorum ante Abram legatur ita fecisse. Ad istud Guillelmus Parisiensis respondet, quod nunquam licuit sine dispensatione divina uni viro simul habere plures uxores. Nam primæ uxori tradidit sui corporis potestatem : ideo Abram et ceteri qui plures uxores sine peccato duxerunt, quos scilicet a culpa in hoc excusare oportet, creduntur id egisse ex dispensatione divina, quam vel ipsi per occultam inspirationem aut modo alio acceperunt. Abram etiam multipliciter excusatur in facto isto, quia non movebatur libidine, nec contra uxoris primæ consensum, imo ex ejus petitione hoc fecit. Nondum quoque promulgata fuit lex evangelica de una sola

A uxore simul habenda. Qualiter vero sit de lege naturali unam habere, infra dicetur. Hinc loquitur Augustinus : Nullo modo inferendum est crimen Abræ de hac muliere. Usus quippe est ea ad generandum prolem, non ad explendum libidinem, nec insultans, sed magis obediens conjugi suæ, quæ suæ sterilitatis credidit esse solatium, si fecundum ancillæ uterum faceret suum. Ab utroque non culpæ luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Verumtamen Augustinus hanc Agar vocat Abræ
B concubinam : quod non est intelligendum, quasi non fuerit ejus legitima uxor, quum paulo post in textu habeatur oppositum ; sed quia consuetudo Scripturæ est, uxorem, præsertim minus principalem et secundariam, dicere concubinam, prout infra sæpe patebit.

Quumque ille, videlicet Abram, *acquiesceret deprecanti, tulit* ipsa Sarai *Agar Ægyptiam ancillam suam post decem annos, quam habitare cœperant in terra Chanaan,* ab egressu de Mesopotamia : nam
C infra tantum tempus poterat sterilitas Sarai satis experimentaliter cognosci ; *et dedit eam viro suo uxorem.* Et tunc erat Abram octoginta quinque annorum, quoniam septuaginta quinque annorum erat quando Deo jubente ex Mesopotamia venit ad habitandum in terra Chanaan, ut dictum est. Imo (ut fertur) Hebræi dicunt, quod decennium est tempus, infra quod maritus experiri debet de conjuge sua, an sterilis sit, et utrum propter sterilitatem ipsius accipere aliam possit. Verumtamen
D Ecclesia determinavit brevius tempus pro experientia hujus rei, videlicet tempus triennii, ut in cap. final. extra de frigid. et malef. Et dedit eam viro suo uxorem, ita quod Abram de consensu Sarai conjugis suæ, accepit Agar ancillam in conjugem per verba de præsenti, sive per modum tunc consuetum. Tamen ut patet ex dictis, ex sola uxoris auctoritate ac voluntate non licuit viro accipere conjugem aliam. *At illa,* scilicet Agar, *concepisse se videns,* id est cognoscens, seu ex tumore

Digitized by Google

ventris sui corporaliter cernens, *despexit dominam suam,* tanquam infecundam, reputans se digniorem nomine contoralis quam illam, eo quod fructum matrimonii gestaret in utero ; atque (ut aliqui dicunt) putabat promissiones divinas Abræ factas de multiplicatione et benedictione seminis sui, complendas in prole sua concepta. Prosperitas quippe interdum incitat etiam bonos ad quamdam elationem, audaciam et gloriam vanam. Idcirco humilitas in prosperis præcipue commendatur.

Dixitque Sarai ad Abram : Inique agis contra me, id est, reprehensibilis es, fovendo ancillæ meæ audaciam, seu dissimulando et non corrigendo ejus elationem qua spernit me. Et potest esse, quod Abram fuit in hoc venialiter culpabilis ex negligentia aut aliquantula sensuali affectione ad uxorem impraegnatam recenter acceptam, de cujus conceptu gaudebat, unde invite contristavit eamdem. Porro secundum Augustinum, Sarai ex quadam muliebri suspicione elationem suæ ancillæ imputavit suo marito. *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum,* id est, admonui et consensi, quod fieret uxor tua, et tibi legitime misceretur : quasi dicat, Tu es causa meæ despectionis, et reddis mihi malum pro bono. *Quæ,* scilicet ancilla, *videns quod conceperit* de te, *despectui me habet,* gerens se circa me, quasi ego sim ejus ancilla potius quam econtra. *Judicet Dominus inter me et te,* unicuique nostrum reddendo quod promeretur in istis. Hoc Sarai dixit ex quodam zelo justitiæ. *Cui respondens Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu,* id est potestate, *tua est ; utere ea ut libet,* id est, fac ei quod tibi placet. Per hoc tamen Abram non dedit Sarai licentiam affligendi injuste ancillam suam, sed sciens Sarai esse virtuosam et timoratam, commisit rem istam suæ discretioni, seque monstravit immunem ab immoderata affectione, saltem mortali, ad Agar. Circa hæc loquitur Augustinus : O virum viriliter utentem feminis, conjuge A temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter !

Affligente ergo eam Sarai, id est, dum Sarai assidue humiliaret et increparet hanc Agar, castigando ejus præsumptionem : quod Sarai juste fecit, quamvis fortassis in hoc aliquantulum interdum excesserit. Nec enim oportet Sarai a venialibus excusare. *Fugam iniit,* quia volebat ad Ægyptum reverti. *Quumque invenisset eam angelus,* non casu aut post quæsitionem reperit eam, sed invenit, id est præsentia- B liter ei occurrit, *juxta fontem aquæ in solitudine,* juxta quem fontem forsitan sedit et repausavit se Agar, atque in solitudine illa erexit cor suum ad Dominum, quum esset tribulatione et lassitudine plena, propter quod Dominus naturaliter infiniteque bonus ac pius, consolabatur eam per angelum sanctum. Qui *dixit ad eam : Agar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis?* Utrumque horum cognoverat angelus, sed interrogavit, quatenus ex qualitate responsionis ipsius Agar informaret eamdem. *Quæ* C *respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Dicunt aliqui quod Agar recessit a Sarai non solum ex quadam impatientia, sed item ex aliquanta superbia. Ideo angelus volens eam humiliare, vocavit eam ancillam Sarai : quo audito, etiam ipsa Agar humiliavit se, et conformans se verbo angelico, ipsam Sarai vocavit dominam suam, quam paulo ante contempsit velut ancillam. Nec legitur Agar respondisse ad secundum, puta quo tenderet, quia fortassis erubuit confiteri, quod a domo fi- D delis mariti virtuosæque dominæ, ad Ægyptios rediret idololatras. Vel ex vehementia suæ desolationis præscidit verba.

Dixitque ei angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius, id est, te ipsam sponte sub ea humilia, ut decet ancillam, et æquanimiter tolera quidquid Sarai fecerit tibi. Angelus iste in forma humana visibiliter apparuit Agar. Scriptura vero ista non exprimit, an ex prima angeli apparitione fuerit Agar perterrita, et an statim cognovit

Digitized by Google

quod angelus esset. Porro angeli quandoque apparent cum vultu tam igneo ac splendenti, quod prima facie grandem incutiunt eis quibus apparent, timorem; aliquando vero sic apparent, quod prima facie æstimantur homines esse. Unde mater
Judic. XIII, 6. Samsonis dixit : Vir Dei venit ad me, etc. *Et rursum : Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum.* Hoc angelus in persona Dei locutus est. Et est sensus : Ex prole quam paries, plurimi valde generabuntur per temporum successiones. *Et non numerabitur præ multitudine,* id est, posteritas filii tui erit innumerabilis hominibus præ multitudine sua. Promissio ista in Sarracenis impleta est, qui rectius Agareni quam Sarraceni essent vocandi, quia de Agar, non de Sara, sunt nati. Qui præ multitudine sua innumerabiles fuerunt et sunt; sed cognomen hoc quo Sarraceni vocantur, sibi mendaciter usurpasse censentur, quasi de principali et libera conjuge Abrahæ Sara geniti essent, se cognominantes, quum de ancilla et minus principali sint nati uxore. *Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti et paries filium.* Quod conceperat, patebat ad oculum; sed quod proles concepta exstitit filius, excessit naturalem cognitionem humanam, sed angelum non latebat. *Vocabisque nomen ejus Ismael,* id est, imponendo filio tuo nomen, vocabis eum hoc nomine. Ismael quippe interpretatur exauditio Domini ; idcirco ratio nominationis hujus subjungitur : *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam,* et orationem tuam quam in afflictione magna fudisti ad eum. Hinc in Deuteronomio
Deut. IV, 29. habetur : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde tuo quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Afflictio ista est vera cordis contritio, seu quævis punitio pro peccatis aut aliis causis inflicta, æquanimiter tolerata. Talem etenim afflictionem audit seu pie respicit Deus, non illam quæ impatienter suscipitur et invite suffertur. Fuit autem magna afflictio Agar in fuga ista.

A Circa hæc scribit Lyra, quod in Hebræo habetur, Ecce concipies, sicut et in libro Judicum de Samsone prædictum est
matri ejus : Ecce concipies. Nam idem ver- Judic. XIII, 7.
bum ponitur utrobique. Ideo dicunt Hebræi, quod Agar fuit aborsum passa, ita quod proles fuit in utero suo exstincta, et hoc forsan ex labore itineris et acerbitate mœroris, aut propter priorem ejus superbiam in dominam suam. Quumque pœnituisset, et angelo obtemperare disponeret, revivificavit Dominus prolem exstinctam.
B Quæ revivificatio vocatur conceptio. Sed Rabbi Paulus his contradicit, et dicit in Hebræo haberi : Ecce concepisti, quoniam dictio omnino similis ponitur hic et infra,
ubi Thamar testatur : De viro cujus sunt Gen. XXXVIII, 25.
hæc, concepi. Sicque, ut ait, non oportet aborsum et revivificationem confingere.

Denique hic primo legitur nomen a Deo impositum homini ante ipsius nativitatem, quod perrarum est. Sunt quoque tres alii, quibus in veteri Testamento nomen ita impositum est, scilicet Isaac, Samson et Jo-
C sias. De Isaac patet capitulo sequenti, de Ibid. XVII, 19.
Samsone in Judicum libro, de Josia in ter- Judic. XIII, 24.
tio libro Regum. In novo autem Testamen-
to sunt duo hujusmodi, videlicet Christus III Reg. XIII, 2.
et Joannes Baptista. Verumtamen nomen Luc. I, 13, 31.
Cyri regis Persarum, diu ante ejus conceptionem fuit per Isaiam prædictum, juxta
illud Isaiæ : Hæc dicit Dominus christo Is. XLV, 1.
meo Cyro. In quibus verbis nomen Cyri dicitur potius prophetatum, quam vocatum aut institutum.

Insuper, quia in aliis jam præfatis, con-
D tigit miraculum aliquod quando prædicta sunt nomina eorum a Deo, aut paulo post (in nativitate enim Isaac et Samsonis fuit miraculum, quia eorum matres naturaliter steriles erant; item quando nomen Josiæ prædictum fuit, scissum fuit altare sacrilegum, et arefactum regis impii brachium;
Jesus vero sine virili conceptus est semi- Luc. I, 34.
ne, et Joannes de sterilibus senibusque Ibid. 7.
parentibus natus), hinc aliqui dicunt, quod etiam in Ismaele contigit prætactum revivificationis miraculum, quando prædictum

Digitized by Google

est nomen ejus ab angelo. Sed contra hoc scribit Rabbi Paulus, quia vita Ismaelis fuit valde dissimilis a vita illorum jam præfatorum. Et rursus, quia miraculum istud circa Ismaelem fuisset occultum, et ita non induceret utilitatem. Præterea, quidquid sit de veritate dicti illius, reprobationes istæ prorsus infirmæ sunt. Miracula namque communiter fiunt a bonis et malis, et utrisque communia sunt secundum doctores, sicut et cetera dona gratiæ gratis datæ. Miraculum etiam istud Ismaeli impensum, fuisset in primis utile matri suæ ac sibi, deinde his ad quorum devenisset notitiam. Innumerabilia quoque miracula Dei manserunt occulta, imo plurimi Sancti absconderunt pro posse miracula sua. Et beatissimis eremitis animalia illa silvatica fuerunt assidue innocua, imo quodammodo familiaria et sæpe obsequiosa.

Hic erit ferus homo. Ismael enim fuit vir durus et satis feralis, abundans in irascibili etiam ex naturali dispositione, quemadmodum quidam ex naturali dispositione in concupiscibili magis abundant. Unde et infra habetur : Quum vidisset Sara Ismaelem ludentem cum filio suo Isaac, dixit : Ejice ancillam hanc et filium ejus. Siquidem ludus ille erat feralis. Verumtamen secundum Hieronymum in Hebræo habetur, Phara : quod interpretatur onager, atque ut alius ait, in Hebræo habetur, silvestris. Nam dictio ista Hebraica, forsitan æquivoca est ad omnia ista. Dictus est itaque Ismael onager : primo, ad insinuandum ferocitatem tam suam quam suæ posteritatis. Secundo, ad innuendum, quod habitaturus esset tam ipse quam ejus posteritas in locis deserti; specialiter quoque Ismael nemora et venationes dilexit, quoniam factus est juvenis sagittarius, ut infra habetur. *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.* Iste est hyperbolicus sermo, ad designandum quod posteri Ismaelis essent multum bellicosi et inquieti, de quibus ait Hieronymus : Sarraceni incertis sedibus vagi, incursantes omnes gentes quibus desertum ex latere jungitur, impugnantur ab omnibus; imo usque in præsens Sarraceni legem suam gladio protegunt, et universos adversarios suæ legis impugnant. *Et e regione,* id est ex opposito, *universorum fratrum suorum figet tabernacula,* id est tentoria sua, in quibus morari consueverunt Ismaelitæ in solitudine hinc inde dispersi. Vel, figent tabernacula sua, ut fieri solet in præliis, quasi parati ad resistendum adversariis suis. Porro per universos fratres suos, intelligi possunt gentes natæ ex ceteris filiis Abrahæ, vel quicumque homines Sarracenis contrariantes, qui per conformitatem naturæ, et ratione primæ originis, dicuntur eorum fratres. Circa hæc allegantur in Scholastica historia verba Methodii martyris, de generali persecutione mundo per Ismaelitas futura. Futurum est, inquit, ut exeant adhuc semel, et obtinebunt orbem terræ per octo hebdomadas annorum. In sacris locis interficient sacerdotes, et ibi cum mulieribus dormient, ac sua jumenta ad sepulcra ligabunt Sanctorum, et hoc propter malitiam Christianorum, qui tunc erunt, de quibus prædixit Paulus : In novissimis diebus erunt homines se amantes, etc.

(Gen. xxi, 10. — Galat. iv. — Gen. xxi. — II Tim. iii, 2.)

Vocavit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidisti me: id est, per aliquod nomen complexum seu incomplexum tantumdem significans, Deum vocavit. Deus enim solet cognosci et nominari per suos effectus : idcirco Deum se misericorditer intuentem, consolantem ac roborantem, femina ista vocavit hujusmodi nomine, sicut et David in Psalmo : Deus meus, misericordia mea. Quasi dicat : Tu Deus universorum, qui tam pie me adspexisti, es Deus meus, per specialem providentiam et pietatem tuam ad me. Hinc subditur ratio hujus nominis : *Dixit enim* hæc Agar : *Profecto hic vidi posteriora videntis me.*

(Ps. lviii, 18.)

Circa hoc scribit Lyra : Dicunt expositores nostri, quod angelus iste apparuit in similitudine assumpta, quasi habens faciem aversam ab Agar, ita quod vidit eum

a dorso; ideo dixit: Vidi posteriora videntis me. Circa quod dico, verum esse quod plures dicunt angelum istum apparuisse in forma humana, quod arbitror verum. Sed non videtur quod apparuit ei quasi vultum habens ab ea aversum. Non enim consueverunt angeli taliter apparere; imo in pluribus locis apparuisse leguntur vultu ad eos, quibus loquebantur, converso. Nec legi aliquem expositorem authenticum hoc dicentem. Cur igitur Agar non dixit, Vidi anteriora videntis me? Ad quod primo dici potest, quod præ claritate et majestate vultus angelici non audebat, aut forsitan vix poterat eum ab ante inspicere, nisi valde confuse; sed quum averteret angelus se ab illa, quasi volens mox disparere, respexit post eum, et vidit eum determinate a tergo. Unde in Scholastica historia legitur: Quumque loqueretur Dominus cum Agar, pertransiit in turbine. In Hebræo quoque secundum quosdam habetur: Hic vidi post videntem me, id est, post angelum a me recedentem, cum admiratione adspexi. Nec istud mirum de Agar et angelo, quum in Exodo scriptum
Exod. xxxiii, 8. sit, quod filii Israel adspiciebant tergum Moysis, donec ingrederetur tentorium. Et
Ibid. xxxiv, 30. tam Aaron quam principes Synagogæ, videntes cornutam faciem Moysis, timuerunt accedere, et recesserunt ab eo. Secundo dici potest, quod Agar sciens angelum istum in Dei persona sibi apparere ac loqui, formam humanam assumptam ab angelo seu etiam angelum taliter apparentem, vocavit posteriora Dei, tanquam effectum ipsius, multum distantem a plena Dei repræsen-
Ibid. xxxiii, 23. tatione. Nam et Moysi dixit Dominus: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

Iterum quæri potest, cur Agar vocavit eum qui loquebatur secum, Tu Deus, etc., quum sciret angelum secum loqui. Ad quod patet ex dictis responsio, quia in Dei persona angelus ei apparuit, et Dominus per angelum loquebatur ad eam. Refert hic Lyra, quod secundum quosdam Hebræos, iste est verus textus, Vidi per

A visum meum: ut sit sensus, Vidi angelum in hoc deserto, postquam vidi eum in domo Abræ, cujus angelus iste fuit visitator et custos: idcirco non fuit territa ex angeli visione, quia assueta fuit eum in Abræ domo videre. Nec mirum, quod hic atque in aliis pluribus locis veteris Testamenti littera pluribus modis ac sensibus sumitur, etiam secundum Hebræos doctores: quia Hebræi non habent grammaticam ita distinctam et dearticulatam per declinationes nominum et verborum,
B sicut Latini et Græci. Hæc Lyra. Circa quæ dico, incertum esse quod angelus ille fuit custos visitatorque Abræ. Simili enim et forsan majori apparentia dici posset, quod fuerit custos Agar, aut certe filii ejus Ismaelis, qui in utero matris habuit angelum, sicut et ceteri fetus. Nam ea quæ angelus iste dixit, magis pertinebant ad Agar et filium ejus, quam ad Abram. Deinde incertum est, quod Agar solita fuit angelum in Abræ domo videre, quia nec tantæ sanctitatis videtur fuisse, ut assidue
C cerneret sensibiliter angelum, nec putandum quod angelus Abræ ambulaverit in domo ejus visibiliter domesticis ejus. Nec certum est, quod angelus qui interdum apparuit Abræ, fuerit custos ejus, ei specialiter deputatus: nam simili ratione dici posset, quod angeli qui ceteris Prophetis et Patriarchis apparuerunt, fuerint illorum, quibus apparuerunt ac loquebantur, speciales custodes, quum tamen Daniel propheta scribat sibi Gabrielem apparuisse. Verumtamen non negatur, quin inter- *Dan.* viii, 16; ix, 21.
D dum angeli qui apparuerunt, fuerunt custodes horum quibus apparuisse leguntur.

Propterea appellavit puteum illum, qui paulo ante vocatus est fons: siquidem omnis puteus, fons est, secundum Augustinum super Joannem: *puteum Viventis et videntis me;* hoc est, puteum illum *Joann.* iv, 6. appellavit hujusmodi nomine, quod designat puteum illum esse specialiter puteum Dei, qui omnia intuetur, et essentialiter vita ac vivens est, a quo omnis vita descendit; et propter specialem ope-

Digitized by Google

rationem pietatis divinæ, exhibitam huic Agar juxta puteum istum, vocavit hunc puteum nomine isto, quum tamen omnia Dei sint, tanquam summi creatoris universalisque domini. *Ipse est inter Cades et Barad,* id est, puteus iste situs est inter duo hæc loca : quocirca scribit Hieronymus, Usque hodie puteus Agar monstratur in deserto Arabiæ inter Cades et Barad. A *Peperitque Agar Abræ filium,* postquam ad domum Abræ reversa est. *Qui vocavit nomen ejus Ismael.* Dicunt nonnulli quod Abram ex revelatione cognovit, quod angelus dixerat Agar de sui filii nomine ; ideo Abram vocavit eum nomine illo. Verumtamen Abram poterat ex relatione Agar cognoscere, quæ ei dicta erant ab angelo.

ARTICULUS LIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEXTIDECIMI INTELLECTU.

I*GITUR Sarai uxor Abram, non genuerat sibi liberos.* Quid duæ uxores Abræ spiritualiter signent, docet Apostolus ad Galatas : Scriptum est, inquiens, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera : quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Itaque per Saram principalem Abrahæ conjugem, designatur novum Testamentum, seu evangelica lex vel Ecclesia Christi. Per hoc itaque quod Sarai diu sterilis fuit, atque deinceps maritum suum rogavit, ut ancillam suam acciperet contoralem, quatenus ex ea susciperet filios : figuratum est, quod Ecclesia Christi seu novum Testamentum, tempore legis naturalis ac legis scriptæ, nondum genuit filios spirituales per fontem Baptismi et gratiam Christi. Nondum etenim fuerat propagata tunc evangelica lex, sed latebat et figurabatur in veteri lege. Ipsa quoque Ecclesia in prædestinatione erat divina, et in præscientia Dei fuerat Christo per Abraham figurato sponsata. Et ita quodammodo supplicavit Sponso cœlesti, ut ex Synagoga filios procrearet. Nam Sponsus ille, scilicet Verbum æternum, prævidit quod Ecclesia sua erat omnium hominum desideratura salutem.

Galat. IV, 22, 24.

B *At illa se concepisse videns, despexit dominam suam.* Synagoga quippe quæ erat tempore Christi, perpendens quam multos habuerat sub veteri Testamento filios spirituales, contempsit primitivam Ecclesiam, quæ veraciter erat domina Synagogæ per eminentiam gratiæ ac virtutum, imo et per ecclesiasticam potestatem, quoniam Christus commisit beatissimo Petro totum genus humanum tempore suo exsistens, specialiter quoque populum circumcisionis, sicut testatur Paulus apostolus : Qui C operatus est, inquiens, Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. *Dixitque Sarai ad Abram,* id est, primitiva Ecclesia, a Synagoga sic aspernata et injuriata, conquesta est Christo hoc ipsum zelo justitiæ, dicens : *Inique agis contra me,* id est, non æque te habes quantum ad hoc, quod ita permittis me a Synagoga incredula et superba despici et affligi ac trucidari. Non æque, inquam, respiciendo ad merita mea atque illius, quamvis alio respectu permis- D sum sit hoc justo Dei judicio. Juxta quem sensum S. Job dixit : Intelligite quia Deus non æquo judicio afflixerit me. *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum,* id est, Synagogam a te fecundari optavi. *Cui re-*

Matth. XVI, 18, 19. *Joann.* XXI, 15-17. *Galat.* II, 8. *Job* XIX, 6.

Digitized by Google

spondens Abram, videlicet Christus, *Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est,* hoc est, Synagogam tibi subjicio. Quotidie namque crevit Ecclesia merito et numero, quousque infideles Judæi Christianis subjecti sunt, in tantum quod utuntur Judæis ad libitum, a quibus tulerunt Scripturas veteris Testamenti et terram promissionis.

Affligente ergo eam Sarai, fugam iniit. Ecclesia Christi Synagogam afflixit, eamdem rationabiliter convincendo per miracula et Scripturas, ita quod Synagoga arripuit fugam, evasiones quærendo, et comparere non audens ad disputandum ac confligendum adversus Christifideles. *Quumque invenisset eam angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine,* etc. Fons aquæ in solitudine, est Scriptura derelictæ Judææ, juxta quem fontem plebs illa sedet et occupat se, intendens sensui litterali, seu
II Cor. III, 6. potius litteræ occidenti, non sensui spirituali, neque spiritui vivificanti. Ibi itaque inveniunt eam angeli sancti, qui Judæorum incredulorum custodes sunt, et suggerunt eis, ut pensent unde et quare in istas sint devoluti miserias; persuadentque eis, ut revertantur ad dominam suam, fidem Ecclesiæ amplectendo, et humilientur sub manu ipsius, obtemperando præceptis ejusdem. *Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.* Hoc in fine mundi implebitur, quando Synagoga per
Malach. IV, 5. prædicationem Enoch atque Eliæ convertetur ad Dominum. *Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti et paries filium, vocabisque nomen ejus Ismael.* Synagoga in hac sua captivitate atque miseria videtur agere aliquid boni, unum verum Deum aliquo modo colendo et invocando, et in Scripturis veteris Testamenti se occupando, aut alia opera ex suo genere bona agendo, pro quibus in hac vita suam consequitur qualemcumque retributionem, et datur ei a Deo carnalis quædam fecunditas, pro qua Deum precatur, quæ per Ismael designatur. Denique soboles hujus incredulæ Synagogæ, instar Ismaelis, crudelis est, ita quod manus ejus est contra omnes, et manus omnium contra eam. Judæi namque increduli, ex suis prædecessoribus per propagationem naturæ et imitationem malitiæ nati, non obstante omni eorum calamitate et vastitate, hominibus se præferunt universis, et omnes alias gentes earumque leges despiciunt, præsumentes se solos pertinere ad Dominum. De quibus dixit Apostolus, quod Deo non placent, et cunctis hominibus adversantur: sicque figunt I Thess. II, 15.
tabernacula sua e regione universorum fratrum suorum, quoniam ex Scripturis suis præsumunt se posse omnibus suis adversariis disputando spiritualiter prævalere.

Vocavit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidisti me. Synagoga nempe usque in præsens jactat se a Deo præcipue adspici, illuminari ac dirigi, neminemque esse in statu salutis, nisi filios suos, se quoque Deum contemplari per creaturas affirmat, dicendo: *Profecto hic vidi posteriora videntis me.* Allegorice vero per posteriora Dei, intelliguntur incarnatio, humanitas, passio, et cetera Christi mysteria, quæ Patres veteris Testamenti per fidem et prophetiæ gratiam contemplabantur. *Propterea appellavit puteum illum, puteum Viventis et videntis me.* Synagoga quippe Scripturam suam, cui nec vere credit, quam nec recte intelligit, vehementer extollit, et sapientialem ac saluberrimam esse fatetur, ita ut specialissime reputetur fons et puteus Dei omnia intuentis substantialiterque viventis. Circa quod ait sanctus doctor Hieronymus: Puteus iste significat doctrinam novæ ac veteris legis: quam doctrinam Conditor noster, vita viventium spesque morientium, intuitu propriæ miserationis dedit mortalibus, ut edocti et a vitiis correcti, digni inveniantur visione deitatis perpetua. Ad quam, ut tangit Glossa, Deum toto corde et proximos tanquam nos ipsos sinceriter diligendo, suspirare semper debemus, et festinare ad eam cum omni gratiarum actione,

Digitized by Google

contemplando assidue posteriora, hoc est præfata Christi mysteria salvatoris, utpote quæ, quanta, et qualia pro nostra salute A assumpsit, fecit, ac pertulit Unigenitus Patris æterni, sectando quoque indesinenter vestigia ejus. I *Petr.* II, 21.

ARTICULUS LIV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : POSTQUAM VERO NONAGINTA ET NOVEM ANNORUM ESSET.

QUANTUM Abram patriarcha crevit ætate, tantum crevit in beneficiis Dei et omni virtute, sicut describitur consequenter : *Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum : Ego Dominus omnipotens.* Quasi dicat : Facile mihi est adimplere quæcumque voluero, et quæ tibi promisero. Qualiter facta sit visio ista, Scriptura non exprimit : an scilicet fuerit imaginaria et in somno exhibita, an potius sensibilis et in vigilia facta. Porro ex circumstantia textus, magis videtur quod facta sit, sicut et præcedentes, per angelum in humana specie apparentem, atque in persona Dei loquentem. *Ambula coram me,* id est, secundum beneplacitum meum vive, ut conversatio tua per approbationem inspiciatur a me. Unde alia translatio habet : Complace coram me. Vel, Ambula coram me, id est, tam reverenter et timorate conversare in meo conspectu, ac si jugiter cerneres me præsentem, hoc est, ubique et semper cogita me præsentem, et omnia intuentem, et juxta exigentiam considerationis istius habe te coram me ; *et esto perfectus,* prout perfectio viatoribus competere potest : quæ perfectio potissime sita est in actu caritatis divinæ, ut scilicet Deus toto corde sinceriter diligatur, omni inordinata affectione circa creata exclusa, quatenus homo nec se ipsum, nec aliud quodcumque creatum diligat, nisi in Deo et secundum Deum. *Ponamque fœdus meum inter me et te,* id est, amicitiæ pa- B ctum et promissionem, seu recens circumcisionis mandatum ac legem, inter me et te constituam ac firmabo ; *et multiplicabo te vehementer nimis,* hoc est, valde innumerabiliter multos faciam generari ex filiis tuis : quod constat impletum in Judæis, qui descenderunt ex Abraham per Isaac ; et Idumæis, qui ex Abraham sunt per Esau nati ; et Sarracenis, qui ex eodem sunt orti per Ismaelem ; imo et aliæ plures gentes descenderunt ex Abraham, ut infra habetur. *Cecidit Abram pronus* C *in faciem,* humiliando se majestati divinæ quantum valebat, et regratiando ei ex intimo corde super beneficiis et promissis ipsius.

fatth. v,

Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum. Quasi dicat : Sicut ego sum invariabiliter et infallibiliter Veritas ipsa, qui solus plene et incircumscriptibiliter sum, sic pactum præfatum ratum erit, et tecum fixum manebit. *Erisque pater multarum gentium,* quæ post mortem tuam nascentur successive ex filiis tuis. *Nec ul-* D *tra vocabitur nomen tuum Abram,* quod interpretatur pater excelsus, et dicitur Abram ab ABBA, quod est pater, et RAM, quod interpretatur excelsus : quod nomen potest competere viro sublimi, quamvis perpauci nascantur ex eo, et cito deficiat posteritas ejus ; *sed appellaberis Abraham,* quod interpretatur pater multarum, et subauditur, gentium. Idcirco ratio hujus immutationis et novæ appellationis subjungitur : *quia patrem multarum gen-*

Digitized by Google

tium constitui te, id est, facere te decrevi patrem populorum multorum. Est etenim pater cunctorum fidelium spiritualis, quemadmodum ad Romanos et Galatas docet Apostolus. Est quoque pater carnalis multarum gentium ex suis filiis genitarum, ut tactum est, pleniusque patebit. *Regesque ex te egredientur,* non immediate, sed mediate, id est, ex posteris tuis reges nascentur: quia præfatæ gentes habuerunt ex semine suo plurimos reges; *et statuam pactum meum* jam dictum *inter me et te, et inter semen tuum post te,* id est, ordinabo atque præcipiam, ut pactum istud observetur a te et posteris tuis *in generationibus suis, fœdere sempiterno,* id est perpetua pactione seu ritu jugiter duraturo; *ut sim Deus tuus et seminis tui post te,* id est, quatenus ego qui sum omnium Deus jure creationis et universalis imperii, sim specialiter Deus tuus et posterorum tuorum fidem tuam sequentium, per specialem provisionem, pietatem et gratiam mei circa te et illos, atque per fidem et cultum, quibus a te et illis colar ac honorabor.

Rom. IV, 16, 17. *Galat.* III, 7, 8.

Circa hoc quæritur, qualiter Deus dicatur pactum istud statuisse ad Abraham et posteros ejus fœdere sempiterno, quum istud de præcepto circumcisionis intelligatur, ut paulo post in isto habetur capitulo, quod præceptum in evangelicæ legis promulgatione finem accepit. Ad hoc Augustinus respondet, quod in tali locutione, æternum, pro sæculo sumitur. Sæculum vero accipitur multis modis. Porro Thomas super quartum Sententiarum : Æternum, inquit, hic pro sæculo capitur, quod habet finem, sed finis ejus non est nobis determinatus. Vel dicendum, quod circumcisio corporalis potuit esse in fœdus æternum, quantum ad suum significatum, et quantum ad id quod ei succedit, quemadmodum fides dicitur a quibusdam semper manere ratione beatificæ visionis quæ ei succedit in patria. Hinc super illud, Fœdere sempiterno, habetur in Glossa, quia aliquid sempiternum significabat. Quid au-

A tem significaverit, mox dicetur. *Daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinationis tuæ omnem,* scilicet terram Chanaan, *in possessionem æternam.* Hic rursus æternum pro sæculo, cujus diuturnus et ignotus est finis, accipitur. Propter quod ait Augustinus : Scriptura vocat æternum, cujus finis non constituitur, aut quod ita fit, ut non sit deinceps faciendum, quantum ad facientis pertinet curam aut potestatem. Vel vocatur possessio ista æterna, secundum Glossam, quia æternum aliquid,

B utpote cœlestis patriæ habitatio, figuratur per eam. Porro, quod terra ipsa non sit ipsi Abrahæ data ad possidendum, per actualem exhibitionem, sed per certam promissionem, in suis posteris adimplendam, dictum est sæpe.

Circa hæc scribit quidam : Promissiones istæ, frequenter factæ sunt Abrahæ, semper tamen procedendo in expressiorem et majorem promissionem. Quemadmodum enim natura et ars in operibus suis procedunt de imperfecto ad perfectum, ita est

C in processu divinarum revelationum et promissionum. Ad quod dicendum, quod quamvis interdum sic sit in processu divinarum revelationum et promissionum, non tamen semper : imo frequenter est aliter, quoniam omnipotentia et libertas Altissimi nullis legibus stringitur, nullis terminis coarctatur. Unde quum Christus octo beatitudines prædicaret, primæ beatitudini summum præmium, scilicet regnum cœlorum promisit : Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est *Matth.* V, 3.

D regnum cœlorum. Imo exordium prædicationis Christi Præcursorisque sui hoc fuit : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Paulus quoque apostolus in principio suæ conversionis, statim ad tertium raptus est cœlum, et summam sortitus est revelationem. *Ibid.* IV, 17. *II Cor.* XII, 2.

Consequenter describitur, qualiter circumcisionis præceptum sit datum. *Dixit iterum Deus ad Abraham : Et tu ergo custodies,* id est, tibi præcipio ut custodias, *pactum meum,* videlicet circumcisio-

Digitized by Google

nis præceptum, *et semen tuum post te in generationibus suis,* etc. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri,* id est, circumcidi permittetis seu facietis, ita quod abscidetur extremitas illa membri virilis, *ut sit in signum fœderis inter me et vos,* id est, quatenus circumcisio ista sit in testimonium atque indicium amicabilis fœderis initi inter me et vos, utpote quod ego sum specialiter Deus vester, et vos populus meus, hoc circumcisionis signaculo tanquam charactere certo, divisus et discretus a ceteris gentibus. In his verbis tria sunt tacta, ad circumcisionem spectantia. Unum est sexus masculinus, aliud determinatio membri, tertium est causa finalis, cur fiebat circumcisio, ut scilicet per eam populus Dei a populo infideli distingueretur; quartum subjungitur, utpote determinatio temporis quo fieri debuit : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus,* id est servus in domo natus in servitute, *quam emptitius,* id est emptus seu emptione adeptus, *circumcidetur,* quia ad vestram spectat familiam ; *et quicumque fuerit de stirpe vestra* circumcidetur, quamdiu manserit in vestra familia. Aliqui textus habent: Et quicumque non fuerit de stirpe vestra. Et tunc sensus est, quod etiam alieni a vestra cognatione, circumcidendi sint, antequam in vestram societatem, legem seu ritum suscipiantur. *Eritque pactum meum in carne vestra,* id est, præceptum istud circumcisionis in corpore vestro implebitur, atque in eo apparebit signum pacti istius seu ejus effectus per amputationem pelliculæ membri præfati; *in fœdus æternum,* juxta sensum præhabitum. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo,* id est, masculus ille a numero electorum populi sui separabitur, nec computabitur inter sanctos : quod intelligendum est de masculis ad semen et familiam Abrahæ pertinentibus, quibus dumtaxat dabatur istud præceptum ; *quia pactum meum irritum fecit,* id est, præceptum istud circumcisionis violavit, si fuit adultæ ætatis, et ex negligentia aut contemptu omisit circumcisionem accipere ; vel si fuit infantulus, præceptum seu pactum meum in ipso, non ab ipso, factum est irritum, quia non est servatum in eo, et ita ex aliorum negligentia occasionaliter subsecuta est perditio talis infantis non circumcisi, nisi ei aliunde subveniatur. Circa hæc multæ et magnæ dubitationes occurrunt, quæ infra in speciali tangentur articulo.

Denique in Scholastica historia dicitur : Servus primo dictus est a servando. Victores enim victos hostes, quos reservabant ad vitam, servos vocabant. Verna autem aut vernaculus, dicitur qui nutritus est domi. Emptitius, qui in persona propria emptus est. Originarius vero, qui servus est glebæ, puta colonus.

Deinde describitur immutatio nominis Sarai. *Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Circa hæc scribit Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod Deus ex nomine suo tetragrammato, litteram HE addidit Abræ et Sarai. Nec mirandum quod quum apud Latinos et Græcos videatur *a* littera addita, littera HE addita asseratur. Hebræum etenim idioma consuevit *h* scribere, et *a* legere, sicut et econtrario, consuevit *h* pronuntiare, et *a* scribere. Errant quoque, qui dicunt mutationem nominis Saræ sic factam, quia quum prius scriberetur per duo *r*, modo scribitur per unum *r*, aut econverso. Sed quum prius diceretur Sarai, quod interpretatur princeps mea, quasi princeps unius gentis futura, dicta est † Saraa, id est princeps absolute, quasi omnium gentium princeps futura, utpote universorum spiritualis mater fidelium. Porro secundum Augustinum, Sara interpretatur virtus : et ideo sic vocata est, quia divina virtute concepit. Unde Apostolus ad Hebræos : Fide, inquit, Sara virtutem accepit, etc. *Hebr.* XI, 11. Itaque, sicut propter mysticam significationem mutavit Deus nomen Abræ,

Digitized by Google

ita et Sarai. *Et benedicam ei,* videlicet Saræ, multiplicando et perficiendo in ea dona gratiæ meæ, supernaturalem quoque fecunditatem ei præstando. *Et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum* in spiritualibus ac temporalibus, utpote Isaac. Quasi dicat : Copiosius benedicam ei, quam Ismaeli aut aliis filiis, quos post Isaac generabis. *Eritque in nationes,* id est, diversæ tribus et nationes nascentur ex eo, videlicet duodecim tribus Jacob, et Idumæi, per Jacob et Esau ; *et reges populorum nascentur ex eo,* quia tam filii Israel, quam Idumæi, habuerunt reges ex se ipsis.

Cecidit Abraham in faciem, id est, Deo humiliter se prostravit, regratiando eidem, et admirando super magnitudine misericordiæ Dei ad se ; *et risit,* non irridendo divina promissa, sed ex prætacta pia admiratione atque ex gaudio spirituali ; *dicens in corde suo,* non disceptando aut discredendo, sed applaudendo promissioni divinæ : *Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* Quasi dicat : Mirabile istud est ; et quamvis per naturam fieri nequeat, tamen cum gaudio credo, quod ego jam centenarius, ex conjuge mea Sara nonagenaria filium procreabo. Quod autem non dixit hæc, nec ea quæ consequuntur, ex incredulitate, constat ex verbis Apostoli ad Romanos, dicentis : Non consideravit corpus suum emortuum, quum fere centum esset annorum, nec emortuam vulvam Saræ. (*Rom.* IV, 19.) *Dixitque ad Dominum : Utinam Ismael vivat coram te.* Quasi dicat : Magnum reputo, si Ismael jam natus non moriatur ante tempus. De majoribus tamen promissionibus non diffido. Et possunt hæc verba ita exponi : Utinam Ismael spiritualiter vivat virtuose conversando, ne male agendo, sit spiritualiter mortuus coram te, sicut qui impie vivunt. Unde secundum Glossam dixit hoc, desiderando ut filii carnis reputarentur in semine, hoc est, ut posteri Ismaelis inter electos filios computarentur.

Et ait Deus ad Abraham : Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. Circa quod ait Hieronymus : Isaac risus interpretatur, ideo filius iste vocatus est Isaac, non de risu Saræ, sed de risu Abrahæ, qui ex gaudio hujus promissi filii risit. Nam post prænuntiationem nominis hujus legitur Sara risisse, ut patebit. (*Gen.* XVIII, 10.) *Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum,* id est, tam filio tuo Isaac quam posteris ejus, injungam observantiam hujus præcepti de circumcisione, ut servent illud in sæculum, juxta expositionem inductam ; specialiter autem ad posteros Isaac per Jacob, hoc est, ad duodecim tribus Israel, circumcisio pertinebat, ut infra dicetur. *Super Ismael quoque exaudivi te,* ita quod vivet coram me, sicut rogasti. Circa quod scribit Lyra : Ex hoc dicunt Hebræi, et verum videtur, quod Ismael finivit vitam in bono, id est in statu salutis, seu caritate. Hoc enim Abraham postulavit, dicendo : Utinam Ismael vivat coram te ! Verumtamen quidam Sanctorum aliter sentire videntur, præfataque verba multipliciter possunt exponi. In Glossa quoque habetur super verba sequentia : *Ecce benedicam ei,* in temporalibus, non promissione æterna. Sed de re ista nihil assero. Sarraceni vero dicunt Ismaelem fuisse prophetam Dei, et sanctum virum, suosque posteros docuisse cultum unius Dei, ut in Alcorano Mahometi habetur. Verum liber iste sacrilegus atque mendosus est, quamvis aliqua vera contineantur in eo. *Et augebo et multiplicabo eum valde,* in posteris suis. *Duodecim duces generabit,* id est duodecim filios qui erunt capitanei et principes duodecim tribuum suarum.

Quumque finitus esset sermo loquentis cum eo, id est, quum Deus præinducta verba terminasset, loquendo cum Abraham in subjecta creatura, videlicet per angelum in forma visibili apparentem, ut tangit Glossa, *ascendit Deus ab Abraham,* hoc est, invisibilem se præbuit, et repente disparendo, ad cœlum reversus est. Quod totum adscribitur Deo, quia angelus sic disparens, repræsentavit Dei personam.

Digitized by Google

Deinde describitur, quam prompte et indilate Abraham implevit divinum præceptum, quia eodem die quo ei ista præcepta sunt, circumcidit filium suum Ismaelem, et omnes domesticos suos atque se ipsum; in quo commendatur maxima et ferventissima obedientia ejus, quia et se ipsum circumcidit in tanta ætate. Attenditur quoque ex isto, quam laudabiliter rexit universam familiam suam, quia omnes obediebant ei in re ista tam ardua, cre- A dideruntque Abrahæ. In quo innotescit, quantæ auctoritatis fuerit apud illos. Ex quibus littera residua patet. Postremo, ex tenore hujus præcepti circumcidunt se Sarraceni. Et quoniam pater eorum Ismael tredecim erat annorum quando circumcisus est, circumcidunt pueros suos in tertiodecimo anno vitæ ipsorum. Ex quo constat, quod nec divinum in hoc observant præceptum, quoniam Deus jussit, ut infans octo dierum circumcideretur.

ARTICULUS LV

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM SEPTIMUMDECIMUM.

CIRCA præhabitum textum de circumcisione Abrahæ jussa, quæritur primo, cur Deus eam præcepit. Ad hoc Thomas super quartum Sententiarum, distinctione 1, respondet : Circumcisio primo et principaliter necessaria fuit ad expressiorem significationem. Quemadmodum enim oportuit secundum processum temporis crescere fidei explicationem, ita et sacramentalium signorum distinctionem. Porro circumcisio expresse significavit ablutionem originalis peccati : primo, quantum ad membrum generationis, per quod originale transfun- C ditur. Secundo, quantum ad pœnam quæ erat in circumcisione contra delectationem concupiscentiæ, in qua præcipue viget vis fomitis. Tertio, quantum ad sanguinis effusionem, in qua Christi passio designatur, per quam satisfaciendum erat pro originali. Et quantum ad hanc circumcisionis utilitatem, sic definitur : Circumcisio est signaculum curationis ab originali. Ex consequenti quoque fuit alia circumcisionis utilitas, puta distinctio populi fidelis ab infideli, propter fidem ejus cui circumci- D sio data est primo. Sicque Damascenus eam definiens : Circumcisio, inquit, est signum determinans seu distinguens Is- B rael a gentibus, cum quibus conversabatur. Habuit etiam circumcisio mysticam significationem. Primo, moralem, quoniam erat signum castitatis servandæ. Deinde allegoricam, quoniam significavit purgationem per Christum futuram. Tertio, quasi anagogicam, in quantum significabat depositionem corruptibilitatis carnis et sanguinis in resurrectione futura. Hinc asserit Alcuinus : Circumcisionis pactum dabatur in signum, ne misceretur semen Abrahæ gentibus; et quia significavit naturæ renovationem post Baptismum. Servos quoque vernaculos atque emptitios, imo et omnes Abrahæ domesticos præcepit Dominus circumcidi, ad innuendum quod gratia redemptionis Christi pertineret ad omnes.

Secundo quæritur, cur Deus circumcisionem instituit tempore Abrahæ, ante legem scriptam per Moysen datam. Respondetur, quod lex proprie concernit communitatem, non unam personam dumtaxat : idcirco non debuit dari, nisi populo fideli adunato. Hinc oportuit populum fidelem prius congregari, ab aliisque distingui, quam lex Dei sibi daretur. Hæc autem congregatio et distinctio per aliquod signum fieri debuit, et Deo jubente per

Digitized by Google

circumcisionis signaculum facta est : ideo ante legislationem circumcisio data est. Convenienter quoque hoc factum est tempore Abrahæ, quando genus humanum ex infectione originalis peccati usque ad profundissimum corruit vitiorum, puta ad idololatriam, et vitia contra naturam. Sicque tunc maxime indigebat remedio, et cognitione futuræ purgationis per Christum : idcirco tunc congruebat manifestam fieri promissionem de semine nascituro, in quo omnes gentes benedicerentur, et a vitiis mundarentur. Tunc etiam decuit signa castitatis dari contra corruptissimam concupiscentiam carnis. Ideo Abrahæ primo data est circumcisio in signum paternitatis, tanquam ei ex quo nasciturus erat Christus vitiorum destructor, atque in signum fidei ac distinctionis ab infidelibus, et in signum munditiæ observandæ.

Tertio quæritur, quomodo circumcisio data est in remedium contra originale peccatum, quum Abraham ante circumcisionis institutionem fuerit ab originali mundatus, eo modo quo alii boni tempore legis naturæ. Respondetur, quod quantum ad Abraham, data non fuit propter purgationem ab originali, sed quantum ad posteros ejus : imo quantum ad Abraham et circumcisos cum eo, purgatos ab originali, fuit a principio data in distinctionem ; quantum vero ad alios, principaliter in purgationem.

Quarto quæritur, quum originale peccatum sit generalis infirmitas, atque infectio omnium hominum, quare circumcisionis præceptum datum non fuit cunctis hominibus, sed Abrahæ, et domesticis ac posteris ejus solum. Respondetur, quod quum
Dan. IX, 24. Christus sit sanctus sanctorum, et universorum sanctificator ac salvator, oportuit populum illum, ex quo ipse fuerat incarnandus, multis privilegiis et prærogativis ornari, et præcipua purificatione pollere. Quoniam ergo ex semine Abrahæ incarnari elegit, ideo ei et posteris ejus, præsertim filiis Israel, præceptum hoc dedit, non solum in purgationem ab originali, sed

A etiam in distinctionem a populo infideli. Nec tamen ceteris populis defuit remedium originalis peccati. Nam illud quod fuit in lege naturæ, habebant.

Quinto quæritur, cur mulieribus non est circumcisio data, quum et ipsæ originali peccato infectæ sint, et a muliere originale peccatum habuerit ortum. Respondetur, quod originale peccatum quoad culpam atque reatum, descendit a primo parente in posteros ; sed quoad pœnalitates, a femina : quum pater sit principalis et efficiens
B causa in generatione, mater vero ministratrix materiæ. Quum ergo circumcisio data sit contra originale ad tollendum culpam, non autem ad auferendum carnis pœnas et corruptionem, constat quod masculis danda fuit, non feminis. Feminæ vero alio remedio purgabantur ab originali, videlicet fide parentum, quantum ad infantulas, seu propria fide, loquendo de adultis, ante ab ipso peccato non expurgatis. Insuper, quamvis prima ista transgressio incepit a femina, vir tamen fuit causa trans-
C fusionis originalis peccati. Nam si ipse non peccasset, originale peccatum non fuisset transfusum : idcirco secundum Apostolum, Per unum hominem peccatum in- *Rom.* V, 12.
travit in mundum.

Sexto quæritur, cur Dominus jussit, ut octavo die vitæ infantuli circumcisio fieret, et utrum determinatum tempus illud fuit de necessitate circumcisionis. Ad hæc Thomas respondet, quod circumcisio fuit res præcepta, et etiam sacramentum. Octavus itaque dies, fuit de necessitate
D circumcisionis, quantum ad obligationem præcepti : propter quod reus fuit transgressionis, qui illo die non circumcidit infantem circumcidendum. Non autem fuit determinatum tempus istud de necessitate circumcisionis, quantum ad efficaciam sacramenti : quia et alio tempore facta, habuit suum sacramentalem effectum, quemadmodum et Baptismus, quamvis aliqua ad solennitatem ejus spectantia omittantur. Præterea litteralis ratio hujus determinati temporis, fuit, secundum Rabbi Moysen,

Digitized by Google

quoniam infans septem primis diebus est A tantæ teneritudinis, sicut in utero matris: ideo ante octavum diem ferre non aut vix poterat circumcisionem. Est quoque mystica ratio, quam Magister quarto libro assignat, videlicet ad insinuandum, quod per Christi resurrectionem octavo die factam, circumcidimur a peccatis. In resurrectione quoque communi hoc die futura, per petram Christum omnis ab electis abscindetur corruptio.

Septimo quæritur, quid fiebat de parvulis ante octavum diem defunctis, et an B necessitate imminente poterat circumcisio anticipari, et dies octavus præveniri. Ad hæc quidam dixerunt, quod infantuli ante octavum diem defuncti peribant, sicut nunc pueri non baptizati, et quod non licuit tempus præveniri illud præfixum. Hanc opinionem tangit Magister, et auctoritatem Bedæ allegat pro ea, dicentis: Qui nunc in Evangelio terribiliter atque salu- ann. III, 5. briter clamat, Nisi quis renatus fuerit, etc., terribiliter dudum clamavit : Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, per- C ibit de populo suo. His verbis addit Magister : Forte tamen ingruente necessitate mortis, circumcidebant pueros suos ante octavum diem sine peccato. Porro Hugo de S. Victore ait, quod non licuit tempus anticipari, nec oportebat; quia ut dicit, illis qui moriebantur ante diem octavum valuit contra originale illud remedium quod fuit in lege naturæ : quod confirmatur, primo per Judæos hucusque viventes, qui octavum diem in circumcidendo nunquam præveniunt. Secundo, quoniam nullum D animal offerebatur Domino ante diem octavum. Tertio, quoniam super illud Pro- ov. IV, 3. verbiorum, Unigenitus eram coram matre mea, asserit Glossa, quod primus filius Reg. XII. Bethsabee non computatur, quia ante octavum diem defunctus, non fuit nominatus, nec circumcisus. Nempe in circumcisione nomen puero imponebatur, sicut nunc in Baptismo, quoniam Deus mutavit Abrahæ nomen, quando circumcisionis præceptum eidem injunxit. De his quoque qui in deserto incircumcisi diu manserunt, dicendum quod dispensatum fuit cum illis, quoniam ignorabant quando castra movenda erant; et quamdiu seorsum manebant, non oportebat eis signum distinctionis a ceteris gentibus adhiberi.

Octavo quæritur, an ante circumcisionem suffecit parvulis contra originale fides parentum, aut aliorum. Respondetur, quod originale est peccatum naturæ humanæ, quæ reparari non potuit, nisi per Christum : ideo nunquam remittebatur originale peccatum, nisi per quamdam relationem et continuationem ejus, qui curandus fuit, ad Christum : quod fiebat per fidem. Ideo fides mediatoris fuit semper efficax ad curandum ab originali : in adultis videlicet fides propria, in aliis fides aliena. Verumtamen quidam dixerunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei, facta per aliquod exterius signum : ita tamen, quod parvulis sufficiebat fides aliena cum exteriori signo ab aliis facto ; adultis autem, fides propria cum signo ab eis facto. Alii dicunt, quod pro parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo, non ipse habitus fidei, sed motus ejus relatus ad salutem pueri ex interiori quadam vi fidei, quicumque fuerit ille, qui professionem seu actum fidei suæ hoc modo referret ad puerum, quamvis hoc amplius pertinuerit ad parentes, per quos originale puer contraxerat, atque ad quos pueri cura spectabat : et istud verius reputatur, quia Gregorius dicit, Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc apud veteres egit pro parvulis sola fides, pro majoribus virtus sacrificii, pro his vero qui ex stirpe Abrahæ prodierunt, circumcisionis mysterium.

Nono quæritur, an in adultis ad remissionem originalis, requirebatur ultra fidem propriam sacrificium aut aliquid tale. Ad hoc Thomas super quartum respondet : Sacramenta et sacrificia legis naturæ non obligabant ex divino præcepto, sed celebrabantur ex voto seu beneplacito proprio, prout unicuique ratio sua dictavit,

Digitized by Google

ut fidem suam aliis profiteretur signo exteriori ad Dei honorem, secundum quod habitus caritatis inclinat ad actus exteriores. Quemadmodum ergo sufficit ad salutem interior actus caritatis, quando non adest facultas exterius operandi : sic adultis in lege naturæ sufficiebat sola interior fidei actio, quum et modo sufficiat, quando sacramenta quis dimittit non ex negligentia aut contemptu ; sed ipsa fides tempore opportuno instigabat se demonstrari aliquibus exterioribus signis : et quando hujusmodi signa adhibebantur, efficacia remissionis culpæ non erat ex illis exterioribus, sed ex fide interiori. Sicque patet, qualiter intelligenda sint præinducta verba Gregorii. Innotescit quoque ex introductis intellectus verborum Hieronymi, qui effatur : Quæri solet, quomodo feminæ salvabantur, quæ non circumcidebantur. Fide utique et hostiarum oblatione, quemadmodum ante circumcisionem viri sancti mundabantur. Unde in Actorum legitur libro : Fide purificans corda eorum. *Act.* xv, 9.

Decimo quæritur circa illud in textu, Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, quomodo verum sit illud, quum hoc contingere possit absque omni culpa infantis, nec puer ille irritum fecit pactum Dei, sed qui eum circumcidere neglexerunt. Hanc quæstionem Augustinus tangit et solvit, dicendo quod hoc ideo dictum est, quoniam omnes peccaverunt in primo parente. Alia solutio in expositione est tacta.

Postremo quæritur circa idem, an corporali morte fuerat puniendus qui circumcisionem neglexit. Ad hoc Lyra respondet, quod pater seu tutor pueri negligens puerum octavo circumcidere die, fuit morte ob hoc puniendus ; similiter puer non circumcisus, si adultam ætatem adeptus, negligeret circumcisionem accipere. Sed his contradicit Rabbi Paulus, affirmans quod circumcisionem omittens, non erat morte puniendus, etiam secundum Hebræos. Non enim hic dicitur, morte moriatur, sicut in aliis criminibus quæ lex morte punivit. Verumtamen prima responsio verior esse videtur : primo, quoniam lex peccata multo minora transgressione hujus præcepti, morte punivit, ut patet in multis, et de eo qui fuerat lapidatus, quia ligna collegit in sabbato. *Num.* xv. 32, 36. Secundo, quia Apostolus loquitur ad Hebræos : Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur. *Hebr.* x, 28. Alia multa possent de ista inquiri materia, quæ circa quartum Sententiarum, distinctione 1, potius locum habent.

ARTICULUS LVI

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMIDECIMI.

ABRAHAM (sicut præhabitum est) figura exstitit Christi. Unde promissiones quæ in isto capitulo Abrahæ factæ leguntur, et cetera hic contenta, possunt allegorice exponi de Christo, cui secundum naturam assumptam loquitur Deus Pater : *Ambula coram me,* obediendo voluntati meæ in omnibus, atque humanæ redemptionis mysteria adimplendo, *et esto perfectus.* Unde Salvator testatur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Joann.* xiv. 31. Et rursus : Opus, inquit, consummavi quod dedisti mihi ut facerem. *Ibid.* xvii. 4. Denique Christus homo, ab incarnationis exordio fuit confirmatus in bono, et in omni virtute perfectus. Idcirco quod dicitur ei, Esto

Digitized by Google

perfectus, non dicitur ei hortando ut proficiat, nisi forte quantum ad manifestationem, quemadmodum ait Evangelista : Jesus proficiebat ætate, sapientia et gratia coram Deo et hominibus, sed suæ perfectioni congratulando. *Ponamque fœdus meum inter me et te.* Hoc fœdus est fœdus summæ dilectionis et promissionis inter Patrem et Filium incarnatum : quia et Filium secundum naturam humanam assumptam Pater plus diligit quam totum mundum, cui et promisit et dedit super omnia principatum, quemadmodum Christus testatur : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; posuitque Pater fœdus evangelicæ legis in Christo, ut eam per se et suos Apostolos omnibus prædicaret. Insuper multiplicavit Christum vehementissime, totum pene mundum convertendo ad ipsum, ita quod innumerabiles genuit filios ex aqua et Spiritu Sancto.

Luc. II, 52.

Matth. XVIII, 18.

Cecidit Abram pronus in faciem, quoniam Christus homo Patri se humilians retulit grates super omni bono quod contulit sibi, et per se toti generi humano. *Erisque pater multarum gentium :* quoniam Christus est legislator, magister, rex et pontifex omnium gentium conversarum. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham.* Christus quamdiu solis prædicavit Judæis, quasi Abram dici valebat, hoc est pater excelsus Judæorum, quos instruxit et rexit : sed quum per Apostolos universis gentibus gratiam dedit conversionis, rite Abraham poterat appellari, utpote innumerabilium hominum pater ; tunc et reges ac principes, prælati ac præsules prodierunt ex Christo ubique terrarum. *Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno,* id est, evangelicam legem tibi et tuis discipulis prædicandam et observandam committam usque in finem mundi ; *ut sim Deus tuus,* in quantum homo es, *et seminis tui,* videlicet populi christiani post tuam passionem et ascensionem. *Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ.* Omnia quippe climata terræ a christiano populo inhabitata sunt et possessa per plurimos annos, quamvis interdum et diu aliqua propter sua perdiderunt peccata. *Tu ergo custodies pactum meum,* etc. *Circumcidetis carnem præputii vestri.* Hoc Christus litteraliter adimplevit, et suis fidelibus spiritualiter adimplere præcepit, quia circumcisioni fecit succedere Baptismum, in quo fit purgatio ab originali infectione. Deinde docuit et præcepit totum corpus et animam ab omni inquinamento carnis ac spiritus spiritualiter circumcidere seu mundare, ita quod *masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit,* id est, qui carnalia desideria, fœdaque opera non amputaverit a se, peribit *de populo suo. Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Per uxorem Abrahæ designatur Christi Ecclesia, quæ Sarai dici poterat quamdiu vigebat in sola Judæa, quasi tunc Christi principissa. Quum vero toto orbe diffundi cœpit, et undique promulgari ac dominari, rite vocata est Sara, id est princeps absolute, quoniam juxta Isaiæ oraculum, Gens et regnum quod non servierit ei, peribit. *Et benedicam ei.* Deus enim implevit Ecclesiam Christi omni superno charismate abundantissime. *Et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum.* Per filium istum intelligitur populus christianus, ex gentilitate per Ecclesiam primitivam conversus et spiritualiter genitus, cui ineffabilem gratiarum copiam largitus est Deus.

Luc. II, 21.

II Cor. VII, 1.

Is. LX, 12.

Cecidit Abraham in faciem, et risit, quia Christus de his cum ingenti lætitia regratiatus est Patri, *dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* Per centenarium numerum perfectio designatur ; per nonagenarium autem, imperfectio quædam. Christus ergo spiritualiter centenarius fuit, quia mente plenissime canus, et maturitate virtutum senex. Ecclesia vero comparatione ipsius imperfecta consistit. Christus itaque non diffidendo, sed divinæ promissio-

Digitized by Google

ni applaudendo hæc dicit, præsertim hæc A referendo ad tempus suæ passionis, quando nubilo afflictionum quasi senio quodam videbatur confectus, et Ecclesia ejus instar vetulæ, multiplici calamitate contabescebat, ita quod tunc pene incredibile apparebat quod totus mundus converteretur ad fidem Christi ita suspensi, et quod ipsa Ecclesia ejus tanta impleretur fecunditate, quod converteret omne genus humanum ad Crucifixum. Unde in Isaia scriptum est:
Is. LIII, 8. Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium. Quasi di- B cat : Idcirco spiritualis generatio Christi est inenarrabilis, quoniam ipse instar iniqui occisus est. *Dixitque ad Dominum : Utinam Ismael vivat coram te!* Per Ismael qui vocatur filius carnis, intelligitur carnalis populus Judæorum, pro cujus conversione Christus oravit. Cujus orationem Pater audivit, quia in primo Christi adventu et deinceps multa millia Judæorum conversa sunt. Interim quoque valde multiplicantur, et tandem in fine sæculi omnes tunc victuri, credent in Christum. Porro C filius natus ex Sara, id est populus christianus, recte vocatur Isaac, hoc est risus, quia spirituali jucunditate perfunditur, et de ejus conversione angeli sancti lætantur. Christus quoque gavisus est. Ad quem populum Deus statuit pactum suum, videlicet evangelicam legem, novumque Testamentum. *Tulit autem Abraham Ismaelem filium suum et omnes vernaculos,* etc. Per hoc figuratum est, quod Christus in sua Ecclesia universos fideles cujuscumque sint status, gradus, dignitatis aut ordinis, D spiritualiter circumcidit.

Sensus tropologicus. Nunc breviter est tangendus tropologicus hujus capituli sensus, quo per Abraham intelligitur quicumque Christifidelis, præsertim prælatus aut religiosus, cui loquitur Dominus : *Ambula coram me,* juste et timorate vivendo, atque sollicite in Dei præsentia te custodiendo, ut cum Propheta
Ps. CXVIII, 168. psallere queas : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Et esto perfectus,* juxta illud : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* V, 48. Status autem prælatorum majorum, videlicet præsulum, est status perfectionis acquisitæ; status autem religiosorum, est status perfectionis acquirendæ.

Præterea verbum istud, Ambula coram me, Nicolaus de Lyra exponit sic, id est, ac si me præsentialiter semper videres : quæ expositio Rabbi Paulo non placet, quia (ut ait) qui ambulat coram alio, non semper eum videt, sed potius qui sequitur eum. Ideo dicit quod Sancti qui fuerunt ante Christi adventum, dicuntur ambulasse coram Deo, quoniam exemplar perfectionis, videlicet Christum Deum incarnatum, habuerunt post se. Hinc David, Ezechias et *II Reg.* VII, 9. tales scribuntur coram Domino ambulasse. *IV Reg.* XX, 3. Porro Sancti novi Testamenti dicuntur Deum esse secuti, juxta illud : Qui mihi *Joann.* XII, 26. ministrat, me sequatur; quoniam exemplar perfectionis præfatum ante se habuerunt. Sed istud non videtur magni valoris, quia et justi veteris Testamenti, frequenter leguntur Deum secuti, quemadmodum in Numerorum libro Deus testatur : Servum *Num.* XIV, 24. meum Caleb, qui plenus Spiritu secutus est me, inducam in terram quam circuivit. Et idem de Josue ait Scriptura. Rursusque in libro Josue Caleb fatetur : Fra- *Josue* XIV, 8. tres mei subverterunt cor populi, et nihilo minus ego secutus sum Dominum Deum meum. Sed et S. Job : Vestigia, inquit, ejus *Job* XXIII, 11. secutus est pes meus. Et de David rege Dominus contestatur : David secutus est *III Reg.* XIV, 8. me in toto corde suo. Præterea Rabbi Paulus affirmat, quod Abraham imitator fuit perfectionis Christi : ergo et Abraham secutus est Christum. Quid enim est imitari nisi sequi? Amplius, quod etiam justis novi Testamenti conveniat coram Domino ambulare, probatur ex cantico evangelici Zachariæ, qui causam incarnationis, adventusque Christi exprimens, ait : Visitavit *Luc.* I, 68, 74, 75. et fecit redemptionem plebis suæ, ut sine timore serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso. Certumque est, quod Deo servire in sanctitate et justitia coram ipso,

Digitized by Google

aliud nihil sit quam coram ipso ambulare. A Postremo, qui ambulat coram alio, melius potest eum inspicere seu vultum ejus attendere, quam qui ambulat retro eum.

Ponamque fœdus meum inter me et te. Hoc facit Deus unicuique vere fideli, dum eum inducit ad actualem divinæ legis memoriam, et in Scripturis ei promittit vitam beatam. *Et multiplicabo te vehementer.* Hoc fit, dum Deus meritis et precibus seu prædicationibus et exemplis servorum suorum alios multos convertit. Et item, dum servo suo ferventi præstat quotidie aug- B mentum bonorum actuum copiosum. *Erisque pater multarum gentium.* Hoc præcipue competit sanctis episcopis, qui verbo et exemplo generant Christo plures filios spirituales, ita quod vehementissime crescunt meritis, spiritualique sobole. Ex quibus episcopis et prælatis reges egrediuntur, dum eorum spirituales filii, discipuli ac subditi, tantæ perfectionis consistunt, quod aliis digne præficiuntur, et se ipsos ac illos efficaciter regunt. Vel, reges uniuscujusque boni fidelis, sunt actus con- C templativi et considerationes sapientiales, per quos inferiora opera regulantur ac judicantur. Deinde Dominus præcipit unicuique Christifideli, præsertim prælato, ut pactum suum, scilicet circumcisionis præceptum, spiritualiter impleat, non unum dumtaxat membrum corporaliter circumcidendo, sed universa corporis membra et animæ vires ab omni vitiorum abusu, vel ab omni opere pravo totaliter refrenando,
Rom. VI, 19. quatenus juxta Apostolum, Exhibeamus membra nostra arma justitiæ Deo, et ser- D viamus per ea justitiæ in sanctificationem: avertamusque oculos nostros, ne videant
Eccli. XXVIII, 28. vanitatem; et aures nostras sepiamus spinis ne audiant linguam nequam; ostiumque circumstantiæ ponamus labiis nostris, ne loquamur verbum illicitum; sed et ma-
Matth. V, 29, 30. num et pedem, et quodcumque membrum nostrum nos scandalizaverit, abscidamus, non quantum ad substantiam, sed quoad usum perversum. Hoc est quod ait Aposto-
Coloss. III, 5. lus : Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Hæc est vera, spiritualis, Deoque placens et figurata circumcisio populi christiani, cujus umbra et typus fuit circumcisio illa legalis. Unde per Jeremiam Dominus dixit : Circumcidite præ- Jer. IV, 4.
putia cordium vestrorum. Paulus quoque apostolus : Nos, ait, sumus circumcisio, Philipp. III, 3
qui spiritu Deo servimus, et non in carne fiduciam habemus. Itemque : Non enim Rom. II, 28, 29.
qui in manifesto Judæus, neque quæ in carne circumcisio est, sed qui in occulto Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, et non in littera.

Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Uxor viri virtuosi, potest dici anima ejus, seu sensitiva pars animæ, aut etiam mens rationalis, quorum unumquodque fecundatur ab homine, et recte Sara vocatur, dum motibus vitiorum et passionibus dominatur, paritque filium cui Dominus benedicit, id est actum meritorium æterno præmio dignum. Denique dum Dominus per Scripturas et suos vicarios seu alios bonos viros hortatur nos ad viam perfectionis, et actus præcipuos contemplationis, non debemus diffidere aut pusillanimes esse, sed sperando in adjutorio Altissimi, Ps. XC, 1.
ardua viriliter aggredi, atque in caritatis fervore et omni puritate interna infatigabiliter crescere; nihilo minus tamen orare, ut Ismael coram Domino vivat, id est, exercitatio vitæ activæ non pereat, sed potius crescat assidue loco et tempore opportuno, ut generet duces duodecim, disponendo et cooperando ad observantiam duodecim evangelicorum Christi consiliorum. Pactum vero Dei, videlicet familiaris confœderatio, statuatur ad Isaac, id est ad apicem mentis, qui non delectatur nisi in Domino, et fertur ad optima.

Postremo Richardus : Tres, inquit, sunt circumcisiones : Una tantum in carne, alia spiritualis in vita præsenti per depositionem iniquitatum, tertia erit in corpore et spiritu, in resurrectione futura per depositionem totius corruptionis et pronitatis in malum.

Digitized by Google

ARTICULUS LVII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVIDECIMI : APPARUIT AUTEM EI DOMINUS IN CONVALLE.

SCRIPTURA consequenter narrat, A qualiter Deus nativitatem Isaac plenius prænuntiavit, et suam justitiam in impiis, suamque misericordiam in bonis ac piis monstravit. *Apparuit autem ei,* videlicet Abrahæ, *Dominus in convalle Mambre.* Circa hæc scribit Lyra : Aliter exponitur littera ista a doctoribus catholicis, et aliter ab Hebræis. Utraque tamen expositio consonat fidei. Dicunt ergo Hebræi, quod hic describitur apparitio duplex. Una ipsius Dei quum dicitur, Apparuit ei Dominus, etc. ; B alia angelorum, dum subditur, Quumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri. Doctores autem catholici asserunt hic unam visionem conscribi. Circa hoc dico, quod nec omnes doctores Hebræi dicunt hic duas apparitiones describi, nec omnes doctores catholici dicunt hic describi unam tantummodo visionem. Nempe ut recitat Rabbi Paulus, Rabbi Moyses in libro de Directione perplexorum testatur, quod hic describitur visio una, ita quod per hoc quod dictum est, Quumque elevasset oculos, C explicatur quod ante generaliter dictum fuit, Apparuit ei Dominus, utpote qualiter Dominus apparuit Abrahæ. Josephus quoque idem sentire videtur.

Præterea quidam doctores catholici senserunt hic duas apparitiones describi : unam ipsius Dei, videlicet Verbi æterni seu Unigeniti Patris, quum dicitur, Apparuit ei Dominus, quoniam ipsum Verbum æternum testatur in Joanne : Abraham exsultavit ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est. *Joann.* VIII, 56. Quod secundum doctores in hac visione peractum est. D Ait quippe Eusebius : Quum Verbum Dei primo omnium Prophetarum apparuisset Abrahæ in forma humana, vocationem gentium ei promisit. Sicque apparuit ei Dei Filius quem adoravit. Alcuinus quoque fatetur, et habetur in Glossa, quod duo viri Filium Dei comitabantur, Moyses scilicet, qui Christi adventum annuntiavit in lege, et Elias, qui secundum Christi adventum præveniet, et ejus Evangelium prædicabit : qui duo cum Christo in ejus transfiguratione sunt visi. *Matth.* XVII, 3. Sed verba ista intelligi nequeunt ita, quod duo viri fuerunt realiter Moyses et Elias, quum ex consequentibus pateat evidenter eos angelos fuisse : quod et Apostolus ad Hebræos effatur : Hospitalitatem, inquiens, nolite oblivisci ; per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. *Hebr.* XIII, 2. Et per quosdam, intelliguntur ibi Abraham et Lot, secundum omnes expositores catholicos. Hinc in Scholastica habetur historia : Duo angeli apparuerunt, in designatione duorum præconum, Moysis scilicet et Eliæ. Unde auctor illius Historiæ videtur sentire, quod tertius ibi apparens, fuit angelus in persona Filii Dei se repræsentans et loquens, quod et glossa illius Historiæ ait aperte.

Porro B. Augustinus, eorum quæ fidei sunt acutissimus et fidelissimus considerator, istud quod de apparitione Filii Dei in forma humana prædictum est, reprobat dicendo : Apparuit Deus Abrahæ ad quercum Mambre in tribus viris, quos fuisse angelos non est dubitandum, quamvis quidam existiment unum ex eis fuisse Dominum Christum, asserentes eum ante indumentum carnis fuisse visibilem, id est, ante incarnationem suam visibiliter apparuisse. Sed si ideo aliquem horum trium affirmant fuisse Christum, quia quum tres vidisset, ad unum singulariter est locutus, eumque adoravit : cur non ad-

Digitized by Google

vertunt duos ex angelis illis venisse ad Sodomam subvertendam, quum Abraham adhuc loqueretur cum uno illo, quem singulariter Dominum appellavit, et ne Sodoma subverteretur, eumdem rogavit? Alii duo a Lot suscepti sunt, et unum eorum singulariter est affatus, Dominumque vocavit, et pro sua salvatione deprecatus est illum. Scriptum est enim sequenti capitulo : Dixit Lot ad eos : Quæso, Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, etc. Multo ergo credibilius est, quod Abraham in tribus viris illis, et Lot in duobus ex eis, Dominum cognoscebant, cui per singularem numerum loquebantur, quum angelos illos esse homines arbitrabantur : in quibus tamen aliquid tantæ eminentiæ considerabant, ut non dubitarent Dominum esse in eis, sicut fuit in sanctis Prophetis; ideo alloquebantur eos quandoque pluraliter, atque interdum in eis Dominum singulariter appellabant. Hæc Augustinus.

Gen. XIX, 19.

Ex cujus etiam verbis jam elucescit, quod in exordio hujus capituli usque ibi, Quos quum vidisset, etc., non duæ visiones, sed una dumtaxat visio describatur. Etenim ait, Apparuit Deus Abrahæ ad quercum Mambre in tribus viris, etc. His consonat quod in Scholastica fertur historia : Nunquam legitur Pater apparuisse in creatura subjecta ante primum Christi adventum. Ex quo ibi innuitur, quod nec Filius ante Incarnationis mysterium visibiliter apparuit in aliqua creata similitudine sensibili ipsum immediate repræsentante. Hinc quoque Thomas super primum Sententiarum, distinctione 16, aliique quamplures determinant, quod ad Patres veteris Testamenti non sit facta visibilis missio alicujus divinæ Personæ. Verumtamen quidam dicunt, quod Augustinus istud non approbet, scilicet Patrem non apparuisse in veteri Testamento in subjecta creatura, propter id quod in Daniele legitur : Antiquus dierum sedit. In qua etiam visione Daniel protestatur se quasi Filium hominis vidisse, videlicet Christum. Sed isti imperite loqui videntur. Nam visio ista Danielis imaginaria fuit in nocte et somno ostensa, sicut ibidem plenius scripsi. In tali autem visione non proprie res ipsa, sed similitudo rei ostenditur per species in vi imaginativa formatas, ita quod res quæ apparet, non ita, sicut apparet, extra imaginationem vere realiterque consistit. Idcirco in tali apparitione non dicitur Deus seu divina apparuisse Persona in creatura subjecta, sed in similitudine repræsentativa.

Dan. VII, 9.

His præmissis, exponenda est littera. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre :* Abraham namque tunc habitavit in valle, quæ a viro nomine Mambre vocata est vallis Mambre, ut supra diffusius dictum est; *sedenti in ostio tabernaculi sui,* in quo sedebat ad circumspiciendum an videret aliquos peregrinos aut inopes pertranseuntes, quatenus eos ad suam deduceret domum, et bene tractaret : in quo patet, quam devotissima mente intentus erat hospitalitati et actibus pietatis, ita quod arbitrabatur donum Dei, si peregrinis et pauperibus curam impenderet hospitalem; *in ipso fervore diei :* ita quod nec propter solis æstum cessavit a tali occupatione tam pia, et circa meridiem specialiter circumspexit, quia tunc aptum est tempus reficiendi personas hujusmodi. His verbis descripta est visio ista in generali; consequenter in speciali describitur, utpote qualiter facta sit. *Quumque elevasset,* etc. Circa hæc scribit Lyra : Quædam glossa Hebraica dicit hic, quod Abraham voluit surgere ex reverentia apparitionis divinæ, sed Dominus dixit : Sede, tu es enim signum filiis tuis, quia futurum est ut filii tui sedeant tanquam judices in concilio, et ego stem. Quæ glossa consonat fidei nostræ, atque impleta est quando Salvator noster Deus et homo, stetit coram principibus sacerdotum, consedentibus in concilio ad ipsum dijudicandum. Nescio tamen quid intellexerit iste glossator per verba præhabita. Contingit enim interdum, Deo sic disponente, ut loquens præter propriam

Gen. XIV. 13.

intentionem verba sua sic proferat, quod consonant fidei orthodoxæ, quemadmodum in Joanne legitur Caiphas protulisse : Expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hæc Lyra. (Joann. xi, 50.)

Itaque apparuit Dominus Abrahæ per angelos, sicut subjungitur : *Quumque elevasset oculos,* ad circumspiciendum ex causa prætacta, *apparuerunt ei tres viri,* id est tres angeli in specie habituque virili, *stantes prope eum,* id est non remote ab eo. Septuaginta transtulerunt, Propter eum : quoniam propter eum venerunt, quamvis non tantum propter eum. Denique quum esset tanta devotione hospitalitati intentus, meruit pro hominibus angelos sanctos suscipere. Origenes utitur littera tali, Stantes super eum. Et dicit quod Scriptura sic loquitur, ad insinuandum præcipua merita Abrahæ, cui angeli spiritualiter propinquissimi erant, eo quod ipse vitam angelis quamplacentissimam duceret. Ait equidem Origenes: Conferamus visionem hanc Abrahæ, cum illa quæ facta est Lot. Tres angeli veniunt ad Abraham, et stant super eum. Ad Lot veniunt duo, et sedent in platea. Vide si non dispensatione Spiritus Sancti, pro meritis res geruntur. Etenim Lot longe inferior erat Abraham; alias terra et habitatio Sodomorum ei non placuisset. Veniunt ergo tres viri ad Abraham meridie, ad Lot duo de vespere. Non enim capiebat Lot magnitudinem lucis meridianæ, cujus Abraham capax fuit. Hæc Origenes. *Quos quum vidisset, cucurrit in occursum eorum :* putavit quippe quod homines peregrini essent, ideo acceleravit ad ipsos, ut ipsos ad suam deduceret mansionem, et bene reficeret eos. In quo innotescit mirabilis fervor, devotio, humilitas, pietas et liberalitas hujus beatissimi Patriarchæ.

Circa hæc quæritur, cur tres angeli simul apparuerunt. Ad hoc Sancti respondent, quod Deus altissimus, unus in essentia, et trinus in personis, misit angelos tres ad superbeatissimæ Trinitatis mysterium designandum. Unde et Abraham in

A tribus uni singulariter est locutus, unumque adoravit; propter quod cantat Ecclesia : Abraham tres vidit, et unum adoravit. Josephus vero et alii multi dicunt, quod unus angelorum illorum missus fuit annuntiare futuram Isaac conceptionem; alii duo, ut everterent Sodomam. Porro, ut recitat Lyra, Hebræi dicunt, quod isti tres angeli, fuerunt Michael, Gabriel, Raphael, atque quod Michael missus fuit ad denuntiandum de Isaac nascituro, Gabriel ad Sodomam evertendam, Raphael ad sanandum

B Abraham adhuc dolentem ex circumcisione (nam dicunt apparitionem istam contigisse tertia die post circumcisionem illius), et ad eripiendum ipsum Lot cum suis de periculo Sodomorum. Ista pro majori parte videntur incerta, an scilicet tres angeli illi, fuerunt personæ tres istæ præfatæ, et an apparitio ista contigerit tertio die post Abrahæ circumcisionem. Itemque, an unus missus fuit ad Abraham de illo dolore curandum, quia de hoc textus nil loquitur, et etiam an unus specialiter venit

C ad Sodomæ eversionem, præsertim quum sequenti capitulo duo angeli protestentur: Delebimus locum istum. Et iterum : Misit nos Dominus ut perdamus illos. (Gen. xix, 13.) Quo constat, quod ambo missi erant ad hoc. Ambo quoque admonuerunt Lot ad exeundum de Sodomis, imo cogebant eum, et apprehenderunt manum ejus et conjugis suæ, etc., et posuerunt eum extra civitatem. (Ibid. 15-17.)

Et adoravit in terra. Quidam dicunt quod adoravit omnes tres angelos adoratione duliæ, quæ impenditur rationalibus

D creaturis, quemadmodum Nathan et Bethsabee adoraverunt regem David, ut legitur tertio Regum. (III Reg. i, 16, 23.) Putavit enim quod homines essent. Alii dicunt quod unum specialiter adoravit, et quod adoravit eumdem adoratione latriæ; quod salvari potest, dicendo quod adoravit Dominum Deum in angelo. Verumtamen secundum Augustinum et Gregorium, in adoratione hac et postea ad tempus Abraham æstimavit, quod angeli isti homines essent : ideo verius creditur, quod de adoratione duliæ istud intelliga-

Digitized by Google

tur, præsertim quum sequenti capitulo Lot A legatur angelos adorasse. Verumtamen Rabbi Paulus dicit, quod intelligendum sit de adoratione latriæ, quoniam scriptum est, quod adoravit pronus in terram : quæ argumentatio non procedit, quoniam Josue (Josue v, 15.) adoravit angelum pronus in terram, et Nathan David. Joannes quoque in Apocalypsi : Cecidi, inquit, ad pedes ejus, videlicet angeli, ut adorarem eum. (Apoc. xix, 10; xxii, 8.) Quæ omnia certum est de adoratione duliæ dici.

Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, id est, si coram te placeo, et B pietatem tuam ostendis in me, *ne transeas servum tuum,* hoc est, non tam cito pertranseas me, quin primo utaris obsequio et beneficiis meis : de quibus subjungitur, *sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros.* Circa hoc quæritur, quid sibi velit iste modus loquendi, quod scilicet tribus visis, singulariter loquitur uni quem et specialiter Dominum vocat; deinde mox rursus pluraliter eos alloquitur, Lavate, inquiens, pedes vestros. Ad hoc Glossa respondet, quod Abraham Deum in C angelis sentiens, maluit Deo loqui quam angelis. Augustinus vero : Abraham, inquit, et Lot in viris illis agnoscebant Dominum, cui per singularem numerum loquebantur, quum viros illos esse homines arbitrarentur. His consonat, quod quum dixisset numero singulari, Domine ne transeas servum tuum, quum de humanis obsequiis subderet, statim pluraliter addidit, Lavate, etc. Alii dicunt, quod tres angeli sic apparuerunt, quod unus videbatur principalior inter eos, is scilicet qui ad annun- D tiandum nativitatem Isaac venerat, quem dicunt Hebræi Michaelem fuisse, ut tactum est. Ideo quamvis Abraham æstimavit quod homines essent, illum tamen principalem singulariter est affatus, arbitrans si ille acquiesceret suæ petitioni, alii quoque duo non denegarent. Et dicunt nonnulli, quod principalis ille angelus ivit in medio, scilicet inter alios duos : quia tunc dicunt consuetudinem exstitisse, quod principalis inter tres gradientes, pergebat in medio, et quod Abraham per hoc principalem illum cognoverat. Asserunt quoque, quod homines non ibant tunc calceati, neque equestres ut modo : idcirco rogaverat Abraham, quatenus pedes suos lavarent. Et quamvis probabile sit, quod angeli illi non apparuerunt calceati, incertum tamen videtur quod generaliter homines tunc incesserint non calceati; imo constat quod tempore egressionis filiorum Israel ex Ægypto, homines utebantur equis ad equitandum, et calceis ad eundum, quum de filiis Israel pro tempore illo dicatur : Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt; (Deut. xxix, 5.) atque de Pharaonis ministris : Equum et ascensorem projecit in mare. (Exod. xv, 21.) Itemque : Ingressus est eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare. (Ibid. 19.) Denique lotio competit etiam calceatis, præsertim itinerantibus.

Et requiescite sub arbore : quia delectabile est, tempore calido sub ramis arborum repausare ac refici, et contra æstum solis refrigerativum. Arbor vero hæc, quercus fuit. Nam alia translatio habet : Apparuit Deus Abrahæ ad quercum Mambre. Origenes etiam utitur littera tali, Declina ad puerum tuum, et refrigera te sub arbore. De hac arbore in Scholastica recitatur historia : Habitavit Abraham circa quercum vel terebinthum, cujus radices adhuc apparent, quam Josephus proprio nomine expressit, dicendo : Habitavit Abraham circa ilicem quæ vocatur Agyga. Arborque illa, secundum Hieronymum, usque ad tempus Theodosii Imperatoris duravit, et ex ea orta perhibetur quæ nunc est, quæ quamvis sit arida, tamen medicinalis exsistit, de qua qui tulerit secum, non se ei infundit venenum. Hæc in præfata Historia.

Ponamque buccellam panis, id est cibum et potum, quæ nomine panis in Scripturis frequenter signantur. Loquitur quoque Abraham humiliter ac modeste, per minus significans majus. *Et confortate cor vestrum,* comedendo. Ex quibus probatur, quod Abraham æstimavit eos homines esse, qui ambulando et jejunando

fatigarentur ac debilitarentur. Cor demum quandoque pro corporali parte ac membro accipitur, de quo Philosophus contestatur, quod sit primum vivens, et ultimum moriens : quod cibo et potu directe confortatur. Interdum vero accipitur cor pro mente, intellectu seu voluntate, de quo Psalmista fatetur, *Ps.* IX, 2. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : quod cibo et potu indirecte confortatur, sicut et fame nimia et corporali lassitudine debilitatur, in quantum ex bona et naturali corporis dispositione, mens magis idonea redditur ad actus intellectuales, in quibus corpus atque organicæ vires menti subserviunt. *Idcirco enim declinastis ad servum vestrum,* ut scilicet exhiberem vobis ista pietatis obsequia. Illa tamen non fuit principalis ratio quod illuc venerunt, sed Abraham dixit hoc blande loquendo, et ex quadam pia fiducia, ut moris est invitantium, ut sic magis alliceret illos.

Qui dixerunt : Fac ut locutus es. Cur statim acquieverunt Abrahæ, quum sequenti capitulo legantur duo angeli dixisse Lot eos invitanti, Nequaquam, sed in platea manebimus? Respondet Petrus Alphonsi, vir christianissimus atque doctissimus ex Judaismo conversus, quod propter reverentiam et excellentiam Abrahæ patriarchæ mox acquiescebant; Lot vero minoris fuit auctoritatis, idcirco prima facie denegabant. Ex quibus idem Petrus concludit, quod quando quis invitatur a persona multum excellenti, debet acquiescere sine renisu. *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei : Accelera, et tria sata similæ commisce.* Satum mensuram quamdam significat. Unde secundum Isidorum, satum continet modium unum cum medio. Simila vero est farina purissima. Hinc Origenes utitur littera ista : Consperge tres mensuras similaginis. *Et fac subcinericios panes* ex tanta simila sic conspersa. Nonne Abraham habebat in domo panes sufficien-

A tes? Respondendum, quod utique, sed voluit tam venerandis hospitibus recentia ac specialia proponere fercula. Idcirco in Scholastica fertur historia : Paravit eis encænia [1], id est peregrina, pretiosaque fercula. Propter quod subditur : *Ipse vero ad armentum,* id est pecorum gregem, *cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum,* id est novellum, esuique aptissimum, et in suo genere valde bonum ; *deditque puero,* id est ministro, et forsitan coquo ; nam subditur : *Qui fe-*
B *stinavit et coxit illum.* Puer ille secundum Hebræos (ut refert Lyra) Ismael fuit, cui Abraham vitulum dedit coquendum, ut ipsum ad opera hospitalitatis faceret assuetum. Sed si ista (ut dicunt Hebræi) acciderunt tertia die post Abrahæ circumcisionem, in qua Ismael tredecim erat annorum, non videtur Ismael in tantilla ætate aptus fuisse ad vituli coctionem. *Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat,* id est coqui fecerat : et sicut Scholastica dicit historia, vitulus fuit as-
C satus, forsan enim pars ejus fuit assata; *et posuit coram eis,* ita quod personaliter ministravit ad mensam. De potu nihil hic dicitur, neque exprimitur quod pedes suos laverunt, sed ex aliis datur hoc satis intelligi.

Ex prædictis patent liberalitas, fervor, pietas atque alacritas Abrahæ jam centenarii, in caritatis et misericordiæ actibus. Hinc Origenes disseruit : Considera protinus impigrum et alacrem senem. Occurrit obviam, refestinat ad domum, et dixit
D uxori, Festina, etc. Vide in omnibus quanta sit suscipientis alacritas : festinatur in omnibus, omnia perurgentur, nihil per otium geritur, Abraham currit, uxor accelerat, puer festinat, nullus piger est in domo sapientis. *Ipse vero stabat juxta eos sub arbore.* Adstabat edentibus, paratus ad ministrandum, et propter reverentiam hospitum, atque ad intuendum ne quid deesset, negligenterve fieret. Sed mirum quod

[1] Vide Cangii *Glossar.* V· Encænium.

Digitized by Google

non invitabant tantum Patriarcham ad consedendum et reficiendum cum ipsis : ad quod dici potest, quod non omnia scripta sunt, ideo quamvis non sit scriptum quod eum ad hoc invitaverint, non tamen sequitur quod non fecerunt hoc. Vel forsitan tam humiliter se gesserunt, quod non intromiserunt se de hoc, præsertim quum reficerentur gratis ut peregrini.

Quumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est Sara uxor tua ? Verisimile est quod unus eorum quæsivit hoc, sed adscribitur eis communiter, secundum quod societati aut communitati solet attribui quod convenit parti ejus. Nec ex ignorantia venit interrogatio ista, sed ut aptius veniretur ad prænuntiandum Isaac. *Ille respondit : Ecce in tabernaculo est.* Quia ex virtuoso pudore et castimonia conjugali subtraxit se a virorum præsentia. *Cui dixit* angelus ille, ut communiter dicitur, qui venerat nuntiare de Isaac nascituro : *Revertens veniam ad te tempore isto,* hoc est, eodem die anno revoluto, *vita comite.* Hoc addit, loquendo more humano, quia adhuc homo æstimabatur, et ut homines talem in loquendo observent modestiam, ne incaute asseramus nos hoc aut illud facturos in posterum, sed sub conditione, videlicet Deo volente, et si vixerimus, secundum quod Jacobus apostolus in sua docet Canonica : Ut dicatis, si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud. (Jacob. IV, i.) Itemque, ut innuat, etiam esse et vivere supernorum civium, incessabiliter dependere a Deo, quamvis certi sint se nunquam amissuros quod habent. *Et habebit filium Sara uxor tua,* infra hunc annum.

Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Qui risus, secundum Augustinum, fuit dubitationis : ideo Sara est reprehensa. Risus autem Abrahæ fuit admirationis et gaudii. Itaque Sara dubitavit, et non credidit, quia ad naturales causas respexit, propter quod subditur : *Erant autem ambo senes, provectæque ætatis.* Et senium istud fuit in Sara una causa infecunditatis. Alia fuit suæ infecunditatis ratio naturalis, qua et in juventute sua erat naturaliter infecunda seu frigida. *Et desierant Saræ fieri muliebria,* id est, menstrua amplius non fiebant in ea, ideo fuit infecunda. Et ista ratio senectutem consequebatur. Circa hoc loquitur Augustinus : Sara erat sanguine menstruo destituta, propter quod parere jam non posset, etiam si sterilis non fuisset. Porro, si femina ita sit provectioris ætatis, ut ei solita muliebria adhuc fluant, de juvene parere potest ; de seniore non potest, quamvis senior ille adhuc de adolescentula gignere possit, quemadmodum Abraham post mortem Saræ de Cetura aliquos generavit. Hæc Augustinus. *Quæ risit occulte, dicens,* quasi arguendo de impossibilitate divinæ promissionis : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est :* maritum suum ex humilitate dominum suum appellat, quod beatissimus princeps Apostolorum in prima sua commemorans Canonica, proponit mulieribus imitandum, Mulieres, inquiens, viris suis subjectæ sint, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans ; (1 Petr. III, 1, 6.) *voluptati operam dabo ?* quasi dicat, Non decet. Et verum est, quod non decuit propter voluptatem marito conjungi, sed propter prolem desuper repromissam. Præterea ex istis elicitur verbis, quod Sara jam diu a viri continuerat copula, præsertim a tempore quo naturale tempus concipiendi effluxerat.

Dixit autem Dominus ad Abraham. Per Dominum intelligitur angelus, qui ex persona Dei Abrahæ filium ex Sara promisit. *Quare risit Sara uxor tua,* ex diffidentia *dicens : Num vere paritura sum anus ?* Quasi dicat, Ego jam vetula parere non potero; respiciens ad vim ordinemque naturæ, non ad efficaciam gratiæ ac virtutis divinæ. Et in hoc erat culpabilis. Nesciebat tamen quod iste promissor angelus esset. *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Tanquam dicat : Quum Deus omnipotens sit, cui omnia non solum possibilia, sed et facilia exstant, non debuit Sara

Digitized by Google

hæc dubitare de veritate divini promissi. *Juxta condictum,* id est, sicut jam dixi, *revertar ad te,* etc. Sara dubitando et ridendo peccavit, et tamen angelus non statim increpavit eam immediate, sed primo sciscitatus est ejus maritum, cur ipsa risisset, ad innuendum quod vir caput est mulieris, ad quem pertinet uxorem dirigere, et in moribus informare, ac delinquentem corripere, ita quod culpa conjugis in ipsum redundat, nisi in prædictis juste se habeat circa illam. *Negavit Sara, dicens : Non risi.* Et in hoc more femineo auxit culpam mentiendo, seque non vere excusando. Mendacium tamen illud fuit veniale, non ex malitia, sed passione timoris, ad quem mulieres naturaliter pronæ sunt, prodiens. *Timore perterrita :* timuit quippe, quum audisset quod Dominus risum suum secretum tam cito deprehendisset. *Dominus autem : Non est, inquit, ita, sed risisti.* Circa hoc quæri potest, cur Deus Saram pro sua dubitatione, risu et diffidentia, non punivit,
Luc. I, 20. quemadmodum Zachariam. Dicunt aliqui, quod femineæ levitati pepercit, vel quia in dubitatione non exstitit pertinax, sed correpta pœnituit, confestimque credidit. Vel multum excusabilis erat, et magis quam Zacharias, quia non scivit eum qui promittebat, esse angelum Dei, neque distinctam habuit de ejus persona notitiam.

Quum ergo surrexissent inde viri, id est, angeli isti qui facta refectione, promissione et collocutione, more hominum surrexerunt a loco illo, *direxerunt oculos suos contra Sodomam,* quasi indignantes sceleratissimæ civitati, et eam adspicientes ad puniendum ; *et Abraham simul gradiebatur,* cum illis videlicet angelis, *deducens eos,* quemadmodum moris est, quod hospites multum cari sive notabiles, deducantur ad spatium aliquod. Dicuntque aliqui quod adhuc putabat angelos istos homines esse. Verumtamen puto quod ab ea hora qua unus eorum cœpit sibi prædicere de Saræ conceptu infra annum, cœpit

A conjicere aut sentire quod angeli essent. Nam et ante, idem fuit prænuntiatum per angelum, ut dictum est sæpe. *Dixitque Dominus,* utpote angelus iste principalis, qui Isaac conceptionem prædixit : *Num celare potero Abraham,* quasi diceret : Non decet ut abscondam ab eo, *quæ gesturus sum* in subversione Pentapolis, *quum futurus sit in gentem magnam atque robustissimam,* hoc est, quum sit tantus patriarcha, quod innumerabiles ex ejus posteritate nascentur, imo quum sit pater
B omnium crediturorum, *et benedicendæ sint in illo,* hoc est in Christo ex ejus semine nascituro, *omnes nationes terræ?* quæ salvantur per Christum : quæ verba sæpe exposita sunt. *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis,* videlicet Ismaeli quem nunc habet, et Isaac, aliisque quos habebit, *et domui suæ post se,* id est domesticis suis, *ut custodiant viam Domini,* id est, Dei præcepta corde custodito observent, *et faciant justitiam,* reddendo unicuique quod suum est, *et judicium,* dis-
C crete agendo, atque se ipsos ac subditos suos veraciter judicando ; *ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum,* id est, universa quæ promisit aut retulit Abrahæ, impleat per merita Abrahæ. Verumtamen merita Abrahæ non promeruerunt de condigno impletionem omnium Dei promissionum, videlicet incarnationem Filii Dei, et mundi salvationem per ipsum, sed de quodam condecenti seu congruo, quoniam fuit vir præcipue justus et magnus, imo et Dei
D amicus. Amicis autem, præsertim familiaribus et prædignis, solent revelari secreta, quemadmodum Amos propheta testatur : Non faciet Dominus verbum, nisi Amos III, 7.
revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas ; imo viri heroici et perfecti per donum sapientiæ consummatæ, efficiuntur quasi consiliarii ac secretarii Dei, ita quod Deus incerta et occulta sapientiæ suæ eis Ps. L, 8.
revelat. Talisque exstitit Abraham, qui quam perfectus fuerit in Dei amore, constat ex hoc, quod sobolem suam atque fami-

Digitized by Google

liam tam sollicite induxit ad Dei cultum. A Nam tanto quisque in Dei amore perfectior perhibetur, quanto plures ad ipsum convertit. Noverat quoque tunc Abraham, quod post multa tempora scripsit Apostolus : Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. (Tim. v, 8.)

Dixit itaque Dominus, scilicet angelus iste in Dei persona jam loquens : *Clamor,* id est clamorosa seu clamitans pravitas, *Sodomorum et Gomorrhæorum,* per quos et aliarum trium urbium habitatores tur- B pissimi intelliguntur, utpote Adamæ, Seboim et Segor, *multiplicatus est,* id est, numero et enormitate excrevit ; *et,* pro id est, *peccatum eorum,* id est multitudo iniquitatum eorum, *aggravatum est nimis :* quoniam pessima consuetudo vicit et oppressit eos totaliter ; imo ad tantam vitiorum voraginem erant prolapsi, quod de nulla turpitudine verecundabantur, ut infra dicetur. De quorum sceleribus in Ezechiele habetur : Ecce hæc fuit iniquitas (zech. xvi, ..) Sodomæ, superbia, saturitas panis, abun- C dantia, et otium ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant. Unde et Josephus : Sodomitæ, inquit, divitiis elati, hominibus contumeliam faciebant, et erant impii ad Deum, ut nequaquam recordarentur beneficiorum ipsius, aversique sunt a susceptione peregrinorum, et circa eos affectum habere destiterunt. Verumtamen speciale ac gravissimum scelus eorum, fuit vitium contra naturam, quod et specialiter dicitur clamare ad Deum, quoniam sua enormitate expetit ultionem. De quatuor D autem peccatis quæ clamant ad Deum, dictum est super illud : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. (en. iv, 10.) Denique, secundum Gregorium, peccatum cum voce, est culpa interior cum prava actione. Peccatum vero cum clamore, est culpa cum irrefrenata libertate, ut dum quis cum audacia publice peccat ad libitum. Secundum Glossam quoque, clamor iniquitatis, est evidentia publicati flagitii, quæ accusatore non eget.

Descendam, et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, annon est ita ut sciam. Jam Dominus per subjectam creaturam stetit in terra, et loquebatur cum Abraham, ac assertive recitavit scelera Sodomorum, quæ et ei certissime nota erant : quomodo ergo nunc ait, Descendam et videbo, etc. ? quasi non descendisset, nec vidisset, neque cognosceret Sodomorum facinora. Et respondendum, quod Deus in verbis his loquitur more et affectu humano propter causas condignas : primo, ut instruat judices ac ceteros universos, ne nimis faciliter credant vera esse quæ audiunt, præsertim dum magna de aliis percipiunt scelera, sed personaliter ea pro posse considerent et observent. Ideo dicit Gregorius : Mala hominum non ante credamus, quam probemus ; majoraque crimina tarde credantur, et quum veraciter agnita fuerint, citius puniantur. Secundo, ut compescat homines a præcipitanti, temerariaque prolatione sententiæ, imo antequam sententient, causam quam nesciunt, diligentissime investigent. Tertio, ad insinuandum enormitatem vitiorum Sodomiticorum, quæ adeo gravia sunt, quod Deus loquebatur modo præfato, quasi non aut vix credens, et velut admirans quod tam abominabilia scelera possent inter homines inveniri. Itaque dixit : Descendam, non locum mutando, quantum ad incircumscriptibilitatem atque invariabilem deitatis naturam, sed inferiora considerando, vel potius ostendendo me ea perpendere ; et videbo per infallibilem sapientiæ ac justitiæ meæ intuitum, utrum clamorem qui venit ad me, id est, an prædictam clamitantem iniquitatem, quæ coram me expetivit ultionem dum facta est, opere compleverint, annon est ita ut sciam, id est, ut per debitam vindictam ostendam me scire excessus illorum.

Converteruntque se inde duo angeli, *et abierunt Sodomam.* Et ita Dominus etiam per duos angelos illos descendit ad videndum vitia Sodomorum, juxta illud Grego-

Digitized by Google

rii : Ecce Dominus per angelos ad cognoscenda hominum mala descendit. *Abraham vero adhuc stabat coram Domino,* id est angelo illo principali, Dei personam repræsentante ; *et appropinquans* Domino, ut magis adspiceretur et citius exaudiretur ab eo. Ex caritate enim condoluit instanti periculo Sodomorum. Et quoniam caritas est vis unitiva, ex interiori caritatis motu seu affectione etiam corporaliter univit se Domino, appropinquando ad eum, ad ostendendum suæ caritatis affectum, tam ad ipsum Dominum quam ad proximos. *Ait : Numquid perdes justum cum impio?* quasi diceret : Non decet hoc tuam justitiam. Quocirca sciendum, quod Deus nunquam æternaliter damnat justum cum impio, sed in hac vita quandoque permittit justos occidi cum impiis. Unde per Ezechielem ad
Ezech. XXI, 4. Jerusalem ait : Occidi in te justum et impium. Quod facit propter majorem justorum mercedem, et quatenus in hac vita pro suis culpis purgentur, eorumque patientia exerceatur, et fides eorum probetur. Interdum vero eripit justos, ne cum impiis truci-
Num. XVI, 26. dentur, sicut et filios Core præservavit, ne cum suo patre absorberentur a terra. Oc-
Rom. XI, 33. culta enim et incomprehensibilia, imo et multiplicia sunt Omnipotentis judicia. Unde intelligendum est, quod Dominus non perdit temporaliter, hoc est, corporaliter non occidit, nec occidi permittit justos cum impiis, nisi propter majus bonum justorum, ita quod talis eorum perditio est copiosius lucrum ipsorum. Quidam vero referunt verbum istud ad Lot, quasi Abraham voluerit dicere : Non perdes justum Lot cum Sodomitis. Quumque satis certus esset de hoc, cœpit orare pro Sodomitis communiter. Verumtamen secundum expositores, intentio Abrahæ fuit orare pro tota Pentapoli. Audierat enim a Domino : Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum venit ad me; atque a Domino intellexit instare subversionem non Sodomæ tantum, sed et aliis quatuor urbibus ei annexis, subjectis, et in vitiis conformatis.

Itaque ait : *Si fuerint quinquaginta*
A *justi in civitate, peribunt simul ?* hoc est, delebis justos illos tam multos cum injustis ? *et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo ?* Interrogative et negative legendum est istud. Tanquam dicat : Omnino decet, ut merito quinquaginta justorum parcas toti illi communitati residuæ ; ideo subditur : *Absit a te ut hanc rem facias, et occidas justum cum impio,* id est tot justos cum impiis ceteris ; *fiatque justus sicut impius,* id est, impio assimiletur in plaga illa a tua
B justitia. *Non est hoc tuum,* hoc est, bonitatem, justitiam, et sapientiam tuam non decet, *qui judicas omnem terram,* id est cunctos habitantes in terra. *Nequaquam facies judicium hoc.* Sanctissimus iste Patriarcha ex abundantia cordis sui locutus est, et ex ferventissimo cordis sui affectu fiducialiter ista effatus est, atque præ nimia suæ pietatis compassione, quasi argumentando hæc protulit, quasi nitens convincere Deum ; et tamen omnia ista per modum orationis sunt intelligenda, ut sit
C sensus : Spero et oro quod non facies tale judicium. Verumtamen si interdum occidantur justi cum impiis, aut etiam ab impiis, non hoc derogat divinæ justitiæ, quæ ex justis et rationabilibus causis hoc efficit aut permittit : idcirco in tali occisione non fit justus ut impius, quia non ex eisdem causis uterque perimitur. Et mors temporalis uni est janua vitæ æternæ, alteri mortis perpetuæ ; uni purgatio, alteri damnationis inceptio. Præterea quidam dicunt, quod Abraham istud oravit non pro
D solis habitatoribus Sodomæ, sed simul pro eis et habitatoribus aliarum quatuor civitatum, ita quod exoravit ut Deus parceret quinque urbibus illis, si omnes pariter haberent in se quinquaginta justos. Et dicunt quod in verbis præfatis civitas et locus sumuntur pluraliter pro civitatibus illis ac locis. Sed his non videtur consonare quod sequitur.

Dixitque Dominus ad eum : Si invenero in *Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco,* id est ha-

Digitized by Google

bitatoribus totius loci illius, *propter eos,* hoc est propter merita tot justorum. Ad quod dicunt, quod nomine Sodomæ, quæ fuit metropolis regionis Pentapolis, intelliguntur reliquæ urbes ejus. Et quod Dominus ait, Dimittam omni loco, exponunt distributive pro cunctis urbibus illis. Videtur tamen textum sequendo posse dici, quod Abraham istud oravit formaliter directe et immediate pro Sodoma. Sed quod oravit pro ea, intendebat orare pro qualibet alia quatuor civitatum. Nempe si istud oravit pro quatuor urbibus simul, ergo et quod ultimo oravit, si essent ibi decem, parceretur omnibus propter decem, erit intelligendum de quinque urbibus illis, ita quod Deus pepercisset omnibus illis propter decem justos; et quod non fuerunt in omnibus illis decem justi : quod multis non videtur.

Respondit Abraham : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, id est, eadem fiducia, qua semel Dominum invocavi, et quia semel precatus sum eum, adhuc semel orabo eumdem, prosequendo meam petitionem, *quum sim pulvis et cinis,* id est, non obstante mea propria fragilitate et corruptibilitate, qua cineri pulverique assimilor. Sicque humiliando se ipsum in divinæ præsentia majestatis, exaudibilior factus est. *Quid si minus quinquaginta justis quinque fuerint,* id est, si fuerint ibi quadraginta quinque justi ? *Delebis propter quadraginta quinque universam urbem?* hoc est : Nonne parces universæ urbi propter quadraginta quinque justos ? *Et ait : Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque* justos. Deinde Abraham orando, descendit usque ad decem. Et Dominus dixit, quod parceret urbi, si essent in ea decem justi. Quo audito, Abraham cessavit orare. Vel, quia putavit quod ad minus essent ibidem decem justi. Vel, quia non audebat magis descendere, nec præsumens pro tanto populo exorare, si esset tam vitiosus quod non essent in eo saltem decem justi.

Abiit Dominus, id est, angelus in Dei persona apparens et loquens, repente disparuit, et rediit ad superna, *postquam cessavit loqui ad Abraham, et ille,* scilicet Abraham, *reversus est in locum suum.* Circa hæc scribit Lyra, quod Abraham non audebat infra novem descendere, quia considerabat quod octo personæ justæ erant in arca Noe tempore diluvii, et tamen nullus aliorum fuit salvatus propter eorum justitiam ; sed ut ex præhabitis patet, Cham unus illorum octo fuit injustus, etiam ante diluvium, et deinceps, et tamen propter sui patris justitiam fuit a diluvio præservatus. Iterum dicit : Abraham non descendit ultra decem, quoniam decem homines, et non pauciores, faciunt populum. Quod autem pro justitia minoris populi, petatur liberatio majoris populi injusti, non videtur irrationabile; sed quod pro justitia tam paucorum quod non constituunt populum, postuletur liberatio populi quinque civitatum, videtur magis extraneum : ideo Abraham non fuit ausus ultra decem descendere.

ARTICULUS LVIII

DE MYSTICIS SENSIBUS, QUÆSTIONIBUS, OBJECTIONIBUS, CONCERNENTIBUS PRÆSENS CAPITULUM OCTAVUMDECIMUM.

APPARUIT ei Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Per convallem designatur humilitas; per fervorem diei, ardens dilectio evangelicæ legis seu temporis gratiæ, de quo ait Apostolus : Dies Rom. XIII, 12.

Digitized by Google

1 Thess. v, 8. appropinquavit. Et item : Nos qui diei sumus, sobrii simus. Isaias quoque : In die,
Is. iv, 2. inquit, illo erit germen Domini, id est Filius Dei, in magnificentia et gloria. Abrahæ ergo sedenti in convalle Mambre in fervore diei, hoc est viro fideli in humilitate et fervida caritate permanenti ac fixo, Deus apparet. Talem enim virum Dominus copiose illustrat, et radio contemplationis perfundit, atque ad mysticæ theologiæ sacratissimas visiones perducit eumdem, ipsum frequenter præveniendo, validius inflammando, et intra se rapiendo. Porro ostium tabernaculi est fides Ecclesiæ, in qua sedere oportet, seu Christus homo qui
Joann. x, 7. contestatur : Ego sum ostium ovium.

Quumque elevasset oculos, id est, interiorem visum, tam speculativum quam practicum, elevaverit vir talis ad Dominum, ut eum honoret, non solum credendo et contemplando, sed et præcepta atque consilia adimplendo; *apparuerunt ei tres viri,* id est, ad superbeatissimæ Trinitatis intuitionem amorosam ac radiosam perducitur, cui occurrit per fidem, desiderans perduci ad patriam, ut quam per fidem nunc intuetur, ibi per speciem beatifice contempletur; adoratque eam, sciens quod unaquæque divina Persona sit verus Deus. In tribus quoque Personis unitatem essentiæ ac deitatis adorando, colit ac admiratur, et ait : *Domine:* tres enim supersanctæ Personæ, sunt unus Deus, unusque Dominus; *si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum,* id est, non cito te subtrahas contemplationi animæ meæ, sed fac me tibi perseveranter intentum, et per profectum assiduum requiesce in me; *sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros.* Per pedes summæ Trinitatis, intelliguntur fideles, qui Deum per fidem portant in se. Orat ergo vir bonus, ut Deus Trinitas suos purget fideles per aquas contritionis et sapientiæ salutaris. *Et requiescite sub arbore.* Arbor est homo seu ejus voluntas, sive crux Christi. Oramus ergo, ut Deus in nostra voluntate dignetur pie per caritatem morari, et eos qui Christi

A passionem in jugi habent memoria, inhabitare. *Ponamque buccellam panis,* id est, Hostiam sacram altaris proponam et sumam, *et confortate cor vestrum,* id est, mecum cœnare ac deliciari digneris, qui protestaris, Deliciæ meæ esse cum filiis Prov. viii, 31.
hominum. Itemque, Si quis aperuerit mihi, cœnabo cum illo. Huic petitioni liben- Apoc. iii, 20.
ter Dominus acquiescit, *Fac,* inquiens, *ut locutus es.*

Festinavit Abraham in tabernaculum, id est, vir christifidelis ad Ecclesiæ suffra-
B gia properat, et ait *ad Saram,* hoc est ad propriam mentem fecundam : *Accelera, et tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* Tria sata similæ sunt, fides, spes, caritas, per quas Dominus nobis mensurat aliarum incrementa virtutum, et retributionem beatam in patria. Quanto enim in his tribus virtutibus magis proficimus, tanto majora aliarum gratiarum charismata, abundantioremque gloriam in cœlis a Deo participamus. Porro simila, est purissima Christi humanitas, seu dei-
C tatis suæ immensa sinceritas. Itaque tria sata commiscere, est harum trium virtutum actus et opera contemperare, ut ex caritate credamus atque speremus; ex fide quoque et spe diligamus; ex fide item speremus, et sperando credamus. Caritas quippe omnium virtutum est forma et vertex, sine qua fides et spes exstant informes ac mortuæ. Sed et fides est omnium fundamentum virtutum, et oculus caritatis. Oportet etiam omnia fieri in spe. Ex hac ergo horum trium satorum commixtione
D et consideratione humanitatis, deitatisque Christi, per aquas devotionis et lacrimas contritionis, fiunt subcinericii panes, hoc est humiles refectiones atque abscondita fercula mentis, quæ igne caritatis coquuntur. *Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero, qui festinavit et coxit illum.* Per armentum designatur quæcumque particularis Ecclesia seu congregatio vere devota, in qua oves et pecora Christi sunt et pascuntur. Vitulus autem te-

Digitized by Google

nerrimus et optimus, est vir virtuosus, qui A Deo se obtulit, et propter Deum quotidie se ipsum mortificat. Christifidelis igitur pensans sibi non sufficere propria merita, talem virum assumit, ut ejus orationibus meritisque juvetur, quem dat puero ut coquat illum, dum eum committit alicui ad exercitandum. *Tulit quoque butyrum,* hoc est spiritualem pinguedinem et contemplationis dulcorem ; unde cantamus : (s. LXII, 6.) Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea ; *et lac,* id est christianæ simplicitatis infantiam et innocentiam infantilem, B de qua princeps Apostolorum hortatur : (Petr. II, 2.) Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.

Hæc omnia ponit coram Deo, ut per ea misericordiam consequatur, et aliis valeat subvenire : quæ quum comederit Dominus, id est, grata habuerit, promittit homini tali et conjugi, id est menti seu animæ ejus, inopinatam fecunditatem, ita ut vix credat, admirandoque rideat, præsertim dum vires naturæ sibi cernit deficere. Sed hoc redarguit Dominus, hortans ut vir- C tuti suæ gratiæ innitatur, per quam omnia (Philipp. 13.) potest, juxta illud Apostoli : Omnia possum in eo qui me confortat. Insuper viro hujusmodi tam fideli ac divino, revelat Deus futura Sodomitarum mollium ac luxuriosorum tormenta, pro quibus nihilo minus orat talis vir. Amplius, ut tactum est præcedenti articulo, communiter dicitur quod in apparitione trium angelorum, superdignissimæ Trinitatis mysterium sit ostensum ; et quod Abraham vidit tunc diem Christi, hoc est, spiritualiter cogno- D vit ejus adventum, et mundi redemptionem per ipsum fiendam. Potest etiam dici, quod Abraham vidit diem Christi, (ann. VIII,) quando promissum est ei : In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.

Insuper ad litteram ex isto capitulo, sancti Patriarchæ hujus exemplo valde commendantur nobis opera pietatis et hospitalitas pia, et ea exercere docemur toto cordis affectu, omni exclusa cupiditate, acedia, ac cura superflua, sanctique Abrahæ alacritatem sectari, humilitatem amplecti, fervore accendi, peccantibus ac pereuntibus condolere, atque pro ipsis cum omni instantia ardentissimo corde orare.

(Quæstiones septem.) Postremo, circa capitulum istud quæstiones nascuntur. Primo, an angeli sint materiales. Secundo, si non, qualiter assumant corpora, in quibus apparent. Tertio, an in corporibus illis assumptis vere manducent, et quid fiat de cibo quem sumunt. Quarto, an videant per oculos, audiantque per aures corporum quæ assumunt. Quinto, quomodo dixit Deus Abrahæ, velle se parcere populo Sodomorum, si inveniret decem justos in eo, quum dicat per Ezechielem, quod Daniel, Noe, et (Ezech. XIV, 20.) Job, filium et filiam non liberarent. Sexto, an Dominus pepercisset populo Sodomitico propter pauciores justos, quam decem, si Abraham id orasset. Septimo, an talis ignoscentia fuisset indecens sive extranea.

Ad primum breviter respondendum, quod sicut de hoc fuerunt diversæ opiniones inter philosophos, ita et inter theologos. Avicebron enim in libro Fontis vitæ, et multi Platonici, posuerunt ad minus spiritualem materiam in intellectualibus substantiis universis, quod et Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica sentire videtur : imo Porphyrius, Apuleius, et alii quidam Platonici dixerunt, dæmones aerea corpora naturaliter sibi unita habere. Peripatetici vero dixerunt, intelligentias, quos angelos appellamus, esse immateriales et incorporales, propter quod vocabant eos substantias separatas. Sic et quidam theologi videntur posuisse ad minus spiritualem materiam, vel aerea quædam corpora in præfatis substantiis, scilicet Augustinus, ut Magister libro secundo allegat. Origenes quoque in libris Periarchon disseruit : Solius Dei est, Patris et Filii et Spiritus Sancti naturæ id proprium est, ut sine omni materiali substantia et materialis adjectionis societate subsistat. Sed et Damascenus ait libro secundo : Solus Deus essentialiter immaterialis, incor-

Digitized by Google

poreusque consistit. Bernardus item super Cantica scribit : Demus soli Deo immortalitatem, sicut et incorporcitatem, cujus natura sola, nec propter se, nec propter aliud solatio indiget instrumenti corporei. Liquet autem, omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio. Alii vero theologi dicunt, quod angeli et dæmones sunt in propria natura simplices formæ et actus in se subsistentes. Unde divinus Dionysius, de Divinis nominibus, protestatur quod immateriales et incorporales exsistant, quod item de angelis in libro de Cœlesti hierarchia frequenter insinuat. Et istud probabilius reputatur, quod etiam Thomas, Albertus et Ægidius assequuntur. Quum enim ex operatione agnoscatur substantia, et própria angelorum operatio sit intellectualis, non dependens a corpore, nec indigens eo, non videntur in sua natura communionem seu conjunctionem habere materiæ. Denique si habent corpus sive materiam, ergo compositi sunt ex forma atque materia. Quæretur ergo de forma ista quæ est pars eorum, an et ipsa composita sit ex forma et materia. Si dicatur, quod sic, quæretur ulterius et procedetur in infinitum, eruntque in eodem plures materiæ. Si autem dicatur, quod non, sequitur quod non solus Deus sit prorsus immaterialis, et item quod aliqua forma creata sit immaterialis, et simili ratione concedendum videtur, quod angelus sit immaterialis. Verumtamen quæstio hæc locum habet circa secundum Sententiarum. Et plurima dici possent de ea, de quibus pertranseo, ista non nisi cursorie tangens.

Ad secundum quidam dixerunt, angelos nunquam assumere corpora, sed eos tantummodo apparuisse secundum imaginariam visionem, in qua res quæ apparet, non est vere ad extra, sed in interiori imaginatione et visu videntis. Hoc autem salvari non potest, quia Scriptura frequenter testatur angelos sic apparuisse, quod vere extra præsentes fuerunt, atque realia opera exercuerunt; quod in præsenti ac sequenti capitulis apertissime constat : id- A circo dicendum, quod interdum assumunt corpora, et frequenter corpora aerea, quæ ad libitum suum possunt consolidare et figurare. Hinc ait Gregorius : Abraham angelos non potuisset videre, hospitio suscipere, eisque cibum apponere, nisi corpus ex aere assumpsissent. Non enim apparerent, et cibos acciperent, nisi solidum corpus ex elemento haberent.

Ad tertium respondetur, quod manducare et bibere non convenit angelis, proprie atque univoce cum hominibus et ce- B teris animantibus : quia non habent vim vegetativam ac nutritivam, nec cibus et potus quem sumunt, in eorum substantiam exstat vertibilis; sed quantum ad hoc dicuntur manducare ac bibere, quod cibum ac potum insumunt, ac intus trajiciunt. De quo cibo et potu asserit Augustinus, quod sicut humor a solis calore consumitur, nec tamen in eum convertitur, ita de tali cibo et potu sit sentiendum.

Ad quartum dicendum secundum Thomam et alios multos, quod angeli non C uniuntur corporibus quæ assumunt, ut formæ, sed solummodo ut motores, nec habent in se sensitivas potentias : idcirco non vident per oculos, nec audiunt per aures corporum assumptorum, nec per ea sentiunt aliquid, nec corpora ista vivunt.

Ad quintum dicendum, quod Deus interdum agit secundum rigorem suæ justitiæ, unicuique dando quod meruit, nec uni propter alterius merita propitiando. Sicque per Ezechielem loquitur : Terra quum *Ezech.* XIV
peccaverit, interficiam de ea hominem et 13, 14.
D jumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas, filium autem et filiam non liberabunt. Interdum vero Deus omnipotens agit clementius, parcendo uni propter preces et merita alterius, sicque locutus est Abrahæ. Quemadmodum autem misericordia Dei, ita et justitia ejus diversos habet effectus. Et ipse incomprehensibilis Deus juxta ordinem sapientiæ suæ immensæ omnia operatur irreprehensibiliter atque liberrime,

Digitized by Google

quum ipse sit prima mensura et summa A causa universæ justitiæ ac virtutis.

Ad sextum dicendum, quod de hoc certitudo haberi non potest, nisi ex revelatione divina. Posset tamen argui, quod Deus pepercisset Sodomitis propter justos pauciores quam decem, quoniam per Jeremiam ipse Dominus ait : Circuite vias Jerusalem, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quærentem fidem, et propitius ero eis, scilicet habitatoribus Jerusalem. Circa hoc scribit Hieronymus : Grandis amor justi- B tiæ, ut non pro decem justis, sicut olim ad Abraham dixit, liberet civitatem, sed si invenerit unum justum in Jerusalem, misereatur civitatis. Præterea per Ezechielem fatetur : Quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni, et effudi indignationem meam super eos. Ad ista dicendum sicut prætactum est, quod divina justitia diversis modis agit in peccatoribus, nunc rigorosius, nuncque clementius. Quid tamen cum Sodomitis egisset, si Abraham orasset, ut parceretur eis pro paucioribus justis quam decem, non constat, quum hoc dependeat ex divina voluntate, quæ in tantum innotescit hominibus, quantum per revelationem et per Scripturas manifestatur. Qualiter vero præinducta Jeremiæ Ezechielisque verba sint intelligenda, super eosdem Prophetas plenius scripsi.

(Jer. v, 1.) (Ezech. xxii, 30.)

Ad septimum breviter respondetur, quod quidquid Deus essentialiter bonus, justus, sanctus ac sapiens facit, eo ipso quod ipse hoc facit, bonum ac decens est : quia ut in libro Sapientiæ scribitur, Virtus ejus justitiæ initium est. Qui etiam ait : An non licet mihi, quod volo, facere ? (Sap. xii, 16.) (Matth. xx, 15.)

ARTICULUS LIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : VENERUNTQUE DUO ANGELI SODOMAM VESPERE.

SUBVERSIO Sodomæ et urbium ei sub- C ditarum consequenter describitur. Multa autem quæ circa expositionem hujus capituli dici possent, dicta sunt in expositione præcedentis capituli. *Veneruntque duo angeli Sodomam vespere.* Secundum expositores communiter, isti fuerunt angeli boni, et duo ex tribus qui Abrahæ apparuerunt. Verumtamen in Scholastica historia dicitur, quod secundum quosdam fuerunt alii angeli, utpote mali, secundum quosdam qui aiunt, quod angeli boni non puniunt homines : cujus contrarium con- D stat ex hoc, quod angelus Dei bonus percussit centum octoginta quinque millia hominum in castris Assyriorum. Similiter angelus bonus percussit primogenita Ægyptiorum. *Sedente Lot in foribus civitatis,* ad videndum an videret peregrinos aut pauperes, quibus hospitalitatem impenderet, quam ab Abraham didicit, et frequentavit.

(IV Reg. xix, 35.) (Exod. xii, 29.)

Qui quum vidisset eos, surrexit et ivit obviam eis, ut eos ad domum suam perduceret, et bene tractaret ; *adoravitque* eos *pronus in terram* adoratione duliæ. Apparuerunt etenim ei in forma honorabili ac humana, quasi homines multum divini. *Et dixit : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri,* scilicet mei servi vestri, *et manete ibi. Lavate pedes vestros,* id est, permittite ut laventur in domo mea ; *et mane proficiscemini in viam vestram.* Et ex omnibus his innotescunt magna pietas, devotio, humilitas, et liberalitas Lot, sicut de Abraham dictum est. *Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus.* Quomodo verum est hoc, quum

Digitized by Google

paulo post ingressi sint domum Lot? Et respondendum, quod dixerunt hoc non simpliciter asserendo, sed more eorum qui invitantur, qui ex curialitate ad tempus non acquiescunt et dicunt se non venire, utpote non tam cito, seu quantum in ipsis est. Cur autem non acquieverunt primæ invitationi Lot, quemadmodum Abrahæ, dictum est in expositione capituli præcedentis. *Compulit illos oppido,* id est valde, non quod proprie loquendo eos coegerit aut invitos adduxerit, quod nec decuit, nec sibi possibile fuit, sed compulit, id est, per modum quodammodo compellentis opportune et importune ac instantissime eos rogavit, ita quod per caritatem videbatur vincere eos. *Ingressisque domum fecit convivium :* quia putavit quod homines essent. *Coxit azyma,* id est panes non fermentatos, qui celeriter fieri poterant, voluitque hospites tantos recenti ac delicato reficere pane.

Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum illius a puero usque ad senem. Alia littera habet, Ab infante usque ad senem : sicque intelligendum est exclusive, quod dicitur, Ab infante seu puero. Porro, si pueri appellentur omnes qui infra vicesimum annum sunt, sic verisimile quod multi pueri inter illos fuerunt. Quidam dicunt istud intelligendum per modum locutionis hyperbolicæ seu emphaticæ, quia non apparet probabile, quod totus populus Sodomæ confluxerit ad ipsius Lot domum. Sed huic videtur contrariari quod subditur : *omnis populus simul.* Ideo aliqui dicunt, quod omnes omnino fuerunt ibi, et quod Deus idcirco permisit sic fieri, ut pateret quod omnes habitatores Sodomæ præter Lot fuerunt injusti : et ita sciretur quod Deus complevit, sicut ad Abraham dixerat; quoniam non punivit Sodomitas, donec per angelos suos fuit repertum, omnes communicare in crimine. *Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei : Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte,* id est de vespere? Ex quo constat, quod aliqui Sodomitæ viderunt angelos

A istos. Et quia in specie juvenili ac pulchra apparuerunt, idcirco qui eos viderunt, nuntiaverunt mox aliis, et magis incitati fuerunt furore libidinis. *Educ illos huc, ut cognoscamus eos.* Ex hoc patet inverecunda, usitata et vitiosissima turpitudo illorum. *Egressus ad eos Lot,* ut inter eos stans efficacius persuaderet eis, *post tergum occludens ostium,* ne vitiosi illi domum suam impetuose intrarent, et hospites suos quos homines esse putavit, invaderent, *ait : Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.* Fratres eos vocavit, ex communione habitationis civilis, et propter conformitatem naturæ. Mansuete quoque et amorose eos alloquebatur, ut citius flecterentur. *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum : educam eas ad vos, abutimini eis,* tamen in membro seu vasculo ad hoc naturaliter instituto, *sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil faciatis mali, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei,* hoc est, domum meam ingressi sunt, ut ibi protegantur sub tecto meo, quum naturale sit hospitanti hospitatos defendere. *At illi dixerunt : Recede illuc,* id est, discede a nobis, et redi ad hospites tuos, ut educas eos ad nos. *Et rursus : Ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices?* hoc est, venisti huc inter nos commorari tanquam extraneus, et non ut judex noster, ita ut audeas nos increpare, et nostra opera reprobare. *Te ergo ipsum magis quam hos affligemus,* nisi acquieveris nobis in eductione illorum. *Vimque faciebant Lot vehementissime,* hoc est, violentissime eum tractaverunt, forsitan impellendo, trudendo, trahendo.

Circa hæc quæritur, an Lot peccavit, dicendo : Habeo duas filias, educam eas ad vos, etc. Et apparet, quod non, quia dixit hoc pia intentione, ut scilicet impios illos a gravissimis revocaret sceleribus, et hospites suos ab intolerabilibus ignominiis liberaret, et etiam quia non legitur increpatus de isto ab angelis, imo tanquam justus, salvatus est de pereuntium plaga.

Digitized by Google

Oppositum tamen videtur, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, nec debet quis facere contra præceptum, ut a peccatis eruat alium, præsertim quum dicat [Luc. ix, 25.] Salvator : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat? Circa hujus solutionem pensanda sunt verba Augustini, dicentis : Utrum admittenda sit compensatio flagitiorum, vel quorumlibet vitiorum, ita ut faciamus mala minora, ne fiant graviora, merito quæritur. Ad quod idem sanctus Doctor respondet : Periculosissime compensatio ista admittitur, et quod dixit Lot, non consilio sed perturbationi est attribuendum, quæ mentis perturbatio nullo modo est imitanda. Hinc communiter dicitur, quod Lot ita loquendo, peccavit non venialiter tantum, imo mortaliter, consentiendo in stupra filiarum suarum. Excusatur tamen a tanto, quia ex perturbatione sic corruit, et ex piis quodammodo causis jam tactis, fuerat motus. Si autem dicatur, quod protulit verba illa non ex animo, neque intentione prostituendi filias suas illis, sed solum animo revocandi eos a scelerato proposito : quoniam probabiliter noverat quod non curarent de filiabus suis, neque appeterent eas quas videbant quotidie, nec appetebant, excusari posset a culpa saltem mortali. Est autem inter duo mala minus malum eligendum, ita ut quis faciat levius, ne committat gravius. Verumtamen nemo ita perplexus est, ut malum culpæ nequaquam queat vitare, alioqui culpa non esset culpa. Ex præhabitis quoque patet, in quantam criminum profunditatem corruerint Sodomitæ. Unde loquitur Augustinus : Stupra in masculos tanta consuetudine convaluerant apud illos, quantam licentiam aliorum factorum solent præbere leges; atque ut alibi ait : Tantum excæcavit eos pravissima consuetudo, ut magis reprehenderetur ab eis reprehensor flagitiositatis, quam factor.

Jamque prope erat ut Sodomitæ *effringerent fores* domus ipsius Lot. *Et ecce miserunt manum viri,* id est, angeli manum

A exposuerunt, *et introduxerunt ad se Lot in domum* : quod tamen unus eorum forsitan fecit, quod et facillimum fuit angelicæ potestati ; *clauseruntque ostium, et eos qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum,* non omnimoda cæcitate, sed tali, quod non videbant distincte et cum discretione seu notitia id quod quærebant, et cernere cupiebant : quæ cæcitas appellatur *acrisia,* ab α, quod est sine, et κρίσις, quod est visio sive judicium : qua percussi fuerunt qui [IV *Reg.* vi, 18.] B Eliseum quærebant, et duo discipuli qui ibant cum Jesu in Emmaus. [*Luc.* xxiv, 16.] Hinc in Sapientiæ libro scriptum est : Percussi sunt [*Sap.* xix, 16.] autem cæcitate, sicut illi in foribus justi, quum subitaneis cooperti essent tenebris : unusquisque transitum ostii sui quærebat. De hac cæcitate, vel potius semicæcitate, beatus Augustinus effatur : Quum aliquid videtur ab alio, a quo alia quæ adsunt, non videntur, Græce acrisia dicitur, quod nostri interpretes Latine dicere non valentes, in libro Geneseos cæcitatem interpretati C sunt, ubi de Sodomitis conscribitur. His verbis in Scholastica historia additur : Forte hoc modo quandoque quærimus, quod in manu tenemus. Verumtamen hoc alio modo potest accidere, utpote ex intensa imaginatione et occupatione circa alia, aut certe ex distractione et inadvertentia. Sic ergo percusserunt omnes illos hac cæcitate, *ita ut ostium invenire non possent,* hoc est, januam domus Lot, non valebant determinate cognoscere, seu ab aliis discernere januis, quamvis illam confuse vi- D derunt; quemadmodum Syri viderunt personam Elisei, et duo discipuli Dominum Jesum, sed absque distincta notitia. Viderunt quippe quod homines essent, sed non cognoscebant distincte eorum personas.

Dixerunt autem ad Lot: Habes hic, id est in urbe seu domo hac, *quempiam tuorum, generum, aut filios, aut filias? Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac; delebimus enim locum istum,* hoc est, civitatem hanc cum urbibus sibi adjunctis subvertemus ; *eo quod increverit clamor eorum coram*

Digitized by Google

Domino, id est, clamitans eorum iniquitas, scilicet vitium contra naturam, cum ceteris eorum sceleribus, intolerabiliter aucta sit in Dei præsentia, ac justo ejus judicio, ita quod eos ultra tolerare non debuit, sicut ad impios Judæos Jeremias locutus est : *Jer.* XLIV, 22. Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum. Quæstio ista angelorum, ex ignorantia non processit. Cur ergo dixerunt ad Lot, Habes hic tuorum quempiam, generum, aut filios, aut filias, quum Lot non haberet, nisi duas filias virgines? Respondetur, quod hoc dixerunt ad insinuandum, tantam esse justitiam Lot, pietatemque Dei, quod propter merita Lot, Deus paratus fuit parcere omnibus ad ipsum Lot pertinentibus consanguinitate aut affinitate, ita quod cum Sodomitis non disperirent in plaga quæ imminebat.

Verumtamen ut refert Lyra, Hebræi horum occasione verborum affirmant, quod Lot habebat in Sodoma duas filias maritatas, filiosque habentes, quorum filios asserunt hic vocari filios Lot. Cui dicto objicitur, quod (ut paulo post subditur) egressus Lot ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, dixit : Surgite, egredimini de loco isto. Ex quo videtur, quod si habuisset in Sodoma alias filias, locutus fuisset eis, earumque viris ac filiis eadem verba : quod tamen Scriptura non refert. Rursus post pauca subjungitur : Tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes ; ex quo apparet, quod non habuit plures. Porro sanctus doctor Hieronymus circa hæc scribit : Filiæ Lot virgines fuisse dicuntur. Nunc autem dicitur habuisse generos. Sed aliqui arbitrantur eas quæ habuerunt viros, perisse in Sodomis ; et eas quæ virgines erant, cum Lot patre suo exisse. Hebraica autem veritas habet, Locutus est Lot ad sponsos qui accepturi erant filias suas : virgines ergo filiæ needum fuerant maritatæ. In his autem verbis non videtur Hieronymus reprobare, quod aliqui dicunt de filiabus Lot maritatis in Sodomis. Attamen in Scholastica historia scriptum est :

A Non est credendum (ut ait Hieronymus) his, qui dicunt Lot habuisse duas filias alias præter virgines, viros habentes, et cum viris suis subversas ; sed generos vocat Scriptura hic futuros generos, id est, qui futuri erant generi sui, nisi subversio Sodomæ intervenisset.

Itaque sicut habetur in textu, *Egressus Lot locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit :* ex quo apparet, quod non habitabant aut tunc non erant in domo Lot : *Surgite, egredimini de loco isto,* id est, mecum exite, *quia delebit Dominus civitatem hanc,* id est, urbem istam subvertet. *Et visus est eis quasi ludens loqui :* hoc est, verba ejus parvipenderunt, et quasi ludicra reputabant, quasi more solito minaretur inaniter. Nam (ut Josephus ait) dixerunt hanc esse consuetudinem verborum ipsius. Vinxerat enim et vicerat illos pessimæ consuetudinis amor. Forsitan tamen non erant tam vitiosi ut ceteri, quibus justus Lot decreverat proprias filias desponsare.

C *Quumque esset mane :* nam tota nocte creditur orasse pro civitate. Jamque noverat quod angeli essent, ab ea hora qua dixerunt se missos a Domino ad Sodomam subvertendam. *Cogebant eum angeli, dicentes* maxime seriose : *Surge, tolle uxorem tuam et duas filias, ne et tu pariter pereas* cum uxore et filiabus *in scelere civitatis,* hoc est, ne moriaris in plaga civitatem hanc mox invasura pro ejus sceleribus. *Dissimulante autem illo,* quia distulit quantum potuit, si forte Deus mitigaret sententiam et preces suas pro populo acceptaret, *apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem,* eruendo eum ab imminenti periculo ; pepercitque non solum ei pro sua persona, sed et pro uxore et filiabus, meritis ejus. Unde elicitur, quod Deus secundum rigorem suæ justitiæ, potuisset et ipsum Lot cum suis domesticis involvisse periculo civitatis, quia interdum peccave-

Digitized by Google

rant. *Ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tùam,* id est, te ipsum a plaga hujus interitus erue, nobis obtemperando in præcepto, quo subditur : *Noli respicere post tergum* tuum, hoc est, non respicias retro, faciem tuam vertendo ad Sodomam intuendam. Istud etiam præceperunt uxori ejus ac filiabus, quamvis scriptura ista non exprimat hoc ; sed datur intelligi per hoc quod paulo post scribitur uxor ejus plagata, eo quod retrospexerit. Itaque prohibuit eis Dominus corporaliter retrospicere, et hoc propter mysticam rationem seu moralem doctrinam, quæ tamen est litteralis causa prohibitionis istius, videlicet ad insinuandum, quod non debebant mente reverti ad ea quæ in urbe reliquerant. Erat autem Lot dives, ut habitum est, et tamen videtur sua reliquisse in Sodoma, de quo non debuit contristari. Hinc loquitur Augustinus : Quo pertinet quod prohibiti sunt respicere retro, nisi quia non est redeundum ad veterem vitam, si cogitamus evadere finale judicium Dei? *Nec stes in omni circa regione,* id est, moram non facias in aliquo loco vallis, in qua est sita regio ista Pentapolis subvertenda ; *sed in monte salvum te fac,* id est, ascende cum tuis montem huic valli propinquum, ut ibi manendo, evadas eversionem Pentapolis situatæ in valle.

Dixitque Lot ad eos : Quæso, Domine mi. Singulariter illum alloquitur qui apprehenderat manum ejus, et verbum direxit ad ipsum. Vel in duobus angelis singulariter Deum affatur, quem in suis venerabatur ministris. *Quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum,* id est, effectum pietatis et gratiæ tuæ declarasti magnifice in me, *ut salvares animam meam,* id est vitam meam, de instanti interitu Sodomorum ; *nec possum in monte salvari.* Jam angeli sibi dixerunt, In monte salvum te fac : quomodo ergo nunc dicit oppositum, Non possum, inquiens, in monte salvari? Respondetur, quod ex perturbatione et humana pusillanimitate non credebat perfecte verbis angelicis, et in hoc fuit culpabilis, sed Deus in tantis angustiis condescendebat eidem. Vel dixit hæc verba, non discredendo aut renitendo, sed ex humana consideratione humiliter persuadendo. Hinc dubitative subjungit : *ne forte apprehendat me malum, et moriar ;* hoc est, ne forte in monte incurram aliquam improvisam adversitatem mortiferam, utpote frigora montium, aut ipse mons tangatur plaga, aut aliqua læsione ex vallis subversione. Hebræi tamen (ut fertur) per montem intelligunt Abraham patriarcham, aut montem in quo tunc ipse manebat, ita quod angelus monuit ipsum Lot, ut iret ad Abraham : quod Lot facere non audebat, ne comparatione tanti Patriarchæ videretur magis culpabilis, et Dei offensam ac plagam incurreret, qui comparatione Sodomitarum justus jam fuerat judicatus. Quod stare non potest, quantum ad hoc quod dicitur Abraham tunc habitasse in monte, quia adhuc habitabat in convalle Mambre, ut elici potest ex dictis, et in exordio expositionis sequentis capituli ostendetur. *Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea* a plaga quæ imminet. *Numquid non modica est, et vivet anima mea?* quasi dicat : Imo permodica est, nec videtur tanta iniquitas esse in ipsa, sicut in Sodomis et ceteris urbibus ejus. Porro quod Lot oravit pro se, oravit quoque pro conjuge sua ac sobole.

Dixitque ad eum angelus, loquens nunc quasi in Dei persona : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.* Istud protulit angelus non propria auctoritate, quasi ex suo placito potuerit parcere urbi, quæ fuit una quinque urbium subvertendarum ; sed ex inspiratione Omnipotentis, cujus voluntatem esse cognoverat, ut sic exaudiret Lot deprecantem, nec urbem illam subverteret, quamdiu Lot esset in ipsa. *Festina* ingredi illuc, *et salvare ibi* ab ultione præfata ; *quia non potero facere quidquam,* id est, nullam vindictam valeo exercere in

Digitized by Google

urbibus vallis istius, *donec ingrediaris illuc.* Deus namque præceperat angelo, ut non subverteret urbes illas, nisi ipso Lot exsistente in loco tuto. *Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor,* quod interpretatur parva, quia Lot dixit : Numquid non modica est? quæ urbs ante fuit vocata *Is. xv, 5.* Bala; de qua fertur in Isaia : Usque ad Segor vitulam consternantem ; nam instar vitulæ lascivientis, fuit plebs urbis illius lasciva et inquieta. *Sol egressus est super terram,* ascendendo nostrum horizontem, ita quod videbatur a stante in terra, *et Lot ingressus est Segor.*

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham, et etiam super Seboim et Adamam, *sulfur et ignem a Domino de cœlo,* id est sulfureum ignem a se ipso. Vel, Dominus, id est angelus in Dei virtute hæc ministerialiter exsequens, pluit ignem istum a Domino Deo principaliter hæc agente, de cœlo aereo, puta de aere, in quo virtute divina angelicoque obsequio generabatur seu fiebat hujusmodi ignis, sicut et manna. *Et subvertit,* hoc est, per ignem istum combussit, et angelo exsequente destruxit atque demersit, *civitates has, et omnem circa regionem,* id est terram illam Pentapolis, *universos habitatores urbium* præfatarum, qui fuerunt calidissimo ac fœtidissimo igne isto combusti, ut pœna corresponderet culpæ eorum, quia in Sodomiticis vitiis fuit et est intensissimus ardor libidinis, ac maximus fœtor turpitudinis tam immanis.

De hac eversione in Scholastica historia recitatur : Pluit Dominus super terram illam ignem sulfureum, ut terra fieret et maneret sterilis in æternum sine spe germinandi, et versa est regio illa in lacum salsum ac sterilem, qui dicitur mare Mortuum, quia nec pisces nec aves vivere possunt in eo. Navem non patitur, nec aliquam aliam materiam, nisi bituminatam. Si quid non vivens ponatur in eo, statim submergitur; si quid vivum aliqua arte submerseris, superexsilit. Lucerna ardens, in eo supernatat; exstincta, demergitur. In multis locis nigras glebas bituminis evomit, idcirco lacus Asphalti, id est stagnum bituminis, appellatur. Dicitur quoque, quod poma nata in arboribus circumpositis, usque ad maturitatem coloris sunt viridis; si autem ea jam matura scindas, intus favillam invenies. Lacus iste vocatur etiam vallis Salinarum. Forte fit ibi sal, aut lapides salis circa inveniuntur. Hæc in præfata Historia. Denique istud quod dictum est de pomis illis incisis, quod intus favillam habent quasi intus combusta, fidem facit historiæ huic de subversione Pentapolis, ut Josephus contestatur, qui etiam *De Bello Jud. iv, 27.* loquitur : Præ nimia levitate, etiam gravissima in lacum projecta, ascendunt. Nam et Vespasianus quosdam, vinctis post tergum manibus, jussit ibi projici in profundum; et omnes, tanquam vi spiritus seu venti sursum impulsi, desuper fluitabant. De hac re scriptum est in libro Sapientiæ : Sapientia justum, videlicet Lot, a pereuntibus impiis liberavit, descendente igne in Pentapolim; quibus in testimonium nequitiæ, fumigabunda constat terra deserta, et incerto tempore fructus habentes arbores. *Sap. x, 6, 7.* In quibus verbis tangitur aliud signum seu testimonium veritatis præfatæ subversionis, videlicet fumigatio terræ illius irrecuperabiliter, inhabitabiliterque subversæ.

Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. Et hoc fecit Deus justo judicio, quoniam contra præceptum angelicum corpore ac mente retrospexit, faciem suam versus Sodomam dirigendo, cum inordinato affectu ad ea quæ ibi reliquit. Sed cur in similitudinem salis potissimum versa est? Respondetur, quod Deus hoc fecit ad innuendum quod sicut sal est condimentum ciborum, sic punitio mulieris illius sit condimentum animarum fidelium : quæ ejus exemplo sic condiuntur sapore sapientiæ, quod non audent similia perpetrare, id est inobedire, et pristina vitia iterare, vel ad ea quæ propter Deum reliquerant, mente reverti. Ideo ait Salvator : Memores estote uxoris Lot. *Luc. xvii, 32.* Itemque :

Digitized by Google

Luc. IX, 62. Nemo ponens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. Refert Lyra, quod secundum Hebræos, femina ista vespere præcedente noluit suo marito porrigere sal ad condimentum ciborum pro angelis, quoniam instar concivium suorum Sodomitarum, affectum ad peregrinos et hospites non habebat : idcirco in salis statuam est conversa, ut sua punitio corresponderet suo peccato. Hinc *Sap.* X, 7. in libro Sapientiæ legitur : Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis : quod Josephus recitat se vidisse, et hactenus permanere.

Circa hæc quæritur, quando et ubi versa sit uxor Lot in statuam salis. Nam juxta ordinem litteræ, videtur id factum post ingressum Lot in Segor, et post descensum ignis in Pentapolim. Et mirum, si uxor Lot non est secum Segor ingressa. Ad hoc dici potest, quod circa ingressum in Segor, antequam urbem illam intravit, ex inordinata affectione et curiositate retrospexit, ut videret quid accidisset Pentapoli, igne mox descendente. Insuper quæritur, ubi manserit anima mulieris illius. Ad hoc respondendum videtur, quod violando præceptum, peccavit mortaliter; et si ante mortem suam non pœnituit, inde damnata est. Si vero in ipso momento conversionis corporis sui in statuam salis, pœnituit, est salvata, et mors ista potuit culpæ suæ esse purgatio. Deinde quæritur, qua justitia Deus punivit infantulos Sodomitarum. Respondetur, quemadmodum supra dictum est de infantibus submersis diluvio. Expediebat quippe infantibus illis talis occisio. Filii quoque, quantum ad corpus, interdum puniuntur pro suorum peccatis parentum, ut supra dicebatur diffusius.

Præterea quæritur, an habitatores Pentapolis per illam punitionem temporalem et valde acerbam, evaserint damnationem æternam. Et videtur, quod imo, quia non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Hieronymus quoque hoc sentire videtur. Et respondendum, quod temporalis pœna, quantumlibet magna, nullum iniquum de culpa purgat, nullum de inferno præservat, nisi pœniteat. Idcirco qui in sua a sulfureo illo igne incensione non pœnituerunt veraciter, de temporali incendio ad ignem corruerunt inferni. Postremo de celeritate subversionis illius legitur in Propheta : Sodoma subversa est in momento. Pœna *Thren.* IV, 6. etiam Sodomitarum gravior fuit pœna in diluvio submersorum, quia et pœna ignis, præsertim sulfurei, acerbior est submersione in aqua : propter quod multi, ut pœnam ignis evaderent, prosilierunt in gurgitem. Terra quoque quæ fuit operta diluvio, postea viruit, et protulit fructum; non sic terra Pentapolis. Gravius ergo peccaverunt Sodomitæ, quam qui perierunt diluvio, utpote magis contra naturam.

Abraham autem consurgens mane ubi steterat prius cum Domino, id est in loco illo in quo die præcedenti loquebatur cum angelo, qui sibi in Dei persona apparuit, *intuitus est Sodomam et Gomorrham,* id est versus locum ubi ante suam eversionem steterunt, *et universam terram regionis illius,* puta Pentapolis, quæ dicitur a πέντε, quod est quinque, et πόλις, civitas. Porro, quod Abraham dicitur adspexisse universam terram illam, per synecdochen accipi potest. *Viditque ascendentem favillam de terra* illa combusta, *quasi fornacis fumum,* qui erumpit de clibano in quo saxa coquuntur. Ad istud intuendum exivit Abraham ex pia et caritativa sollicitudine atque compassione. *Quum enim subverteret Dominus civitates regionis illius, recordatus est Abrahæ,* id est, per pietatis suæ effectum ostendit se memorem esse justitiæ, meritorumque Abrahæ, propter cujus preces et merita liberavit Lot cum conjuge sua ac sobole : ideo subditur, *et liberavit Lot de subversione urbium, in quibus,* id est in quarum una, *habitaverat,* vel in quibus successive moratus est. Magis tamen apparet, quod non nisi in Sodoma habitavit. Sic ergo Lot fuit de subversione ista liberatus, non tantum meritis suis, sed et meritis Abrahæ, cujus excellens perfectio per verba hæc com-

Digitized by Google

mendatur. Hinc asserit Augustinus : Innuit Scriptura, Deum liberasse Lot magis meritis Abrahæ quam ipsius Lot. Verumtamen Lot adeo justus fuit, ut princeps apostolus sacratissimus Petrus de ipso testetur : Adspectu et auditu justus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus affligebant. Nam et angelus dixit ad Lot : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. Si ergo potuit uni urbi veniam seu pœnæ dilationem suis precibus obtinere, quid potuit pro se ipso ?

II Petr. II, 8.

Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, in quem nolebat prius ascendere, quamvis Dominus hoc moneret ; *timuerat enim manere in Segor,* ne forte subverteretur : nam vidit facinora civium ejus. *Et mansit in spelunca,* quæ fuit in aliqua parte montis, *ipse et duæ filiæ ejus cum eo. Dixitque major ad minorem,* id est filia senior ad juniorem : *Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ,* id est ducere nos in uxores et fecundare ; *veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo* successive, *ut servare possimus ex patre nostro semen,* hoc est, ut prolem acquiramus ex eo, per quam conservetur genus humanum in terra. Juxta expositores communiter, istæ puellæ ex quadam ignorantia et simplicitate putabant genus humanum per ignem Sodomorum deletum, quemadmodum tempore Noe fuit per aquas consumptum, ita quod sicut tunc nemo remansit in terra præter exsistentes in arca, ita nunc nemo remansisset præter patrem earum et eas in spelunca pariter exsistentes. Nam et a patre suo aliquid didicerunt de consummatione mundi per ignem, quod tamen non intellexerunt perfecte : ideo non libidine, sed posteritatis amore invenerunt istud consilium, ne periret genus humanum, putantes in casu tantæ necessitatis excusari incestum cum proprio genitore, vel in toto, vel a tanto : et utique excusabantur a tanto, non tamen (ut apparet) a toto. Debuerant enim potius uti consilio patris sui, qui senex ac sapiens erat, et informationem ab ipso accipere, neque feminea levitate ad tam detestabilem prorumpere commixtionem.

Sed mirum, quod putabant perisse genus humanum præter se, quum paulo ante essent de Segor adhuc stante egressæ. Ad hoc quidam respondent, quod angelus revelavit ipsi Lot Segor esse mox subvertendam, et quod ei præcepit ut inde cum suis filiabus exiret. Quod si verum est, non peccasset Lot inde egrediendo, nec ex infidelitate inde exisset : cujus oppositum multi affirmant. Ait quippe Hieronymus : Quare Lot de Segor transivit ad montem, quum prius prætulerit habitationem Segor refugio montis ? Respondemus veram esse Hebræorum conjecturam de Segor, quod frequenter sit obruta terræ motu, propter quod Lot timuit, dicens : Si ceteris urbibus adhuc stantibus, ista sic obruta est, quanto magis in communi ruina seu plaga non poterit liberari ? et hanc infidelitatis occasionem, causam incestus fuisse. Qui enim ceteras urbes vidit subversas, et Segor adhuc stare, seque Dei auxilio erutum, non debuit ambigere de eo quod audierat sibi concessum, videlicet se salvandum esse in Segor. His consonat quod Strabus ait : Lot inexcusabilis est. Primum, quia non credidit angelo a quo audierat se posse salvari in Segor ; deinde, quia inebriatus est : et fuit in eo unum peccatum causa peccati alterius.

Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa, hoc est de sero. *Et ingressa est major, dormivitque cum patre. At ille non sensit nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.* Sicut refert Hieronymus, Judæi istud oppugnant tanquam incredibile, quia natura humana non capit, aliquem coire, et non sentire nec scire hoc : ideo aliqui dicunt quod non sensit, id est, non cognovit nec advertit quod fuit filia sua, sed ebrietate sopitus, et immemor mortis suæ uxoris, putavit se esse cum sua uxore :

Digitized by Google

idcirco Scriptura non dicit, quod non sensit quando cognovit mulierem seu filiam, sed quod non sensit quando accubuit filia sua et quando surrexit, hoc est, quando lectum intravit, et juxta eum se collocavit, nec quando exivit de lecto, quoniam totum hoc fecit patre dormiente. Huic solutioni objici potest quod paulo post de alia filia subditur : *Et ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.* Hinc reor dicendum, quod utique vigilando cognovit filias, et cognoscendo eas, sensit realiter voluptatem, sed non sensit intellectualiter, id est, nec in copula illa, neque post eam discrevit per rationis judicium proprium actum illum, nimia ebrietate prorsus convictus. In omnibus quidem commune est, quod tempore coitus magnitudo voluptatis rationem absorbet, ut Aristoteles, Origenes et Augustinus testantur. Sed Lot fuit tam ebrius, quod nec post actum illum advertit aut discrevit quid egerit. *Altera quoque die dixit major ad minorem : Ecce dormivi heri cum patre meo; demus ei vinum bibere etiam hac nocte, et dormies cum eo,* etc. In isto secundo incestu filiæ videntur magis inexcusabiles quam in primo : poterat enim semen servari ex Lot per imprægnationem et partum unius filiæ suæ, nec ob semen servandum necesse fuit ambas a patre cognosci, quum et totum genus hu-

A manum ex uno viro, unaque femina sit exortum.

Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. Istud rursus mirabile est, quod unaquæque filiarum, quæ virgines erant, concepit ex primo concubitu. Nam ut Scholastica historia protestatur, Dicitur impossibile esse ut in defloratione fiat conceptus. Verumtamen textus non dicit expresse, quod semel dumtaxat utraque sit cognita; sed doctores affirmant, quod non repetebant concubitum, quod sic accipi potest, quod
B post conceptum non repetebant. *Peperitque major filium, et vocavit nomen ejus Moab,* quod interpretatur, ex patre : sicque filia ista tanquam impudibunda, per appellationem filii sui publicavit suum cum patre incestum. Ex littera demum sequi videtur, quod Lot non cognovit se cum propriis filiabus esse commixtum, quousque illæ hoc aperuerunt. Erat enim tanta ebrietate oppressus, quod sobrietate redeunte non recordabatur quod in ebrietate commisit. *Ipse est pater Moabitarum,* etc.,
C quia populus iste a Moab est propagatus. *Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Ammon,* quod interpretatur, *filius populi mei.* Quasi dicat, Iste est filius quem concepi ex quodam de populo meo : sicque verecundior fuit quam alia, et aliqualiter texit incestum. *Ipse est pater Ammonitarum usque hodie.*

ARTICULUS LX

DE SPIRITUALIBUS DOCUMENTIS ET SENSIBUS EJUSDEM CAPITULI NONIDECIMI.

Ex hujus capituli exordio edocemur, ut exemplo Lot opera misericordiæ diligamus, et peregrinis hilariter occurramus, eosque rogemus humiliter ut divertant ad nos, quibus humanitatis officia affectuose sunt impendenda; pauperibus quoque hospitalitas est piissime exhibenda. Domum

D viri hospitalis ingressi sunt angeli, et liberaverunt eumdem. Domos vero hospitibus non patentes ingressus est ignis, et immisericordes combussit. Insuper edocemur ex Sodomorum subversione, quantum turpissima vitia ista displiceant Deo essentialiter sancto. Vitanda sunt ergo consortia

Digitized by Google

mollium, et omnis carnalis contactus, ac quidquid carnalem provocat motum : et super omnia abominanda ac evitanda est consuetudo pravissima, quæ et pudorem omnem expellit, frontemque meretricis efficit homini, ita ut de suis non verecundetur spurcitiis, imo ut loquitur Isaias,
Is. III, 9. Peccatum suum prædicet quasi Sodoma
Prov. II, 14. nec abscondat, sed glorietur quum impie fecerit; nec æquanimiter correptiones sustineat, sed in corripientem magis consurgat. Vitemus Sodomitarum carnalitatem, inverecundiam, obdurationem, incorrigibilitatem.

Præterea per generos Lot, quibus ipse Lot videbatur quasi ludens loqui, significantur insipientes, vani et obstinati, qui verba exhortantium et comminantium eis divini districtionem judicii non verentur, imo derident, quemadmodum ad Ezechielem loquitur Dominus de induratis Judæis:
Ezech. XXXIII, 31. Audiunt sermones meos ex te, et non faciunt eos, sed in canticum oris sui vertunt illos. Amplius, unicuique nostrum dicit quotidie per inspirationem internam angelus custos suus : *Salva animam tuam,* virtuose vivendo. *Noli respicere post tergum tuum,* id est, ad pristina vitia tua non revertaris, nec ea quæ propter Deum deseruisti, denuo appetas. Melius namque est non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti, ne tibi
Prov. XXVI, 11. contingat illud veri Proverbii : Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti. *Nec stes in omni circa regione,* hoc est, impiis et iniquis in nullo peccato consentias, nec in aliqua re terrena figas cordis tui affectum; *sed in monte salvum te fac.* Potest per montem intelligi Christus, et item Ecclesia ac celsitudo virtutum, seu ipsa perfectio aut eremitica vita. Qui autem nondum idoneus est perfectionem amplecti, et contemplativam aut eremiticam assumere vitam, dicat cum Lot: *Quæso, Domine mi, non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum,* id est, ne tentationibus vincar, et complere non possim quod inchoavi. *Est civitas hic*

A *juxta, ad quam possum confugere, parva.* Per civitatem hanc parvam, potest intelligi devotum cœnobium, socialisque vita, seu conversatio activa timentium Deum et custodientium præcepta, sine quorum custodia non est salus : in quibus salvare se debet, qui vitam anachoreticam perfectam seu contemplativam aggredi nequit, sive non audet.

At vero punitio Sodomorum per ignem sulfureum, fuit figura futuri judicii et exustionis terræ per ignem conflagrationis, ac typus infernalis incendii, quem-
B admodum sanctus apostolus Judas in sua scribit Canonica : Sodoma et Gomorrha *Jud.* 7. et finitimæ civitates simili modo fornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Per uxorem vero Lot retro adspicientem, et versam in statuam salis, intelliguntur ingrati et recidivantes, atque a Religione apostatantes, qui instar statuæ salis indurantur et amaricantur propriis perversitatibus, ac contra alios faciliter
C exacerbantur, quorum tamen periclitationis exemplo, electorum ac sapientum corda salubriter condiuntur, ita quod timoratiores, custoditioresque fiunt, et territi plus purgantur. *Abraham autem consurgens mane ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam.* Sic sapientes et *Eccli.* XXXIX, 6. virtuosi cor suum tradunt diluculo ad vigilandum ad proprium Creatorem, maneque adstant Domino, et vident quoniam *Ps.* V, 5. non Deus volens iniquitatem ipse est. Cujus metuenda pensant judicia, et perpen-
D dunt qualiter sæpe punit iniquos, quomodo etiam justo judicio permittit eos quotidie in graviora corruere vitia, quod est maxima ira ac ultio Dei, qui protestatur : Dimisi eos secundum desideria cor- *Ps.* LXXX, 13. dis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

Ascendit Lot de Segor, et mansit in monte. Sic aliqui in vita activa et sociali bene exercitati, ascendere possunt aut debent ad apicem vitæ contemplativæ, aut solitariæ ac perfectæ : in qua tamen nisi valde custodite et temperate se habeant,

Digitized by Google

poterunt præcipitari et falli. Porro per duas filias Lot, possunt intelligi ratio superior atque inferior, quæ ex patre suo concipiunt, quando a Patre luminum visitantur et adimplentur. Rursus hæ duæ filiæ, accipi possunt appetitus sensitivus et sensus exterior, quæ patrem suum vino inebriant, dum hominem ad gulam præcipitant, a quo tunc pravam concipiunt prolem, videlicet passionum et concupiscentiarum exsecutionem ac sensuum imitationem *. Patet demum ex præinductis, quanta vitia oriuntur ex gula. Hoc item ex præhabitis innotescit, quam salubre sit urbibus, habere in se cives et habitatores justos, seu vere religiosos, propter quos Deus omnipotens multa impendit bona civibus ceteris, et urbes a diversis præservat periculis. Nam Sodomæ pepercisset, si decem justi fuissent in ea. Postremo per Moab, qui interpretatur, ex patre, intelliguntur reprobi et iniqui, quibus ait Salvator : Vos ex patre diabolo estis. Per Ammon vero, qui interpretatur, filius populi mei, designantur hæretici, qui ex christiano populo prodierunt, et Christi nomine gloriari se jactant, imo se solos veraciter Christianos dici et esse præsumunt.

* immutationem.

Joann. VIII, 44.

ARTICULUS LXI

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI : PROFECTUS INDE ABRAHAM.

PEREGRINATIO Abrahæ in Gerara, et quid ei acciderit ibi, describitur in præsenti capitulo. *Profectus inde Abraham,* id est, recedens a convalle Mambre, ut in Scholastica historia exponitur : unde constat quod non habitavit in monte tempore subversionis Pentapolis ; *in terram australem,* hoc est, eundo in terram quæ erat versus austrum, respectu vallis præfatæ, vel simpliciter versus austrum, *habitavit inter Cades et Sur,* id est inter loca sic dicta, *et peregrinatus est in Geraris.* Secundum Augustinum, Gerara fuit civitas, cujus rex fuit Abimelech, de quo paulo post subditur, et fuit in Palæstina. Infra vero habetur, quod Abimelech fuit rex Palæstinorum. Denique causam, ob quam Abraham locum suæ habitationis, sicut nunc scribitur, permutavit, aliqui dicunt fuisse, quia subversa Pentapoli, pauci ibant circa vallem in qua morabatur, et ita non poterat ibi hospitalitatem magnam exercere : ideo ivit ad locum præfatum, ut ibi copiosius hospitalitati insisteret. Verumtamen, ut apparet, propter hoc non indiguit ingredi Palæstinam, sed in terra Chanaan, ad quam erat desuper vocatus, potuisset hoc ipsum peragere. *Dixitque de Sara uxore sua, Soror mea est,* videlicet ne Palæstini auferrent eam sibi violenter, et interficerent eum, ne viderentur adulterium exercere cum ea. Multa circa hæc scribi possent, de quibus pertranseo, quia in expositione duodecimi capituli sunt inducta.

Gen. XXI, 3.

Misit ergo Abimelech rex Geraræ, et tulit eam, id est, fecit eam sibi adduci, quia percepit quod esset valde formosa. Mirumque est, quod femina illa tunc nonagenaria, adhuc erat tam concupiscibilis, pulchra, et vivax. Circa quod fertur, quod Hebræi asserunt pulchritudinem et vivacitatem atque teneritudinem suæ carnis, mansisse in ea usque ad ultimum vitæ. Quod si verum est, supernaturale fuisset : ideo credibilius reor, quod ex naturali complexione et bono regimine, et jucunda atque pacifica conversatione cum suo marito, et forsan ex aliqua speciali, occultaque causa seu influentia naturali, per-

Digitized by Google

mansit in ea tamdiu vigor et speciositas corporis, non tamen modo prætacto usque ad finem vitæ suæ; sed paulatim decreverunt. Nempe in quibusdam hominibus ex occultis influentiis et naturalibus inexsistentiis fuerunt aliqua valde specialia dona naturæ : de quo plurima dici possent ex astrologorum doctrina.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi. Ut enim Josephus, expositoresque referunt, statim ut Abimelech tulerat eam, incidit ægritudinem magnam. Desperantibus autem medicis de regis curatione, Deus per angelum apparuit regi in somno, aperiens ei causam suæ infirmitatis. Aliam quoque plagam induxit Deus cunctis mulieribus regis, ut patet in fine hujus capituli. *En morieris propter mulierem quam tulisti ; habet enim virum :* id est propter culpam quam commisisti, tollendo hanc feminam a suo marito. Istud fuit comminatio, non assertio, vel si fuit assertio, non fuit assertio absoluta, sed conditionata, ut sit sensus : Morieris mox de hac ægritudine, nisi pœnitens restituas feminam istam suo marito. *Abimelech vero non tetigerat eam,* quia divinitus exstitit impeditus per ægritudinem grandem. *Et ait : Domine, num gentem ignorantem,* id est, quæ ex ignorantia facti peccasse videtur, sed excusatur, *et justam interficies* quasi ream ? quasi dicat, Non decet te. *Nonne ipse,* scilicet Abraham, *dixit, Soror mea est; et ipsa ait, Frater meus est ? In simplicitate cordis mei,* id est recta et simplici intentione absque palliatione fallaci, *et munditia manuum mearum,* hoc est innocentia et sinceritate actionum mearum, *feci hoc,* quoniam intendebam eam uxorem accipere, et maritali affectu accedere.

Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris. An tota collocutio ista sit in visione et somno completa, an potius in vigilia terminata, quæri potest. Et tota in somno fieri poterat, sicut et
III *Reg.* III, 5, 15. tertio Regum legitur Deus Salomoni apparuisse, et facta collocutio inter eos. Deinde subjungitur ibi : Et intellexit Salomon quod somnium esset. Talis vero collocutio fuit intus in anima spiritualis et imaginaria ad aures cordis, non corporis, ad quam homo in somnis est aptior, quia tunc exteriores sensus quiescunt, propter quod in Job scribitur : Per somnium in visione nocturna, quando sopor irruit super homines, aperit Deus aures virorum, et instruit disciplina, ut avertat hominem ab impietate. *Job* XXXIII, 15-17. *Ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam,* id est, per istam adversitatem retraxi te ab illicito concubitu, ne me offenderes peccando in proximum. Et istud est donum ac pietas Dei, quod per adversa sic impedit hominem a peccato. Quemadmodum autem homo per unum peccatum meretur relinqui a Deo, ita ut incidat in aliud, sicque peccatum illud est peccatum et causa peccati ; sic homo per opera bona meretur præservari a Deo, ne peccet : meretur, inquam, de condigno aut congruo. Sicque fuit in isto Abimelech, ut constat ex textu. Præterea peccare in Deum, quandoque distinguitur contra peccare in proximum, ita quod peccata contra tria prima præcepta dicuntur peccata in Deum, quia sunt directe contra eum et contra præcepta quæ versantur circa ipsum. Peccata vero contra alia septem præcepta, vocantur peccata in proximum ; quia directe et immediate sunt contra eum, et ei nociva. Ex consequenti vero sunt contra Deum, quoniam contra ejus præcepta ; sed nunc peccare in Deum, acceptum est, prout includit peccata in proximum.

Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te, et vives : quum enim propheta sit et vir sanctus, gravius crimen esset ei suam auferri uxorem ; estque idoneus orare pro te, nec latet eum, conjugem suam esse intactam a te. Et orabit pro te : ex his patet, quod Abimelech aliquantulum erat culpabilis in tollendo Saram ab Abraham, non satis ordinate et caute procedendo et inquirendo de statu Saræ, aut amore pulchritudinis

Digitized by Google

ejus sensualiter affectatus, quamvis juxta expositionem præhabitam simplici corde tulerit eam. Bonis enim operibus sæpe miscentur aliqua mala. *Si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt.* Circa hoc quæri posset, quare propter peccatum Abimelech Deus occidisset omnia ad ipsum spectantia, cur etiam ob hoc flagellavit omnes uxores ipsius : quorum responsio patet ex dictis in expositione duodecimi capituli, ubi habetur, qualiter rex Ægypti tulerit Saram, et qualiter propter hoc ipse et domus ejus fuerint maxime flagellati. Hæc namque historia quasi omnino cum illa coincidit.

Statimque de nocte consurgens Abimelech. Si tam infirmus erat quod medici de ejus desperaverant curatione, quomodo potuit tam cito consurgere? Dici potest, quod statim quum obtemperare proposuit revelationi divinæ, cœperit melius sentire. Vel aliorum ope erexit se, et fuit valde perterritus. Timor autem facit hominem quandoque ardua attentare, ut evadat periculum. *Vocavit omnes servos suos,* etc. *Timueruntque omnes viri valde,* omnes scilicet domestici ejus, istis auditis. *Vocavit autem Abimelech etiam Abraham,* id est, die facta, fecit eum venire ad se, *et dixit ei : Quid fecisti nobis?* quasi dicat, Exposuisti nos magno periculo, dicendo quod femina ista sit soror tua. *Quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande?* id est, occasionem dedisti mihi magni excessus, et per consequens populo meo, qui mihi consentiendo aut me in similibus imitando, potuissent magnam incidere culpam. Ex quibus constat, quod ignorantia facti non excusat in toto, nisi debita adhibeatur diligentia, inquisitio, seu cautela. *Rursusque expostulans* causam verborum Abrahæ, *ait : Quid vidisti ut hoc faceres?* id est, quid te movit ad ita loquendum, et quo intuitu dixisti quod sit soror tua? Abimelech itaque vehementissime mirabatur, quod quum Abraham esset vir sanctus ac sapiens et propheta, dixit verba hujuscemodi, ex quibus secutum fuit tale malum, et majus sequi potuerat. *Respondit Abraham : Cogitavi mecum, dicens,* hoc est tacitus intra me : *Forsitan non est timor Dei in loco isto,* id est in hominibus urbis hujus sive provinciæ, *et interficient me propter uxorem meam,* hoc est, ut eam liberius habeant : idcirco inveni istud consilium atque remedium, nec Deum tentavi, sed eo inspirante cognovi, quod ipse meam conjugem præservaret in Palæstina, sicut fecerat in Ægypto. Quæ circa istud dicenda essent, introducta sunt in expositione præfati capituli duodecimi.

Alias autem, id est, hoc est secundum alium respectum et sensum, seu alio modo quam putas, *vere soror mea est, filia patris mei,* non quod ipsa sit filia patris mei, aut matris meæ, tanquam nata immediate ab illo aut illa, sed filia est patris mei, videlicet Thare, quia ille est avus ipsius. Avi autem sæpe patres vocantur eorum, quorum sunt avi. *Et non filia matris meæ,* etc. : quia ut dicitur, Thare pater Abrahæ, habuit plures uxores, ex quarum una genuit Abraham, ex alia Aram, qui fuit immediatus pater Saræ et Lot. Sicque Sara et Lot attinebant Abrahæ ex parte patris sui, non ex parte matris suæ. Porro in Scholastica historia tanguntur alii sensus horum verborum, ita quod Abraham vocavit fratrem suum Aram, patrem Saræ, patrem suum, quia senior eo erat. Vel, ut hoc quod ait, *patris, mei,* intelligatur divisim, ut sit sensus : Ipsa est filia patris, supple, sui; mei, hoc est, qui est meus frater. Alii vero dicunt, quod ipso Aram mortuo, pater suus Thare duxit uxorem ejus in conjugem, et genuit Saram ex illa, suscitans filio suo defuncto semen ex conjuge ejus, et ita Thare fuisset immediatus pater Saræ. Sed prima expositio planior est, ut scilicet Sara dicatur soror Abrahæ eo modo, quo frater suus Lot supra vocatus est Abrahæ frater. *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei,* id est de terra et cognatione mea paterna,

Digitized by Google

dixi ad eam : Hanc misericordiam, hoc A est hunc pium effectum, *facies mecum :* utpote *in omni loco ad quem ingrediemur,* id est in omni populo alieno ad quem veniemus, *dices quod frater tuus sim,* ne occidant me desiderio te habendi. Nec hoc fuit mendosum, quia multum propinqui vocantur ad invicem frater et soror; nec fuit illicitum, quia interdum licet veritatem prudenter abscondere, ne malum contingat, quamvis mentiri non liceat.

Tulit ergo Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham, id B est ipsi Abrahæ, pro molestia seu injuria aut culpa circa eum commissa, atque ad honorandum eum tanquam Dei amicum ac vatem, et item ad captandum benevolentiam ac amicitiam ejus, ut etiam provocaret eum ad orandum pro se ac mulieribus suis, totaque domo sua. *Reddiditque illi Saram uxorem suam, et ait : Terra coram vobis est,* id est, tota hæc regio mea in vestro prospectu est, et ad usum ac placitum vestrum parata; *ubicumque tibi placuerit, habita* cum tuis domesticis. Hoc C singulariter dixit ad Abraham, tanquam ad patremfamilias, quem ceteros sequi oportet ad habitandum quo ipse elegerit. *Saræ autem dixit : Ecce mille argenteos dedi fratri tuo,* hoc est Abrahæ tuo marito quem fratrem tuum vocasti. Ex hoc patet, quod Abimelech dedit Abrahæ tantam pecuniam præter oves et boves, servos ac famulas. *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt :* id est, donum istud pecuniarium sit tibi ad pepla emenda, quibus faciem tuam tegas D usque ad oculos, inter omnes apud quos fueris, ne ex inspectione pulchritudinis tuæ te ament, et viro tuo te subtrahant. Vel, in velamen oculorum tuorum, id est, ad operiendum oculos tuos quum per mortem fuerint clausi, utpote in præparationem funeris tui : ut elegans exstet irrisio; quasi dicat : Quum vetulam te esse jam noverim, potius te oportet cogitare de pertinentibus ad funebria, quam uti tali modo loquendi, per quem alii inducantur ad appetendum te pro uxore. Vel, Hoc erit tibi in velamen oculorum, id est pro memoriali verecundiæ quam nunc pateris, et ad operiendum oculos tuos ac faciem a pudore præsenti, seu ad relevandum et eripiendum te a confusione, quia per dona ista te etiam honoravi. *Et quocumque perrexeris, memento te deprehensam.* Hoc quidam exponit sic, id est, acceptam a me in uxorem. Sed non videtur quod Abimelech accepit Saram in conjugem, sicut nec Pharao, sed uterque eorum hoc facere intendebat. Est igitur sensus : Memento te deprehensam, hoc est, in modo loquendi illicito seu mendoso aut periculoso inventam, quia virum tuum vocasti fratrem tuum. Unde secundum Rabbi Paulum, dictio Hebraica hic posita, sonat redargutam.

Orante autem Abraham pro Abimelech et mulieribus suæ domus, *sanavit Deus Abimelech,* reddendo eum sanitati perfectæ, *et uxorem ancillasque ejus, et pepererunt. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ,* hoc est pro culpa commissa in ablatione Saræ a suo marito. Per uxorem autem Abimelech, intelligitur uxor ejus vel principalis, vel unica. Et per ancillas illius, intelliguntur ejus concubinæ, aut conjuges servorum suorum.

Præterea, juxta spiritualem intelligentiam, per Abraham, ut dictum est sæpe, significatus est Christus; per Saram, Ecclesia, quæ est soror Christi, et uxor seu sponsa ipsius. Dicitur autem soror Christi duplici ratione. Primo, propter communionem naturæ humanæ in utrisque. Secundo, propter spiritualem regenerationem et obedientiam præceptorum, sicut ait Salvator : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est. Per Abimelech quoque significantur principes mundi, seu invisibiles potestates, qui voluerunt Ecclesiam violare, nec potuerunt : quorum principum mundanorum quidam per inspirationem, aut alio modo correpti, conversi sunt, et ex ignorantia sua aliqualiter excusabantur, quem-

Sensus spiritualis.

Matth. XII. 50.

Digitized by Google

Tim. i, 13. admodum fatetur Paulus : Misericordiam A consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Nam et aliqui principes tales, fuerunt corporaliter castigati propter excessus suos in Christi Sponsam, quos et Deus præservavit, ne gravius peccarent in eam. Denique principes sic conversi, retulerunt servis quæ ipsis acciderant, et quanta eis instarent supplicia, nisi pœniterent de sua transgressione contra Christi Ecclesiam, eamque Christo offerrent : et ita plures ministri perterriti, sunt conversi, quibus Christus advocatus interpellatorque hominum apud Patrem veniam impetravit, qui magna Domino munera obtulerunt, et suos ministros fecerunt Christo subjectos ; sicque de cetero cum suis familiis spiritualiter fecundi effecti, semen, in quo cultus Dei ac fides catholica aucti sunt, genuerunt.

ARTICULUS LXII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARAM, ETC.

VISITAVIT autem Dominus Saram, hoc est, supernaturalem fecunditatem tradidit ei, *sicut promiserat* ei per angelicam assertionem, *et implevit quæ locutus est. Concepitque et peperit filium in senectute sua,* videlicet nonagenaria, *tempore quo prædixerat ei Deus,* hoc est die eodem quo ei prædictum fuit ab angelo, anno scilicet revoluto ab illo die, juxta quod Gen. xviii, 9. supra dictum est : Revertens veniam ad te tempore isto, et habebit filium Sara. *Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac.* Hoc enim nomen prænuntiatum fuit ei ab angelo, quemad- Ibid. xvii, 9. modum supra legitur : Ait Dominus ad Abraham : Sara pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. *Et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus,* Ibid. 12. prout superius habitum est : Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Porro, quod sequitur, *quum centum esset annorum,* non refertur ad verbum immediate præcedens, videlicet, Præceperat ; sed ad verbum istud, Circumcidit : quando enim præceptum circumcisionis accepit a Domino, fuit nonaginta annorum ; sed dum illud implevit in Isaac, centenarius fuit. Ideo subditur : *Hac quippe ætate patris, natus est* B *Isaac,* id est, quum pater suus Abraham erat centum annorum.

Dixitque Sara : Risum fecit mihi Deus : hoc est, causam ridendi et gloriandi ac admirandi de magnitudine beneficiorum suorum, præstitit mihi Deus, concedendo mihi hunc filium supra naturam. *Quicumque audierit* ista, non solum corporali, sed interiori auditu, *corridebit,* hoc est, congratulabitur *mihi* de beneficiis mihi desuper datis. Hinc puer ille vocatus est Isaac, quod risus interpretatur, ut dictum est. C *Rursumque ait* Sara : *Quis auditorum,* id est eorum qui ista audierint, *crederet Abraham,* hoc est ipsi Abrahæ, *quod Sara lactaret filium quem peperit ei,* videlicet Abrahæ, *jam seni ?* Ista sunt verba exsultantis. Quasi dicat : Partus iste tam supernaturalis ac mirus est, quia et ex naturali dispositione atque ex senio sterilis fui, quod vix aliquis crederet, si recitaretur ei res ista ab Abraham. Refert Lyra, quod in Hebræo habetur pluraliter, Filios. Deinde narrat fabulam Judæorum, dicentium quod D Sara in die ablactationis filii sui Isaac, lactavit et filios vicinarum mulierum, quæ suspicando dicebant, quod Sara non accepisset filium illum ex Abraham, sed ab alia

Digitized by Google

muliere pro pretio. Cui fabulæ obviat quod dictum est, Quem peperit ei jam seni. Certum est equidem, quod filios illos non peperit Abrahæ. Sara quoque tamdiu gravida fuit, quod vicini ejus eam concepisse noverunt.

Crevit igitur puer, scilicet Isaac, *et ablactatus est,* quum esset trimus, hoc est trium annorum, ut in Scholastica habetur historia. Et hoc erat magnæ dilectionis, quod Sara jam anus lactavit filium suum uberibus propriis, quasi cum lacte corporis cupiens ei bonitatem infundere suæ mentis. *Fecitque Abraham grande convivium* suis domesticis, vicinis et amicis, *in die ablactationis ejus,* videlicet Isaac, qui in die illa puer primo accessit ad mensam patris, et quia extunc puer tanti roboris fuit, quod major spes apparebat de ejus perduratione in vita. *Quumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc, et filium ejus ; non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.*

Secundum Lyram, pro Ludentem, in Hebræo habetur, Messahet, quod multa significat, videlicet ludentem, idololatrantem, occidentem, et coeuntem, seu lascivientem. Et dicit quod translator noster, videlicet S. Hieronymus, videtur hanc æquivocationem ignorasse, aut non advertisse : quod non censetur bene sonare, quum B. Hieronymus quamperitissimus fuerit in Hebræo, quamque diligentissimus in transferendo. Denique Rabbi Paulus hic scribit, quod prædictum verbum Hebraicum, significat ut frequenter ridentem, quandoque deridentem, interdum gaudentem, aliquando vero ludentem ; nunquam vero significat idololatrantem, nec occidentem, nec coeuntem, seu lascivientem. Unde translator noster bene se habuit, transferendo præfatam dictionem quandoque per ludum, interdum per risum seu gaudium, aliquando per irrisionem, nunquam vero per alia significata prædicta. Hæc Rabbi Paulus. Verum, tam Paulus iste quam Lyra affirmant, quod istud complexum, Cum Isaac, non est in Hebræo, neque de textu. Dicit itaque Lyra, quod secundum Hebræos dictio illa Hebraica, accipitur hic in triplici significatione. Primo, pro idololatrare, ut sit sensus, quod Sara vidit Ismaelem aliqua facientem quæ ad idololatriam pertinebant. Unde in Scholastica recitatur historia : Tradunt Hebræi, quod Ismael instigabat puerum Isaac, ut adoraret imagines luteas a se factas. Secundo, pro occidere, ut sit sensus, quod Sara consideravit, quod Ismael quærebat versute occidere Isaac, quatenus hereditatem acquireret. Tertio, pro lascivire, ita quod Sara perpendit Ismaelem esse lascivum : ideo timuit ne filium suum ad similia provocaret, idcirco dixit marito : Ejice ancillam hanc, etc.

Verumtamen expositiones præfatæ non solum ab Hebræis, sed et a Catholicis sunt prolatæ. Dicitur enim in Glossa : Vidisset ludentem, etc. Dupliciter hoc exponitur : vel quod Ismael idolis lusum fecit, vel quod adversus Isaac vindicavit sibi primogenita tanquam major ætate. In Scholastica quoque historia dicitur : Quum pueri luderent simul, Ismael lædebat Isaac. Intellexitque Sara in ludo persecutionem, quod scilicet Ismael post Abrahæ dormitionem vellet dominari fratri suo Isaac, tanquam major et senior eo. His consonat illud Apostoli ad Galatas : Is qui secundum [Galat. IV. 29.] carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, hoc est, Ismael Isaac fratrem suum. Rursus super illud, Ludentem, habetur in Glossa : Lubricum et lascivum esse docebat ipsum Isaac, sicut et ipse erat.

Insuper Rabbi Paulus testatur, quod locus iste melius exponitur ab aliis Hebræorum doctoribus, quam a Rabbi Salomone. Nam dicunt, quod Ismael videns tam grande celebrari convivium in die ablactationis Isaac, irrisit : ad innuendum quod nihilo minus ipse fieret heres, tanquam major natu atque legitime natus. Quod Sara attendens, dixit : Ejice, etc. Dicitur autem Agar ancilla, quia ancilla erat Abrahæ, an-

Digitized by Google

tequam duceretur in conjugem, et mansit ancilla Saræ. Præterea Sara ex divino instinctu dixit : Ejice ancillam, etc. Nam Deo revelante cognovit, quod Isaac esset præelectus, et principalis filius Abrahæ, cui primogenita debebantur ex ordinatione divina. Quæritur, quæ fuit hereditas Abrahæ, quam Sara voluit pertinere ad Isaac, non ad Ismaelem, quum Deus non dederit Abrahæ hereditatem in terra promissionis, nec passum pedis. Respondetur, quod per hereditatem potest intelligi principalis et major opulentia Abrahæ, quam (ut infra habetur) reliquit Isaac filio suo.

Dure accepit hoc Abraham pro filio suo : id est, verba Saræ de ejectione Ismaelis, displicuerunt Abrahæ tanquam inclementia. Multum enim dilexerat Ismaelem, præsertim quum diu habuerit atque dilexerit eum ut unicum filium qui valde amatur. Abraham autem non scivit quod Sara protulit verba illa desuper mota. Gravis etiam videbatur Abrahæ ejectio ancillæ, quæ erat conjux ejus : idcirco dissimulavit ad tempus verba Saræ. *Cui dixit Deus,* in visione nocturna per angelum : *Non tibi videatur asperum* quod locuta est Sara *super puero et super ancilla tua,* etc., hoc est de amborum ejectione, *quia in Isaac vocabitur tibi semen,* id est, Isaac principalis filius tuus est, et ejus posteritas a te specialiter processisse dicetur, quia in eo et ejus posteritate complebuntur principalia illa quæ tibi feci promissa, et inde Christus nascetur. *Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam,* id est, grandem populum faciam nasci ex Ismaele, *quia semen tuum est,* hoc est meritis tuis. *Surrexit itaque Abraham mane :* ex quo elicitur, quod in nocte præcedente facta sit ei revelatio ista ; *et tollens panem et utrem,* id est vas seu lagenam *aquæ, imposuit scapulæ ejus,* etc. Per panem et aquam intelliguntur quæcumque cibaria et pocula.

Quæ quum abiisset, errabat in solitudine Bersabee, de qua dictum est ante. *Quumque consumpta esset aqua,* quæ erat *in utre, abjecit,* id est cum tristitia posuit, *puerum* Ismaelem *subter unam arborem quæ ibi erat,* puta abietem, ut habet translatio alia, forte ut puer siti deficiens, ad arborem reclinaretur, et ejus umbra a solis protegeretur ardore. *Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere ; dixit enim, Non videbo morientem puerum :* putabat enim Agar Ismaelem mox ibi periclitaturum ; *et sedens contra, levavit vocem suam, et flevit* ex tristitia, compassione et timore afflictionum sui filii. *Exaudivit autem Deus vocem pueri,* id est fletum Agar pro filio suo ; vel, vocem pueri, quia et ipse Ismael flebat, atque ut aliqui dicunt, de peccatis suis pœnituit. Jam enim erat decem et septem annorum, aut circiter. Nam tredecim fuit annorum tempore circumcisionis. Et post hoc, anno sequenti natus est Isaac, qui etiam fuit ad minus trium annorum tempore suæ ablactationis, ut creditur. Imo quidam dicit, quod erat viginti annorum, quod non videtur. *Vocavitque angelus Domini Agar de cœlo,* hoc est, angelus de cœlo descendens, et in aere stans, vocavit ipsam Agar, *dicens : Quid agis Agar ? Noli timere. Exaudivit enim Deus vocem pueri,* etc. Omnia ista erant consolatoria verba. *Tolle puerum, et tene manum ejus. Aperuitque Dominus oculos ejus,* videlicet Agar, id est, fecit eam videre quod ante non vidit. Ideo subditur : *Quæ videns puteum aquæ, abiit, et implevit utrem aqua, deditque puero bibere,* etc. *Factusque est juvenis sagittarius, habitavitque in deserto Pharan,* id est urbis seu terræ sic dictæ. Factus est ergo ibi juvenis sagittarius, quia exercuit se ad sagittandum bestias, atque ut refert Lyra, Hebræi dicunt, quod exercuit prædas et latrocinia de transeuntibus. Unde de eo prædictum est : Manus ejus contra Gen.xvi,12
omnes. *Et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti,* de qua erat et ipsa.

Eodem tempore dixit Abimelech rex Palestinæ, *et Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham : Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas*

Digitized by Google

mihi et posteris meis, etc. Abimelech iste sciens neminem posse Deo resistere, cognoscens quoque Abraham esse Dei amicum, timuit eum propter adsistentiam Dei, quæ ei in omnibus adfuit; et forte Abimelech iste percepit, qualiter Abraham vicerat, Dei adjutus auxilio, quatuor reges, ut dictum est : idcirco iniit pactum pacis cum Abraham. (Gen. xiv, 15.) Phicol autem verba regis approbando firmavit, et idem cum rege suo petebat. *Dixitque Abraham : Ego jurabo. Et increpavit* ipse Abraham *Abimelech* regem, *propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius.* Ille fuit puteus quem angelus ostendit Agar, quem puteum foderat Abraham ante Agar ejectionem. Servi autem Abimelech abstulerant puteum istum Abrahæ violenter pro gregibus aliis adaquandis, ut in Scholastica habetur historia. *Responditque Abimelech : Nescivi quis fecerit hanc rem, sed et tu non indicasti mihi* hucusque. In quo patet patientia Abrahæ, et quod querulosus non fuit, sed tantum damnum et vim pertulit patienter, quum tamen aqua sit illis in partibus pretiosa. *Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech,* id est, de propriis bobus et ovibus dedit ipsi Abimelech munera, tanquam principi terræ. *Percusseruntque ambo fœdus,* id est, pactum amicitiæ inierunt cum juramento. *Et statuit Abraham septem agnas seorsum,* quas dedit regi in testimonium, et in memoriale quod ipse Abraham puteum illum fodisset, et pertineret ad se, ne sibi amplius auferretur. *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee,* id est puteus septem, propter septem præfatas agnas; vel puteus juramenti, quia Abraham et Abimelech ibi fœdus cum juramento firmarunt. BEER enim interpretatur puteus; SABA, septem aut juramentum. Quocirca scribit Hieronymus : Isaac non est natus in valle Mambre, sed in Geraris, ubi Bersabee usque hodie oppidulum est. In Scholastica vero historia continetur : A puteo illo circumstans regio dicta est Bersabee. In littera vero exprimitur ratio nominis putei, quum dicitur : Vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit, et inierunt fœdus pro puteo Juramenti, etc., id est, pro hoc quod puteus ille pertineret ad Abraham, specialiter tamen pro causa alia jam dicta.

Reversique sunt Abimelech et Phicol cum suis ministris *in terram Philistinorum,* quæ est terra Palæstinæ, seu pars ipsius : hoc est, ad urbem suæ habitationis, quæ fuit in terra Philistiim, quam tamen non erant in toto egressi, veniendo ad Abraham. *Abraham vero plantavit nemus in Bersabee,* etc., id est, copiam arborum circa puteum illum, forsan ut de fructibus arborum domestici et hospites sui reficerentur: et secundum Augustinum, ipse emerat spatium illud, in quo nemus plantavit. *Et fuit colonus terræ Philistinorum* vel ut alii habent, Palæstinorum, *multis diebus,* habitando in ea quasi in aliena : dicuntque aliqui, quod habitavit in ea annis viginti quinque. Postremo, quod Abraham dicitur non accepisse hereditatem in terra repromissionis, seu in ista, nec passum pedis, ut in Actis dicitur, (Act. vii. 5.) Augustinus intelligit de hereditate sibi a Domino danda, non de hereditate pretio empta.

(Sensus mysticus.) Juxta mysticos sensus, per supernaturalem fecundationem partumque Saræ, intelligitur superadmirabilis nativitas Christi de Virgine, a Sancto Spiritu fecundata. Christus quoque est risus et gaudium omnium electorum, quoniam ipse est Desideratus cunctis gentibus, (Agg. ii. 8.) eoque nato angeli cecinerunt : Gloria in altissimis Deo. (Luc. ii. 10, 11, 14.) Et angelus dixit pastoribus : Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator. Per Abraham potest intelligi Deus Pater : et per centenariam ejus ætatem, æternitas Dei Patris, qua invariabiliter perdurante, Virgo sacratissima genuit Filium ejus. Insuper Virgo dignissima dicere quivit cum Sara : *Risum fecit mihi Deus,* id est, materiam summæ exsultationis contulit mihi, faciendo me matrem Unigeniti sui inviolatam. *Quicumque audierit, corridebit mihi :* quia

Digitized by Google

universi fideles congratulantur in hoc beatissimæ Virgini. Quod autem hæc Virgo filium lactavit, tam supernaturale erat, quod quasi incredibile videbatur.

Præterea, quod Abraham fecit convivium in die ablactationis Isaac, hoc designat, quod Deo præcipue placet abstractio fidelium a carnalibus oblectamentis. Pro-
xxviii, 9. pter quod loquitur Isaias : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. Per crudelem vero lusum Ismaelis cum Isaac, figurata est derisio Christi et ejus fidelium, ab induratis atrocibusque Judæis, ac ceteris perfidis. Quod et Apo-
alat. iv, stolus ad Galatas exponendo disseruit, quod electi et spirituales Israelitæ a carnalibus illis Judæis persecutionem sunt passi. Per ejectionem demum ancillæ et filii ejus de domo Abrahæ, significata est reprobatio perfidæ Synagogæ, et carnalium filiorum ipsius, ac omnium qui ex solo servili timore serviunt Christo, qui omnes ab electorum Ecclesia repelluntur. Insuper, per hoc quod Abraham imposuit ipsi Agar panes et utrem aquæ, datur intelligi, quod infideli Synagogæ Deus reliquit sua carnalia sacramenta, et litteralem atque insipidam Scripturarum expositionem. Propter quod errat in solitudine, tanquam deserta a Deo, et filiis suis in captivitatem redactis compatitur. Per hoc vero quod angelus hanc Agar vocavit, et filio ejus subvenit per putei aquam, notatur finalis conversio Judæorum, et eorum per Baptismum salvatio.

Insuper per hoc, quod Abimelech cum suis venit ad Abraham, eo quod videret Deum esse cum eo, signatum est, quod principes sæculi, gloriam Christi in ejus Ecclesia conspicientes, ad ipsum conversi sunt, et promiserunt obedientiam ei, abrenuntiando diabolo in Baptismo. Viderunt namque qualiter Christus per suos discipulos idololatriam undique dissipavit, et

A infinita, solique omnipotenti Deo possibilia fecit miracula. *Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius :* hoc est, Christus per suos ministros reprehendit principes conversos, saltem in sacramentali eorum confessione, pro hoc quod permiserunt infideles satellites suos impedire fideles ab usu Baptismi, gratiamque Baptismatis præripere seu auferre pro posse hominibus. Quod tamen aliquando contigit, ignorantibus ipsis principibus, nec cognoverunt
B quam enorme fuerit hoc peccatum, quousque illuminati fuerunt a Christo. At vero per hoc, quod Abraham tulit oves et boves, et dedit eas Abimelech, insinuatur quod conversis principibus Christus adjunxit fideles innocentes et onus divinorum præceptorum promptissime bajulantes, ad ædificandum et confortandum principes illos. Qui principes quandoque tam virtuose se habuerunt, quod Christus populo suo eos præfecit. *Percusseruntque ambo fœdus :* quia Salvator veniam et salutem eis pro-
C misit, ipsi quoque Christo se obtulerunt, et fidelitatem promiserunt eidem. *Et statuit Abraham septem agnas seorsum.* Per agnas has intelliguntur septem dona Spiritus Sancti, quæ in Ecclesia locum sortiuntur specialem atque præcipuum, quæ Christus largitur conversis, in testimonium quod ipse fodit puteum istum, hoc est, quatenus ipsi per dona illa clare cognoscant et fateantur, quod Dominus Jesus Christus sacramentum Baptismi primo instituit. *Idcirco vocatus est locus ille Ber-*
D *sabee,* hoc est puteus septem, seu puteus juramenti. In Baptismo etenim infunduntur his, qui baptizantur, septem dona Spiritus Sancti, et ipsi in Baptismo se obligant Deo. *Abraham vero plantavit nemus in Bersabee,* id est, circa fontem Baptismi in Ecclesia fundavit ac stabilivit multitudinem fidelium copiosam, qui sunt arbores fructuosæ simul locatæ.

Digitized by Google

ARTICULUS LXIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : QUÆ POSTQUAM GESTA SUNT, TENTAVIT DEUS ABRAHAM.

RECITATUR deinde magnitudo perfectionis Abrahæ, in obedientia et fide, excellentia quoque promissionum desuper sibi factarum. *Quæ postquam gesta sunt*, hoc est, post expletionem eorum quæ scripta sunt capitulo præcedenti, *tentavit Deus Abraham*. Aliter tentat Deus, aliter caro, aliter mundus, aliterque diabolus. Deus etenim tentat homines, ut probet, ut coronet, ut alios inde ædificet. Tentat, inquam, ut probet, non ut ipse aliquid discat, experiatur, aut sciat, sed ut eum quem tentat, ostendat probatum, fidelem, idoneum : sicque virtus ejus aliis ad eorum ædificationem patescat, sicque is quem tentat, gloriosius coronetur. Diabolus autem tentat ut fallat; caro titillat, et materialiter seu occasionaliter incitat. Qualiter vero intelligendum sit, quod scriptum est alibi, Deus neminem tentat, et de multiplici tentatione ; qualiter etiam tentare diversimode conveniat Deo et mundo ac carni atque diabolo, super septem Canonicas, præsertim Jacobi, diffuse scripsi. (Jacob. I, 13.)

Itaque Deus tentavit Abraham, id est, experimentum seu probationem sumpsit de fide et obedientia ejus ; *et dixit ad eum* in visione nocturna, sive in somno factum sit hoc, sive in vigilia, et per angelicam apparitionem ac subministrationem locutus est : *Abraham, Abraham*. Repetitio nominis, indicium est amoris ac familiaritatis, atque excitandæ attentionis. Circa quod loquitur Origenes : Vir iste prius vocabatur Abram, et nusquam legimus, quod hoc nomine vocaverit eum Deus, aut dixerit ad eum, Abram. Non enim vocandus fuit a Deo nomine delendo, sed nomine quod ipse Deus donavit. *At ille respondit : Adsum*. Forsitan ex vocatione illa, et nominis sui ingeminatione evigilavit, quemadmodum primo Regum habetur de Samuele, qui Deo vocante eum atque dicente, Samuel, Samuel, surrexit de somno, et cucurrit ad Heli. (I Reg. III, 4, 5.) *Ait illi : Tolle*, id est tecum accipe, *filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, et vade in terram Visionis*, id est in Judæam, præsertim in illam Judææ partem, quæ inter montana est sita : quæ dicitur terra Visionis, quoniam ipsa a longe, et de ea a longe videri poterat, ut in Scholastica historia continetur; vel quia in ea habuit Abraham plures visiones seu apparitiones et revelationes divinas, quemadmodum ex præhabitis elucescit. Unde in Isaia Jerusalem seu Judæa vallis Visionis vocatur, quo scribitur, Onus vallis Visionis ; quoniam fuit terra habitationis Prophetarum, quibus copiosissime factæ sunt revelationes et visiones cœlestes. (Is. XXII, 1.)

Quidam per terram Visionis, intelligit montem qui fuit tunc prope Jerusalem, in quo monte Dominus jussit ipsum Isaac sibi offerri : qui mons dicitur terra Visionis, quia ab eo poterat terra promissionis in circuitu late ac longe videri. Sed hoc reprobat Rabbi Paulus, quoniam Deus primo non ostendit Abrahæ montem in quo Isaac immolari debebat, sed terram in qua erat mons ille : et istud apparet verum, præsertim quoniam Deus loquitur de terra Visionis, et de monte isto quasi de duobus locis distinctis, dicendo : Vade in terram Visionis, atque ibi † offer eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. Reprobat quoque Rabbi Paulus, quod dictum est, terram promissionis

potuisse in circuitu conspici a monte præfato : quia visio talis impediebatur per alios montes in circuitu Jerusalem exsistentes. Sed istud non videtur efficaciter dictum. Nam dici posset, quod mons ille fuit altior aliis montibus, imo in Scholastica fertur historia : In summitate montium Judææ, erat monticulus eminentior aliis, dictus mons Moria.

Unde subjungitur : *Atque ibi offer eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi,* id est, ad majestatis meæ honorem, filium tuum carissimum macta sive occide, atque occisum totum corpus ejus combure, ut cineres tantum de ipso remaneant. Istud erat difficillimum opus, in quo obedientia poterat perfecte examinari. Denique Deus volens fidem et obedientiam Abrahæ plene probare, jussit ei occidere filium, de quo jam sæpe promissiones a Deo accepit, quod in ipso vocaretur ei semen, et quod reges et nationes nascerentur ex filio illo. Ea quoque verba protulit Deus, quæ erant maxime inflammativa cordis paterni ad filium illum, dicens : Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, ut ex hoc augeretur difficultas implendi præceptum, et Abrahæ obedientia plenius commendaretur. Hinc etiam jussit Deus, ut iret ad locum ita remotum. Unde Josephus refert : Abraham nimium diligebat ipsum Isaac, quum esset unigenitus, eique a Deo pro munere et in senectute concessus ; et ipse puer parentes suos provocavit ad suum favorem atque amorem, eo quod omni virtuti studeret, et parentum haberet sollicitudinem, et affectum circa Dei religionem. Erat autem unigenitus Abrahæ ex Sara. Nec dubium quin Abraham diligebat Ismaelem ; sed per verba illa, Quem diligis, datur intelligi, quod valde specialiter dilexit Isaac, quemadmodum Evangelista
Joann. xiii, 23; xxi, 7. Joannes, de se ipso dicendo, Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus, insinuat se specialiter dilectum a Domino Jesu.

Insuper, secundum Hieronymum, mons in quo Dominus jussit Isaac immolari, fuit mons Moria, qui postea additus est civitati Jerusalem, et in ea inclusus, in quo Salomon templum construxit, juxta illud : Cœperunt ædificare templum in monte Moria. II Par. iii, 1.
Dicit autem Rabbi Paulus, quod in monte hoc celebrata est passio Christi, et quod in eo Christus se obtulit Patri : quod non est idonee dictum, quia in monte Calvariæ passus est Christus ; tamen in monte isto aut prope fuit cœnaculum, in quo Salvator Marc. xiv, 15, 16.
cum Apostolis agnum comedit paschalem, et altaris instituit Sacramentum.

Igitur Abraham de nocte consurgens : in quo patet fervida suæ mentis promptitudo ad obediendum, quia non præstolabatur usque ad auroram ; *stravit asinum suum,* id est, præparavit eum ad portandum ligna pro holocausto penitus comburendo, *ducens secum duos juvenes,* etc., qui (secundum Hebræos) fuerunt Ismael atque Eliezer. Quod non videtur verum, quantum ad Ismaelem, qui (ut capitulo habetur præhabito) jam fuit de domo Abrahæ separatus, atque in deserto Pharan cœperat commorari. Abraham autem præceptum hoc Dei nec conjugi suæ, nec servorum alicui manifestavit, ne impediretur per eos, ut Josephus scribit. *Quumque conscidisset ligna in holocaustum,* hoc est, pro igne holocaustum consumpturo, quod videtur fecisse antequam iter arripuit, *abiit ad locum quem præceperat ei Deus* accedere. *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum,* videlicet montem, *procul,* et Deo revelante cognovit, quod ille esset mons, in quo filium immolaret. Dicunt vero nonnulli, quod Bersabee, ubi Abraham habitavit, viginti leucis distabat a monte hoc. Denique sanctus hic Patriarcha habuit gratiam discretionis spirituum, qua cognovit quæ revelationes essent vere a Deo, et quod jussio ista tam mira et inaudita, quæ prima facie videbatur naturali juri ac legi contraria, erat ab ipso veraciter.

Dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino. Noluit enim in illorum præsentia filium immolare, ne illi ex com-

Digitized by Google

passione reniterentur aut ulularent. Pueri (A) isti fuerunt duo servi Abrahæ, ut Glossa insinuat. *Ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Videtur sanctus vir in hoc esse mentitus, hoc est, contra propriam mentem seu intentionem locutus, quoniam intendebat filium immolare, nec reverti cum eo. Ad hoc quidam respondent, quod Abraham dixit verba ista prophetice, non tamen advertens quid diceret. Non enim intendebat quod Isaac reverteretur cum eo, idcirco non fuit prophetia proprie di- (B) cta, ad quam præcipue pertinet intellectus propheticorum verborum, juxta illud
Dan. x, 1. in Daniele, Intelligentia est opus, hoc est principale in visione; sed fuit prophetia large accepta, quoniam Spiritu Sancto movente, sic protulit verba, sicut futurum erat. Verum contra hoc objici potest. Nam Abraham ex deliberatione et proposito protulit verba hæc, ergo sensum eorum advertit, et aliquem sensum intendebat in eis, sicque advertit quid dixit. Aut ergo intendebat pueris insinuare, quod ipse cum (C) filio suo, adoratione completa, rediret ad eos, aut non : si sic, ergo videbatur contra intentionem propriam loqui; si non, ergo nihilo minus fuit ibi falsa et fallax significatio horum verborum. Ad istud videtur posse dupliciter responderi : primo, quod verba Abrahæ vera erant juxta illum loquendi modum, quo duo seu plures dicuntur aliquid facere, quod unus aut quidam eorum efficiunt : juxta quod genus
Matth. xxvi, 8. loquendi quidam exponunt, quod discipuli leguntur indignati propter effusionem un- (D)
Ibid. xxvii, 44. Luc. xxiii, 39. guenti super caput Salvatoris, et quod latrones improperabant ei in cruce. Secundo, quod Abraham indubitanter credebat filium suum a Domino suscitandum, si immolaretur : sicque tam se quam filium suum credebat rediturum ad pueros, sive simul et statim, sive seorsum ac successi-
Hebr. xi, 17. ve. Ait quippe Apostolus ad Hebræos : Fide Abraham obtulit, id est, offerre proposuit Isaac, in quo susceperat promissiones, arbitrans quia et a morte suscitare potens est Deus. Hinc loquitur Augustinus : Quum Abraham immolaturus fuisset filium, laudatur credidisse confestim suscitandum eumdem; nec hæsitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus. Alcuinus quoque : Indubitanti, inquit, animo mactare filium Abraham voluit, laudabilis in constantia offerendi, et in fide suscitandi.

Tulit quoque ligna holocausti, id est, Abraham deposuit ligna illa de dorso asini, *et imposuit super Isaac filium suum :* quod factum est ordinante sic Spiritu Sancto, propter mysterium infra tangendum. *Ipse vero portabat in manibus* suis *ignem et gladium.* In una etenim manu portavit ignem, ad comburendum corpus filii immolandi; in alia, gladium ad mactandum. *Quumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna* hic sunt : *ubi est victima holocausti,* id est hostia quæ in holocaustum offeretur? Circa hoc loquitur Origenes : Quomodo, putas, filius mox immolandus, per verba hæc viscera concussit paterna? Iterum ait circa verba paulo ante posita, scilicet, Ego et puer, quum adoraverimus, revertemur : Dic mihi, Abraham, vere dicis hoc, an fallis? Si vere, ergo non offers filium; si fallis, hoc tantum Patriarcham non decet. Verum, inquit, dico : et holocaustum offero puerum, et cum ipso redeo ad vos; quoniam fides mea hæc est, quod potens est Deus eum suscitare a mortuis. *Dixit autem Abraham : Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Quidam dicunt, quod Abraham dixit istud prophetice, quia arietem fuerat oblaturus. Verumtamen sicut Abraham putavit se statim oblaturum proprium filium, ita per verba hæc, quibus veritatem caute celavit, intendebat ad litteram dicere, Deus exhibebit mihi, quid immolem ei, utpote te ipsum, inspirando tibi piam voluntatem, qua absque rebellione accedes, ut immoleris in holocaustum.

Pergebant ergo pariter, et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo

Digitized by Google

ædificavit Abraham *altare,* etc. : in quo loco construxit et Salomon postea altare, secundum Hebræos. Aliqui etiam dicunt, quod Abraham fecit altare illud de terra. Unde in Scholastica historia legitur : Statuit aram de terra. *Quumque colligasset Isaac filium suum.* Non ideo ligavit filii sui manus ac pedes, ne filius non ligatus, effugeret sive resisteret, quia nec potuisset ligare invitum, et antequam incepit eum ligare, exposuit ei divinum præceptum de sua immolatione, et cur ligaretur. Cur ergo eum ligavit? Respondetur, ut in hoc servaretur ritus quo et alia animalia quæ in holocaustum immolabantur, ligata offerebantur ; et ut per hoc Christi ligatio atque in cruce confixio figurarentur ; vel etiam ne Isaac ex naturali mortis horrore se forsitan tempore percussionis moveret. Mortem enim naturaliter refugiebat, quum de beatissimo principe Apostolorum Christus prædixerit : Alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Et rursus, quatenus ex ista colligatione magis commendaretur obedientia et constantia Abrahæ, et subjectio ac patientia Isaac. *Posuit eum in altare,* hoc est super altare illud, videlicet *super struem lignorum,* id est super ligna illa quæ super altare ordinate composuit, ut super ea filius suus apte jaceret ad occidendum et comburendum.

Joann. XXI.

Præterea circa hoc Josephus asserit, quod Abraham dixit ad Isaac : Sicut ex voluntate Dei ingressus es mirabiliter mundum, et precibus magnis impetratus a Domino, gaudioseque natus, sic oportet te mirabiliter egredi mundum : ideo Dominus jussit te ei offerri, quasi quem dignum judicavit mori non ægritudine, peste, gladio, aut aliqua passione humana. His verbis (ut recitat Lyra) Josephus dicit Abraham addidisse : Sicque Deus recipiet animam tuam secum perpetuo. Subditque Lyra, quod verba Josephi vera sint, dempta ultima ista particula, quod scilicet Dominus dixerit Isaac animam secum perpetuo permansuram. Nam Deus multa prædixit futura per Isaac, quæ tunc nondum erant impleta.

A Verumtamen in Scholastica historia verba Josephi aliter, veriusque (ut censetur) narrantur, quum dicitur : Deus dignum duxit, animam tuam vocare ad se cum sacrificiis et orationibus, et suscitabit te propter promissiones implendas : sicque Isaac libens et promptus accessit ad aram ac mortem. Attamen istam particulam, Suscitabit te, etc., non inveni in Josepho, sed Apostolus in epistola ad Romanos testatur, quod Abraham arbitrabatur Deum posse filium immolatum a morte resuscitare. Insuper B Josephus dicit, et communiter sic allegant expositores, quod Isaac erat tunc triginta quinque annorum. Ex quo patet, quod pater suus non colligavit eum invitum.

Rom. IV, 17.

Verumtamen Rabbi Paulus his contradicit, quia si sponte accessisset ad immolationem, hoc fuisset maxime meritorium, et non minus quam quod Abraham voluit eum offerre : sicque valde mirabile esset, quod scriptura ista non commendaret Isaac de tantis meritis suis, sicut commendat Abraham de obedientia sua. Hinc Rabbi C Paulus allegat, et sequitur quosdam Hebræos, dicentes quod Isaac erat tunc quindecim annorum, et quasi invitus accessit ad aram ; nec tamen sit inde culpandus, quia adhuc in puerili fuit ætate, in qua nondum habebat perfecte usum liberi arbitrii, et hoc probat, quia in littera puer vocatur. Non enim habetur in Scriptura, ut homo triginta annorum et ultra vocetur puer. Sed omnia ista Rabbi Pauli verba videntur inepta, et sæpius miror quod loquitur tam indocte. Nam dato quod Isaac D non fuisset nisi quindecim annorum, tamen tantæ fuisset ætatis, quod satis compos exstitisset mentis, satisque libero utens arbitrio ad promerendum ac demerendum. Et si invitus accessisset ad immolationem, postquam pater suus vir tam sanctus retulit sibi id esse a Deo præceptum, fuisset ex hoc valde culpandus. Denique consequenter in littera evidenter insinuatur, quantam gratiam Deus præstiterit ipsi Isaac, et benedixerit eum : per quod obedientia ejus manifestatur, approbata ac remunera-

ta a Domino. Josephus quoque narrat, quod Isaac auditis verbis patris sui, delectatus fuit in sapientia ejus, et libentissime ea accepit, dicens se paratum obedire, etiam si solus pater suus id sibi præciperet; imo melius sibi esse non nasci, quam non obedire voluntatibus Dei ac patris sui. In Scripturis quoque non solum homines triginta annorum et amplius, imo et plusquam quadraginta annorum, pueri appellantur.
Zach. II, 4. Unde in Zacharia habetur, quod angelus unus dixit ad alium : Curre et loquere ad puerum istum, videlicet ad Zachariam prophetam, qui tunc erat grandævæ ætatis. Christus quoque post resurrectionem dixit
Joann. XXI, 5. Apostolis : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Inter quos fuit sacratissimus Petrus, qui tunc erat multo plusquam triginta annorum : imo Joannes apostolus tunc erat annorum triginta aut plus; siquidem sexagesimo nono post Christi passionem anno defunctus est, quum centenarius esset.

Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Assumpsit etenim cor virile et constans, ac animum pro fidei efficacia rigorosum, quum tamen sanctus Abraham esset naturaliter valde mansuetus, pius ac dulcis. *Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit,* etc. *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam* læsionis aut pœnæ. *Nunc* satis probata et declarata est fides et obedientia tua, nec innocentis filii tui sanguinem sitit Deus, sed tuarum declarationem virtutum, ad ædificationem aliorum. Dicit autem Hieronymus, et habetur in Glossa præcedentis capituli : Verum est illud linguæ Hebraicæ idioma, quod omnis filius ad comparationem parentis, infans vocatur et parvulus. Romæ quoque usque hodie, omnes filii infantes dicuntur. Hæc Hieronymus. In Scriptura etiam servi ac subditi, communiter pueri nuncupantur. Nunc *cognovi,* id est, per istum virtuosum effectum jam radicaliter alios cognoscere feci, *quod timeas Deum* filiali timore, *et non pepercisti filio tuo unigenito propter me,* id est, paratus eras occidere eum mei intuitu et amore, atque ad majestatis meæ honorem. Hanc communem hujus verbi, Cognovi, expositionem reprobat aliqualiter Rabbi Paulus, quia per istum effectum ipse Abraham cognoscere fecit se Deum timere : sicque aptius dixisset Scriptura seu angelus, Nunc cognoscere fecisti, etc. Sed ista objectio nullius vigoris est, quoniam Deo jubente, inspirante et confortante, Abraham fecit hoc opus : ideo magis adscribendum est Deo quam Abrahæ. Posset tamen expositio Rabbi Pauli, verbum præfatum metaphorice exponentis, aliquo modo salvari, ut sit sensus : Nunc cognovi, id est, per modum cognoscentis aliquid de novo me habeo, quia viso isto effectu, majora tibi promitto quam ante. Hæc autem verba locutus est angelus in Dei persona.

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio, id est loco seu vice filii sui quem obtulisset. Dicunt Hebræi, ut recitat Lyra, quod aries ille fuit ibi paratus a creatione mundi, hoc est, a sexta die, qua primo facta sunt animalia terræ : quod rationi et Scripturis contrariatur, nec dignum est reprobatione. Aliqui autem dixerunt, quod aries fuit ibi de novo formatus; sed verius creditur, quod angelico ministerio fuit ibi de novo adductus, quod et Rabanus protestatur. Præterea dicunt Judæi, Isaac ab immolatione liberatum, et arietem pro eo oblatum prima die Septembris, in cujus rei memoriam tunc solennizant, et cornibus pecorum clangunt, quod vocant festum tubarum. *Appellavitque* Abraham *nomen loci illius, Dominus videt.* Vel quia Deus ibi pie et per approbationem adspexit ipsum Abraham et opera ejus ; vel quia fecit ibi videri seu cognosci obedientiam ejus ac filii sui. *Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit :* hoc est, ipsi Judæi nomen illud complexum, Dominus videt, traxerunt in verbum vulgare, ita quod quando in angustiis positi sunt,

Digitized by Google

dicunt : In monte Dominus videbit, id est, A sicut Deus misertus est Abrahæ et Isaac in monte illo, Abraham revocando ab interfectione carissimi filii, et ipsum filium ab occisione, sic misereatur et nostri.

Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus. De hoc Dei juramento tractat diffuse Apostolus ad Hebræos, dicendo : Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum. *Hebr.* VI, *Quia fecisti rem hanc,* etc., id est, B paratus fuisti unigenitum tuum mihi offerre, et multa ad hoc dispositiva egisti, *benedicam tibi,* augendo in te spiritualia ac temporalia bona, *et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris,* hoc est innumerabiliter, ut sæpius expositum est. Tamen quod ait, Sicut stellas, coaptatur ad bonos atque electos, qui splendent instar stellarum, in præsenti per gratiam, et in regno per gloriam. Porro quod ait, Et velut arenam, aptatur malis et reprobis, tam ex C Esau quam ex Ismaele, et aliis Abrahæ filiis, natis, cupidis ac terrenis. Nihilo minus, ut in libris Moysis patet, hinc inde utrumque frequenter ad electos refertur. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,* id est, posteri tui adversarios suos debellabunt, eorumque urbes ac patrias possidebunt : quod sub Josue ac postea sæpe constat impletum ; *Josue* XIV, XV. *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,* hoc est in Christo, videlicet in ipso credendo, ut supra plenius fuit elucidatum. In fide etenim Christi, et virtute ac merito suæ saluberrimæ passionis, multi ex omni hominum natione consequuntur salutem. D *Quia obedisti voci meæ.* Non est hoc intelligendum, quod obedientia Abrahæ promeruit de condigno, ut in semine suo, puta in Christo, omnes gentes benedictionem consequerentur : imo hoc Christus proprie meruit, cujus meriti meritum obedientiæ fuit figura ; sed et de congruo obedientia Abrahæ aliquo modo cooperabatur ad hoc, ut causa meritoria dispositiva. His promissionibus Dei auditis, Abraham et Isaac, qui ambo eas audierunt, osculabantur se invicem cum gaudio magno, et præter spem se amplectebantur.

His itaque gestis, nuntiatum est Abrahæ, quod Melcha genuisset filios Nachor fratri suo, id est, quod ipsa Melcha soror Saræ uxoris Abrahæ, peperisset suo marito nomine Nachor, qui fuit Abrahæ frater, filios ; *primogenitum Hus,* de quo (secundum Hieronymum) natus est sanctus Job, in cujus exordio libri habetur : Vir fuit in *Job* I, 1. terra Hus, nomine Job, ut plenius scripsi ibidem ; *et Buz fratrem ejus,* de quo natus est Eliu filius Barachel Buzites, qui nimis arroganter ac fervide contra Job disputavit. *Ibid.* XXXII *et seq.* Circa hæc scribit Hieronymus, et habetur in Glossa : De stirpe Hus descendit Job. Male ergo existimant ipsum Job esse de stirpe Esau. Nam quod in fine libri Job habetur, quod de Syro sermone translatus sit, et quartus ab Esau, et reliqua quæ ibi continentur, in Hebraico non habentur. Post Hus, natus est de Melcha Buz, ex cujus genere fuit Balaam divinus, sicut Hebræi *Num.* XXII, 5 *et seq.* tradunt, qui in Job dicitur Eliu : primo vir sanctus et prophetes Dei, qui dum postea per inobedientiam et desiderium munerum, populum Israel maledicere cupivit, divinus vocatus est. Hæc Hieronymus. *Camuel quoque patrem Syrorum,* qui ab eo exorti sunt. Porro (secundum Hieronymum) Camuel est pater Damasci, pro qua hic ponitur Syria. *Et Bathuel.* Propter hunc Bathuelem, qui est unus de octo filiis Melchæ, recitatur hic generatio ista, quia de Bathuele nata est Rebecca, de qua infra habetur, qualiter facta sit Isaac uxor. Qualiter autem Thare habuit tres filios, scilicet Abraham, Nachor et Aran, et quod Abraham duxerit Saram filiam fratris sui, nomine Aran, in conjugem ; Nachor vero acceperit Melcham filiam Aran in uxorem, ita quod uxores Abrahæ et Nachor fratris sui, fuerunt sorores, quarum frater fuit Lot, scriptum est supra undecimo capitulo.

Digitized by Google

ARTICULUS LXIV

EXPOSITIO MYSTICA EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SECUNDI.

ABRAHAM frequenter designat quemcumque fidelem ac justum. Quemadmodum in exordio hujus capituli tentavit Deus Abraham, de quo scriptum est in libro Judith, Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est; et in primo libro Machabæorum, Abraham in tentatione inventus est fidelis : sic et Deus electos suos ac justos in hoc sæculo multipliciter tentat, exercet, flagellat, quemadmodum scriptum est, Tanquam aurum in fornace probavit electos. Hujus igitur Patriarchæ exemplo conemur in omni tentatione, adversitate et jussione esse fideles, constantes, atque promptissime obedientes. *Tolle filium tuum unigenitum,* etc. Sic et nos debemus Dei intuitu et amore omnem hominem, quantumcumque nobis dilectum, familiarem aut singularem hortari, ut Deo totum se mancipet; et propter ipsum universa relinquens, caritate succendi, et nil sui sibi relinquere, totusque Dei esse nitatur : et ita se offerat super unum montium, quem Deus sibi monstraverit, hoc est, in aliquo ordine sancto, quem ei inspiraverit Spiritus Sanctus.

Judith VIII, 22. I Mach. II, 52. Sap. III, 6.

Insuper Abraham, in quantum obtulit per mentis promptitudinem filium suum carissimum, habet figuram Dei Patris, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Sic enim (ut Evangelista testatur) Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Per hoc quoque, quod Deus præcepit sibi Isaac immolari in terra Visionis et monte sublimi, præfigurabatur, quod in eadem terra et monte Calvariæ offerendus fuerat Christus. Rursus per hoc, quod Abraham ducens Isaac ad offerendum, duxit secum et juvenes duos, significatum est, quod Deus Pater duos populos, scilicet gentiles et Judæos, Christo per fidem conjunxit, qui et ejus passione redempti sunt. Et juvenes illos non permisit Abraham interesse immolationi filii sui, per quod significatum est, quod solus Christus pro mundi salute sit passus, et item quod tempore suæ passionis quasi omnes recesserunt ab eo. Vixque perpauci manserunt in fide, propter quod ait in Psalmo : Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Per hoc vero quod Abraham eis locutus est, *Exspectate hic cum asino, ego et puer,* etc., *revertemur ad vos,* præfigurabatur, quod post Christi passionem multi ex eis fuerant convertendi, per quorum asinum potest eorumdem infidelitas et stultitia designari.

Rom. VIII, 32. Joann. III, 16. Matth. XXVI, 56. Ps. LXVIII, 21.

Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum. Hoc fuit præfiguratio evidens, quod Deo Patre volente, unigenitus Filius suus propriis humeris crucem suam bajulavit usque ad supplicii sui locum. Nec mirum si Deo Patri adscribatur, quod crudeles perfidissimique Judæi animo fecerunt perverso, quum princeps Apostolorum testetur : Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Nempe quod illi fecerunt intentione nequissima, Deus fieri voluit, in quantum per Christi passionem procurata est mundi salvatio. Hinc subditur : *Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium.* Per ignem ardor amoris, per gladium rigor justitiæ datur intelligi. Itaque Pater æternus portavit in manibus, hoc est, in omnipotentia et efficacia sua habebat tantam ad homines caritatem, tantum quoque justitiæ zelum con-

Act. III, 18.

tra eorum iniquitates, quod Unigenitum A suum dedit ad patiendum, ut nec genus periret humanum, nec peccatum maneret inultum. Insuper per altare quod Abraham ædificavit, intelligitur mons in quo passus est Dominus, vel caritatis sublimitas, in qua et ex qua tanta pro nobis pati dignatus est. Per ligna vero, crux Salvatoris super quam positus et affixus est. At vero quod non Isaac, sed aries pro eo fuit oblatus, hoc signat, quod caro Christi seu ejus humanitas supplicia toleravit ac mortem, deitate ipsius impassibili permanen- B te. Quemadmodum autem aries ille inter vepres hærebat, sic Christus inter homines ambulans et conversans, ab eis sustinuit multa; imo eorum infidelitas, ingratitudo, perversitas super omnia sibi displicuit, Marc. IX, propter quod dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos?

Amplius, locus seu lignum in quo passus est Filius Dei, rite vocatur, *Dominus videt :* quoniam hostia ibi oblata, fuit acceptissima Patri, qui crucem et vulnera Filii sui intuendo, invocantibus se propi- C tiatur, et inspicit eos. Unde usque in præsens dicere possumus, *In monte Dominus videbit,* hoc est, quando sumus in tribulationibus et tentationibus constituti, ad hoc verba ista proferre debemus, quatenus Deus misereatur nostri in eis, sicut misertus est nostri, quando Filium suum voluit crucifigi pro nobis. Verumtamen (secundum Rabbi Paulum) in Hebræo habetur, Appellavit nomen loci illius, Dominus videat : ut nomen istud sit quasi oratio. Sic enim Christus oravit Patrem, ut merito suæ passionis misereretur hominibus. Secundum Hieronymum quoque, in Hebræo habetur : Unde usque hodie dicitur, In monte Dominus videbitur. Visus est enim Deus incarnatus in monte Calvariæ pendens, atque in monte illo nunc usque per fidem conspicitur : imo per meditationem dominicæ passionis et crucis, ad deitatis contemplationem ascenditur, ejusque beatifica fruitio obtinetur. Postremo per hoc, quod Deus promisit cum juramento tam multa et magna Abrahæ patriarchæ, postquam Isaac paratus fuit offerre, utpote quod semen suum innumerabiliter multiplicaret, et in semine suo cunctis benediceret gentibus, suamque posteritatem præponeret ac faceret suis hostibus dominari, quid aliud videtur præfiguratum, nisi quod Christo passo, omnes populi, tribus et linguæ conversi sunt? *Tuncque reversus est Abraham ad pueros suos :* id est, gentiles ac Judæos invitavit Deus ad Christi communionem, fidem ac legem, illorumque plurimos ac prorsus innumerabiles Christo incorporavit, et simul cum eis habitavit in Bersabee, quia in Ecclesia habitat Deus, et in cordibus demoratur fidelium.

ARTICULUS LXV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : VIXIT AUTEM SARA CENTUM VIGINTI SEPTEM ANNIS.

SCRIPTURA hic recitat Saræ mortem D ac sepulturam. *Vixit Sara centum viginti septem annis, et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan.* Quum enim redisset Abraham cum suis a Bersabee ad convallem Mambre, et habitaret ibidem, obiit Sara in urbe Arbee, quæ alio nomine dicitur Hebron. Et dicitur Arbee, secundum Hieronymum, id est quatuor, quoniam ibi prope in agro sepulti sunt quatuor Patriarchæ cum suis uxoribus, scilicet Adam et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lia. Unde constat, quod tempore Abrahæ non

Digitized by Google

est urbs illa hoc nomen sortita, saltem ista ex causa, sed postea ex eventu. *Venitque Abraham ut plangeret et fleret eam,* id est, mente et corpore de ejus morte lamentaretur, quam tam singulariter ac sincere dilexit. Verumtamen sicut spiritualiter ac sapienter eam amavit, sic moderate eam deflevit. Sed quum Sara fuerat mulier sancta, quare Scriptura non recitat eam obiisse in senectute bona, et plenam dierum, sicut refert de Abraham et aliis sanctis viris quibusdam ? Forsitan ideo, quia non est consuetudinis Scripturarum, mortem feminarum quamvis sanctarum, tam solenniter describere sicut virorum.

Quumque surrexisset ab officio funeris : ex quo patet, quod iste adventus Abrahæ, quo venit deflere Saram, intelligatur de celebri et aperto planctu, quem in ejus fecit exsequiis; *locutus est ad filios Heth,* qui habitabant ibidem, et ab illo Heth, Hethæi sunt appellati. *Advena sum et peregrinus apud vos,* quia de terra Chaldæorum ac Mesopotamia huc veni ad habitandum, tanquam in terra aliena; *date mihi jus sepulcri vobiscum.* Non dixit, Vendite mihi jus sepulcri, quia non licet vendere nec emere jus sepulturæ, sicut nec jus primogenituræ, neque jus patronatus, quum inter sacra spiritualia computentur, aut eis annexa sint. Idcirco quod spirituale fuit, petiit Abraham sibi gratis dari, aut si tale quid emit, suam vexationem intelligitur redemisse. *Ut sepeliam mortuum meum,* id est defunctam conjugem meam, sumendo masculinum pro femineo. Vel, mortuum meum, hoc est exanime corpus seu cadaver conjugis meæ, quod meum est, seu ad meam pertinens curam, quantum ad sepulturam. *Responderunt : Audi nos, domine.* Ex curialitate vocabant Abraham dominum, quia vir magnus, potens, dives ac sapiens erat; ideo addiderunt : *Princeps Dei es apud nos.* Alia littera habet : Rex Dei es, id est, vir principalis, ob tuam sapientiam ac virtutem, quasi regio dignus honore, quem tanquam principem honoramus, et cujus pru-

A dentia informamur. *In electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum,* id est in uno sepulcrorum nostrorum honorabiliori; *nullusque te prohibere poterit, quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum,* hoc est, in monumento quod amplius decet venerabilem conjugem tuam, sepelias eam. *Surrexit Abraham, et adoravit,* id est suppliciter honoravit, ac cultu duliæ venerabatur, *populum terræ* illius, *filios videlicet Heth,* regratiando eisdem de tanta benevolentia et pietate eorum ad se, et B ad mortuum suum. Erant enim inter suos excellentes personæ, ita quod adoratio duliæ poterat eis impendi.

Dixitque ad eos : Si placet animæ vestræ, ut sepeliam mortuum meum, intercedite apud Ephron, id est, ipsum Ephron rogate, *ut det mihi speluncam duplicem quam habet in extrema parte agri sui ; pecunia digna tradat mihi eam in possessionem sepulcri,* etc., id est ad hoc, ut in ea juridice, justoque titulo mortuum meum sepeliam. Noluit enim Abraham sepelire C conjugem suam cum infidelibus, aut in eorum sepulcris, sed in primorum sepulcro parentum; nec voluit ut ibi sepelirentur infideles cum ea : ideo voluit emere agrum, in quo erat spelunca, ne quis alius haberet interesse ad illam. Denique ex sequentibus constat, quod intendebat emere agrum, non directe speluncam, sed ex consequenti, in quantum pertinebat ad agrum : quod non fuit illicitum. Non enim fuit ager iste consecratus ad mortuorum sepulturam; ideo licite emebatur : sicut D nunc licite emitur fundus aliquis, pro construenda ecclesia aut cœmeterio consecrando.

Responditque Ephron, etc. : *Agrum trado tibi, et speluncam quæ in eo est,* etc. *Adoravit Abraham coram Domino et populo terræ,* adorando Deum adoratione latriæ, seu ipsum Ephron reverentia duliæ, tanquam principem inter suos. *Et locutus est ad Ephron, circumstante plebe ejus : Quæso ut audias me. Dabo pecuniam pro agro,* etc. *Responditque Ephron :*

Digitized by Google

Domine mi, audi me. Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti valet : istud est pretium inter me et te; sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quasi dicat, Modicum ; nec pro tam modico decet me facere difficultatem tantam ad sepeliendum mortuum tuum. *Quod quum audisset Abraham, appendit pecuniam,* etc., id est, tantum dedit ipsi Ephron, ut postulavit. Circa quod dicunt Hebræi, et idem videtur sentire Hieronymus et alii multi, quod quamvis Ephron primo se habuit circa Abraham multum liberaliter et honeste, præbendo agrum cum spelunca omnino gratis, postea tamen se habuit cupide, agrum valde care vendendo, quia videbat intensum Abrahæ appetitum ad agrum illum habendum. Vel, quia reprehensibilis fuit, vendendo memorias mortuorum, quamvis quasi coacte : ideoque nomen ejus mutatum est partim, quia quum ante vocaretur Ephron, quod interpretatur perfectus seu confirmatus, postea dictus est Ephran, id est infirmus seu imperfectus. Circa quod ait Glossa : Sciant ergo qui sepulcrorum accipiunt pretium non a cogentibus, sed nolentibus, nomen suum mutari, et aliquid de merito eorum perire, quum reprehendatur et ille qui invitus istud accepit.

Confirmatusque est ager quondam Ephronis, id est, ager ille de cetero legitime est translatus ad dominium Abrahæ ; *in quo* agro *erat spelunca duplex, respiciens Mambre,* etc., hoc est, sita ex opposito vallis Mambre seu urbis Hebron, quæ fuit sita ibidem ; atque sic sepeliebat Abraham uxorem suam in spelunca duplici, id est in una speluncarum illarum, de qua in Scholastica recitatur historia : Erat autem spelunca duplex rupes, naturaliter vel artificialiter duas speluncas habens, quam emit Abraham in sepulturam generi suo. In superiori sepeliebantur viri ; in inferiori mulieres. Tamen Adam et Eva erant jam ibi sepulti. Hæc ibi. Hinc alii dicunt : Duplex quædam ædificatio fuit ibi, prout solent monumenta apud quosdam ædificari : una superior, alia inferior. Aliqui vero dicunt, quod ambæ speluncæ erant in eadem planitie. Cetera patent.

Porro, juxta spiritualem intelligentiam, potest per Saram intelligi, quæcumque fidelis ac virtuosa persona, quæ huic sæculo spontanee moritur, ut Christo quietius vivat. Cujus civilem mortem deplangit bonus prælatus, per Abraham designatus, in quantum talis persona fuit ad aliorum directionem et informationem quodammodo necessaria aut multum idonea : quæ in spelunca duplici sepelitur, dum in sacra religione monastica et vita contemplativa seu solitaria mansione absconditur. Sensus spiritualis.

ARTICULUS LXVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ERAT AUTEM ABRAHAM SENEX, DIERUMQUE MULTORUM.

CONSEQUENTER describitur, qualiter Abraham filio suo Isaac procuravit uxorem. *Erat autem Abraham senex, dierumque multorum.* Erat quippe centum triginta septem annorum quando obiit Sara : nam decem annis fuit senior ea, quæ centum viginti septem annorum exsistens, defuncta est, ut patet præcedenti capitulo ; atque triennio post hoc, quum jam esset centum quadraginta annorum, accepit filio suo quadragenario conjugem, prout disseruit Augustinus. Idcirco subjungitur : *Dixitque ad servum seniorem domus suæ,* id est majorem inter ceteros servos suos domesticos, *qui præerat omnibus quæ habebat* tanquam procurator et dispensator,

Digitized by Google

qui vocabatur Eliezer, de quo capitulo quintodecimo habitum est : *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum, Deum cœli et terræ.* Cur Abraham servum suum adjuraturus, præcepit ei manum suam ponere sub femore adjurantis, videlicet Abrahæ ? Respondet Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod in sanctificatione Abrahæ, id est per circumcisionem ejus juravit, ideo fecit servum ponere manum sub femore suo, quia circa locum illum fit circumcisio. Nos autem dicimus servum jurasse in semine Abrahæ, hoc est in Christo seu per Christum, qui nasciturus erat ex Abraham. Generatio autem femori solet adscribi, juxta quod
Gen. XLIX, 10. infra habetur : Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus. Itemque :
Ibid. XLVI, 26. Omnes animæ quæ egressæ sunt de femore Jacob. Itaque servum habentem manum sub femore suo, Abraham adjuravit per Deum cœli, quoniam Deum cœli noverat ex se et femore suo incarnandum ac nasciturum. Hinc ait Gregorius : Manum sub femore jubet ponere, quia per membrum illud descensura fuit caro illius, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, et Dominus ejus ex deitate. Quasi dicat : Tange filium meum, et jura per Deum meum. Unde non super femur, sed sub femore manum ponere jussit, quia inde fuerat nasciturus, cujus caro super omnem carnem exstitit exaltanda.

Circa hoc quæri potest, an et servus iste juravit. Videtur quod non, quoniam Abraham ipsum adjuravit, ut textus fatetur. Dicendum, quod sicut ex littera mox sequenti habetur, non solum Abraham adjuravit suum ministrum, sed et ille juravit. Quocirca iterum quæritur, an liceat aliquem adjurare. Videtur quod non, quia non licet jurare. Unde et Origenes affirmat : Non oportet ut vir volens secundum Evangelium vivere, adjuret aliquem. Si enim jurare non licet, nec adjurare. Ad hoc Thomas respondet : Qui jurat juramento promissorio per reverentiam divini nominis, se ipsum immobiliter obligat

A ad solvendum quod promittit. Quemadmodum autem homo se ipsum ordinare potest ad aliquid peragendum, ita et alios : superiores quidem deprecando, inferiores autem jubendo : sicque superiores propter necessitatem possunt inferiores suos tali genere adjurationis constringere. Porro si quis aliquem sibi non subditum, velit ad aliquid agendum compellere per divini nominis invocationem, usurpat sibi potestatem alienam, et peccat.

Itaque, Adjurem te, *ut non accipias uxo-*
B *rem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris,* videlicet ad Mesopotamiam, et ad urbem nomine Haran, atque ad consanguineos meos ibi morantes, *et inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Cur Abraham istud præcepit ? Respondetur, quia sciebat quanta bona Deus promiserat filio suo Isaac ac posteris ejus. Quorum bonorum Abraham affectavit suam cognationem participem fieri magis quam alienos. *Respondit servus : Si no-*
C *luerit mulier venire mecum,* quæcumque fuerit illa, hoc est, si puellam filio tuo aptam, et mecum venire volentem, non potero invenire : *numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es,* videlicet ad Chaldæam in qua natus es, vel ad Mesopotamiam ex qua huc venisti ? *Dixitque Abraham : Cave ne quando reducas filium meum illuc.* Hoc idcirco prohibuit Abraham, quoniam promisit Deus posteris suis terram Chanaan, in qua tunc cum Isaac morabatur, in qua noverat
D Christi mysteria esse implenda. Ideo subdit : † *Deus cœli qui tulit,* id est exire fecit, *me de domo patris mei,* etc., *qui juravit mihi, dicens : Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te,* id est, angelum suum sanctum faciet te invisibiliter præire, dirigere, conservare, *et accipies inde uxorem filio meo.* Hoc Abraham, Deo revelante, cognovit futurum, et prophetice prædixisse videtur; vel fuit verbum bonæ spei in Deo. *Sin autem mulier noluerit sequi te, non tene-*

Digitized by Google

beris juramento, etc., quia per juramentum seu adjurationem nolo te ad impossibilia obligare. Hoc etenim esset contra proprietatem juramenti, cujus tres comites sunt, judicium, id est discretio, veritas atque justitia. Et si quidquam contra aliquid horum trium juratur sive promittitur, non tenet simpliciter, nec obligat absolute.

Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc, id est, juravit quod verba ista pro posse impleret. *Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum.* Cameli enim fortia animalia sunt, ad portandum homines et res eorum. Portavit itaque secum pretiosa clenodia, et præsertim ea quæ rara erant in Mesopotamia, ad dandum munuscula atque jocalia puellæ aptæ, et secum venire volenti, ac ejus propinquis. Portavit quoque copiam auri et argenti ac necessariarum rerum in via, tam propter viaticum longi itineris, quam ad ostendendum opulentiam Abrahæ, ut per hoc puella et ejus propinqui citius assentirent causæ propter quam venit. *Profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor :* quæ urbs vocabatur Haran, in qua Nachor frater Abrahæ mansit habitans, Abraham inde egresso ad intrandum terram Chanaan, ut capitulo duodecimo patuit. Circa hoc Josephus ait : Multo labore ac tempore pervenit servus ille in Mesopotamiam, quoniam tempore hiemali est ibi luti profunditas, et tempore æstivali penuria aquæ. In saltibus quoque latrones sunt.

Quumque camelos fecisset accumbere, etc., id est quiescere ac refici, quos nolebat introducere impotens, oravit Dominum, dicens : *Domine Deus domini mei Abraham :* nam Deus omnium, erat tanto specialius Deus Abrahæ, quanto gratiosius habuit se circa eum, et quanto ipse Abraham devotius coluit Deum ; *occurre, obsecro, mihi hodie,* id est, pietatis tuæ effectum mihi nunc evidenter impende ac

A monstra, *et fac misericordiam cum domino meo Abraham,* providendo ejus filio de uxore idonea. Deinde describitur signum, quod servus iste in se excogitavit, per cujus eventum posset cognoscere, quod Deus prosperum iter suum fecisset, et quæ esset puella filio Abrahæ divinitus prævisa ac præparata : utpote quod illa esset quæ sibi petenti porrigeret potum, et non sibi dumtaxat, sed et camelis, præsertim aliis mulieribus id sibi negantibus, ut adjicit Josephus, quamvis hoc non exprimatur in textu ; alias non videtur fuisse in signo illo aliquid rarum aut magnum, quamvis quidam hoc reprobet. *Ecce ego sto prope fontem aquæ,* id est puteum, *et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam.* Fuit enim consuetudo ibi, ut pariter egrederentur pro aqua, quæ ibi non abundavit, sed cara fuit.

B

Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam, et illa responderit, Bibe, etc. *Necdum intra se verba compleverat,* id est, nondum ista plenarie cogitavit, *et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel,* etc., *habens hydriam in scapula sua,* etc., in qua jam hauserat aquam. *Occurritque ei servus* Abrahæ : ex quo apparet, quod interim dum Rebecca puteum accessit, et aquam hausit, servus Abrahæ parum discessit a puteo, et redire illuc incepit, quum ipsam Rebeccam viderat a puteo regredi ; *et ait : Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua,* etc. *Quumque ille bibisset, adjecit : Quin et camelis tuis hauriam aquam,* etc. *Effundensque hydriam in canalibus,* id est receptaculis illis aquarum, ex quibus animalia bibebant, quæ receptacula erant magna ligna aut saxa cavata, quæ nunc canales vocantur, *recurrit ad puteum,* etc. Ex quibus patet magna obsequiositas, caritas, pietasque Rebeccæ, quod circa virum alienum ignotum tam amorose se habuit : imo, secundum Josephum, increpavit puellas tanquam inclementes, quæ potum aquæ negaverunt peregrino. *Postquam au-*

C D

Digitized by Google

tem biberunt cameli, protulit vir, scilicet A servus Abrahæ, *inaures aureas appendentes,* id est valentes, *siclos duos,* ita quod vel ambæ simul fuerunt tanti valoris, aut unaquæque earum. Dedit equidem puellæ duas inaures, quæ sunt aurium ornamenta, ut in qualibet aure una penderet, *et armillas totidem, pondo,* id est pondere, *siclorum decem.* Sunt autem armillæ, brachiorum ornamenta. Porro secundum Hieronymum, siclus continet unciam. Verumtamen de istis ponderibus ignoramus, quanti valoris exstiterint, secundum nostras computatio- B nes, quum certum sit, pondera ac mensuras re et nomine apud diversos diversimode variari.

Dixitque ad eam : Cujus es filia? Probabile est, quod interrogavit hoc, et interrogationis suæ responsionem a puella audivit, antequam tam pretiosa clenodia ei præstabat. Attamen Rabbi Paulus dicit oppositum. Nam opinatur, quod sicut Rebecca habuit se curialiter, obsequiose ac humiliter circa virum, ita et ipse ex curialitate dedit ei hæc munera; sed primum C verius reor, et infra in isto capitulo insinuatur, quod prius interrogavit, et postea dedit. Scriptura autem recitando historias, non semper observat ordinem rei gestæ. Josephus quoque insinuat, quod primo interrogavit; addit tamen, quod quasi pro præmio laboris ac poculi contulit prima munuscula, justum affirmans, ut talia acciperet, quæ præter ceteras fuit tam pia. *Quæ respondit : Filia sum Bathuelis,* etc. *Inclinavit se homo, et adoravit Dominum, dicens : Benedictus Dominus Deus,* etc., D *qui recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei,* hoc est ad domum et progeniem Nachor, qui fuit frater Abrahæ. Jam enim reputavit se vir iste esse quasi in domo Nachor, quia parum inde distabat, et facillime poterat eam attingere. *Cucurrit itaque puella, et nuntiabat in domo matris suæ.* Ex hoc verbo opinatus est Josephus, quod Bathuel pater Rebeccæ jam obiit; alias potius dictum esset, Nuntiabat in domo patris. Alii vero dicunt oppositum, quia infra habetur, Responderunt Laban et Bathuel; et quia mulieres habebant tabernacula quædam separata in domibus maritorum, in quibus cum filiabus et ancillis exercebant opera feminis competentia. Quid autem dicendum sit ad primum istorum, patebit in expositione verbi præallegati, nec istud est magni vigoris.

Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban. Qui, etc., *venit ad virum, dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini,* id est, tu qui es benedictus a Domino; sicque Laban idololatra scivit aliquid loqui de Deo. *Et introduxit eum in hospitium, ac destravit camelos,* deponendo sellas et onera desuper posita, *deditque paleas et fœnum* in pabulum camelorum, *et aquam ad lavandum pedes ejus et virorum qui venerant cum eo,* scilicet servo Abrahæ principali : et forte juxta numerum camelorum fuit numerus virorum illorum, qui et ipsi fuerunt servi Abrahæ inferiores servo præfato, ut creditur. *Et appositus est in conspectu ejus panis,* id est, cibus et potus coram servo isto et viris istis sunt positi. *Qui ait : Non comedam donec loquar sermones meos.* Ex quo innotescunt fervor et fidelitas hujus servi, qui fuit legatus fidelis. *Respondit ei* Laban, qui videtur fuisse senior frater Rebeccæ : *Loquere. At ille : Servus, inquit, Abraham sum,* etc. Littera plana est. *Deditque ei omnia quæ habuerat,* etc., id est, Abraham ordinavit, ut omnia principalia bona sua devolvantur ad Isaac filium suum, qui est ei nunc unicus ex Sara principali conjuge sua. *Innocens eris a maledictione mea,* etc. Hoc est verbum Abrahæ ad servum istum : et est sensus, Non incurres culpam, aut pœnam violationis juramenti quod mihi præstitisti, de adducenda conjuge filio meo, si non poteris aliquam aptam adducere. Deinde servus ait : *Veni ergo hodie ad fontem aquæ :* non quod uno die pervenerit a domo Abrahæ usque ad puteum istum, ut Judæi stolide fabulantur; sed sensus est, Hodie viam meam continuando perduxi usque ad terminum

Digitized by Google

istum. *Et dixi : Domine Deus,* etc., *virgo* A *quæ egredietur ad hauriendam aquam, et audierit a me, Da mihi pauxillum aquæ,* etc., *ipsa est, quam præparavit Dominus* universorum, *filio domini mei,* id est Isaac.

Circa hoc loquitur Augustinus : Quærendum est, quid differant augurationes illicitæ ab ista petitione servi, petentis sibi a Domino ostendi futuram ipsius Isaac conjugem, a qua sibi potum petenti diceretur, Bibe, quin et camelis tuis potum tribuam. Sed aliud est, petere quod ipso miraculo B signum sit ; aliud, observare ea quæ ita fiunt, ut mira non sint, sed a conjectoribus superstitiosa vanitate interpretentur. Sed et non parva quæstio est, utrum sit audendum hoc ipsum quod mirum aliquid postuletur, quo significetur, quod quis appetit nosse. Ad hoc namque pertinet, quod dicuntur Deum tentare, qui non recte hoc
Matth. iv, faciunt : contra quod dicitur, Non tentabis Dominum Deum tuum. Suggerebatur namque Christo, tanquam homini, ut signo aliquo exploraret, quantum apud Deum pos- C set : quod fit utique vitiose. Ab hoc autem
Judic. vi, discernitur, quod Gedeon fecit, imminente pugnæ periculo. Consultatio namque Dei magis, quam ejus tentatio, fuit quod fecit.
Is. vii, 12. Unde Achaz timuit signum petere, ne videretur Deum tentare, quum Dominus hoc per Prophetam moneret : forsitan æstimans ipse Achaz, quod a Propheta exploraretur, an memor esset præcepti, quo prohibetur Deum tentare. Hæc Augustinus. Hinc alii dicunt, quod servus iste non quæsivit signum per modum divinationis sive D augurii, quod prohibetur ; sed oratione præmissa, signum postulavit a Deo, quo experiretur, quod Deus ipse per angelum direxisset iter suum juxta Abrahæ verbum.

Deinde Eliezer ait : *Interrogavique eam, et dixi : Cujus es filia ? Quæ respondit : Filia Bathuelis sum,* etc. *Suspendi itaque inaures* in auribus ejus, *ad ornandam faciem ejus :* ad cujus decorem ordinatur præcipue, quidquid ornamenti circa caput apponitur ; *et armillas posui in manibus ejus :* ut per eas sua brachia decoraret. *Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo,* hoc est, si vultis Rebeccam tradere uxorem filio Abrahæ, sicut pium et justum est : pium, quia pro consolatione est Abrahæ, et pro relevamine doloris Isaac filii sui, de suæ matris morte graviter contristati ; et quia accommodum est ad bona matrimonii obtinenda : justum quoque et decens est, quoniam ex divina inspiratione id petitur, et quia de una sunt genealogia, quos rectum est copulari. Itaque veritas capitur hic pro justitia, sicut in Psalmo : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Potest tamen Ps. xxiv, 10. veritas nunc sumi pro verificatione, ut sit sensus : Si facitis veritatem cum domino meo, id est, si verba Abrahæ verificatis, implendo quod dixit me sumpturum ex filiabus suæ cognationis puellam pro filio suo, *indicate mihi ; si autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram sive ad sinistram,* hoc est, per viam aptiorem qua potero, vel, ut quidam exponunt, alibi quæram puellam, quæ fiat uxor filii Abrahæ. Aliqui sic exponunt : Ut vadam ad dexteram, id est ad quærendum de filiabus Ismaelis, ad dexteram commorantibus, quantum ad locum istum ; vel ad sinistram, hoc est ad quærendum de filiabus Lot, quæ tunc erant de cognatione Abrahæ et Isaac. Sed non videtur, quod Abraham conjunxisset Isaac filio suo aliquam filiarum Lot, quæ incestum cum patre proprio commiserunt.

Responderuntque Laban et Bathuel. Iste Bathuel, secundum quosdam, fuit frater Rebeccæ, et junior ipso Laban : idcirco nominatur post eum. Porro in Scholastica historia tangitur, quod Bathuel in extremis positus, ordinavit ut filia sua Rebecca non traderetur alicui in uxorem, nisi exsistenti de sua progenie : idcirco nunc nomine Bathuelis, designatur mater Rebeccæ, in quantum viri sui mandatum detexit. Alii dicunt, quod pater Rebeccæ adhuc vixit, et nunc nominatur, quamvis filio suo postponatur. Itaque responderunt : *A Do-*

Digitized by Google

mino egressus est sermo, id est, petitio qua petis dari Rebeccam in conjugium filio Abrahæ, ex divina inspiratione ac ordinatione prolata est, ut patet ex signo quod recitasti. Vel, ut tangit Augustinus, ideo hoc dixerunt, quoniam crediderunt Abraham esse prophetam, qui servo suo prædixit, quod de sua cognatione acciperet unam pro filio suo. *Non possumus* licite aut de jure *extra placitum ejus,* scilicet Dei, *quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est,* etc. *Quod quum audisset puer Abraham,* id est Eliezer servus ipsius, qui Eliezer fuit jam grandævæ ætatis, ut patet ex præinductis. Quo constat, quam inconsiderate dixerit Rabbi Paulus, quod in Scripturis non vocetur aliquis puer, qui est ultra triginta annos. Iste quippe Eliezer habuit filium nomine Damascum, ante Isaac conceptionem, ut patuit supra, qui Isaac nunc fuit quadraginta annorum. *Procidens adoravit in terra Dominum,* regratiando ei, quod iter suum tam prospere direxisset: per quod patet viri hujus devotio, imo et fervor, quia in aliorum præsentia se ita in terram prosternere non erubescebat. *Prolatisque vasis argenteis et aureis, ac vestibus,* quæ sumpsit ex repositoriis seu marsupiis suis, *dedit ea Rebeccæ pro munere,* id est pro donis jocalibus, quæ dari solent puellis, quæ de novo conceduntur in sponsas. *Fratribus quoque ejus et matri dona obtulit.* Ex hoc apparentiam habet, quod præfatus Bathuel fuit frater Rebeccæ. Nam si et pater vixisset, et præsens fuisset, data fuissent et ei dona, ut matri ac fratribus, nec Scriptura hoc tacuisset.

Gen. XV, 2.

Surgens autem mane, locutus est puer, videlicet servus: *Dimittite me, ut vadam ad dominum meum. Responderunt † frater ejus,* puta Rebeccæ, *et mater;* et nomine fratris possunt ambo fratres intelligi: *Maneat puella saltem decem dies apud nos,* etc. Hoc dixerunt ex naturali amore, ne tam cito et quodammodo inopinate separarentur a tam bona, pulchra, et cara propinqua, quam satis conjiciebant se postea aut raro, aut nunquam visuros. Unde quod Rabbi Salomon dicit, Bathuelem patrem Rebeccæ nunc pœnituisse de consensu suo priori, ut filia sua fieret uxor filii Abrahæ, et voluisse hoc impedire, atque ob hoc percussum ab angelo et mortuum, non videtur nisi ficticium, ut etiam Rabbi Paulus circa hæc ait. *Nolite, ait* servus, *me retinere, quia Dominus direxit viam meam,* etc.: idcirco non decet ut retardetis iter desuper prosperatum. Ex quo constat, quod voluerunt servum cum ceteris sibi adjunctis tenere secum per decem dies pariter cum Rebecca. *Et dixerunt: Vocemus puellam, et quæramus illius voluntatem.* Hoc quidam exponunt de voluntate puellæ ad ipsum conjugium, quia ad matrimonium requiritur consensus expressus; sed verba sequentia non videntur ita sonare. Nam subditur: *Quumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto?* Sicque requisita videtur de profectione, non de sponsalibus aut consensu conjugii. Quod et S. Ambrosius protestatur. Verumtamen dici potest, quod ex consequenti per hæc verba requisita est de consensu, quia profectio illa ordinabatur ad matrimonium. *Quæ ait: Vadam.* Hoc non dixit ex carnalitate aut inverecundia, sed ex divino instinctu, quoniam totum istud fuit opus specialis providentiæ Dei. Præterea circa hæc in Scholastica historia dicitur: Hic primo legitur consensus mulieris requisitus, et exinde pro jure habitum est, ut requiratur.

Dimiserunt ergo eam et nutricem illius, quæ infra Debora nuncupatur, quæ forte lactavit Rebeccam infantulam, et custodivit, erudivit, educavitque eam. Iverunt quoque et aliæ quædam puellæ et ancillæ cum Rebecca, ut paulo post subditur, et hoc propter solatium ejus. *Servumque Abraham et comites ejus,* id est socios servi, *imprecantes prospera sorori suæ,* id est Rebeccæ, quæ erat soror omnium propinquorum suorum, ibi tunc congregatorum, præsentium, et valefacientium ei, ut moris est in tali recessu, et cognata ipsorum

Gen. XXXV, 8.

eo modo, quo qui de eadem progenie sunt, fratres et sorores mutuo appellantur; *atque dicentes : Soror nostra es; crescas in mille millia,* id est, plurima seu innumerabilia millia ex semine tuo nascantur : ponitur enim hic numerus iste indeterminate; *et possideat semen tuum portas inimicorum suorum,* id est, hostibus suis prævaleat: quod tandem in Christo summe impletum est, qui omnes mundi nationes suæ subjecit legi ac fidei christianæ, cui
Ps. II, 8. Pater ait in Psalmo: Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. *Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum,* etc., scilicet servum Abrahæ, qui in via eis ducatum præbebat; et patet ex verbis his, quod et aliæ mulieres præter nutricem Rebeccæ processerunt cum ea.

Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis et videntis: de quo puteo, et cur ita vocatus sit, dictum est capitulo sextodecimo. *Habitabat enim in terra australi,* puta in Gerara seu Bersabee, unde ductus fuit ad immolandum, qui locus est in parte australi respectu terræ Chanaan : ex quo videtur, quod post sepulturam Saræ Abraham cum filio suo Isaac redierit ad Bersabee. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die.* In Scholastica historia dicitur, quod egressus fuit ad meditandum forte de mora servi. Alii dicunt, quod fuit egressus causa recreationis atque ad spatiandum; sed multo convenientius creditur, et magis consonat litteræ, quod egressus fuit ad meditandum intente de Deo et pertinentibus ad salutem, abstrahens se ab aliorum præsentia, strepitu ac tumultu, ut solus et in solitudine quadam consistens, tanto devotius et liberius insisteret meditationibus sanctis, quanto plus separatus erat ab aliis. Unde (secundum Hieronymum) in Hebræo habetur, Ad loquendum : quod exponit de locutione cum Deo in oratione devota, quia ante solis occasum spirituales victimas ob-

A tulit Deo. Lyra quoque affirmat, quod Hebræi dicunt, Egressus fuit ad orandum ; quia consuetudo est Judæis, circa tempus vespertinum orare. Porro alia translatio continet, Egressus est ut exerceretur in campo : quod aptius explanatur de exercitatione interna ac spirituali, quam corporali. Egressus itaque fuit ad meditandum salubriter, et ad contemplandum divina : quod ei non casuale, sed consuetudinarium fuit, ut etiam in statutis ordinis Cartusiensis habetur.

B Circa hoc scribit Lyra : Forte egressus fuit ad videndum dispositionem cœli et aliquarum stellarum, quæ incipiebant tunc apparere, quia edoctus erat in astronomia a patre suo, qui eam primus docuit in Ægypto. Sed contra hoc Rabbi Paulus multipliciter arguit. Primo, quia in nulla Scriptura canonica legitur hoc de Abraham. Secundo, quia Apostoli fuerunt maxime illuminati a Deo, non tamen de mathematicis veritatibus, ergo multo minus Abraham. Tertio, quia scientia Ægyptio-
C rum reprobatur in Scripturis, tanquam divinatio superstitiosa. Quarto, quia ex hoc daretur infidelibus occasio opinandi, quod mirabilia per Abraham vel circa aut propter eum facta, sint facta virtute astrorum influentiisque cœlorum. Sed argumentationes istæ nihil concludunt : idcirco dicendum ad primum, quod non sequitur, Hoc non est scriptum de Abraham in Scripturis, ergo non fuit; quia nec omnia ejus gesta conscripta sunt. Ad secundum dicendum, quod nullus dicit Abraham habuisse
D notitiam astronomiæ ex sola supernaturali et miraculosa illuminatione Spiritus Sancti, sicut Apostoli habuerunt suam scientiam. Ad tertium respondetur, quod scientia Ægyptiorum non reprobatur in Scripturis, quantum ad id quod continuit veritatis, quum de Moyse scriptum sit, quod eruditus est in omni sapientia Ægyptiorum, sed quantum ad abusum et præsumptionem ac superstitiones Ægyptiorum. Ad quartum dicendum, quod mira quæ de Abraham scripta sunt, talia sunt, quod non pos-

Digitized by Google

sunt virtuti aut influxui siderum et cœlorum adscribi. Quod autem in astronomia erat edoctus, eamque in Ægypto docuerit, Josephus et alii multi testantur, et supra inductum est.

Quumque elevasset oculos ipse Isaac, *vidit camelos venientes procul,* et protinus ivit obviam servo suo et ceteris. *Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo, et ait ad puerum : Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei : Ipse est dominus meus.* Verisimile est, quod Rebecca istud interrogavit, et interrogationis suæ responsum audivit antequam de camelo descendit. Quumque audisset quod vir ille esset filius Abrahæ, sponsus suus futurus, descendit de camelo propter reverentiam ejus, quoniam filius fuit talis ac tanti Patriarchæ. *At illa tollens cito pallium suum, operuit se :* vel ex verecundia puellari, vel caput suum decenter ornando, ut coram sponso suo mox futuro appareret honestior. Nam alia littera habet, Theristrum, quod est vestis Arabica alba, qua mulieres provinciæ illius velantur. *Servus autem cuncta quæ gesserat,* scilicet viæ suæ processum, prosperitatem et fructum, *narravit domino suo,* videlicet Isaac, deinde et Abrahæ. *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem ; et in tantum dilexit eam,* non libidinoso, sed moderato, spirituali, naturali, sociali et conjugali amore : inter quas multiplices affectiones, sola spiritualis dilectio, fuit directe et per se meritoria vitæ beatæ ; *ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.* Ex quo constat, quam ardentissime matrem suam dilexerat, quam jam per tres annos defleverat, nec dolorem quem ex ejus morte conceperat, sponsam carissimam accipiendo ac diligendo, prorsus exstinxit, sed temperavit. Itaque temperavit illum dolorem per istius amorem. Nam anima quanto plus occupatur atque dispergitur circa plura, tanto minus intenta est uni. Rursus, quanto affectio cordis circa plura dividitur, tanto minus in uno defigitur. Unumquodque oppositorum expellit reliquum : ideo quanto Isaac plus cœpit circa propriam conjugem affici, occupari, defigi ac delectari, tanto plus cœpit oblivisci matris interitum et memorare dolorem inde conceptum.

ARTICULUS LXVII

EXPLANATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUARTI.

ABRAHAM senex, æternum Patrem designat. Quemadmodum itaque Abraham servo suo principali præcepit, ut filio suo carissimo adduceret puellam, acciperetque uxorem de genere suo, non alieno, nec Chananæo ; sic Pater æternus unigenito Filio per Apostolorum prædicationem adduxit, atque in sponsam conjunxit electam gentilitatem, quæ secundum prædestinationem divinam vere ac spiritualiter fuit Israelitica plebs, et Abrahæ semen per fidei et obedientiæ imitationem. Quemadmodum etiam Abraham habuit servum suum excusatum, si mulier secum venire non vellet ; sic Apostolorum chorus culpam non habet de pereuntibus incredulis, qui eorum prædicationi credere ac parere spreverunt. Insuper, sicut servus Abrahæ tulit secum decem camelos, portans secum ex omnibus bonis domini sui, sicque Mesopotamiam introivit ; sic cœtus Apostolorum sumpsit in adjutorium quosdam ex Judaismo ac gentilitate conversos, qui instar camelorum, patientissime

Digitized by Google

super se ferebant onus evangelicæ legis et pondus Decalogi : sed et sancti Apostoli in vasis cordium suorum deferebant ad gentium nationes pretiosissima et quasi innumerabilia charismata Spiritus Sancti, sapientiamque multiplicem ; et universa dona quæ olim habuit Synagoga, ad Christi deportaverunt Ecclesiam, quæ per Mesopotamiam designatur sicut gentilitas. *Quumque camelos fecisset accumbere juxta puteum :* nam gloriosissimi Christi Apostoli, juxta gratiam sacri Baptismi et profunditatem Scripturæ atque fluenta supernorum charismatum, quiescere et spiritualiter epulari fecerunt conversos a se. (*ann.* IV,) Unde Salvator disseruit : Aqua quam ego dabo credenti, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Iterum, sicut servus Abrahæ Dominum invocavit, ut iter suum dirigeret, ac filio Abrahæ de conjuge provideret, signum quoque in se ipso excogitavit, quod ista fieret uxor domini sui, quæ sibi potum petenti, præberet mox poculum, imo et suis camelis ; sic sancti Apostoli et coadjutores eorum, omnem spem suam in Deo ponentes, ejus auxilium et directionem jugiter invocabant, sine cujus ope et gratia se nihil posse penitus fatebantur. Hinc Paulus in suis epistolis toties pro suis intercessit discipulis. Illas quoque personas consideraverunt Apostoli (*m.* XVI. *Cor.* XVI, *et seq.*) magis aptas ad fidem et spirituales nuptias Christi, quæ magis benigne se habuerant ad ipsos, et eorum cooperatores, atque ad pietatis et misericordiæ opera fuerant proniores.

Quumque ita orassent et prædicare cœpissent Apostoli, protinus eis occurrit Rebecca virgo pulcherrima, id est gentilitas, quantum ad naturalem imaginem et similitudinem Dei decora, et in natura specifica valde pura, quæ statim ad fidei susceptionem obtulit se paratam, Apostolisque beneficam, ex cujus hydria petierunt Apostoli bibere, id est, de illius conversione appetebant mentaliter refici, scientiam quoque sæcularem et philosophicam voluerunt evangelicæ sapientiæ deservire ac subdi. Denique Rebecca camelis tribuit potum, quando conversa gentilitas misit sanctis qui in Jerusalem erant, eleemosynam largam : de qua re sæpius meminit Paulus. Rursus, sicut Rebecca hausit aquam quam dedit camelis, ita Ecclesia gratiam impetravit a Spiritu Sancto, et ex Evangelio cepit doctrinam, quam rudibus communicavit. *Ille autem contemplabatur eam tacitus,* etc. Sic et Apostoli vigilantissime intuebantur eos quos converterunt, an perseverarent in fide. Insuper, sicut servus dedit Rebeccæ varia ornamenta, inaures, armillas, vasa aurea atque argentea, vestesque pretiosas ; sic plane Apostoli dispositive ac ministerialiter ornaverunt credentes et ipsam Ecclesiam. Accipiebant etenim Spiritum Sanctum et præclarissima ipsius charismata hi quibus Apostoli manus suas imposuerunt. Potest autem per inaurem obedientia, per armillam operatio virtuosa intelligi ; per aurea vasa, donum sapientiæ, caritatisque fervor ; per vasa argentea, donum linguarum, seu efficacia prædicandi, aut ipsa prudentia accipi ; vestes vero, virtutes sunt. Hæc gentilitas sic conversa, dixit se in temporalibus satis habere, et spatiosum sibi locum esse pro recipiendis ac sustentandis prædicatoribus sanctis. Hinc sancti illi prædicatores Deo grates retulerunt humillimas, omnem fructum suæ prædicationis atque laboris pietati adscribentes divinæ.

Cucurrit puella, et nuntiabat in domo matris suæ. Sic conversa gentilitas gratiam sibi concessam studuit mox suis proximis intimare et communicare, quorum nonnulli fidem adhibuerunt, et considerantes supernaturalia dona conversis ex paganismo collata, acceperunt Apostolos sanctosque prædicatores, eosdem rogando, ut ad se dignarentur divertere; quibus libenter acquieverunt benedicti Apostoli, sed ante omnia retulerunt illis, cur missi essent a Deo, scilicet ut gentilitatem Christo conjungerent, quem Virgo mundissima peperit in natura humana, cui Pater dedit (*Joann.* XVII, 10.) omnia sua, sive per generationem æter-

nam, sive per plenissimam fruitionem, et quoniam omni creaturæ prætulit eum, totamque animæ suæ capacitatem donis gratiæ adimplevit ac gloriæ. *Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo :* hoc est, si Salvatori et Creatori vestro vere grati ac subditi esse vultis, ejusque servis ac membris, imo et animabus propriis misereri, hoc nobis insinuate. *Si autem aliud placet, hoc dicite* nobis : quia non est nostræ institutionis, aliquem ad fidem compellere ; *ut* eamus *ad dexteram sive sinistram,* eundo quocumque ad aliorum conversionem. *Responderunt Laban et Bathuel : A Domino egressus est sermo.* Sic plane gentiles frequenter convicti evidentia signorum ac sanctitatis et mirabilium, quæ in Apostolis et apostolicis viris viderunt, reniti non poterant, nec valebant; sed Rebeccam, id est, quamcumque personam gentilem ad eos pertinentem, seu propriam animam, resignaverunt ac tradiderunt prædicatoribus sanctis, ut conversa fieret sponsa Christi : propter quod sancti Apostoli non solum sic conversis, sed et eorum propinquis ita consentientibus, munera gratiarum procuraverunt cœlestium. *Initoque convivio, pariter* epulabantur : facti commensales et domestici in Ecclesia Christi, atque in mensa Sapientiæ consedentes, frumentum electorum et vinum germinans virgines, hoc est, corpus et sanguinem Salvatoris simul sumpserunt. (*Zach.* IX, 17.)

Surgens autem mane, locutus est puer : Dimittite me, etc. Sic sancti Apostoli et cooperatores eorum jugiter conabantur in anteriora se ipsos extendere, et ad cœlestia properare ; imo et quosdam a se conversos, non solum ad observantiam mandatorum, sed ad evangelicorum quoque impletionem consiliorum traxerunt, ut parentes et fratres ac omnia quæ sunt mundi relinquendo, separatam et quasi monasticam vitam assumpserint : quod propinqui eorum, quamvis credentes, tamen adhuc imperfecti, conati sunt saltem ad tempus impedire sive differre, dicentes : *Maneat saltem* (*Philipp.* III, 13.)

A *decem dies apud nos :* quibus non consenserunt Apostoli, prædicatoresque sancti, eo quod Christus petenti dilationem, quousque sepeliret proprium patrem, locutus sit, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. (*Matth.* VIII, 22.) *Et dixerunt : Vocemus puellam, et quæramus illius voluntatem :* quoniam nemo cogendus est ad religionis ingressum, sive ad opera supererogationis, nisi aliunde sit obligatus ad ea. *Quæ ait : Vadam.* Sic enim fideles ac fervidæ animæ responderunt. *Dimiserunt ergo eam et nutricem illius.* B Sæpe enim contingit, ut aliqua persona viam perfectionis aggrediens, aliam sibi magis familiarem, aut etiam quasi magistram aut institutricem secum alliciat et perducat : quibus propinqui eorum prospera imprecantur, cupiendo eorum spiritualem profectum, ut crescant in mille millia, exercendo quotidie opera virtuosa sine numero et mensura, ita ut universis suæ salutis prævaleant hostibus, et eorum possideant portas, id est tentationum introitus, atque suggestionum pravarum initia C vincant. *Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum,* id est, animæ ferventes in fide, ac patientes, propriis corporibus conculcatis, refrenatis, et rationi subjectis, apostolicam perfectionem sectatæ sunt.

Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum Viventis et videntis : hoc est, tempore primitivæ Ecclesiæ prædicantibus sanctis Apostolis, post Salvatoris ascensionem, ipse Salvator per gratiam morabatur, et per credentium D indesinentem profectum deambulabat in cordibus eorumdem per viam perfectionis, quæ ducit ad profundissimam contemplationem ejus qui essentialiter vivit, et omnia intuetur, utpote ad beatificam et fruitivam ipsius inspectionem, in qua Beati torrente voluptatis immensæ potantur, et fluminis impetus eos lætificat. (*Ps.* XXXV, 9. *Ps.* XLV, 5.) *Habitabat in terra australi,* id est, in mentibus fervidorum, qui frigora Aquilonis abhorrent, et calore Solis justitiæ perfunduntur; *et egressus fuerat ad meditandum*

Digitized by Google

in agro : nam et ipse Christus ante suam A ascensionem, egressus fuit a Patre, et per Incarnationis mysterium intraverat hujus sæculi campum, ad meditandum et exercendum humanæ redemptionis negotium; *inclinata jam die,* id est, luce gratiæ ac virtutum splendore in hominibus pro maxima parte deficiente, atque instante jam fine durationis Mosaicæ legis. *Quumque elevasset oculos, vidit camelos venientes.* Christus namque oculo pietatis clementissime intuebatur, quemadmodum sancti Apostoli et adjutores eorum, jugum Dei B super se bajulantes, fructificaverunt in gentilium conversione, et quidquid boni egerunt, retulerunt ad ipsum, a quo jam
Joann. xv, ante audierant, Sine me nihil potestis facere, sicque grata mente redierunt ad eum quotidie.

Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo : hoc est, conversa gentilitas, Salvatore plenius cognito, carnalia cuncta transcendit, atque per contemplationem deseruit, et edocta qualiter Christus venit per agrum mundi hujus in occursum suis electis, ut eos constringeret brachiis caritatis in patibulo crucis, ulnas suas extendens in eorum amplexus, ornavit se intus per virtutes et dona Spiritus Sancti, hujusque mundi vanitatibus se abscondit; pallio quoque suo operuit se, dum confessionis tegumento peccata sua texit et abstulit, ut Sponso cœlesti præsentaretur purgata. *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ.* Christus, ipsa Synagoga, de qua secundum carnem natus fuerat, jam per infidelitatem defuncta, induxit conversam gentilitatem in gradum et gratiam, quam aliquando habuit Synagoga : cui dato libello repudii, Ecclesiam gentium duxit sponsam, et eam tam intense amavit, quod temperavit dolorem, quem de Synagogæ perditione conceperat, de cujus ingratitudine et damnatione tempore suæ passionis ineffabiliter doluit, imo et ante frequenter.

ARTICULUS LXVIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : ABRAHAM VERO ALIAM DUXIT UXOREM.

PRÆSENTI capitulo describuntur novæ C nuptiæ veteris Patriarchæ, et propagatio filiorum ex conjuge ista, felix quoque consummatio Abrahæ, et generationes filiorum ipsius. *Abraham vero aliam duxit uxorem.* Hoc maligni hæretici irriserunt, qui vetus Testamentum dixerunt non esse a vero Deo, quibus visum est, plenum fuisse lasciviæ, quod Abraham in tanta senectute duxit uxorem. Quibus dicendum, quod sanctus Patriarcha non fecit hoc ex incontinentia aliqua, et tripliciter excusatur. Primo, quia desiderio prolis copiosio- D ris hoc fecit. Secundo, propter mysticam significationem, videlicet propter signifi-
Osee i, 2; iii, 1. candum futura, quemadmodum Osee propheta Deo jubente accepit fornicariam in uxorem, ad præsignandum quod terra seu plebs Israelitica fornicans fornicaretur a Domino, id est, per idololatriam a Deo vero recederet. Prophetæ etenim aliquando verbis, aliquando factis prophetaverunt : sic et Abraham, qui Deo testante fuit propheta, in senio suo duxit uxorem, ad præfigurandum re ipsa, quod ex Christo et Ecclesia militante generantur in fonte Baptismatis, et tamen non pertinent vere ad ipsam Ecclesiam, puta hæretici atque schismatici, qui per istam Abrahæ uxorem nomine Ceturam, ejusque filios designantur, quemadmodum per Agar et filium ejus, carnales ac perfidi veteris Testamenti sunt

Digitized by Google

designati. Tertio, quia Deo inspirante hoc fecit, ad reprobandum quorumdam hæreticorum perfidiam, qui secundas nuptias damnaverunt, quæ tamen tanti Patriarchæ roborantur exemplo. Hanc rationem, sicut et præcedentem, tangit Augustinus. Aug. de Civit. Dei, xvi, 34.

Duxit ergo aliam conjugem *nomine Ceturam.* Circa quod scribit Hieronymus : Cetura, Hebraice copulata seu conjuncta interpretatur. Unde Hebræi suspicantur eamdem esse mutato nomine Agar atque Ceturam, ut per hoc etiam ætas Abrahæ excusaretur, ne senex novis arguatur nuptiis lascivisse. Hinc refert et Lyra : Dicunt Hebræi, quod Cetura interpretatur thurificata, quia tam munde se habuit postquam cum Ismaele filio suo de domo Abrahæ est egressa, ac si fuisset Deo oblata et consecrata : propter quod, Sara defuncta, misit Abraham filium suum Isaac, ut illam sibi reduceret. Sed istis multipliciter objici posset. Primo, quoniam textus hic dicit, quod Abraham aliam duxit uxorem. Agar autem jam antea fuerat vera uxor sua, quæ quamvis erat separata ab eo ad tempus habitatione, non tamen vinculo conjugali : sicque eam recipiendo, non duxisset aliam conjugem. Secundo, quia paulo post scribitur, quod filiis concubinarum largitus est munera, ubi per concubinas intelliguntur Agar et ista Cetura. Tertio, quia de Abraham ait Apostolus, quod non consideravit corpus suum emortuum, quum fere centum esset annorum : circa quod dicunt expositores, quod corpus suum fuit emortuum, quantum ad vetulam; sed de juniore poterat generare, sicque salvatum est supra, quod de Agar genuit Ismaelem : ergo et Cetura ista fuit juvencula, præsertim quum Abraham esset ad minus centum quadraginta annorum, dum eam accepit. Agar vero tunc vetula fuit. Nam filius ejus Ismael fuit quatuordecim annis senior Isaac, qui circa has nuptias Abrahæ quadragenarius fuit. Verumtamen dicit Lyra, quod nomen hoc concubinarum, in Bibliis Hebraicis correctis, hic scribitur diminute, ad innuendum quod non fuit nisi una. Sed Rabbi Paulus contra hoc dicit : Vocabulum quod hic in Hebraico ponitur, semper significat concubinas in plurali, sive scribatur diminute, sive integre : idcirco ex hoc quod scribitur diminute, non insinuatur quod non fuerit nisi una. Nihilo minus Josephus dicit, quod fuit una, et quod Abraham duxit eam, antequam misit pro uxore Isaac filii sui. Quid horum sit verius, nescio. Rom. iv, 19.

Quæ Cetura *peperit ei,* scilicet Abrahæ, successive sex filios, qui nominantur in littera. *Filii Dadan fuerunt Assurim,* etc. Circa hoc dicit Hieronymus : Ab Assurim aliqui putant Syros vocari, et a plerisque filiis Abrahæ dicunt regiones Indiæ occupatas seu habitatas. *At vero ex Madian,* filio Abrahæ et Ceturæ, *ortus est Epha et Apher.* Quocirca Hieronymus : Filii, inquit, Ceturæ occupaverunt terram Troglodytarum atque Arabiam usque ad terminos maris Rubri, secundum historicos Hebræorum. Dicitur quoque Apher ex posteris Abrahæ duxisse exercitum adversus Libyam, et ibi victor consedisse, a quo posteri ejus Aphricam nuncupaverunt. Hæc Hieronymus. Cujus verbis in Scholastica historia ex Josepho additur, quod viro illi in Libyam descendenti, Hercules tulit auxilium, et filiam ejus nomine Ethæam Hercules duxit uxorem, genuitque ex ea Dodorim, cujus filius fuit Phoron.

Deditque Abraham cuncta quæ possederat filio suo *Isaac,* videlicet omnia principalia bona sua, tanquam principali prælectoque filio. Non tamen videtur Abraham habuisse nec ei dedisse hereditaria et immobilia bona, nisi supra præfata, quæ emit aut acquisivit, et pauca fuerunt, videlicet ager in quo erat duplex spelunca, et puteus Bersabee, ac nemus quod ibi plantavit, aut quædam similia. *Filiis autem concubinarum largitus est munera.* Abraham non erat adulter : idcirco concubinæ istæ fuerunt veræ uxores ipsius, quod et textus apertissime protestatur. Siquidem supra scriptum est, quod Sara dedit Agar ancillam suam viro suo uxorem. De Cetura Gen. xxiii, 17; xxi, 30 et seq.

quoque nunc dictum est, quod Abraham accepit aliam uxorem nomine Ceturam. In Scripturis autem veteris Testamenti uxor interdum concubina vocatur, ut patet in Judicum libro de uxore Levitæ. Sara demum fuit principalis ipsius Abrahæ uxor, ita quod ejus comparatione, aliæ duæ quasi concubinæ censentur. Abraham tamen cum Cetura non habuit aliam ea principaliorem, saltem eo tempore, quo ita vocata est. Porro qui dicunt eamdem fuisse Agar et Ceturam, affirmant hic plurale poni pro singulari, quum dicitur, Concubinarum ; vel ideo Scripturam sic loqui, quoniam eadem quasi bis ducta est.

[Judic. xix. 24, 25.]

Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni : et ita obiit junior patre suo annis triginta. Nam Thare pater ejus vixit annis ducentis quinque, ut supra legitur. *Et deficiens* viribus corporis, *mortuus est in senectute bona,* id est virtuosis actibus decorata, *provectæque ætatis, et plenus dierum,* id est plenus operibus bonis, quibus usque in finem vitæ suæ inhæsit longævus : per quod insinuatur defunctus in quadam perfectione virtutum. Nam teste Ambrosio, plenitudinem vita justorum habet, inanes vero sunt dies malorum. *Congregatusque est ad populum suum,* id est, Sanctis in limbo patrum detentis conjunctus, quantum ad animam suam : qui limbus exinde vocatus est Abrahæ sinus. Vel Abrahæ sinus vocatur, secreta requies illa electorum in limbo illo tunc quiescentium. *Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui,* qui tanquam principales nominatim exprimuntur, quanquam et alii interfuerint multi ; *in spelunca duplici,* etc., de qua dictum est copiose. *Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus :* cui et ante jam benedixit, sed post mortem Abrahæ patris sui, plus quam ante benedixit ei, augendo ei spiritualia ac temporalia bona.

[Gen. xi, 32.]

Hæ sunt generationes Ismaelis, etc., *et hæc nomina filiorum ejus,* etc. *Primogenitus Ismaelis Nabajoth, deinde Cedar,* A etc.; et ponuntur hic duodecim nomina filiorum suorum, qui fuerunt duodecim principes duodecim tribuum suarum, ita quod unusquisque eorum fuit princeps, et caput prosapiæ descendentis ab eo. Circa quod scribit Hieronymus : Duodecim filii nati sunt Ismaeli, primogenitus Nabajoth, a quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum Nabathæa seu Nabajothæa vocatur, quæ et Arabiæ pars est; et ab aliis filiorum suorum nominibus quædam eorum regiones nomen sortitæ sunt, scilicet B Cedar, Duma, Theman, etc. *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis, centum triginta septem : deficiensque, mortuus est.* Secundum Lyram, in Hebræo non dicitur, Mortuus est, sed, Transivit : quod secundum Hebræos, non dicitur de aliquo moriente, nisi justo: propter quod dicunt eum obiisse in gratia. Verum Rabbi Paulus asserit, in Hebræo non haberi, Transivit, sed, Deficiens mortuus est. Attamen fatetur Ismaelem decessisse in gratia, quia subjungitur : *et appositus* est *ad populum suum,* C id est, in limbo patrum eis adjunctus. Isti itaque dicunt eum de suis excessibus finaliter pœnituisse. Sarraceni vero dicunt eum fuisse sanctum et vatem Dei. Verumtamen Scriptura ista non dicit de eo, sicut dicit de Abraham, et aliis Patriarchis ac Sanctis quibusdam, quod mortuus sit in senectute bona, et plenus dierum. *Habitavit autem ab Hevila usque Sur,* id est, ipse et posteritas ejus terras illas incoluit, ab India, quæ ab Hevila nepote Noe vocata est Hevila, usque ad solitudinem, quæ D est inter Cades et Barad : quæ solitudo Sur appellatur, et tenditur usque ad mare Rubrum et Ægypti confinia. Ideo additur : *Quæ,* scilicet solitudo, *respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios* per iter illud. *Coram cunctis fratribus,* id est filiis et nepotibus *suis obiit,* seu (ut exponit Hieronymus) in manibus filiorum suorum mortuus est. Per fratres enim intelliguntur quicumque cognati. Unde Jacob infra ait ad Laban : Pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis. Ut autem in Scho-

Digitized by Google

lastica historia tangitur, Ismael fertur dysenteria obiisse.

Deinde describitur generatio Isaac patriarchæ. *Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham. Abraham genuit Isaac: qui quum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam,* etc. Istud repetitur, ut sequentia aptius inserantur. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua* ut conciperet, *eo quod esset sterilis.* Nam ut infra patebit ex textu, per viginti annos sedit cum Isaac antequam concepit. Denique, quamvis Isaac sciret patri suo Abrahæ esse promissam electi seminis propagationem copiosissimam per se, nihilo minus Deum oravit ut impleretur hoc. Deus etenim multa sic præordinavit, ut per preces obtineantur. Ideo ait Glossa : Quamvis per Isaac promissa erat successio, tamen præfinitio Dei precibus erat implenda. Hinc subditur : *Qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ* supernaturaliter, sicut et Saræ, quamvis in Sara fuerat major causa sterilitatis, quia et senium. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli :* quando enim vicina fuit partui, cœperunt infantuli in utero ejus collidi, seu invicem se quasi impellere, quasi inter se concertantes, quis eorum primus egrederetur : quod tamen non contingebat naturaliter, sed ex dispositione divina, quia præsagium exstitit futurorum, ita quod Deo volente et movente forte per angelum facta fuit commotio illa infantum, ad præfigurandum quod inter eos natos esset futura contentio propter primogenituram, et etiam inter Judæos et Idumæos ex eis tunc nascituros. Porro Septuaginta transtulerunt, Ludebant et calcitrabant infantes. Symmachus autem, In superficie ferebantur : quasi scilicet in similitudine navis pondere apto carentis. Itaque sicut Deus per verba, ita et per motus istos ostendit futura, quia frequenter per facta prænuntiat aliquid.

Quæ, scilicet Rebecca, *ait : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Timuit enim aborsum, et periclitari A in partu, quia ex tali collisione geminorum in utero, solent talia sequi pericula : ideo conceptum suum reputabat infructuose concessum, nisi Deus sibi aliunde succurreret. Vel, quasi admirando locuta est, Si sic mihi futurum erat, etc.; quasi diceret, Si parvuli nondum nati, ita confligunt, quid facient nati ? an se invicem destruent ? In Scholastica historia legitur : Jacob creditur sanctificatus in utero, et in prædicto motu seu collisione infantum præfiguratum, quod non sit consensus II Cor. vi, 15. B Christi ad Belial. Porro quod Jacob sanctificatus fuit in utero, Augustinus in pluribus locis sentire videtur. Nam super illud ad Romanos, Quum enim nondum nati essent, disseruit : In Jacob nondum nato quid Deus dilexit, nisi gratuitum suæ misericordiæ donum ? Rom. ix, 11.

Perrexitque ut consuleret Dominum. Quo vel ad quem perrexit, aut qualiter Deum consuluit, scriptura ista non exprimit. Dicitque Glossa, quod forte ivit ad locum in quo Abraham construxerat aram, C seu (ut in Historia scholastica clarius fertur) forsitan transivit ad montem Moria, in quo altare ædificaverat Abraham, et immolatis ibi victimis, deprecata est Deum ut sibi ostenderet, quid sibi atque infantulis esset venturum. Lyra vero refert : Dicunt Hebræi, quod ivit ad consulendum Melchisedech sacerdotem Dei excelsi, et item ad Heber spiritum prophetiæ habentem, tunc usque viventes, ut per eos consuleret Dominum, hoc est, ut ipsi revelationem a Deo acquirerent, Dominum D exorando pro certificatione Rebeccæ. Quod autem Melchisedech fuit Sem filius Noe, et quod ipse ac Heber usque post nativitatem Jacob vixerunt, ex superioribus potest patere. Multi quoque Catholici opinantur, quod ad Melchisedech sit profecta. Verumtamen Rabbi Paulus hic scribit : Quidam expositores Hebræorum testantur, quod non ivit ad consulendum aliquem Prophetam, sed ad aliquem locum devotum et secretum, in quo pro hac re oraret quietius. Istud quoque tangitur in Glossa, dicente :

Digitized by Google

Forsan ivit ad aliquem locum secretum, in quo magis quiete oraret. A

Qui respondens, ait. Qualiter dederit Rebeccæ istud responsum, textus non docet. Et dicunt nonnulli, quod quum post immolationem et orationem dormiret in monte præfato seu alio loco, revelationem istam a Domino sumpsit per inspirationem occultam seu illuminationem angelicam. Alii putant, quod Deus ei respondit in vigilia per angelum, quemadmodum et per angelum edocuit Agar. Alii dicunt, quod respondit ei per Melchisedech aut aliquem B alium Sanctum. *Duæ gentes sunt in utero tuo,* id est, duo infantuli qui erunt principia et capita duarum gentium, quia ex Esau sunt nati Idumæi, ex Jacob Judæi; *et duo populi ex ventre tuo dividentur,* id est, præfati duo populi inter se divisi, ex tuis infantulis distinctim nascentur; *populusque populum superabit,* id est, unus eorum alium vincet, aut sibi subjiciet : quod aliqualiter fuit tempore David impletum, quando Judæi sibi penitus subjugaverunt Idumæam, ut legitur Regum secun- C do, imo et omne masculinum peremerunt in ea; *et major serviet minori,* hoc est, populus Idumæorum ex Esau primogenito Isaac natus, Judæis deserviet: quod factum est tempore David, quando Idumæi facti sunt tributarii David regis. Verumtamen Augustinus effatur : Quod dictum est, Major serviet minori, nemo nostrorum aliter intellexit, quam majorem populum Judæorum, minori, id est posteriori populo christiano, serviturum. Et revera quamvis istud aliqualiter videatur impletum in po- D pulo Idumæo atque Judæis, tamen convenientius creditur, prophetiam istam aliquid altius intendisse: et quid est hoc, nisi quod in Judæis et Christianis evidenter adimpletur?

II *Reg.* VIII, 4.

III *Reg.* XI, 15, 16.

Aug. de Civit. Dei, XVI, 35.

Jam tempus pariendi, in quo Rebecca pareret, *advenerat, et ecce gemini,* id est duo infantuli, *in utero ejus reperti sunt.* Hoc per eorum egressum patuit, quod duo fuerunt in utero, quod tamen et ante innotuit ex infantum collisione ac revelatione divina. *Qui primus egressus est, rufus erat :* idcirco vocatus est Edom, quod interpretatur sanguineus. Alia quoque ex causa vocatus est sic, ut statim dicetur; *et totus in morem pellis hispidus,* id est pilosus : ideo dictus est Seir, quod interpretatur pilosus. Hinc ait Hieronymus : Pro hispido seu piloso, in Hebræo habetur, † Sear. Unde Esau, sicut alibi legimus, Seir, id est pilosus, dictus est. *Vocatumque est nomen ejus Esau,* id est fortis, et hoc fuit proprium nomen ipsius. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu :* quod Deo sic ordinante sic actum est, ad præfigurandum quod fuerat suum fratrem supplantaturus, non violentia, sed jure, ex præordinatione divina. Unde fratris plantam tenendo, quasi ipso facto monstravit, se fratrem suum a jure primogenituræ et privilegio benedictionis, retrahere. *Et idcirco appellavit eum Jacob.* Quis eum sic appellavit, non habetur ex littera evidenter; tamen de matre ejus dictum videtur, quia paulo ante præhabitum est, Gemini in utero ejus reperti sunt.

Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli. Ex quo constat quod dictum est, utpote quod viginti annis fuit cum conjuge sua absque prole, siquidem quadraginta exsistens annorum, eam accepit. Hinc etiam patet, stare non posse quod Josephus dicit, Abraham esse defunctum antequam nati fuerunt filii Isaac; imo quindecim annis probatur vixisse post nativitatem eorum : nam Abraham centenarius fuit, quando natus est Isaac, vixitque Abraham centum septuaginta quinque annis. Circa hæc quæritur, cur Isaac infra tot annos infecunditatis suæ uxoris, aliam non accepit, quemadmodum Abraham duxit Agar. Ad hoc (ut fertur) respondent Judæi, quod non licuit Isaac habere conjuges plures, ex quo sponte accessit, ut Deo in holocaustum immolaretur, quia extunc exstitit Deo consecratus. Alii dicunt, quod Isaac specialiter commendatur de continentia conjugali, et castitatis amore non duxit secundam : ita quod sicut Elias ac

Digitized by Google

Jeremias sua continentia virginali, evangelicæ castitatis typum gesserunt perfecte, sic Isaac præsignavit continentiam, quæ in evangelica lege est, conjugalem, in qua unus unius est compar. Unde loquitur Augustinus : Iste Patriarcha nec uxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam, sed posteritate duorum geminorum contentus fuit, nec tamen ob hoc patre suo Abraham virtuosior fuit, sed econverso.

Aug. de Civit. Dei, XVI, 36.

Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, id est artificialis venator, *et homo agricola; Jacob autem vir simplex :* loquendo de simplicitate columbina, quæ dolum et fictionem excludit, et veram includit prudentiam. Sic enim sanctus Job fuit simplex, non simplicitate asinina, quæ caret prudentia atque industria. Hinc alia habet translatio, Jacob sine dolo. *Habitabat in tabernaculis.* Alia littera continet, Habitabat in domo, et ita est sensus, quod fuit vir quietus, vitans discursus, et remanens domi, nisi rationabilis causa eum egredi quandoque compelleret. Attamen Lyra refert, quod secundum Hebræos, istud intelligatur de tabernaculis Melchisedech et Heber, qui venientes ad se, edocuerunt spiritualia ac divina, ad quos dicunt Jacob venisse, et habitasse ad tempus cum eis, imo quatuordecim annis cum Heber. Unde et Glossa super illud, Habitabat in tabernaculis, ait, Studebat in spiritualibus. Verumtamen in Scripturis veteris Testamenti, domus etiam impiorum tabernacula solent vocari : quanto magis domus Isaac viri justi, qui et filium suum potuit informare? Moyses quippe de Dathan et Abiron loquens : Recedite, inquit, a tabernaculis hominum impiorum. *Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius* libenter *vesceretur,* et etiam quia primogenitus ejus fuit : nec dubium quin amabat etiam Jacob, sed ipsum Esau amplius ; nec tamen putandum, quod Isaac patriarcha ex carnalitate aut gulositate talia amabat cibaria, et filium suum propter ea. Potest namque vir bonus ac sobrius moderate uti cibariis delicatis, sicut et pulchra uxore. *Et Rebecca diligebat* specialiter *Jacob* propter ejus simplicitatem et sinceritatem, et quia frequentius secum erat in domo, et rursum, ex inspiratione divina, et item, quoniam ex revelatione divina cognovit quod Jacob erat præelectus a Deo, et fratri suo præferendus.

Job I, 1.

Num. XVI, 26.

A

Coxit autem Jacob pulmentum de quodam legumine, quod vocatur lenticula. *Ad quem quum venisset Esau lassus de agro, ait : Da mihi de coctione hac rufa,* id est rubicunda seu fulva, quoniam facta erat de lenticula rubea ; *quia oppido,* id est valde, *lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom.* Circa quod ait Hieronymus : Fulvum seu rubeum, Hebraice dicitur Edom. Ob id autem quod pro rubeo cibo primogenita sua vendidit, nomen Edom seu fulvi accepit : cujus appellationis fuit et alia causa, ut tactum est, quoniam natus est rufus seu rubeus. *Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua.* Secundum Isidorum, primogenita fuit vestis sacerdotalis, qua majores natu cum benedictione patris induti, victimas Deo quasi pontifices offerebant. Porro in Scholastica historia plenius dicitur : Erant autem primogenita, quædam dignitates, quas habuerunt primogeniti in cognationibus suis usque ad Aaron. Habebat enim primogenitus vestem specialem, qua induebatur tantum in sacrificiis offerendis, et quando recepturus erat finalem benedictionem a patre. In solennitatibus quoque et conviviis, benedicebat junioribus, et in his duplam portionem ciborum recepit : sic et in divisione hereditatis habuit duplum, ut fertur. Itaque constat, quod primogenitura inclusit spiritualia aliqua, præsertim sacerdotium et auctoritatem benedicendi.

B

C

D

Quomodo ergo petiit Jacob primogenita sibi vendi, quum hoc esse simoniacum videatur ? Ad hoc patet responsio ex dictis circa hoc, quod Abraham dicitur jus sepulturæ emisse. Primogenitura quippe jure et præordinatione divina erat ipsius Jacob, qui hoc ipsum ex suæ matris relatione creditur cognovisse : sicque intelligi-

Digitized by Google

tur suam redemisse vexationem, retrahendo prudenter ad se, quod sibi ex gratia Dei competebat. Alii dicunt, quod sicut jus patronatus partim est spirituale, partimque temporale, propter quod per se vendi non potest, sed cum fundo vendito potest transferri, ita jus primogenituræ cum redditibus ad se pertinentibus transferri poterat per venditionem.

Ille respondit : En morior. Quid mihi proderunt primogenita ? quasi dicat, Præ fame et lassitudine, ac desiderio hujus cibi deficio, ita quod primogenitura mihi non prodest. *Ait Jacob : Jura ergo mihi,* quod venditionem hanc ratam habebis. *Juravit ei Esau* hoc ipsum, *et vendidit primogenita* sua cum juramento. *Et sic accepto pane et lentis edulio,* puta pulmento, *comedit et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset.* Vel quia spiritualia non curavit, quum esset carnalis ; vel quia viribus suis confidens, proposuit sibi reservare privilegia primogenituræ per vim, non obstante venditione aut juramento, sciens quod frater suus vir simplex non auderet resistere : sicque multipliciter et graviter valde peccavit, videlicet gula, simonia, illicita juratione, aspernatione spiritualium, ac pravo proposito violentiam atque perjurium committendi. *Hebr.* XII, 6. Ideo ad Hebræos ait Apostolus : Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primogenita sua.

Sed circa hæc quæstio oritur : Non enim apparet, quod Esau vir humana versutus astutia, qui de cupiditate et gula notatur, vendiderit primogenita sua pro quammodicissimo pretio, utpote una esca, et potissimum si ad primogenituram spectabat ciborum et hereditatis portio duplex. Ad hoc (ut fertur) Hebræi respondent, quod cibus de quo ait ista Scriptura, non fuit pretium emptionis primogenituræ, sed datum fuit ultra pretium istud, eo modo quo in contractibus emptor consuevit ultra pretium dare symbolum aliquod. Si autem objiciatur præallegatum Apostoli verbum, A dicentis, Qui propter unam escam vendidit primitiva : respondetur, quod conjunctio, propter, notat ibi causam venditionis motivam, non pretii quantitatem. Huic tamen responsioni objicit Rabbi Paulus, quia si Esau vendidit primogenita sua pro pretio magno, ita quod esca movit eum dumtaxat ad illam venditionem, non vocaretur ab Apostolo ipso profanus. Sed quidquid sit de hujus dicti veritate, ista objectio nullius est ponderis. Nam quantumcumque pretium Esau pro primogenitura per mo- B dum pretii accepisset, simoniacus factus fuisset, et ex consequenti † profanatus atque sacrilegus.

Sensus mysticus. Amplius, juxta mysticum sensum, sicut Abraham, Sara defuncta, aliam duxit uxorem, quam tamen et ante dicitur habuisse, videlicet Agar ; sic Christus nunquam sine spiritualibus nuptiis est, et si una particularis Ecclesia deficiat, aliam sibi procurat, quosdam convertendo ad se. Denique circa finem sæculi, Ecclesia per Antichristum pro maxima parte exstincta, Chri- C stus Judæos convertet, et Synagogam quam diu reliquerat, iterum sumet in sponsam. Quemadmodum autem ex Abraham natæ sunt multæ et maximæ nationes infideles et reprobæ ; ita ex Christo et Ecclesia renati sunt plures in fonte Baptismatis, qui ad hæreticas pravitates ac varia vitia lapsi, ecclesias malignantium et conventicula hæreticorum, schismaticorum ac impiorum atque carnalium constituerunt : quibus tamen Christus largitus est munera, hoc est, dona gratiæ gratis datæ, bona naturæ ac D fortunæ, imo et dona gratiæ gratum facientis in fonte Baptismatis. Isaac autem, hoc est, populo christiano catholico, Christus contulit hereditatem cœlestem, et cuncta quæ habet, quæ eis præparavit ad perfruendum seu participandum : quos nunc separat merito a perversis ; deinde separabit eos ab invicem loco et præmio. Insuper, sicut post mortem Abrahæ Deus benedixit Isaac filio ejus ; sic Christo passo et mortuo, resuscitato et in cœlum levato, Deus benedixit copiosissime ejus disci-

Digitized by Google

pulis ac filiis. Iterum, sicut per Abraham et Saram, ita per Isaac et Rebeccam designantur Christus atque Ecclesia. Et sicut Isaac rogavit pro Rebeccæ fecundatione; ita Christus pro Ecclesiæ gratiosa fecunditate, quam ex se ipsa non habuit. Quumque concepisset Ecclesia, statim cœperunt pullulare et commisceri in ea, et contra se invicem præliari populi duo, videlicet boni et mali, catholici et hæretici : propter quod dolebat Ecclesia, et dictum est ei : Duæ gentes in utero tuo sunt. Christus namque comparavit Ecclesiam sagenæ ex omni piscium genere congreganti; sed populus catholicus et electus hæreticis ac reprobis prævalet.

Matth. XIII, 47.

Quemadmodum autem Esau erat totus deformis, rubeus et pilosus; sic iniqui ac perfidi mente deformes sunt, sanguinolenti, pravisque cogitationibus et iniquis affectibus quasi pilis operti : qui discunt venari, terrenaque colere, quoniam alios A venantur ad mortem, et undique evagantur ac temporalibus inhiant. Jacob vero fuit vir simplex, in tabernaculis habitans; sic vere fideles sunt simplices sicut columbæ, et Christi ecclesias visitant, atque in scholis virtutum morantur. Quemadmodum etiam Esau quæsivit pulmentum et terrena a Jacob, et propter ea parvipendit spiritualia bona; sic reprobi et carnales a fidelibus conantur temporalia obtinere, de quibus devoti non curant, dummodo æterna ac spiritualia sortiantur. Caveamus igitur vi- B tia Esau, omnem cupiditatem et gulam, omnem vanitatem et pompam, atque ipsius Jacob virtutes sectemur, quatenus et in nobis populus major minori deserviat, id est, multitudo passionum ac vitiorum, omniumque carnalium appetituum, sensualiumque apprehensionum ac operum subjiciatur cœtui intellectualium sensuum et actuum virtuosorum, imperio rationis, dominio caritatis, rectitudini æquitatis.

ARTICULUS LXIX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : ORTA AUTEM FAME SUPER TERRAM.

HOC nunc exponendum capitulum, recitat qualiter Dominus benedixit et magnam prosperitatem contulit Isaac patriarchæ. *Orta autem fame super terram,* id est habitatoribus terræ Chanaan, *post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham.* Supra duodecimo capitulo legitur Abraham intrasse Ægyptum, propter famem quæ tunc in terra Chanaan erat. Vicesimoque capitulo scriptum est, quod introivit terram Palæstinorum, et habitavit in Geraris; sed ibi non legitur propter famem id accidisse. Porro quando intravit Ægyptum propter famem, nondum genuerat Ismaelem; Isaac vero sexagenarius fuit, dum nati sunt ei Jacob et Esau, qui quum juvenes essent, et forsan plusquam C viginti annorum, fecerunt commercium, de quo in fine præcedentis capituli actum est : sicque Isaac videtur tunc fuisse ad minus octoginta annorum; fuit quoque tredecim annis junior Ismaele. Ergo inter famem illam sub Abraham factam, et inter istam sub Isaac ortam, fluxerunt anni nonaginta tres ad minus, si historia ista quæ nunc recitatur de Isaac, contigit post venditionem primogenitorum Esau, ut series textus videtur prætendere. Non est autem verisimile, quod infra tot annos non fue- D rit in terra Chanaan alia fames, caristia sive sterilitas.

Præterea supra dictum jam est, quod Abimelech rex Geraræ concupivit et sibi adduci fecit Saram Abrahæ conjugem, Isaac

Gen. XX, 2.

Digitized by Google

nondum nato. Ergo inter tempus illud, et A istud de quo in isto narratur capitulo, quod ipse Abimelech et etiam Phicol princeps militiæ ejus, de quo item vicesimo habetur capitulo, tractaverunt cum Isaac, fluxerunt ad minus octoginta anni : sicque Abimelech fuit tunc ad minus centum annorum, etiamsi non fuisset nisi viginti annorum quando adduxit ad se Saram. Deinde in isto capitulo scribitur Isaac multa egisse in terra Palæstinorum, puteosque fodisse, et loca mutasse, ac succrevisse quousque magnus effectus est vehementer. B Post quæ omnia rursus legitur Abimelech cum Phicol venisse ad ipsum, et fœdus amicitiæ percussisse cum illo. Si itaque in recitatione hujus historiæ ordo temporis observatus est, inveniuntur Abimelech iste et Phicol valde diu vixisse, ita ut vix credibile videatur : idcirco Glossa et Scholastica historia dicunt, istam historiam recitari per recapitulationem, ita quod res quæ hic legitur gesta, acciderit ante nativitatem filiorum, Esau et Jacob, aut saltem ante venditionem primogenituræ præscri- C ptam. Verumtamen istud non videtur certum nec necessarium dici, quoniam aliqui tunc vixerunt, imo et multi, quasi ducentis vel centum et quinquaginta annis, sicut et infra patebit de Laban. Nec Isaac videtur fuisse tantæ opulentiæ et sublimitatis, sicut hic fertur, ante mortem Abrahæ patris sui, præsertim quum scriptum sit præcedenti capitulo, Post obitum Abrahæ benedixit Deus Isaac filio ejus. Abraham vero vixit quindecim annis post nativitatem filiorum Isaac, ut in expositione præ- D cedentis capituli est probatum : sicque obitus Abrahæ non præcessit prætactam primogenituræ venundationem, nisi per quinque annos, si filii Isaac non erant nisi viginti annorum tempore venditionis illius. Potius ergo reor ista recitari secundum ordinem temporis quo sunt facta.

Itaque *abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara,* id est in loco seu oppido sic vocato. Nam propter amicitiam quæ fuit inter Abraham atque Abimelech, habuit Isaac fiduciam confugiendi ad ipsum Abimelech. *Apparuitque ei Dominus,* per angelum, secundum aliquem modorum sæpius prætactorum, *dicens : Ne descendas in Ægyptum.* Ex quo elicitur, quod intendebat intrare Ægyptum, quæ est regio valde abundans : idcirco Isaac magnam habens familiam, multaque pecora, voluit se illuc tempore sterilitatis transferre, sicut et pater suus Abraham fecerat. *Sed quiesce in terra quam dixero tibi,* videlicet infra terminos terræ promissionis, *et peregrinare ibi,* hoc est in terra quæ infra terram Chanaan et Ægyptum est media, puta in Palæstina, quæ ad terram promissionis pertinuit, ut patuit ac patebit : quasi dicat, Esto peregrinus in terra quam in successoribus et posteris tuis possidebis ut dominus. Hinc ratio præcepti hujus subjungitur : *Tibi enim, et,* pro id est, *semini tuo dabo universas regiones has,* scilicet Palæstinam, Chanaan, Galilæam, Samariam, etc., *complens juramentum quod spopondi,* id est firmiter et assertorie feci, *Abraham patri tuo,* etc., *et benedicentur in semine tuo,* scilicet Christo, secundum naturam humanam, *omnes gentes terræ,* id est quidam, imo et multi de omnibus, ut plenius sæpiusque expositum est. Hæc etenim verba eodem sensu promissa sunt Isaac, quo et Abrahæ : per quod patet, quod non Abrahæ tantum, sed et Isaac, imo et Jacob, ut infra clarebit, facta sit ista de Christo promissio. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ,* id est jussioni quam ei loquendo præfixi. Verumtamen (ut est dictum) obedientia Abrahæ non promeruit de condigno, sed de congruo, exhibitionem promissionis illius de Christo, videlicet Christi incarnationem, et omnium gentium benedictionem per eum. *Et custodierit præcepta,* ea videlicet, quæ sunt de dictamine naturalis rationis, ut sunt præcepta Decalogi, quæ omnes respiciebant, *et mandata mea,* quæ ei specialiter jussi, *et cærimonias, legesque servaverit.* Cærimoniæ illæ fuerunt certi ritus seu modi colendi Deum, et sa-

Digitized by Google

crificandi eidem. Per leges vero nunc possunt intelligi quæcumque institutiones tunc factæ et observandæ, quæ judiciales vocantur, quæ docebant modum servandi justitiam inter homines. Ex his conjicitur, quod ante legem Mosaicam multa præcepta moralia et cærimonialia ac judicialia observabantur a Dei ministris, quæ postmodum in lege Moysis sunt conscripta et ampliata. Per hæc quoque insinuatur excellentia sanctitatis Abrahæ, propter cujus justitiam Dominus dicit se tanta bona filio suo facturum.

Mansit itaque Isaac in Geraris, id est in loco sic dicto. *Qui quum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est,* etc. Istud omnino concordat cum his, quæ supra de Abraham dicta sunt, ex quorum expositione patet et sensus istius passus. *Quumque pertransissent dies plurimi, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua.* Secundum Lyram, verbum Hebraicum, pro quo Hieronymus transtulit hic, jocantem, æquivocum est ad ludum et coitum, magisque proprie accipitur modo pro coitu. Verum (ut in expositione vicesimi primi capituli dictum est) Rabbi Paulus affirmat, quod verbum istud nunquam significat coitum, et secundum eumdem, nunc proprie signat jocum seu ludum : ut sit sensus, quod Abimelech vidit ipsum Isaac deosculantem et amplexantem suam uxorem, quod viri boni non faciebant nisi uxoribus propriis. Attamen verba sequentia ad utramque significationem possunt aptari.

Gen. xx, 2.

Et accersito eo, id est, Isaac ad se vocato, *ait: Perspicuum est quod uxor tua sit. Cur mentitus es eam sororem tuam esse?* Secundum quod Abimelech sumpsit hoc nomen, soror, falsum erat Rebeccam esse sororem ipsius Isaac; non autem secundum quod Isaac sumpsit sororem, utpote pro cognata. *Respondit* Isaac : *Timui ne morerer propter eam,* id est, ex timore hoc dixi, et ista sum usus cautela, ne Palæ-

A stini me trucidarent, quatenus uxore mea liberius possent uti. *Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis?* id est, cur induxisti super nos tantum periculum? In Scholastica autem fertur historia : Imponere est hic verbum absolutum, et designat imposturam seu fraudem, ut sit sensus : Cur imposuisti nobis? id est, cur nos decepisti? Hinc impostor vocatur deceptor, vel secundum Remigium, is qui viliora miscet metalla pretiosis. *Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua,* deceptus ex verbis tuis, putando quod esset soror tua, non uxor ; *et induxeras super nos grande peccatum,* hoc est, quantum fuit ex parte tui, dedisti nobis occasionem adulterii cum conjuge tua. Verumtamen Isaac non dixit eam esse suam sororem tali intentione, et de Dei providentia sperans, ei commisit exitum rei, sicut de hoc plenius dictum est in exponendo verba et gesta Abrahæ in re pari. *Præcepitque omni populo* sui dominii, *dicens : Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Sive hoc exponatur de tactu etiam osculi et amplexus, sive de tactu concubitus, patet quantum gentiles illi adulterium abhorrebant : quantum ergo Christiani id merito abhorrerent?

B

C

Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum, id est insuetate fructum copiosum, ex speciali munere Dei, qui interdum unam terram ultra aliam multum fecundat. Nec oportet ut centuplum designet hic numerum determinatum ac certum ; sed sensus est, quod multo plus accepit de fructu quam consuevit, aut se recepturum putavit : atque ut in Scholastica habetur historia, illud potest intelligi non solum de una specie opum, sed forte in omni genere opum est centuplicatus. Ideo quasi expositorie subditur : *Benedixitque ei Dominus,* augendo in eo spiritualia ac temporalia bona; *et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est,* etc. : per quod potissimum designatur in spiritualibus profecisse; per

D

Digitized by Google

quod item innuitur, quod temporalis prosperitas donum sit Dei, et ab eo electis aliquando concedatur. *Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:* invidia namque est dolor de prosperitate alterius; *in tantum ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Mirum videtur, qualiter peregrinus in aliena habitans terra, poterat esse fortior rege ac populo terræ illius. Potest hoc verbum intelligi per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid sine mendacio dicitur per excessum, ad insinuandum insolitam magnitudinem ejus. Vel ideo dixit istud Abimelech, quoniam vidit Isaac divino undique suffultum auxilio, cui se scivit non posse resistere.

Et ille discedens, tanquam obtemperans regi in propria terra, *ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi:* recessit enim a civitate in qua habitavit cum rege, et habitavit non longe in valle, quoniam putavit se ibi aquam et pascua pro suis reperturum pecoribus; *rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos illo mortuo olim obstruxerant Philistiim,* id est Palæstini, etc. Illos etenim puteos, eo jubente, servi sui purgabant, ejiciendo humum injectam : quos Philistæi forsitan ideo impleverunt, ne quis ex posteris Abrahæ diceret se ad illos puteos jus habere. *Foderuntque in torrente,* id est in valle juxta torrentem, vel ubi torrens currere consuevit. Unde in Scholastica historia dicitur : Habitavit Isaac juxta alveum, per quem torrens aliquando influebat. Porro torrens vocatur aqua, quæ ex inundatione imbrium resolutioneve nivium aut glaciei decurrit, nec jugiter fluit : ideo ibi foderunt, quatenus hujusmodi aquam in foveis illis colligerent ac servarent. *Et repererunt aquam vivam,* id est salientem, quæ instar rerum viventium se movere videtur. Deinde in littera scribitur, qualiter pastores Geraræ contenderunt contra pastores Isaac, propter puteum illum, et similiter propter alium puteum : idcirco, secundum Josephum, Isaac illos puteos imperfectos reliquit, nolens cum indigenis terræ contendere, atque exspectans rationem ac licentiam bonæ voluntatis eorum : ex quibus patet magna humilitas, patientia, et mansuetudo Patriarchæ istius. *Profectus inde, fodit,* id est, servos suos fodere fecit, *alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocavit nomen ejus Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus,* id est, ampliavit in bonis, *et fecit crescere,* id est ditari, *super terram,* ita quod pecora nostra possunt nunc longe et late hic pasci.

Ascendit autem Isaac *ex isto loco in Bersabee,* ubi et Abraham jam ante habitaverat, ut supra dictum est; *ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte,* per angelum in somno seu in vigilia, *dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui.* Ex quo (ut ait Salvator) probatur resurrectio mortuorum, et immortalitas animæ rationalis. Deus namque est Deus eorum qui sunt aut vivunt, ergo Abraham corpore suo exstincto, secundum animam suam fuit et vixit. *Noli timere.* Hæc consolatio congrue facta est huic Isaac, quando in terra aliena tantam fuit passus injuriam, et a rege terræ depulsus. Itaque, Noli timere timore carnali, mundano, immoderato, *quia ego tecum sum. Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham,* id est propter merita ejus : per quod rursus eximia sanctitas Abrahæ designatur. Principaliter tamen fecit hoc Deus ex propria misericordia sua, et ad sui ipsius honorem ac gloriam, imo et aliquo modo propter merita Isaac, qui fuit magni meriti apud Altissimum. Nam et hoc piissimum est, quod Deus propter merita unius, alteri miseretur ac benedicit. *Itaque ædificavit ibi altare,* gratias agens Deo, qui tanta bona sibi jam dedit, et majora promisit; *et invocato nomine Domini,* quem assidue invocavit, et orando, laudando, obediendo ac immolando venerabatur, *extendit tabernaculum; præcepitque servis suis ut fo-*

Gen. XXI. 33.

Digitized by Google

derent puteum. Jam enim fuerat animatus A ex consolatione et promissione divina, sibi ibidem jam facta. Extenditque ibi tabernaculum : habitavit enim in tabernaculis, tentoriis seu papilionibus, sicut de Abraham dictum est, et ita faciliter poterat locum mutare.

Ad quem locum quum venissent de Geraris Abimelech et Ochozath amicus illius : reges namque solent habere unum specialem amicum, qui antonomastice fertur amicus regis sui, ut patet de David, (II Reg. XVI, 16, 17. III Reg. V, 1.) Salomone ac aliis; verumtamen, secundum B Hieronymum, in Hebræo habetur tale complexum, quod significat collegium seu congregationem amicorum regis : ut sit sensus, quod turba amicorum regis venit cum eo propter reverentiam ejus, *et Phicol dux militum; locutus est eis Isaac :* qui tamen primo locuti sunt ei; et inter cetera ipse dixit econverso ad ipsos : *Quid venistis ad me hominem quem odistis, et expulistis a vobis ?* Interdum enim fuerunt benevoli circa Isaac, interdum malevoli, ut dicit Hieronymus, et nunc constat C ex textu. *Qui responderunt : Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco † nunc dicimus : Sit juramentum inter nos,* quod amicitiam simul servabimus, *et ineamus fœdus* pacis, etc. Historia ista quasi eadem est cum ea, quæ capitulo vicesimo primo habetur de juramento et fœdere pacis ac amicitiæ inito inter Abraham et Abimelech.

Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, etc., *dicentes : Invenimus aquam :* idcirco puteum, in quo aqua illa inventa D est, vocavit *Abundantiam, et nomen urbi impositum est Bersabee.* De hoc nomine et interpretatione, ac rationibus suæ impositionis, dictum est supra in fine expositionis capituli vicesimi primi. Unde aliqui dicunt, quod ista de qua nunc legitur, impositio nominis, non fuit nova institutio, sed prioris impositionis innovatio et confirmatio. Verumtamen, secundum Hieronymum, ex eo quod aqua ibi inventa est, Isaac alludens priori nomini civitatis, declinavit paululum litteram ; et pro stridulo Hebræorum SIN, a quo SABEE incipit, posuit Græcum *sigma,* id est Hebræorum SAMECH. Hinc in Scholastica historia apertius dicitur : In modico vocis stridulo et in scriptura, hoc nomen quod nunc impositum legitur, differt a nomine quod Abraham olim imposuerat ei : SABEE enim, scriptum per SIN Hebræum, significat juramentum vel septem, et asperius stridet; scriptum vero per *sigma* Græcum, satietatem designat, et mollius sonat. Denique istud videtur magistralius dictum, quam quod scribit alius quidam, dicens : BER in Hebræo significat puteum, SABEE autem significat septem et juramentum ac satietatem. Ex quibus tribus significationibus locus iste ubi erat puteus, vocatus est Bersabee. Primo, propter septem agnas quas ibi statuit Abraham. Secundo, propter juramentum ibi factum inter ipsum et Abimelech regem. Tertio, propter aquæ abundantiam ibi inventam. Quum enim textus hic dicat, quod nomen urbi impositum est Bersabee, videlicet propter abundantiam seu satietatem præfatam, videtur quod nomen istud aliqualiter differat a nomine illo priori.

Deinde describitur inconsultum connubium Esau. *Esau vero quadragenarius duxit uxores : Judith filiam Beeri Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci.* Hi duo viri, quorum filias Esau sumpsit uxores, fuerunt potentes Hethæi seu Chananæi, quas duxit sine consilio suorum parentum, quasi potens et sapiens per se: propter quod, secundum Josephum, fecit se ipsum dominum in potestate uxorum. *Quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ :* quia fortassis more Chananæorum fuerunt pompaticæ, curiosæ, immorigeratæ, idololatræ. Displicuit quoque Isaac, quod posteritas sua miscebatur provincialibus ; melius tamen putavit inde silere.

Digitized by Google

ARTICULUS LXX

DE SPIRITUALI INTELLECTU EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SEXTI.

SICUT Isaac ingressus est Palæstinam A cum domo sua, orta fame in Chanaan, sic Synagoga indurata, et omni spiritualium alimentorum refectione privata, Christus per Apostolorum prædicationem ad gentilium conversionem processit, atque in eorum demoratus est cordibus, qui evangelicam amplexati sunt legem : et factum est istud post sterilitatem, quæ in diebus Abrahæ contigit, hoc est spiritualem illam inopiam quæ frequenter fuit in cordibus Judæorum, quando Deus Pater in veteri Testamento dicebatur Deus ac Dominus B Synagogæ. Præterea quæritur, cur juxta mysticum sensum Deus prohibuit Isaac intrare Ægyptum, quod tamen Abrahæ patri ejus non negavit. Respondetur, ad insinuandum quod fideles non debent per vana vagari, sed in meditatione cœlestis patriæ suum cor cohibere, omnemque sæcularem vitare affectionem. Rursus per Abraham multarum gentium patrem, signantur prælati ; per Jacob laboriosum, activi ; per Isaac continentem, et multo tempore in thalamo quiescentem, claustrales et con- C templativi. Abraham ergo et Jacob Ægyptum ingredi sunt permissi, ad innuendum quod prælati atque activi possunt sæculares accedere, et per mundum transire ; Isaac vero Ægyptum introire prohibitus est, quoniam contemplativi claustrales et religiosi, debent pro posse vitare discursus, et in abscondito vultus Dei persistere, nec sæcularium conversationi misceri : quia (ut magnus dixit Antonius) sicut pisces si extra aquam tardent, mox moriuntur, sic monachi infrigidantur, si inter D sæculares tardaverint.

Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum. Primo Christus per se ipsum seminavit verbum Dei in populo Judæorum. Unde et dixit : Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel. (*Matth.* xv, 24.) Deinde per sanctos Apostolos et ceteros prædicatores electos evangelizavit gentilibus in tempore gratiæ, quod est annus benignitatis, et annus acceptabilis Domino : in quo invenit centuplum, quoniam centies, imo innumerabiliter plures ex gentilibus sunt conversi, etiam statim in exordio prædicationis Apostolorum per totum mundum, aut paulo post. *Benedixitque ei Dominus :* post Christi ascensionem benedixit Deus Trinitas Christo in suis membris, hoc est, ipsis fidelibus copiosissima gratiarum largitus est munera. *Habuit quoque possessiones ovium et armentorum, et familiæ plurimum :* id est, ex omni genere hominum multi crediderunt in Salvatorem, et subjecti sunt ei, incipientes, proficientes, et perfecti ; rudes, simplices, ac subtiles, activi et contemplativi, diversorumque statuum, graduum, dignitatum ac ordinum homines.

Propter quod inviderunt ei *Palæstini,* hoc est omnes infideles ac reprobi, præsertim indurati Judæi ac tyranni ac multi philosophi ; et *omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.* Per Abraham intelligitur Deus Pater, cujus servi fuerunt Patriarchæ et Prophetæ veteris Testamenti, qui puteos tot foderunt, quot libros sacros conscripserunt ; inter quos Moyses fuit præcipuus. Quumque Salvator et ejus discipuli cœpissent ex libris legis et Prophetarum probare Christi adventum ac ejus mysteria, et ea quæ christianæ sunt fidei roborare, præfati infideles conati sunt omnes hujusmodi libros seu pu-

teos obturare, vel eos litteraliter solum A carnaliterque exponendo, ut infideles Judæi, aut eorum veritatem negando, ut pagani et quidam hæretici : qui errores et falsæ expositiones fuerunt quasi humus et sordidum lutum, quo libros istos, quantum in ipsis fuit, sordidarunt. *In tantum ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Per Abimelech intelliguntur principes sæculares ac perfidi, qui Christi Ecclesiam videntes quotidie numero ac donis Dei multiplicari, nisi sunt Christum B excludere, et legem evangelicam eradicare. Ab illorum ergo obstinatorum cordibus Christus discessit, et juxta torrentem Geraræ habitavit in valle, hoc est, in humilium mentibus, atque in his qui gratiarum fluenta gratanter sunt amplexati, dignatus est commorari.

Ibi *rursum fodit alios puteos :* hoc est, per Apostolos et Evangelistas libros novi edidit Testamenti, de quibus Isaias prædi-
Is. xii, 13. xit : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Hos autem puteos foderunt jam C ante servi Abrahæ : quia quod sancti Evangelistæ et Apostoli scripserunt, et docuerunt esse impletum, Prophetæ prædixerunt implendum. In multis quoque conveniunt
Ezech. i, 16. documentis, ad quod innuendum Ezechiel vidit rotam in medio rotæ, videlicet novum Testamentum in veteri. *Foderunt in torrente, et repererunt aquam vivam.* Tor-
Coloss. ii, 3. rens est cor Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi : in quo torrente foderunt Evangelistæ et Apostoli, quia ex fonte dominici pectoris D hauserunt, quidquid rite intellexerunt et conscripserunt. Idcirco in illo torrente invenerunt aquam vivam, hoc est evangelicæ legis doctrinam, gratiamque cœlestem, atque exuberantiam Spiritus Sancti. Unde dixit Salvator : Qui biberit ex aqua quam *Joan.* iv, 13. ego dabo ei, non sitiet in æternum.

Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium : Nostra est aqua. Pastores Geraræ fuerunt sapientes sæculi atque philosophi, qui Christi contradixerunt doctrinis, discipulorumque ejus libros reprobare conati sunt, sicut Porphyrius, Celsus, Julianus, Averroes ; et quidquid verum ac morale seu utile invenerunt in illis, dixerunt pertinere ad se, seu sumptum esse ex philosophicis libris : imo multi eorum dixerunt, Christum in Ægypto libros didicisse Platonis, et quidquid in Evangelio mirantur Christiani tanquam sublime, ex libris Platonis esse acceptum. Talis ergo puteus vocari potest Calumnia. *Foderunt et alium puteum ; pro illo quoque rixati sunt.* Alius puteus iste, est supernaturalis Evangelistarum et Apostolorum doctrina, quam constat in libris philosophorum non contineri : idcirco pastores illi increduli rixati sunt, asserendo talem doctrinam esse mendosam. *Profectus inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt.* Iste puteus fuit illa doctrina apostolica atque evangelica, naturalem rationem non transcendens, ut quod unus est summus Deus, et consimilia quæ ex naturali ratione probantur : ideo in eo convenerunt et consenserunt, propter quod apte vocatur hic puteus Latitudo. *Præcepitque servis suis ut foderent puteum.* Isti servi fuerunt posteriores Doctores et Patres Ecclesiæ, qui post Apostolos composuerunt libros catholicos. Insuper quid designet, quod Abimelech rex cum suis venit ad Isaac inire amicitiæ fœdus, constat ex dictis in expositione vicesimi primi capituli.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : SENUIT AUTEM ISAAC, ET VIDERE NON POTERAT.

QUALITER Isaac patriarcha benedixit A filiis suis, præsens docet capitulum. *Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat.* Ex naturali etenim causa cæcitatem incurrit, et partim fuit ex senio. Verumtamen diu vixit post ea quæ nunc facta leguntur; quia ut infra habetur, vixit adhuc post reditum Jacob a Mesopotamia. *Vocavitque Esau filium suum majorem,* id est primogenitum secundum naturam, *et dixit ei,* etc. : *Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ.* Quasi dicat : Quum senex sim, B volo adhuc sanus et mente compos peragere, quæ ante mortem facturus sum, ne morte aut sensus defectu præoccupatus, nequeam id explere. *Sume arma tua,* id est venationis tuæ instrumenta, *pharetram et arcum, et egredere foras. Quumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum,* id est coctionem, *sicut velle me nosti :* quia frequenter talem cibum mihi parasti, adjuvante te matre tua aut famula; *et affer* cibum sic præparatum, *ut comedam, et benedicat tibi anima mea,* id C est ego ipse ex desiderio animæ et cordis affectu, *antequam moriar.* Cur Isaac filium suum benedicere cupiens, primo ipsi istud injunxit? Non utique ex carnali affectu aut intemperantiæ appetitu, sed ut filius suus sibi in isto obtemperans, per obedientiam istam magis idoneus redderetur ad benedictionis susceptionem, et item ut ipsemet Isaac ex beneficio atque obsequio sibi a filio exhibitis, magis benevolus efficeretur ad filii sui benedictionem. Rursus, quoniam intendebat filio benedictionem D conferre, etiam quantum ad temporalia bona, voluit primo ab eo aliquid temporale, præsertim refectionem, suscipere.

Quod quum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret, dixit filio suo Jacob, quem specialius diligebat propter causas in expositione capituli vicesimi quinti introductas : *Audivi patrem tuum loquentem cum Esau,* etc. Gen. XXV, 28. *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis, et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo quibus libenter vescitur : quas quum attuleris et comederit, benedicat tibi,* etc. Istud consuluit Rebecca, quoniam sicut præhabitum est, ex revelatione divina cognovit Jacob esse præelectum a Deo, et ipsi Esau præferendum in benedictione, atque ad ipsum primogenituræ jus pertinere. *Cui ille respondit : Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit :* fuit enim per totam corporis sui pellem hispidus seu crinitus; *et ego lenis,* id est corpore tener et tactu mollis. *Si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater : In me sit, ait, ista maledictio,* etc., id est, maledictionis illius periculum accipio super me. Quasi dicat : Certa sum quod non maledicet tibi, sed benedicet; et si malediceret tibi, imputandum esset mihi magis quam tibi, quia induco te ad ista agenda. *Abiit* Jacob, *et attulit, deditque matri* duos optimos hœdos. *Paravit illa cibos, et vestibus Esau valde bonis induit eum,* id est vestibus sacerdotalibus, quia (ut habitum est) in lege naturæ primogeniti fuerunt sacerdotes, habebantque vestes speciales

Digitized by Google

ac pretiosas, quibus induebantur dum sacrificia offerebant, et quando a patre suo benedictionem acceperunt finalem; *pelliculasque hœdorum circumdedit manibus* Jacob, *et colli nuda protexit :* ut videretur habere manus pilosas, et collum Jacob operuit, ne nuda colli ejus caro tangeretur ab Isaac, et sic cognosceretur ab eo.

Quibus illatis, id est, cibis a Rebecca paratis, ipsi Isaac allatis a Jacob, *dixit : Pater mi. At ille respondit : Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob : Ego sum primogenitus tuus Esau. Feci sicut præcepisti mihi.* Videntur in verbis istis duo mendacia contineri, quia non fuit Esau, nec fecit quod Isaac jussit, sumendo arcum et pharetram ad venandum, etc. Respondetur ad primum, quod sicut Christus in Evangelio ait, Joannes ipse est Elias, non utique in persona, sed in similitudine seu conformitate sanctitatis atque officii; sic Jacob dixit veraciter se esse Esau primogenitum, non substantialiter, sed similitudinarie, utpote dignitate primogenituræ : juxta quem modum, quum Christus interrogasset Apostolos, Quem me dicunt homines? dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii Jeremiam, etc. Ad aliud respondetur, quod Jacob in multis fecerat sicut Isaac sibi præcepit, et ita verificantur verba inducta. Et tamen si Jacob aperte dixisset, Sumpsi arcum et ivi venatum : intelligendum esset, Ego, id est is cujus personam repræsento, et cujus similitudinem gero, jusque possideo, feci hoc, atque tantumdem est quasi personaliter hoc fecissem. *Surge, sede, et comede de venatione mea,* etc., id est cibum coctum ex hœdis, quos per modum venantis tuli de grege, ut coquerentur. *Voluntas Dei fuit,* id est effectus divinæ voluntatis, *ut cito mihi occurreret quod quærebam :* nam, Deo volente, invenit repente hœdos in grege.

Matth. XI, 13, 14; XXVII, 12, 13.

Ibid. XVI, 13, 14.

Dixitque Isaac : Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. Videbatur quippe ipsi Isaac ex auditu, quod non esset Esau, ideo voluit certificari per tactum, et

A experiri palpando an Esau esset. *Accessit ille ad patrem, et palpato eo dixit Isaac : Vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esau.* Ex quo patet, quod tetigit seu palpavit manus ipsius Jacob, quas dixit esse manus Esau, id est similes manibus ejus in pilositate, vel realiter manus ejus, quia hoc æstimavit. *Et non cognovit eum,* quod esset personaliter Jacob, *quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant,* id est, manus Jacob pelliculis coopertæ, ostenderunt eum esse similem,

B imo et eumdem filio primogenito. Primo namque prætendebant similitudinem, et ex ea Isaac arguit et conclusit identitatem, et in hoc aliquo modo erravit, non tamen peccavit, quia non omnis error est culpa. Aliquo etiam modo non erravit, quia Jacob fuit ille, ad quem jure divino et speciali Dei dono primogenitura ac benedictio pertinebant, et illum Isaac exquirebat, præsentemque esse volebat ac æstimabat, et eumdem benedicere intendebat : quod totum sic fuit seu factum est. *Benedicens*

C *ergo illi,* id est, benedicere proponens ipse Isaac filio suo Jacob, *ait : Tu es filius meus Esau?* Hoc pro majori certificatione quæsivit. *Respondit* Jacob : *Ego sum,* ille qui juste ac merito fuit benedicendus, quem et Isaac benedicere proponebat. *At ille : Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, ut benedicat tibi anima mea. Quos quum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum : Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi,* ut majori caritate tui accensus, te affe-

D ctuosius benedicam. *Accessit et osculatus est eum.*

Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam : vestes enim sacerdotales consueverunt odoriferæ esse, quia cum speciebus boni odoris reponebantur, sive ex alia causa, et hoc propter proprii officii dignitatem; *benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Juxta superficiem litteræ, litteralemque sensum primo occurrentem, iste est sensus, quod Isaac percepto odore

Digitized by Google

suavi vestimentorum sacerdotalium, quibus A Jacob erat indutus, et delectatus illo odore ex corporali attactu ipsius Jacob, commendavit filium suum ex illo odore, vel potius ex dignitate primogenituræ, quam vestes illæ monstrabant : unde et odorem illum dixit esse odorem filii sui, quia redundabat in eum ; quem etiam odorem comparavit agro pleno fructibus bene redolentibus, cui et Dominus benedixit, magnam ac dulcem fecunditatem ei præstando. *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini et* B *olei,* hoc est copiosum frumentum, abundansque vinum, et oleum multum, quæ ex rore qui generatur in cœlo aereo, et pinguedine terræ causantur. Ad horum quippe productionem, concurrunt corpora cœlestia motu, lumine et influentia, per modum causæ efficientis ; ros et pluvia, per modum causæ disponentis ; terra pinguis, ut causa materialis. Solet quoque per tria hæc, tota terræ fertilitas designari : quia per frumentum cibus, per vinum potus, per oleum condimentum signatur. *Et ser-* C *viant tibi populi, et adorent te,* adoratione duliæ, *tribus. Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.* Quando hæc dicebantur, non habuit Jacob nisi unum fratrem, nec mater ejus habuit filios nisi duos, a quorum uno dumtaxat Jacob poterat adorari, a quo tamen nunquam legitur adoratus, sed ipse potius suum fratrem septies adoravit pronus in terram, ut infra habetur : ideo verba ista sunt mystica valde, et prophetico sensu plena, nec sunt impleta in Jacob et Esau, D imo Esau fuit ditior et potentior ac dominantior fratre suo Jacob ; sed in posteris eorum impleta sunt, quia ex Jacob descendit tribus regalis, et potentissimi reges, præsertim David et Salomon, quibus
II *Reg.* VIII, 14. servierunt ceteri filii Israel ac Idumæi. Maxime vero ista impleta sunt in Christo,
Dan. VII, 14. cui omnis populus, tribus et linguæ jam servierunt, ac servient ; et in sanctis Apo-
Ps. XLIV, 17. stolis, quos Deus constituit principes super omnem terram, ut infra tangetur.

Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus ; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Per hæc verba videtur Isaac filio suo Jacob bona spiritualia imprecatus, ut sit sensus : Tantis virtutum ac gratiæ donis replearis tu et posteritas tua a Deo, ut justo zelo valeat maledici ei, qui maledixerit tibi ; et benedici, qui benedixerit tibi. Hinc Rabbi Paulus ait : Maledicere alicui, communiter importat malum ei optare, quod semper peccatum est, nisi proximus sit peccator, aut saltem peccabilis, ita ut optetur ei aliquod malum pœnæ, quatenus ex ea consequatur aliquod bonum : ex quo constat, quod boni et justi nunquam sunt maledicendi. Ex hoc ergo quod Isaac maledixit prophetice maledicentibus Jacob, intelligitur quod posteritas Jacob, præsertim spiritualis, cui hæc benedictio principaliter dirigebatur, futura erat virtuosa et justa, ita quod ei maledicentes, digni essent maledici. Præterea, in Scholastica historia legitur : In benedictione ipsius Jacob quatuor continentur : Primum est abundantia victualium, quum dicitur, Det tibi Deus de rore cœli, etc. ; secundum est excellentia potentiæ, quum additur, Serviant tibi populi, etc. ; tertium est præeminentia primogenituræ, quum subditur, Esto dominus fratrum tuorum. Et ista sunt temporalia, præsentisque vitæ. Quartum est spirituale, et circa futura, quum dicitur, Qui maledixerit tibi, etc. Alii dicunt, quod Isaac imprecatus est Jacob seu posteris ejus tria : Primum est, temporalium opulentia ; secundum, honor et excellentia, quum dicitur, Serviant tibi populi, usque ibi, Qui maledixerit tibi ; tertium est, aliorum ad eum benevolentia, quum infertur, Qui maledixerit tibi : sic tamen, ut per temporalia ista intelligantur simul et spiritualia ac æterna, tanquam principaliter intenta, quoniam ex sensibilibus atque terrenis, homo erigitur ad cœlestia ac divina. Secundum Josephum, Rebecca oravit pro Jacob, ut optatam benedictionem consequeretur a patre. Isaac quoque benedicturus filio suo Jacob, orationem præmisit,

dicendo : Domine omnium sæculorum, et creator universæ substantiæ, tu patri meo et mihi abundanter benedixisti, conserva propitius hunc filium meum, et ab omni malo custodi, ac benedic, etc.

Vix Isaac sermonem impleverat, id est verba præfatæ benedictionis cum Jacob. Ex quo sequi videtur, quod forsitan plura dixisset ad Jacob, nisi Esau supervenisset; attamen Deo sic disponente, benedictionis sermonem complevit. *Et egresso Jacob foras,* de thalamo, in quo cæcus pater quievit : et forsan Jacob sensit adventum Esau, propter quod festinavit exire ; aliter non apparet quod tam repente, et quasi abrupte post patris sui verba exisset; *venit Esau,* etc. *Expavit Isaac stupore vehementi; et ultra quam credi,* id est credendo conjici seu percipi, *potest* per naturam secundum communem usum et cursum; *admirans,* quod sic decipi potuit circa notitiam Jacob, vel potius admirans dispensationem pietatis divinæ, et ordinationem sapientiæ Dei, in hoc facto, quod scilicet Deus voluit et præordinavit sic fieri, ut Jacob benediceretur. Hoc etiam in admiratione ista ex revelatione divina cognovit quod ante nescivit. Hinc loquitur Augustinus : Expavit Isaac stupore vehementi, ita ut quædam mentis suæ alienatio sequeretur, quæ raptus aut ecstasis dicitur, et in magnarum rerum revelationibus fieri solet. Unde intelligendum est, ipsum Isaac tunc spiritualiter admonitum esse a Deo, ut confirmaret benedictionem suam in Jacob, cui alias potius potuisset irasci quod patrem fefellerit. Sic et in Adam præcessit ecstasis antequam dixit, Erunt duo in carne una : quod est magnum sacramentum in Christo atque Ecclesia. Hæc Augustinus. Itaque Isaac admirans, *ait : Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi?* Non ex ignorantia, sed admirationis abundantia, dixit : Quis igitur ille est? Jam quippe sciebat quod Jacob fuit. Porro quod addidit, Qui dudum captam venationem, etc., adjecit secundum suam æstimationem, quia sibi revelatum non fuit qualiter Jacob attulit materiam cibi illius, non venando, sed ex grege duos hœdos sumendo. *Benedixique ei, et erit benedictus :* quasi diceret, Benedictionem ei collatam revocare non volo, nec valeo, quoniam Deus sic ordinavit.

Aug. in Genesim, q. LXXX.

Auditis Esau sermonibus patris sui Isaac, *irrugiit clamore magno :* hoc est, ex intensissimo cordis dolore instar leonis terribiliter exclamavit. Verumtamen non ex vera compunctione aut contritione, neque ex caritate, sed potius ex privato amore et cupiditatis affectu quo ad terrenam prosperitatem valide afficiebatur, atque ex hoc de ejus amissione intensissime tristabatur : idcirco, teste Apostolo, non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. *Et consternatus,* id est immoderato mœrore oppressus, *ait : Benedic etiam et mihi, pater mi;* quasi diceret, Saltem in temporalibus benedic mihi. *Qui ait,* se quodammodo excusando: *Venit germanus tuus fraudulenter,* hoc est per modum fraudulenti, utpote cum verbis et factis obscuris, et pie circumventivis, *et accepit benedictionem tuam,* id est, quam tu habuisses, secundum communem legem, in quantum primogenitus, nisi Deus aliter disposuisset; imo et nisi tu promeruisses ea privari, primitiva tua fratri tuo vendendo. Circa hoc scribit Lyra : Hebræi dicunt, Venit germanus tuus prudenter. Nam dictio Hebraica, interdum dolum, interdum prudentiam seu bonam cautelam significat, pro qua nunc accipi debet. Jam namque Isaac noverat, quod Jacob ex ordinatione divina benedictionem obtinuit : propter quod factum suum non potuit proprie fraudi adscribi. Hæc Lyra. Sed Rabbi Paulus his contradicit, asserens dictionem illam Hebraicam non esse æquivocam, sed fraudem seu dolum tantummodo significare. Sed quia fraus quæ proprie in malo accipitur, quandoque in bono sumitur abusive, juxta illud Apostoli, Quum essem astutus, dolo vos cepi : idcirco hæc dictio fraudulenter, nunc abusive in bono acceptata est.

Hebr. XII. 17.

II Cor. XII. 16.

Digitized by Google

At ille subjunxit : Juste vocatum est nomen ejus Jacob, quod interpretatur supplantator; *supplantavit enim me en altera vice. Primogenita mea ante tulit,* id est, semel me supplantavit, privando me primogenitura per emptionem abreptam: hoc tamen est falsum, tum quoniam Esau sponte et ex proposito vendidit ea, tum quia ex prædestinatione divina pertinebant ad Jacob; *et nunc secundo subripuit benedictionem meam,* id est mihi debitam : quod etiam falsum est, quoniam benedictionem illam non subripuit Jacob injuste ut alienam, sed ut sibi debitam, tam ex divina præordinatione, quam ex jure primogenituræ in ipsum translatæ. Verum est tamen, quod supplantavit Esau fratrem suum, id est, ei prævaluit in utraque hac vice, præsertim quum scriptum sit in
Osee xii, 3. Osee : In utero supplantavit fratrem suum, hoc est, in utero aliquid fecit sua collisione, per quod futura tunc supplantatio figurabatur.

Rursumque ad patrem ait Esau : *Numquid non reservasti et mihi benedictionem?* quasi dicat, Adhuc potes et mihi benedictionem aliquam dare. *Respondit Isaac : Dominum tuum illum constitui,* juxta sensum inductum, *et omnes fratres ejus,* id est posteros, *servituti illius subjugavi,* id est subjugandos prophetavi ; *frumento et vino et oleo stabilivi eum,* hoc est, stabiliter locupletandum prædixi, sicut expositum est; *et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* quasi dicat, Non possum tibi imprecari majora, præsertim intelligendo sub his temporalibus ac terrenis spiritualia ac æterna. *Cui Esau : Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater?* tanquam dicat, Plures benedictiones, quamvis non æque perfectas, potes conferre. *Mihi quoque obsecro ut benedicas,* etsi non benedictione ad primogenitum pertinente, quam jam fratri meo dedisti, saltem aliqua inferiore. *Quumque ejulatu magno fleret* ex causa prætacta, *motus Isaac,* id est compassione tactus, ex amore et pietate, tam naturali quam su-

A pernaturali, *dixit ad eum : In pinguedine terræ et in rore cœli desuper* veniente, *erit benedictio tua,* id est, in temporalium abundantia, quæ ex pinguedine terræ, et rore seu pluvia oritur, benedictio tua consistet : quod tam in Esau quam in posteris ejus impletum est. Nam et Idumæa sibi ac posteris suis a Deo concessa, pascualis ac fertilis perhibetur. *Vives in gladio,* id est, vir bellator eris, bellicosaque erit posteritas tua ; *et fratri tuo servies :* quia Idumæi fuerunt subjecti longo tempore re- II *Reg.* viii, 14.
B gibus ac populo Judææ. *Tempusque veniet, quum excutias et solvas jugum,* id est dominium, *ejus de cervicibus tuis.* Hoc quarto IV *Reg.*
Regum legitur adimpletum sub Joram re- viii, 20-22.
ge Israel, cui rebellaverunt Idumæi, quamvis semel percusserit eos.

Oderat ergo semper, id est diu et continue per aliquod tempus, *Esau Jacob* fratrem suum, *pro benedictione,* id est propter hoc, quod benedictionem primogenituræ fuit consecutus a patre. *Dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam*
C *Jacob fratrem meum.* Hoc dupliciter potest exponi : Venient dies, etc., id est, fratrem meum citius quo potero interficiam; et tunc pater meus, qui benedictionem meam illi donavit, lugebit diu ac vehementer, et ita vindicabo me pariter de utroque. Secundo : Venient dies luctus patris mei, id est, quum venerit mors ipsius, et deploraverimus eum, statim occidam fratrem meum; quia ut aliqui dicunt, non audebat hoc facere, patre suo vivente, ne malediceretur seu odio haberetur ab eo. *Nuntia-*
D *ta sunt hæc,* quæ Esau cogitavit, *Rebeccæ* a Spiritu Sancto, secundum Glossam. Unde in Scholastica historia fertur : Eodem Spiritu nuntiata sunt ista Rebeccæ, quo ipsa instigavit filium suum Jacob, fraudare fratrem suum. Alii dicunt, quod Esau per verba et signa ostendit, quod contra Jacob concepit, et ita Rebecca ab homine hoc audivit. *Quæ mittens, et vocans Jacob filium suum,* qui jam recessit a præsentia Esau ex timore, *dixit ad eum* seorsum et secrete : *Ecce Esau minatur ut occidat*

Digitized by Google

te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens, fuge ad Laban fratrem meum in Haran, id est urbem Mesopotamiæ sic vocatam, *habitabisque cum eo dies paucos,* etc. Ita nunc consuluit Rebecca, et filium suum tempore opportuno revocare proposuit. Aliter tamen pro parte evenit, quia Jacob multis annis habitavit cum Laban. *Cur utroque orbabor filio in uno die?* hoc est, si tu non fugeris, ipse occidet te; et te occidendo, occidi merebitur, aut expelletur seu fugiet de hac terra, et ita vobis ambobus simul privarer: quod totum per istud, quod tibi nunc do, consilium potest vitari.

Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, id est, tantum affligor de istis uxoribus Esau filii nostri, quæ sunt de genere Hethæorum: de quibus et causis hujus doloris Rebeccæ, dictum est in expositione præcedentis capituli; *si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ,* hoc est de genere Chananæorum, *nolo vivere,* id est, tantum inde tristarer, quod quantum in me est, mallem mori. Circa quod quæritur: Primo, quare tantum abhorruit hæc Rebecca tale conjugium. Respondetur, quod propter incompositionem, pompam, et alia vitia mulierum Chananæarum, et item quia sciebat promissiones illas magnificas Abrahæ et Isaac factas, in posteris Jacob implendas: ideo voluit ut de sua cognatione duceret conjugem; propter quod etiam Abraham adjuravit servum suum, ut de sua parentela acciperet filio suo Isaac contoralem. Secundo, qualiter excusetur Rebecca, mulier virtuosa, a vitio impatientiæ, in eo quod dixit, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; et rursus, Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere. Nempe, quum patientia sit virtus moralis, passionem tristitiæ moderans ac refrenans, videtur ad impatientiam magnam pertinere, sic contristari de adversitate, ut vita vertatur in tædium, morsque optetur. Dicendum, quod de malo culpæ tam proprio quam proximorum, præsertim propriæ sobolis, trista-

A ri oportet bona et moderata tristitia; ex quo sequi potest rationabile tædium, quo et Christus passione instante cœpit tædere: et potius appetenda est mors corporalis, quam admittenda culpa mortalis; † si convenienter queat vitari: imo et malum pœnæ potest esse occasio appetendi mortem, in quantum est janua vitæ felicis, et sub conditione, videlicet in quantum placuerit Deo, seu quantum est in ipso appetente. Verumtamen memorata verba Rebeccæ intelligi possunt per modum hy-B perbolicæ locutionis. Nam et tam seriose locuta est suo marito, quatenus induceret eum ad committendum filio suo Jacob quod iret ad Mesopotamiam ob causam præfatam: tamen ut probabile est, non dixit viro suo de odio et comminatione Esau in Jacob, ne ex hoc nimis contristaretur, præsertim quia jam cæcus erat, et quodammodo desolatus. Cæci autem mala quæ audiunt, valde imprimunt suo cordi, quia eorum imaginatio non ita dispergitur circa multa, quum non sint occupati circa C diversa, sicut videntes. Augustinus tamen affirmat: Quod habent Latini codices, Vade in Mesopotamiam; Græci habent, Fuge in Mesopotamiam, ut intelligatur et Isaac intellexisse, quod Esau cogitavit de morte Jacob.

Aug. in Genesim, q. LXXII.

Insuper quæritur circa præhabita, an Jacob excusetur a culpa mendacii, et a fraude in verbis et factis præhabitis. Et videtur quod non, quia habetur ex verbis Isaac, quod venerit fraudulenter. Exhibendo quoque patri suo manus proprias, pel-D liculisque coopertas, videtur egisse dolose prætendendo se esse quod non erat. Item dicendo, Feci sicut præcepisti mihi, et, Comede de venatione filii tui, videtur mentitus. Ad istud quidam respondent, quod non oportet Patres veteris Testamenti excusare a veniali peccato, et per consequens, nec a mendacio officioso. Hinc in secundo volumine Collationum Patrum, in Collatione abbatis Joseph asseritur, quod Jacob commisit fraudem atque mendacium; et tamen excusatur ex interiori ra-

Digitized by Google

dice, quia pia intentione et justa ex causa utrumque processit. Porro Augustinus affirmat, quod omnia verba et facta hæc Jacob, mystica erant, et ex occulta inspiratione divina, nec peccavit in eis. Omne autem mendacium est peccatum, similiter omnis fraus proprie dicta. Sed istud dictis Sanctorum plus consonat. In Scholastica vero historia legitur : Excusatur Jacob de mendacio in patrem, et fraude in fratrem per jussionem matris, mater vero per familiare consilium Spiritus Sancti. Attamen non videtur, quod ex sola matris suæ jussione excusaretur, cui non debebat in illicitis (ut sunt mendacium et fraus) obedire, nisi in quantum jussio ista venit ex instinctu Spiritus Sancti. Ex cujus etiam instinctu, credendus est Jacob in his suæ matri obtemperasse.

Aug. Lib. contra mendacium, c. x.

Amplius quæritur, an Isaac benedixit veraciter ipsi Jacob. Videtur quod non, quoniam non intendebat benedicere ei, sed alteri, imo nec voluit benedicere Jacob. Error quoque personæ, impedit matrimonium, ergo et benedictionem. Ad istud patet ex dictis responsio. Ostensum est equidem, qualiter Isaac istud voluit ac intendit, et qualiter non. In matrimonio tamen est aliter, quia in illo exigitur utriusque consensus ; in spiritualibus vero non semper est ita, ut si quis aliquem ordinet aut baptizet, ille est vere ordinatus aut baptizatus, quamvis ordinans aut baptizans, credat illum alium esse, aliumque ordinare aut baptizare intendat. Sufficit namque quod intendit ordinare aut baptizare illum, quem habet coram se. Ex quibus patet, qualiter sit intelligendum quod in præfata narratur Historia : Benedictus est Jacob, secundum verba, non secundum intentionem Isaac : sicut episcopus ordinat alienum, quem putat suum, et est ordinatus.

Denique dicitur esse triplex fraus : Una eruditionis, qua Joseph scyphum suum poni præcepit in sacco fratris. Alia inspirationis, qua filii Israel mutuarunt vasa aurea ab Ægyptiis. Tertia nocivæ deceptionis, quæ est vitiosa, non aliæ duæ. Simulatio quoque quadruplex assignatur : Prima est providentiæ et cautelæ, sicque Josue cum suis simulavit fugam. Secunda doctrinæ, sicut Christus finxit se longius ire. Tertia significationis, qua usus est Jacob, sicut jam patuit. Quarta duplicitatis et calliditatis, et hæc censetur culpabilis.

Josue VIII, 15. — *Luc.* XXIV, 28.

Postremo quærendum, quomodo dicat Apostolus ad Hebræos, quod Esau non invenit pœnitentiæ locum, et benedictionem cupiens hereditare, sit reprobatus, quum jam scriptum sit, quod Isaac motus et misertus sit ejus, benedixitque ei. Et respondendum, quod reprobatus est quantum ad hoc, quod benedictionem primogenituræ non potuit impetrare, nec quantum ad hoc, invenit pœnitentiæ locum. Reprobatus est quoque a Deo, nec in spiritualibus exstitit benedictus, nec gratiam finalem est consecutus, de quo per Malachiam testatur Dominus : Esau autem odio habui.

Hebr. XII, 17. — *Malach.* I, 3.

ARTICULUS LXXII

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI INTELLECTU.

Cor. X, 11.

JUXTA doctrinam Apostoli, omnia in figura contigerunt antiquis ; potissime vero Patriarcharum verba et gesta, fuerunt mysteriorum Christi atque Ecclesiæ præfigurativa. Itaque per Isaac filios duos habentem, intelligitur Deus æternus, qui per creationem possedit populum Judæorum quasi filium seniorem, unde per Jeremiam

Digitized by Google

Jer. XXXI, 9. testatur, Ephraim primogenitus meus; populumque gentilem, tanquam posteriorem. Quod autem Isaac præcepit filio suo Esau, ut sumptis suis armis iret venatum, et de venatione sua sibi pararet pulmentum, significat quod populo Judæorum præcepit prædicare, et prædicando homines ad salutem venari seu capere, sicut per Jere- Ibid. XVI, 16. miam fatetur: Ecce ego mittam ex eis venatores, et venabuntur eos. Ex animabus autem tam salubriter captis, fit Deo quasi suavis refectio, cujus gaudium atque deliciæ sunt nostra conversio ac profe- B ctus. Itaque prædicatoribus Judæorum Scribis ac Pharisæis taliter occupatis, Spiritus Sanctus qui per Rebeccam exprimitur, seu divina inspiratio suggessit plebi gentilium, figurato per Jacob, ut pergens ad gregem, id est, ovibus Christi per fidem se socians, et Christi Ecclesiam credendo operandoque intrans, afferret sibi optimos hœdos, id est, tam eos qui idola coluerunt, violata lege naturali, quam eos, qui juxta naturalem legem vixerunt, prædicando converteret: qui optimi erant, id est valde boni bonitate C naturæ, seu egregiæ indolis impressione, et quia insigniti erant superbenedictæ Trinitatis imagine. Ex quorum conversione, compunctione, salute, fit cibus quo libenter vescitur Deus Pater, quia de eorum emendatione et salvatione lætatur. Non Rom. II, 11. enim est personarum acceptio apud Deum, Act. X, 34, 35. sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.

Insuper per hoc quod Jacob respondit Rebeccæ, *Nosti quod Esau frater meus pilosus sit, et ego lenis. Si attrectaverit* D *me pater meus*, etc., designatur quod plebs gentilis aliqualiter illuminata, propriam indignitatem, nuditatem, et vitiositatem attendens, indignam se fatebatur benedictione divina; et præsumptionis argui me- Hebr. IV, 16. tuebat, si ad thronum gratiæ Dei auderet per se ipsam accedere, pensans ac confitens quod populus Judæorum, cujus frater fuit per conformitatem naturæ, et ratione unius omnium Creatoris, cœlestisque Patris, et propter eosdem primos parentes, A esset pilosus, hoc est, considerationibus et notitiis Scripturarum quasi pilis repletus ac intus * opertus; ipsa vero lenis, id est nuda ab actibus virtuosis, et tenera, hoc est imperfecta, et tentationibus cito cedens: ideo timuit, si Pater cœlestis se attrectaret, id est, imperfectionem et indignitatem ejus diligenter inspiceret, putaret quod ipsa voluisset ei illudere, hoc est suas calamitates ipsi Deo abscondere, sicque pro benedictione maledictionem incurreret. At vero Rebecca, id est Spiritus Sanctus seu providentia Dei, humilitatem populi gentilis perpendens, assecuravit eum de tali periculo, dummodo in Deo confidens, et sibi acquiescens, faceret quæ suggessit. Quum ergo populus ille ita egisset, Spiritus Sanctus induit et ornavit eum vestibus Esau valde bonis, quas secum domi habebat, id est diversis gratiarum muneribus, donis ac fructibus spiritualibus, quæ ante fuerunt in Synagoga, et semper fuerunt in potestate Spiritus Sancti; *pelliculasque hœdorum circumdedit manibus*, id est, peccata * gentilium conversorum adjunxit operationibus prædicatorum suorum, ita ut pro illis orarent, laborarent, ac satagerent, ut et præterita mala dimitterentur, et præcaverentur futura; *et colli nuda protexit*, id est, pristinam gentilium elationem virtute humilitatis operuit ac delevit; *deditque pulmentum, et panes quos coxerat*. Omnia nostra opera bona ac meritoria, dona sunt Spiritus Sancti: quæ tamen quum ipse in nobis et per nos fecerit, dat et imputat ea nobis, in quantum per liberum arbitrium acceptavimus inspirationes suggestionesque Dei, et cooperati sumus eisdem, et vult ut ea Deo Patri quasi per nos facta, offeramus ad laudem et gloriam ejus, ut ipse quasi reficiatur et delectetur in ipsis.

* totus

* prælecta

Præterea, per hoc quod Isaac dixit ad Jacob, *Quis es tu, fili mi?* insinuatur quod Deus universos diligenter examinat: et sicut Jacob dixit se Esau esse, similitudine et dignitate primogenituræ, sic conversa gentilitas dixit se esse Israeliticam plebem,

Digitized by Google

imitatione fidei ac virtutum, electionis A magnitudine et prædestinatione æterna. Rursus, Patre æterno quasi per modum admirantis habente se de tam celeri gentilium conversione, prædicatores ex gentilitate electi, Deo et gratiæ ejus præcipue adscripserunt hoc ipsum. *Et palpato eo, dixit: Vox quidem, vox Jacob est,* id est, populus iste adhuc unum Deum confitetur, quemadmodum naturalis ratio dictat; *sed manus, manus sunt Esau,* id est, opere Deum honorat, Trinitatemque veneratur, sicut ad veros spectabat Ju- B dæos. Quum itaque Deus Pater prætacta opera bona gentilitatis conversæ misericorditer acceptasset, et de ejus compunctione quasi de vino hausisset, dixit: *Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi,* id est, per contemplationem fervidumque amorem conjunge te mihi immediate: quod conversa gentilitas fecit.

Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, id est spiritualem dulcedinem et acceptabilitatem ac caritatis suavitatem conversæ gentilitatis, *benedicens ei,* C id est dona gratiæ ac virtutum augens et complens in ea, *ait: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni,* hoc est, populus iste gentilis conversus, spiritualiter redolet omni suavitate virtutum, fructuum, ac donorum, ut olim aliquando Synagoga. Potissime quoque Christus omnium solus habens perfectiones, secundum naturam assumptam, suavissimum habebat coram Deo Trinitate odorem; sicut odor est agri pleni, id est universalis Ecclesiæ, donis Dei repletæ: imo ipse solus perfectior ac dulcior ea D
Joann. III, 34. fuit, quia non ad mensuram Spiritum Sanctum accepit. *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini et olei.* Abundantia frumenti et vini, est copia Sacramenti corporis et sanguinis Christi, de quibus loquitur Za-
Zach. IX, 17. charias: Quid bonum Domini, aut quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? Abundantia olei, est exuberantia spiritualium consolationum et gratiarum, quæ in Sacramento continentur ac percipiuntur. Ista accipiuntur de rore cœli, id est de affluentia liberalitatis divinæ, omnia fecundantis ac reficientis, et de pinguedine terræ, id est de caritate et meritis humanæ naturæ Christi. *Serviant tibi populi, et adorent te tribus.* Hoc tam in Christo quam in ejus Ecclesia est impletum, quoniam omnes gentes conversæ, Christo obediunt atque Ecclesiæ. Christus quoque est *dominus fratrum* suorum, id est hominum universorum, præsertim fidelium. Et incurvantur ante eum *filii matris* suæ, id est conversi ex Synagoga, de qua secundum carnem natus est ipse. In nomine etenim Jesu omne genu Philipp. II, 10.
flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum: cui qui maledixerit, maledicetur; quoniam juxta Isaiæ oraculum, ad eum Is. XLI, 11.
venient, et confundentur omnes qui repugnant ei: qui vero benedixerit ei ex caritate, benedicetur.

Vix Isaac sermonem impleverat, et egresso Jacob foras, venit Esau. Quum enim Deus in primitiva Ecclesia copiosissime benedixisset conversis gentilibus, et opera miraculosa operaretur per eos, venit et Synagoga offerens Deo sacrificia et obsequia sua, petens ea a Domino acceptari, et glorians se prælatam olim gentilibus; sed Evangelio divulgato, noluit ea Deus amplius acceptare, dicens eis per Malachiam: Non est mihi ultra voluntas in vo- Malach. I, 10, 11.
bis, et munus non accipiam de manu vestra. A solis enim ortu usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et ubique sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: ita quod per modum admirantis se habuit de tarditate Synagogæ ad fidem, atque de gentium celeritate ad eam. *Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit* vehementer. Sic et Synagoga jam tam diuturne se relictam a Deo considerans, graviter ingemiscit et benedici precatur, pro adventu Messiæ clamans ad Creatorem, non credens venisse qui jam venit. Porro Deus per libros Prophetarum, per angelicas inspirationes, per Christianorum prædicationem, assidue loquitur Synagogæ,

Digitized by Google

quod populo gentilium benedixit, eique A contulit omnem excellentiam, Synagogæ olim concessam.

Quumque ejulatu magno fleret, etc. Quemadmodum Isaac aliquid benedictionis largitus est Esau ejulanti, sic et Deus desolatissimæ Synagogæ temporalia quædam largitur, et rore cœli compluit eos, utpote quadam Scripturarum veteris Testamenti cognitione : quæ vixit gladio, Ecclesiam acriter persequendo, et tamen deinceps servivit eidem ; sed veniet tempus, quando collum suum ex hac ejiciet B servitute, quando videlicet fuerit ad Christum conversa. *Oderat ergo semper Esau Jacob.* Sic Judæi implacabile odium habent contra Christianos, propter hoc quod libros legis ac Prophetarum, signa atque miracula Dei, vident translata ad ipsos, et in primitiva Ecclesia nitebantur eos omnino exstinguere : propterea Spiritus Sanctus persuasit Ecclesiæ, ut se ad tempus ab induratis elongaret Judæis, et terras gentilium ingrediendo, disseminaret verbum Dei ibidem ; postea autem Judæis C per Romanos deletis a terra sancta, reducti sunt illuc fideles. Quemadmodum autem displicuerunt Rebeccæ uxores Esau filiæ Hethæorum, nec voluit filium suum Jacob filiabus Chananæorum sociari connubio, sic displicuerunt Spiritui Sancto perfidæ feminæ infidelium Judæorum, nec voluit Christifideles cum infidelibus sociare conjugia, quæ impedit dispar cultus. Nempe, quæ pars fideli cum infideli ?

Postremo S. Hieronymus circa istud capitulum, commemorat verba Hippolyti martyris, quæ et in Glossa habentur. Unde Isidorus : Verba, inquit, Hippolyti martyris hoc loco ponenda sunt, sicut ea replicavit Hieronymus vir excellentissimæ scientiæ ac doctrinæ : Isaac portat imaginem Dei Patris, Rebecca Spiritus Sancti, Esau populi prioris et Zabuli, Jacob Christi atque Ecclesiæ ; senectus Isaac, consummationem mundi : oculi caligantes, perisse fidem de mundo, et lumen Religionis neglectum esse, significant. Cetera hujus Sancti verba non prosequor, quoniam sententialiter sunt inducta.

ARTICULUS LXXIII

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : VOCAVIT ITAQUE ISAAC JACOB, ET BENEDIXIT EUM.

CONSEQUENTER describitur confirmatio benedictionis Jacob, et revelatio atque promissio ei desuper facta, et qualiter parentibus suis obedivit, Deoque gratus fuit ac votum fecit. *Vocavit itaque Isaac Jacob* filium suum, *et benedixit eum,* juxta formam quæ paulo post subditur ; *præcepitque ei, dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan,* id est Chananæorum. Hujus rei causæ, præhabitæ sunt in expo-
Gen. xxvii, 46. sitione præcedentis capituli. *Sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad* D *domum Bathuel,* etc., *et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.* Bathuel autem fuit filius Nachor fratris Abrahæ, et pater Rebeccæ ac Laban ; fuitque diu mortuus dum ista locutus est Isaac. Deinde forma benedictionis subjungitur, quæ etiam per modum orationis profertur, quia a Deo est omnis boni collatio. *Deus autem omnipotens benedicat tibi,* etc., conferendo et augendo tibi spiritualia ac temporalia bona ; *et det tibi benedictiones Abrahæ, et semini tuo post te,* etc., id est, bona Abrahæ repromissa aut data, largiatur tibi ac posteris tuis. *Quumque dimisisset eum Isaac, profectus pervenit in Mesopotamiam ad Laban filium Bathuel,* etc. Is-

Digitized by Google

tud per anticipationem hic dicitur, quia infra subjungitur qualiter per intermedia loca illuc pervenit. Deinde recitatur in littera, qualiter Esau videns quod Isaac pater suus benedixisset Jacob, et misisset eum ad Mesopotamiam, ut inde acciperet conjugem, et quod Isaac non libenter adspiceret, id est invite haberet filias Chanaan in conjugio filiorum suorum, ivit ipse Esau ad Ismaelem fratrem patris sui, et filiam ejus duxit uxorem, volens per hoc patri suo Isaac complacere, et plana est littera. Deinde reditur ad ordinem historiæ.

Igitur Jacob egressus de Bersabee : ibi enim habitavit cum suis parentibus in terra Palæstinorum; *pergebat Haran,* id est versus urbem Mesopotamiæ sic vocatam. *Quumque venisset ad quemdam locum.* Secundum Isidorum, iste locus fuit ubi Bethlehem nunc vocatur, ubi natus est Christus. Alii dicunt, quod fuit mons Moria, in quo Abraham voluit Isaac immolare, propter quod Jacob reputavit locum illum sacrum, accessitque eum, ut orationi ac devotioni ibi insisteret, et dormiret. Huic concordat quod in Scholastica historia legitur, locum istum fuisse juxta Luzam, id est Jerusalem, ut infra Jacob testatur : Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan. *Et vellet in eo requiescere post solis occubitum.* Quia (ut Josephus ait) noluit urbes provincialium ingredi, aut in eorum domibus hospitari propter eorum malignitatem, et timuit eos, idcirco dormivit sub dio, et interdum in campis. *Tulit de lapidibus qui jacebant; et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.* Ex quo patet, quod corpus suum rigide satis tractavit, pro pulvinari lapide utens. Refert Lyra, quod secundum Hebræos tulit tres lapides; et † tamen apparet ex textu, quod plures acceperat. Isidorus vero effatur, quod supposuit capiti suo lapidem magnum : et hoc probabilius sonat, quoniam saxo pro pulvinari voluit uti; pro tali autem reclinatione magis competebat unus grandis lapis, quam plures parvi : quod et textus infra insinuat, dicens : Surgens mane Jacob, tulit lapidem, etc. Recitat quoque Lyra, quod secundum Hebræos, Jacob evigilans reperit tres lapides illos mutatos in lapidem unum, in signum quod Dominus voluit ipsum Jacob sibi uniri, et se ei associare : quod si contigisset, mirum quod Scriptura ista tam solenne non tetigisset miraculum.

[Gen. XLVIII, 3.]

Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cœlum. Ista fuit imaginaria visio, in sensu interiori per similitudines sensibiles repræsentata : ad quam visionem et revelationem sequentem, ipse Jacob fuit dispositus per suam devotionem, orationemque præviam, per obedientiam quoque quam parentibus suis exhibuit, et per rigorosam sui corporis castigationem, atque per tribulationem, in qua tunc erat, proprii fratris fugiens persecutionem. Denique, secundum Augustinum, per scalam istam intelligitur Christus, qui etiam ait : Ego sum via. Et, Ego sum ostium. Quæ competunt ei secundum naturam assumptam, quia per ipsum tanquam per mediatorem et salvatorem, ascendunt electi ad regnum cœlorum. Hæc scala stetit in terra, et tetigit cœlum : quoniam Christus per humanitatem cum hominibus convenit, et terram calcavit; per divinitatem vero Patri æterno in cœlis regnanti communicat, imo consubstantialis consistit. *Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam.* Per quod significatum est, quod omnia angelorum ministrantium sacra obsequia, ad insinuanda sacratissima Christi mysteria principaliter ordinantur; et item, quod per Christum pacificata sunt terrena cum cœlestibus, homines cum angelis, imo cum Domino angelorum; et rursus, quod propter Christum angeli sancti libenter ministrant hominibus. Itemque, quod angeli ad Christi obsequium fuerunt semper parati. Hinc ipsemet dixit : Videbitis angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis. *Et Dominum innixum scalæ.* Per quod designatur, quod caput Christi Deus, vel quod deitas unita sit ejus humanita-

[Aug. de Civit. Dei, XVI, 38. Joann. XIV, 6. Ibid. X, 7. Ibid. I, 51. I Cor. XI, 3.]

ti. Quidam per scalam istam intelligunt A gradus et successiones generationum, per quos Christus secundum carnem descendit ab Adam seu Abraham usque ad Virginem gloriosam; per latera quoque scalæ, accipiunt utriusque sexus personas, ex quibus descendit. Potest demum per scalam istam intelligi ordinata virtutum connexio, et spiritualis profectus, per quos ab imis ad summa pertingitur, per quos et Jacob ad tantam gratiæ celsitudinem est perductus.

Itaque Jacob audivit interiori auditu Do- B minum *dicentem sibi* per angelum, cujus obsequio formabatur hæc visio in imaginativa potentia, quam etiam visionem Jacob, angelo intus docente, veraciter intellexit : *Ego sum Dominus Deus Abraham,* etc. *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ,* id est, posteritas tua instar pulveris erit innumerabilis. Ecce hic tota ejus posteritas pulveri comparatur. *Dilataberis ad orientem et occidentem,* etc. Quamvis hoc aliqualiter sit impletum in carnali posteritate ipsius Jacob, quæ non solum dilatata C est versus quatuor plagas terræ promissionis, sed et in quatuor mundi partibus aucta est et majorata, plenius tamen impletum est in populo christiano, qui sunt spirituales filii Jacob, sicut et Abrahæ, per fidei ac virtutum sectationem. Apostoli namque ex Jacob progeniti, impleverunt mundum spiritualibus filiis per infidelium conversionem, et regenerationem ex aqua et Spiritu. *Et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ,* hoc est in Christo, ut sæpe expositum est : sicque D promissio ista facta est non solum Abrahæ et Isaac, sed etiam huic Jacob. *Eroque custos tuus quocumque perrexeris,* etc. Magna promissio, ex qua sequi videtur quod Deus in omnibus præservavit eum deinceps a culpa mortali, forsan et ante, maxime quum credatur sanctificatus in utero, sicut præhabitum est.

Quumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto. Quamvis enim dicatur esse ubique, ibi tamen specialius esse asseritur, ubi se ipsum magis gratiose ostendit, et specialius operatur : sicque specialiter fuit in loco hoc per se et suum effectum. Vel dixit hoc, quoniam Deo revelante cognovit mysteria Christi ibi esse complenda pro magna parte, quia in monte illo, tempore Salomonis constructum est templum Salomonis : (II Par. III, 1.) quo per Chaldæos destructo, ædificatum est rursus ibi templum post reditum a Babylonica captivitate, (I Esdr. V, 2.) in quo Christus multoties prædicavit, miracula fecit, et in cœnaculo quod erat templo vicinum, instituit sui corporis et sanguinis Sacramentum. (Luc. XXII, 10-13.) *Et ego nesciebam,* id est, mysteria ista quæ ex revelatione hac nosco, antea ignoravi. *Pavensque,* id est reverentialiter metuens Deum, et majestatem ejus ac pietatem, mysteria quoque Christi admirans ex revelatione et visione præfata. Et Habacuc ait : Domine, audivi auditum tuum, et timui ; consideravi opera tua, et expavi. (Habac. III, 2.) *Quam terribilis, inquit, est locus iste!* Quasi dicat, Valde metuendus est ac venerandus : metuendus, inquam, adversariis potestatibus, et honorandus hominibus, non propter locum seu terram istam secundum se consideratam, sed propter præsentiam Dei in eo exhibitam, et propter opera Dei hic facta, et quoniam templum Dei ædificandum est hic, potissime autem propter præsentiam et opera Christi futura in loco isto. Ideo subditur : *Non est hic aliud nisi domus Dei,* hoc est, in loco isto templum et tabernaculum Dei erit, in quo ipse specialiter habitabit per copiosum atque multiplicem suæ pietatis effectum : Dominus enim in templo sancto suo. (Ps. X, 5.) *Et porta cœli.* Hoc addit, vel quia ab illo loco videbatur sibi cœlum quasi apertum, quando vidit Deum cœli innixum scalæ cœlum tangenti; vel quia per cultum Dei qui futurus tunc erat in templo, meruerunt fideles veteris Testamenti felicitatem cœlestem ; vel quia in spiritu vidit Christi passionem circa locum illum futuram, per quam janua regni cœlestis est aperta credentibus. Hinc in Scholastica historia dicitur, quod

Digitized by Google

Jacob per verba hæc prophetavit de lege A danda, templo ædificando, et Christi passione.

Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit, id est, statuit eum, *in titulum,* hoc est in memoriale hujus visionis commendabile et condignum, atque in signum rei præteritæ, utpote revelationis sibi ostensæ, in signum quoque rei venturæ, videlicet passionis dominicæ, construendique templi; *fundens oleum desuper :* quod Deo libavit ac obtulit in signum, quod ab ipso est omnis B unctio spiritualis, et quoniam lapis ille Cor. x, 4. Christi figura fuit, qui est petra, angula- Petr. ii, 6. risque lapis: de quo ait Psalmista : Unxit Ps. xliv, 8. te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. *Appellavitque nomen urbis,* juxta quam fuit hic locus, *Bethel :* quod interpretatur domus Dei, quia jam dixerat, Non est hic aliud nisi domus Dei. Postea quoque aucta est civitas ista, ita quod locus iste in ea fuit inclusus; sicque tempore Salomonis in ea constructum est templum, quod Jacob intellexit futurum. *Quæ prius Luza vocabatur.* C Hæc est Jerusalem, quæ plura nomina est sortita. Nam (ut dictum est) primo a Melchisedech fertur fundata, et Salem vocata; postea dicta est Jebus, quia in ea Jebusæi habitaverunt : ex quibus duobus nominibus post factum est unum nomen, *b* mutata in *r*, et Jerusalem est vocata. Dicta est quoque Luza, id est nux sive amygdalus, quia dum cœpit fundari, inventa est ibi radix amygdalina, vel quia arbores amygdalinæ abundabant ibidem. Deinceps a Salomone, qui eam ampliavit et roboravit, D appellata est Solyma; atque per compositionem prioris nominis, Jerosolyma dicta est. Est etiam ab Adriano imperatore Ælia vocata, quia ipse Ælius Adrianus appellabatur. In Scholastica demum historia fertur : A Jebusæis qui eam condiderant, prius vocata est Luza.

Vovit etiam votum, id est, Deo promisit, *dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via,* etc. Jam ante Deus dixit ad eum : Ero custos tuus quocumque perrexeris. Cur ergo locutus est Jacob de isto conditionaliter, quasi incertus de rei eventu? Respondetur, quod forsitan formidavit, ne peccando poneret obicem gratiæ ac beneficiis Dei. Nam tales promissiones divinæ, frequenter sub conditione intelliguntur. *Erit mihi Dominus in Deum.* Ista videtur inepta promissio, quia ad Dei cultum tenebatur, etiamsi non dedisset ei necessaria victui atque vestitui. Votum autem debet esse de operibus supererogationis, ad quæ homo aliunde non obligatur, non de necessariis ad salutem. Respondetur, quod non solum vovit quod Dominus esset sibi in Deum, sed et quod coleret eum per actus et hostias specialis devotionis, atque per opera supererogationis. Ideo subditur, *et lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei :* id est, in loco isto quum rediero, sacrificia et hostias offeram Domino, ut propono, tanquam in loco sacro, ita quod deinceps domus Dei vocabitur, id est locus divino cultui deputatus, præsertim quia in eo templum Domini construetur. *Cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Intelligendum est hoc de decimis, quæ ultra aut præter debitum offeruntur, non de his ad quas ex lege naturali aut divina obligabatur, quas votum proprie non concernit.

Sensus spiritualis.

Juxta spiritualem intelligentiam, per Jacob propria ex patris jussione relinquentem, et alienam terram ingredientem, ibique uxorem accipientem, intelligendus est Christus, qui, Deo Patre volente, venit in mundum, et tandem Synagoga relicta, ad gentilitatem se vertit, ad se illam trahens, convertens, et sponsam accipiens, sicut de Abraham dictum est. Insuper, per ejus somnum mors Christi est figurata, ejusque resurrectio per Jacob evigilationem. Quod autem lapidem capiti suo supposuit, hoc designavit, quod omnes Sancti Christo et ejus gratiæ innituntur. Per scalam vero quam vidit, ultra prætacta, mystice designatur gradus evangelicarum doctrinarum et octo beatitudinum, per quas ad regnum ascenditur sempiternum : per quam scalam

angeli, id est sacerdotes boni et contemplativi, omnesque virtuosi ascendunt, ad cœlestia adspirando, atque assidue proficiendo; et descendunt, proximis succurrendo, sua peccata deflendo, se ipsos discutiendo, et suas ærumnas ac defectuositates pensando. Angeli quoque sunt, prædicatores et prælati virtuosi ac fervidi, qui in scala quæ Christus est, ascendunt, deitatis sublimia speculando; et descendunt, suæ humanitatis mysteria revolvendo. Sicque per Jacob potest intelligi quicumque vitiorum calcator. Infimum autem scalæ, potest intelligi pœnitentia, fides, timor Dei, sive humilitas. Cacumen autem scalæ, perfecta dilectio, contemplatio pura, mystica theologia. In hac scala homo hujusmodi videt Deum scalæ innixum, id est super omnem virtutum altitudinem elevatum, et ad succurrendum infirmitati humanæ semper paratum, nosque pie hortantem, et grandia promittentem. Latera scalæ dici possunt Scripturæ novi ac veteris Testamenti, intra quas fit ascensus ac spiritualis profectus, dum illis undique admonemur. Postremo per locum in quo Jacob quievit, intelligitur non solum universalis Ecclesia, sed et quæcumque Ecclesia particularis, imo et materialis basilica Domino consecrata, quæ propter summæ Majestatis præsentiam, propter sacramentorum Christi inexsistentiam, propter divini Officii celebrationem, propter fidelium devotam conventionem et sanctam orationem, terribilis est malignis spiritibus, ac venerabilis etiam angelis sanctis, nec aliud est nisi domus Dei, portaque cœli : quia in ea per sacramentalem confessionem delentur peccata, et infunduntur virtutes, per quas patet janua regni cœlestis.

ARTICULUS LXXIV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI NONI : PROFECTUS ERGO JACOB, VENIT IN TERRAM.

RECITATUR præsenti capitulo, qualiter Jacob ad Laban pervenit, ejusque filias duxit uxores, et ex una earum nomine Lia, quatuor filios generavit; nec est difficultas in textu, ideo immorandum non reor. *Profectus ergo Jacob* a loco in quo vidit scalam in somno, *venit in terram orientalem,* hoc est in Mesopotamiam, quæ respectu Judææ seu Bersabee unde venerat, sita est versus orientem; *et vidit puteum in agro,* etc., non remote ab urbe nomine Haran seu Charan. *Dixitque ad pastores,* qui juxta puteum pecora sua custodiebant : *Fratres, unde estis?* Ex hoc patet humilitas Jacob et caritas, quod ipse tanti filius Patriarchæ, vocavit pastores ovium fratres. *Qui responderunt : De Haran,* id est de urbe sic appellata, in qua cognati ipsius Jacob commorabantur. *Quos interrogans : Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt : Novimus,* etc. Laban filius exstitit Bathuelis filii Nachor, sicque Nachor non fuit pater ipsius Laban immediatus, sed avus seu pater mediatus. Nominavit autem Jacob Nachor magis quam Bathuelem, quoniam Nachor fuit caput cognationis illius in loco illo. *Dixitque Jacob* pastoribus : *Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur greges ad caulas,* id est ad sua ovilia seu latibula, in quibus de nocte quiescunt; *date ante potum ovibus,* hoc est, nunc eas potate, *et sic eas ad pastum reducite,* etc., quia adhuc longe est a vespera.

Ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. Hæc adhuc apud plures est consuetudo, quod puellæ et filiæ oves pascunt in agris. Ego quoque

Digitized by Google

in pueritia mea antequam cœpi frequentare scholas, custodivi et pavi oves parentum meorum, et eram puer valde malus, pugnans frequenter in agro contra alios pueros ovium pastores. *Quam quum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam* esse. Quum enim loqueretur de Laban cum pastoribus, pastores dixerunt ad eum : Puella huc veniens, est filia Laban. *Amovit lapidem quo puteus claudebatur :* qui lapis magnus fuit. Ex quo expositores eliciunt, quod Jacob non venit solus, sed adjutorio sociorum itineris sui lapidem illum removit. Verumtamen Rabbi Paulus dicit contrarium, asserens expositores Hebræorum affirmare, quod solus hoc fecit divina virtute; sed primum verius creditur, nec obstat quod Paulus allegat Scripturam istud singulariter referre de Jacob, quoniam consuetudo Scripturæ est, ut ei factum adscribat, qui principalis causa ipsius est. *Et adaquato grege,* solito manius et contra consuetudinem, *osculatus est eam,* ex naturali amore, tanquam propinquam. *Et elevata voce flevit,* ex naturali cordis liquefactione, aut quasi præ gaudio, quod post tam longum iter pervenisset tandem ad personam sibi tam proximam; *et indicavit ei quod frater,* id est nepos, *esset patris sui,* utpote Laban. Est tamen probabile, quod hoc dixit Racheli ante deosculationem ipsius, imo et ante potationem ovium ejus, ita quod statim accessit eam, dicens se esse filium sororis Laban; alias Rachel forsan ægre tulisset osculum viri ignoti ac peregrini.

Lyra refert hic fabulam Judæorum, dicentium quod Jacob in itinere fuit captus et spoliatus ab Eliphaz primogenito Esau, quem pater suus ad hoc misit post Jacob, quem tamen ipse Eliphaz non occidit, sed omnibus bonis suis spoliatum, dimisit solum ac vacuum : ideo Jacob flevit, quod non habuit aliquod clenodium seu jocale quod daret suæ cognatæ. Huic recitationi contradicit Rabbi Paulus, asserens ipsum Jacob solum abiisse a suis parentibus sine comitiva ac copia argenti et auri, tanquam

A fugitivum ne cognosceretur ab aliquo. Verumtamen verius puto, quod cum honesta servorum comitiva recesserit; nec obstat, quod fugitivus abscessit, imo propter vitanda pericula sibi in via evenire potentia, tutius fuit quod abiit comitatus. Denique quum pater suus miserit eum ad Mesopotamiam, ut ex filiabus Laban sumeret conjugem, nequaquam verisimile arbitror, quod fecerit eum recedere sine decenti associatione atque familia, aut sine copiosa pecunia, pretiosisque rebus, quum supra B habitum sit, quod Abraham mittens procuratorem suum in Mesopotamiam, pro uxore filio suo inde asportanda, misit eum cum familia et camelis, pretiosisque opibus, argento, auro, vestimentis ac vasis. *Gen.* XXVIII, 2.

At illa, scilicet Rachel, *festinans* ex amore et gaudio, *nuntiavit patri suo* Laban, venisse Jacob. *Auditis autem causis itineris, respondit : Os meum et caro mea es.* Id est : postquam Laban audivit a Jacob, quod venisset ex commissione parentum suorum, ne læderetur a fratre suo, et item C ut uxorem acciperet ex filiabus ipsius Laban, tunc ipse Laban dixit : Consanguineus meus es, idcirco apud me secure latebis, et uxorem tibi dabo, unam filiarum mearum. *Et postquam impleti sunt dies mensis unius,* id est, postquam Jacob per unum mensem servivit avunculo suo Laban, curam gregis ejus habendo, *dixit* Laban ad eum : *Num quia frater meus es, gratis servies mihi?* quasi dicat, Quamvis sis filius meæ sororis, non tamen decet, ut sine mercede in servitio meo labores. *Dic* D *quid mercedis accipies,* hoc est, tu ipse elige præmium. Laban iste vir astutus, consideravit fidelitatem, simplicitatem, virtuositatemque Jacob : ideo peroptavit eum diu secum tenere, præsertim quia jam cœpit sentire prosperationem suam ex adventu Jacob.

Habebat vero duas filias : nomen majoris Lia, id est, senior vocabatur Lia, *minor appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis; Rachel vero decora facie et venusto adspectu : quam diligens Jacob, ait:*

Digitized by Google

Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. Jacob vir virtuosus, ambas illas ex infusa caritate dilexit, in quantum ad Dei imaginem conditæ erant et felicitatis capaces; ambas quoque dilexit naturali amore, ut consobrinas : sed sicut Rachel per dona naturæ amabilior erat quam Lia, utpote pulchrior et forte magis faceta, vivax et agilis ; sic et Jacob eam amplius adamavit : quod licitum erat, quia ad spiritualem finem et Dei honorem retulit totum. Sed quum Jacob esset filius quamopulentissimi viri, cur servivit pro Rachelis connubio, et non potius dotem seu divitias multas obtulit pro ea habenda? Respondent quidam, quod juxta prætacta spoliatus fuit in via, nec audebat eam adhuc ad domum patris sui adducere ; sed quoniam Laban petiit a Jacob, quid mercedis pro sua servitute acciperet, et ipse non petiit nisi filiam ejus tantum, videtur non eguisse. *Respondit Laban : Melius est ut tibi dem eam, quam alteri viro :* et hoc propter tuas virtutes, et quia propinquus es, et ditissimorum proles parentum : tunc quoque homines libentius contraxerunt conjugia cum cognatis.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. In Proverbiis Salomonis scriptum est : Lignum vitæ, desiderium veniens; spes autem quæ differtur, affligit animam. Propter quod ait vir fervens : Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quomodo ergo tempus septem annorum, videbatur ferventissimo amatori paucum, pro obtinendo dilectæ amplexu, et non potius valde longum? Ad hoc ex verbis Hieronymi Scholastica respondet historia : Non est dictum, Videbantur ei parvi dies, sed pauci : quia desideranti animo ista velocitas tarda est; sed dictum est, pauci : quia videbatur ipsi Jacob, quod rem tam amabilem paucis emit, quia multo pluribus annis servisset pro Rachele, quam ea careret. Vel per dies intelligit laborem dierum, qui ei modicus videbatur, quia amor eum alleviabat. Verumtamen magnitudo amoris Jacob ad Rachelem, non erat amor carnalis prædominans, sed naturalis et quodammodo maritalis, quamvis non oporteat eum excusare ab admissione venialis culpæ. *Dixitque ad Laban : Da mihi uxorem meam :* jam enim conjuncti erant per mutuum consensum Jacob et Rachel ; *quia tempus impletum est, ut ingrediar ad illam,* id est, jam septem anni impleti sunt quibus pro ea servivi. Jacob quoque jam erat grandævæ ætatis, utpote octoginta quatuor annorum, secundum Hebræos, quod et Lyra hic probat ; sicque tempus fuit ut generationi vacaret, quatenus promissiones divinæ, Abrahæ et Isaac factæ, implerentur in sobole sua. *Qui,* scilicet Laban, *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias, et vespere Liam filiam introduxit,* etc. *Facto mane* Jacob *vidit Liam, et dixit ad socerum suum,* etc. *Quare imposuisti mihi ?* id est, cur ita me decepisti? *Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Ita Laban versutus se excusavit ; tamen ex alia causa Liam introduxit ad Jacob, videlicet ut faceret eum adhuc septem annis sibi pro Rachele servire, quoniam experiebatur omnia sua prosperari ex Jacob præsentia. Denique, dato quod consuetudo fuerit ibi, seniores filias primo dari ad nuptias, poterat tamen aliter fieri.

Circa hæc quæritur, an Jacob illa nocte Liam cognovit carnaliter. Et dicunt quidam, quod non, sed orationibus vacabat, sicut Tobias. Alii probabilius dicunt, quod imo, præsertim quia putavit esse Rachelem, ad cujus amplexus sic adspiravit, tamen desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ. Josephus quoque affirmat, quod bene potatus cognovit eam. Secundo quæritur, an peccavit cognoscendo Liam carnaliter. Respondetur, quod non, quia ignorantia facti excusat, diligentia bona adhibita. Jacob autem vir simplex non habebat Laban suspectum de hujusmodi fraude, idcirco non tenebatur multum considerare an Rachel esset. Sed mirum quod tota nocte non

Prov. XIII, 12. — Ps. CXIX, 5. — Tob. VIII, 4 et seq.

Digitized by Google

perpendit ex collocutione, tactu, aut simili modo, quod fuerit Lia. Ad quod Josephus ait, quod bene potatus erat, et verisimile est quod Lia ex patris sui informatione custodivit se pro posse, ne loquendo aut alio modo proderet semetipsam. Jacob quoque usque ad tempus istud fuerat virgo, et ita pudibunde se habuit, nec meretricales quæsivit blanditias in uxore. Tertio quæritur, an Lia fuit uxor sua postquam eam cognovit. Dicendum, quod mutuus consensus ad matrimonium exigitur, Jacob autem non consensit in Liam : idcirco non fuit legitima uxor ipsius, quousque in ipsam consensit. Laban vero valde multipliciterque peccavit, nec Lia videtur posse excusari in toto, quamvis excusetur a tanto.

Imple hebdomadam dierum copulæ hujus, id est, per hos septem dies exspecta, et nuptias celebra, seu nuptiarum convivium, quod septem diebus consuevit dari; *et hanc quoque,* puta Rachelem, *dabo tibi* de facto, quam jam dedi tibi de jure, *pro opere quo servituras es mihi septem annis aliis :* ita quod his septem diebus finitis, intrabis ad eam. Ideo (teste Hieronymo) errant qui dicunt, quod post septem annos alios dormivit cum ea, non ante : quod tamen et Josephus dicit. Injustum enim valde fuisset, virum ita deceptum, tamdiu differre ab uxore quam meruit, et quæ sibi mox debebatur ex jure. *Acquievit placito,* etc., id est ei quod Laban proposuit sibi, consentiendo in Liam, ita ut post septem dies acciperet et Rachelem. *Tandemque potitus optatis nuptiis,* id est, usus concupitis Rachelis amplexibus, *amorem sequentis priori prætulit,* etc., hoc est, Rachelem ultimo sumptam, quantum ad copulam carnalem, plus dilexit quam Liam, cui primo fuit admixtus. *Videns autem Dominus quod despiceret Liam,* id est, minus curaret de ea quam de Rachele, non tamen vir ille tam bonus absolute despexit eam, *aperuit vulvam ejus,* etc., id est, apertioni organi sexus feminei dedit fructum, ita quod proles sequebatur ex ea. *Quæ conceptum genuit filium, vocavitque*

A *nomen ejus Ruben, dicens : Vidit Dominus humilitatem meam,* etc., id est parvipensionem meam, utpote qua parum a marito perpendor aut curor. Hinc filium suum vocavit Ruben, quod interpretatur filius visionis, nam dixit : Vidit Dominus, etc. Atque (ut Josephus narrat) Lia assidue Deum rogavit pro prole, cupiens suo placere marito. *Rursumque concepit et peperit filium, et ait : Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui,* id est, a Rachele contemni, et a marito non tantum curari, *dedit etiam*
B *istum mihi :* Dominus enim consolatur miseros et afflictos ac vilipensos. *Vocavitque nomen ejus Simeon,* quod interpretatur auditio, quia dixit : Quoniam audivit me Dominus, etc. Istud autem Deus in se ipso invariabiliter novit ; sed Lia loquitur de Deo more humano, et forsan angelus ejus oravit pro ejus fecundatione, quasi compatiens contemptui ejus, ejusque aspernationem, qua aspernabatur injuste, coram Deo commemoravit, ut impetraret gratiam Dei. *Concepitque tertio, et genuit*
C *alium filium, dixitque : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus,* videlicet tempore opportuno post dies purificationis meæ, *eo quod pepererim ei tres filios.* Mulier enim fit marito amabilis per suam prolificationem, et frequenter pariendo præstat viro fiduciam, quod non infructuose eam accedet. *Et idcirco appellavit nomen ejus Levi,* quod interpretatur adjunctio, seu societatis firmatio. *Quarto concepit et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino,* id est, nunc eum grata
D mente valde laudabo pro tantis beneficiis suis, et quia pugnat pro me, humiliando Rachelem sterilem, quæ me spernit; *et ob hoc vocavit eum Judam,* quod interpretatur confessio, et intelligendum est de confessione laudis divinæ seu gratiarum actione. *Cessavitque parere,* non omnino, sed ad aliquantulum tempus. Nam postea peperit filios duos, unamque filiam.

Sensus spiritualis.

Præterea, juxta spiritualem intelligentiam, per Jacob intelligitur quicumque Christifidelis, qui profectus inde, id est, profi-

Digitized by Google

ciscens ad ea agenda quæ spiritualis pater A suus ei committit, venit in terram orientalem, id est, regionem cœlestem, quæ est terra viventium, ingredi promeretur, in qua oriens lucis æternæ fulget Beatis plenissime. Venit quoque in terram orientalem, id est, nomine et re ad militantem spectat Ecclesiam, seu ad monasticam religionem, si religiosam professus est vitam; et videt puteum in agro, id est fontem Baptismi, seu scientiam Scripturarum, gratiarumque fluenta in ipsa Ecclesia, quæ est ager ac vinea Dei, quia in ea omnium B fructus virtutum, et spiritualium suavitatum sapor nascuntur: in qua tres accubant greges, id est multitudo incipientium, proficientium, ac perfectorum : seu conjugati, continentes, ac præsidentes, in Ecclesia spiritualiter reficiuntur juxta puteum jam præfatum, ex quo greges hi adaquantur, videlicet juxta profunditatem et fluenta Scripturæ, cujus os grandi lapide claudi- [I Petr. II, 6.] tur, utpote Christo, qui est lapis angularis [Apoc. III, 7.] et clavis David, qui claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit: quoniam cui vult, C revelat abdita Scripturarum, nec sine ejus illuminatione habetur salutaris scientia. Grandis quoque lapis claudens Scripturam, est intelligendi difficultas, verborum sacrorum obscuritas, varius ac mysticus modus loquendi. *Morisque erat, ut cunctis ovibus congregatis, evolverent lapidem,* etc. Ita nunc moris est, ut fidelium gregibus in ecclesia adunatis, prædicatores et prælati exponant eisdem Scripturas, amoventes saxum obscuritatis; sicque ovibus Christi refectis, os putei rursus claudatur, id est, D Scriptura in sua sinceritate et integritate relinquatur et custodiatur, ne ei pulveres falsitatum valeant commisceri, sed inviolata servetur.

Amplius, quod per duas Jacob conjuges, vita contemplativa et activa signentur, commune et omnibus notum est, nec opus est inde hic plura inserere. Victorinus quoque martyr per Rachelem non solum contemplativam vitam, sed et Christi Ecclesiam, sine ruga et macula exsistentem, ac Salvatori carissimam; per Liam vero, tam activam vitam quam Synagogam, in quibus fæces fuerunt et sunt, intellexit. Jacob autem, osculata Rachele, ploravit : quoniam vir devotus contemplativam vitam intime diligit, et sibi conjugem cupit, ejusque dulcedine degustata, præ gaudio æternæque gloriæ desiderio plorat. Oves quoque Rachelis adaquavit, quia sunt opera quædam ex contemplationis perfectione progredientia, quæ vir contemplativus dulciter amplexatur, et spirituali consolatione inungit. Insuper septem annis servivit pro Rachele Jacob, quoniam Christifidelis septem corporalia misericordiæ opera libenter exercet, quatenus ad contemplativæ valeat vitæ decorem, dulcedinemque perduci.

Sed quid est quod Jacob ad Rachelis amplexus anhelanti, Lia occulte supposita est, nisi quod pio ac sapientissimo moderamine Dei frequenter contingit, ut viri devoti ad contemplationis secreta silentia adspirantes, sine suo scitu ac nisu, imo quasi inviti, ad aliorum præsidentiam et exteriorum expeditionem eliguntur ac promoventur? Quibus super hoc conquerentibus coram Deo, divinitus respondetur, ut impleant hebdomadam dierum copulæ hujus, id est, ad tempus et congruis horis exteriora disponant, aliorumque gubernationi intenti sint; sicque Rachelem quoque adipiscentur, hoc est, vicissim ad contemplationis sublimitatem atque dulcorem intromittentur ac erigentur, et in abscondito vultus Dei haurient ab eodem, quod subditis loco ac tempore opportuno salubriter communicabunt ac ingerent. Quemadmodum autem Jacob non multum afficiebatur ad Liam, tamen propter ejus fecunditatem amavit et amplexatus est ipsam : sic devotissimi viri, ad prælationem, externamque occupationem non afficiuntur propter eas secundum se; nihilo minus propter fructum, quem Domino operante experiuntur se facere in præfatis, æquanimiter tolerant, et interdum libenter exercent eas, propter quod Paulus : Coarctor, inquit, e [Philipp. I, 23, 24.] duobus, desiderium habens dissolvi, et

Digitized by Google

esse cum Christo; permanere autem in carne, necessarium est propter vos. Unde et Deus videns sanctam eorum intentionem, patientiam et laborem, atque fraternam, imo et paternam caritatem eorum ad inferiores, multoties eos dulcissime visitat, illuminat et inflammat, contemplationisque luce ipsos perfundit: et hoc pro opere quo servituri sunt ei in aliorum regimine et exteriori occupatione, septem aliis annis, hoc est, residuo tempore conversationis seu prælationis ipsorum.

Præterea, Dominus videns quod vir talis vitam activam et occupationem externam, quantum in se est, abhorret, dat ei fructum ex ea, ita quod primo gignit ex illa Ruben, seu filium visionis, hoc est illuminationem aliorum in fide; secundo, Simeon seu auditionem, id est obedientiam eorumdem, ita quod auribus cordis audiendo quæ Dei sunt, per obedientiam implent audita; tertio, Levi seu conjunctionem, hoc est unionem ipsorum cum Deo, cui credendo et

A obediendo, merentur gratiosius couniri; quarto, Judam, id est confessionem, ita quod subjectos inducunt ad assiduam Dei laudationem, gratiarumque actionem: quibus peractis, ad tempus parere cessant; quia dum vident subditos in hujusmodi actibus bene stantes, recurrunt ad contemplationis suæ secretum et abdita exercitia vitæ internæ, illi uni quod solum per se ac summe necessarium est, tota mentis sinceritate ac diligentia intendentes.

Postremo, circa illud quod dictum est,
B ipsum Jacob removisse ab ore putei lapidem, asserit Rabbi Paulus, quod expositores Hebræi dixerunt, per hoc esse præfiguratum, quod aliquis de Jacob descendens, deberet removere lapidem, id est cordis duritiam, et adaquare omnes greges: quod videmus in Christo completum, qui a cordibus electorum abstulit interiorem duritiam, eosque adaquavit ex aqua et Spiritu Sancto, seu gratiarum fluentis, et imbre sapientiæ salutaris.

ARTICULUS LXXV

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI : CERNENS AUTEM RACHEL, QUOD INFECUNDA ESSET.

PROLIFICATIO Jacob ex aliis suis uxoribus, consequenter describitur. *Cernens autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ.* Aliqui dicunt, quod sumendo invidiam proprie, prout est vitium et tristitia de bono seu prosperitate alterius, non invidit sorori, quia non doluit de hoc quod illa filios generavit; sed invidit ei, sumendo extense invidiam pro tristitia de proprio defectu, per comparationem ad alium, defectum hujusmodi non habentem. Sed istud non videtur litteræ consonare, quæ absolute testatur, quod invidit sorori suæ. Talis quoque tristitia laudabilis est, nec propter eam dicta fuisset Rachel suæ invidisse sorori, sed de

C propria potius doluisse sterilitate; nec Scriptura invidiam sic solet accipere. Denique non oportet Rachelem, imo nec ejus sororem, a solitis mulierum passionibus excusare, quamvis bene finierint cursum suum. Jam enim præhabitum est, quod Rachel Liam contempsit, et infra patebunt contentiones et æmulationes earum ad invicem. Nam et raro bene concordant ejusdem viri uxores. Potius ergo reor, quod Rachel invidit prosperitati suæ sororis, quam habuit in concipiendo et pariendo
D tot filios, in quantum sororis fecunditatem appendit, ut sui minorativam ac confusivam; et quod sorori suæ fuit concessum, doluit non potius sibi esse collatum. Insu-

Digitized by Google

per ex passione illius invidiæ irrationabiliter dixit *marito suo : Da mihi liberos,* id est filios, me imprægnando, aut saltem ad me pertinentem loco mei, *alioqui moriar* præ tristitia : quo constat, quam ferventer optavit prolem ex viro suo ; nec fuit delectatione contenta, sed fructum quæsivit conjugii.

Cui iratus respondit Jacob. Ad maritum namque spectat, uxorem errantem corripere, informare ac regere, quia vir caput est mulieris. (*Ephes.* v, 23.) Viri quoque naturaliter et communiter sunt mulieribus constantiores, ac magis prudentes. Hæc etiam ira Jacob, fuit ira per zelum. *Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui ?* quasi dicat : Tu loqueris mihi, quasi ego instar Dei, possem te naturaliter sterilem, supernaturaliter imprægnare, aut quasi ex parte mei esset tuæ infecundationis defectus. Sic et rex Israel, lectis litteris sibi a rege Syriæ missis, ut curaret Naaman a lepra, scidit vestimenta sua, dicens : Numquid Deus ego sum, quia iste misit ad me, ut curem hominem a lepra sua ? (IV *Reg.* v, 7.)

At illa : Habeo, inquit, famulam nomine Balam : quam Laban dedit Racheli quando conjuncta est Jacob ; *ingredere ad illam,* id est, duc eam uxorem, et maritali affectu eam cognosce, *ut pariat super genua mea,* hoc est, quatenus filios ex ea generandos, ponam in sinu meo et super genua mea, quasi nati essent ex me. *Deditque illi Balam in conjugium,* non in concubinatum. Ex quo probatur, quod veraciter fuit conjux ipsius Jacob, quamvis minus principalis ; alioqui Jacob jam uxoratus, adulterium perpetrasset cum Bala, ad quod uxor sua principalis non potuit eum licentiare, nec licenter rogare. Aliqui tamen dicunt, quod non fuit uxor ipsius Jacob ; unde in Scholastica historia fertur : Dedit ei Balam in conjugium, non in uxorem, sed ut ei jungeretur. Et isti dicunt, quod ex dispensatione divina Jacob hoc licite fecit. Verum nec textui nec rationi videtur hoc consonare, quoniam manifeste A habetur in textu, quod dedit eam Jacob in conjugium. Nec Deus legitur in Scripturis adulterium licentiasse aliqua dispensatione. Amplius, Augustinus ait : Pro crimine grandi objiciuntur Jacob quatuor uxores. (Aug. contr. Faustum. cap. XLVII.) Quo constat, quod secundum Augustinum, Bala ista et alia famula nomine Zelpha, de qua infra habetur, fuerunt uxores Jacob. Ait quoque Augustinus, quod conjugali jure servato accessit ad eas.

Quæ, ingresso ad se viro, concepit et peperit filium. Dixitque Rachel : Judicavit mihi Dominus, B id est, pium judicium fecit mihi, *et exaudivit vocem meam,* id est orationem, *dans mihi filium,* sicut rogavi eum : filium, inquam, adoptivum, non naturalem, quia filios ancillæ meæ decrevi mihi adoptare in filios. *Idcirco appellavit nomen ejus Dan,* quod interpretatur judicium, quoniam dixerat : Judicavit Dominus, etc. *Rursumque Bala concipiens, peperit alterum* filium, *pro quo ait Rachel : Comparavit me Dominus cum sorore mea, et invalui,* id est, assimilavit me sorori meæ, C in hoc quod jam habeo filios sicut et illa, quamvis non tales, videlicet naturales, nec numero pares cum natis illius. *Vocavitque eum Nephthali,* quod interpretatur comparatio, quoniam dixit : Comparavit me Dominus, etc. Porro, secundum Lyram, in Hebræo habetur, Additione Dei addita sum cum sorore mea : quasi dicatur, Deus addidit mihi alium filium. Sed Rabbi Paulus contradicit, In Hebræo, inquiens, non habetur hic dictio quæ sonat additionem, sed controversiam D seu contentionem ; et est littera, Contentione Dei contendi cum sorore mea, et invalui : ut sit sensus, Contendi cum sorore mea super habendo filios, et invalui, quia jam habeo. Unde quum dicitur in Glossa interlineari, quod Nephthali dicitur a conversione, videtur esse error scriptoris, debuissetque scribere, A controversione. Hæc Paulus.

Sentiens Lia quod parere desiisset per tempus notabile, ita quod timuit non concipere amplius, *Zelpham ancillam suam*

Digitized by Google

marito tradidit conjugem, imitans in hoc A sororis suæ exemplum, et desiderium habens sobolis amplioris. *Qua* Zelpha *post conceptum edente filium, dixit* Lia : *Feliciter,* hoc est, prospere accidit mihi in hoc, quod ancilla mea peperit mihi hunc filium adoptivum ex meo marito. *Et idcirco vocavit nomen ejus Gad,* quod interpretatur felicitas. *Peperit quoque Zelpha alterum* filium ; *dixitque Lia,* quia domina matris pueri, et ita quodammodo principalis mater ipsius : propter quod, puero nato, locuta est, ac si personaliter B peperisset, et puero nomen imposuit. Itaque dixit : *Hoc* est *pro beatitudine mea,* id est, ad beatificationem meam conferet partus iste, ita quod a feminis quasi beata laudabor. Ideo subdit : *Beatam quippe me dicent mulieres. Propterea appellavit eum Aser,* quod interpretatur beatus. Ecce quantum hæc femina appretiavit multitudinem prolis. Sed quum sit non rarum, nec valde magnum, ut una mulier habeat quatuor filios naturales legitimos, duosque adoptivos, imo quum multæ pessimæ mulieres C habeant filios multo plures, cur Lia pro his sex filiis dixit se a mulieribus beatificandam? Respondetur, quod ipsa cognovit viri sui virtutes, et quod primogenita fuerunt ei collata, benedictionesque Abrahæ et Isaac desuper factas, in posteris Jacob esse implendas : ideo magnum valde reputavit habere ex eo tot filios, seque ob hoc beatificandam a mulieribus fidelibus hoc ipsum scientibus.

Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ, quando triticum metitur, *in* D *agrum,* sicut pueruli solent libenter pergere ad messores : Ruben autem primogenitus Jacob ac Liæ, fuit jam aliqualiter grandiusculus ; *reperit mandragoras,* quæ sunt poma pulchra et odorifera, sed insipida ; *quas matri* suæ *Liæ detulit. Dixitque Rachel : Da mihi partem de mandragoris filii tui,* id est aliqua ex pomis his tibi a Ruben allatis. *Illa respondit : Parumne tibi videtur quod præripueris maritum* meum *mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris,* id est mihi abstuleris? Ex hoc patet, quod feminæ istæ pronæ fuerunt ad contentiones atque discordias, et aliquoties passionate loquebantur ad invicem. Rachel autem non præripuit proprie ipsi Liæ maritum suum, sed Jacob primo consenserat in Rachelem, et ex majore ad eam affectione, libentius erat cum ea. Nam Rachel noluit mandragoras illas violenter vel injuste auferre, sed affectuose rogavit accipere partem earum. Itaque dixit : Parumne, etc., id est, videturne tibi quod feceris mihi parvam injuriam, præripiendo mihi maritum, nisi et istam addas, ut tollas filii mei mandragoras? *Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui,* hoc est, propter donationem hanc faveo tibi illud.

Circa hoc aliqui dicunt, quod Jacob debuisset illa nocte cum Rachele dormire, secundum circulum reddendi debitum suis uxoribus ; Rachel vero annuit ut dormiret cum Lia : quod quamvis forsitan ita fuit, est tamen incertum. Rursus, quamvis credendum sit, quod Jacob vir justus singulis uxoribus vicissim reddiderit debitum, non tamen videtur, quod in hoc servaverit certum paremque circulum : alioqui Lia non fuisset conquesta virum suum sibi esse præreptum a sua sorore, nec mercede hac conduxisset maritum, nec tam importune quodammodo adspirasset ad ejus amplexum. Idcirco apparet dicendum, quod ex quo Jacob primo et directe consensit in Rachelem, nec ex se ipso intendebat accipere alias, ideo Rachel fuit quodammodo principalis uxor ipsius, et habuit quoddam dominium in corpore ejus præ ceteris ; ideo Jacob frequentius cum ea dormivit, præsertim quia et pulchrior fuit, et carior ei : et ita quasi locavit corpus sui mariti, in quo habuit potestatem, nocte ista suæ sorori pro pomis præfatis. De quibus loquitur Augustinus : De hoc genere pomi scio aliquos opinari, quod si comedatur, conferat feminis sterilibus fecunditatem, et ideo Rachelem pro mandragoris supplicasse : quod verum non

Aug. contra Faustum, cap. LVI.

Digitized by Google

arbitror, quamvis et si tunc concepisset ; nunc vero quum Dominus dederit ei prolem post alios duos partus Liæ, nulla est ratio, ut tale quid de mandragoris suspicemur. Quum enim vidissem hæc poma, et propter scripturam hanc gratularer quod mihi occurrissent, naturam eorum, quantum potui, perscrutatus sum ; et comperi ea esse pulchra, suaveolentia, sed sapore insipida. Cur ergo ea tantum concupierit Rachel, non video, nisi propter eorum raritatem et odoris jucunditatem. Hæc Augustinus.

Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, et ait : Ad me intrabis, quia mercede conduxi te, etc. *Et exaudivit Deus preces ejus,* videlicet Liæ, quæ oravit intente, ut nocte illa imprægnaretur a contorali. Sicque ante actum illum matrimonialem, ad devotionem se dedit, fructum copulæ a Deo consequi cupiens ; nec ex libidine, sed prolis cupidine, ad Dei honorem nutriendæ, amplexata est virum. *Concepitque, et peperit filium quintum, et ait : Dedit Deus mercedem* meam *mihi :* hoc est, pro pia intentione habendi prolem et humilitate, quia conjunxi viro meo famulam meam, remuneravit me Dominus, dando mihi hunc filium. *Appellavitque nomen illius Issachar :* quod interpretatur merces, videlicet quia filium illum reputavit sibi a Deo pro mercede rei præfatæ concessum, et item quia viri ingressum ad se, conduxit mercede. *Rursus Lia concipiens, peperit sextum filium.* Et quod ait, Rursus, referendum est ad verbum, peperit, non ad filium sextum, quem nunquam ante genuerat. *Et ait : Dotavit me Deus dote bona etiam hac vice :* id est, pretiosum munus nunc contulit mihi, utpote filium istum, quoniam filios præ omnibus mundi divitiis diligo. Hinc magnum et amandum est matrimonium, propter fructus sui pretiositatem, quamvis virginitas præferenda sit ei. Si enim ager aut vinea magni reputatur valoris propter blada seu uvas quas profert, quanto magis conjugium quo homines pro-

A ducuntur ? *Idcirco appellavit nomen ejus Zabulon,* quod interpretatur habitaculum, nam dixit : *mecum erit maritus meus,* id est, mihi cohabitabit. Tamen in libro Nominum Hebraicorum, Zabulon interpretatur violenter, fluxus noctis. *Post quem peperit filiam nomine Dinam :* et interpretatur causa, quæ etiam postmodum fuit causa jurgiorum in Sichimis, ut patebit.

Recordatus quoque Dominus Rachelis, id est, pie ostendens se memorem ejus,
B *exaudivit eam,* etc., quæ assidue precabatur, ut Deus daret ei fecunditatem. Dicerat quippe a viro suo, qualiter Deus concesserat Saræ atque Rebeccæ superna- [Gen. xxi, 1,2; xxv, 21.]
turalem prolificationem : per quod animata fuit Rachel ad orandum pro hac re, ad quod creditur etiam ipse Jacob eam admonuisse. *Quæ concepit, et peperit filium, dicens : Abstulit Deus opprobrium meum,* id est sterilitatis confusionem, quia tunc erat confusibile valde non acquirere fructum connubii, propter hominum forsan
C paucitatem. Creditur quoque, quod Jacob patriarcha docuit conjuges suas cultum unius veri Dei, et futurum Christi adventum ac incarnationem ex semine suo, sicut jam dictum fuit ad eum : idcirco feminæ ejus vehementer optabant fecundari ab eo ; et non fecundari ex eo, reputabant sibi grande opprobrium. *Et vocavit nomen ejus Joseph :* quod uno modo interpretatur, sine opprobrio, secundum Chrysostomum super Matthæum, quoniam dixerat, Abstulit Deus opprobrium meum ; *dicens : Addat*
D *mihi Dominus filium alterum :* idcirco Joseph alio modo interpretatur augmentum seu additamentum.

Denique in Scholastica recitatur historia : His diebus factum est diluvium particulare in Achaia ; tuncque apud lacum Tritonidem apparuit virgo, quam Græci Minervam dixerunt. Hæc multas invenit artes, et maxime lanificium ; quæ etiam dicta est Pallas a Pallene insula Thraciæ, in qua fuit nutrita, vel a Pallante gigante, quem interfecit.

Digitized by Google

Circa hæc quæritur, qualiter excusetur quod Jacob duxit tot conjuges. Ad quod patet responsio ex dictis in expositione circa conjugium Abrahæ cum Agar, vivente ejus conjuge Sara. (n. xvi, 3.) Hinc Augustinus loquitur (Aug. de ...rit. Dei, ...i, 38.): Ad unam accipiendam venerat; sed quum ei altera fuisset supposita, nec ipsam dimisit qua nesciens fuerat usus, ne videretur eam ludibrio habuisse : et hoc, tempore illo quando nulla lex prohibebat plures habere uxores causa posteritatis. Nullam petiit nisi unam, nec usus est pluribus nisi gignendæ prolis officio; nec ancillas sumpsisset, nisi uxores id flagitassent, quæ potestatem corporis viri sui habebant legitimam.

Sed contra istud objicitur, quia videtur contra naturalem fuisse legem, quæ dictat, ut unicus unicæ matrimonialiter societur; et quærendum est circa hoc, an de lege naturali exsistat unitas illa contoralis. Ad hoc super quartum Sententiarum sanctus Thomas respondet : Naturalis conceptio homini indita, qua ad operandum convenienter dirigitur, lex naturalis vocatur : idcirco quod facit actionem hominis suo debito fini inconvenientem, est contra legem naturæ. Potest autem actio esse inconveniens tam principali, quam secundario fini dupliciter : primo, finem omnino impediendo, sicut nimia comestio sanitatem, quæ est finis medicinæ, corrumpit; secundo, indecentiam aut difficultatem circa finem acquirendum causando, ut comestio, quantum ad tempus, inordinata. Quum igitur actio finem principalem aut secundarium directe impedit seu corrumpit, tunc prohibetur per prima præcepta legis naturæ; si vero hoc facit secundo modo, tunc prohibetur per secunda legis naturalis præcepta, quæ derivantur et eliciuntur ex primis, quemadmodum conclusiones ex præmissis. Principalis autem finis matrimonii, est procreatio et educatio prolis : et hæc actio competit homini ex natura sui generis, quia convenit etiam brutis. Secundarius vero matrimonii finis, est communicatio conjugum in operibus

A ad domesticam vitam pertinentibus : et hæc convenit homini ex natura sua specifica. Porro tertius matrimonii finis, est significare Christi atque Ecclesiæ unitatem, in quantum est sacramentum evangelicæ legis ac gratiæ : et competit homini, in quantum est christianus. Pluralitas ergo uxorum, primum matrimonii finem non tollit omnino. Unus etenim vir potest plures feminas imprægnare, et proles earum nutrire. Secundum vero matrimonii finem multum impedit, quamvis non pe-

B nitus tollat eum. Nam unus vir pluribus uxoribus satisfacere nequit; et communicatio plurium in uno officio, parit litem, ita quod sicut figuli, ita uxores unius simul rixantur. Tertium autem matrimonii finem, qui est significare unitatem Christi atque Ecclesiæ, pluralitas uxorum penitus aufert. Ex quibus patet, quod uxorum pluralitas sit quodammodo contra legem naturæ, et quodammodo non. Sed quod una mulier habeat plures maritos, est contra prima naturalis legis præcepta, quia ex hoc

C sequeretur incertitudo prolis, quantum ad patrem : idcirco nunquam permissum est hoc ulla lege aut consuetudine.

Deinde quæritur, quare et qualiter unquam licuit pluralitas illa uxorum. Respondetur, quod ex quo non est contra prima naturalis legis præcepta, idcirco per dispensationem summi Auctoris totius naturæ ac legis, aliquando licita fuit, dum scilicet multiplicatio hominum necessaria fuit ad conservandum cultum divinum. Secundaria namque legis præcepta opor-

D tet aliquando variari, secundum diversitatem conditionum hominum in personis, locis, temporibus, seu circumstantiis aliis. Et quoniam lex de unitate uxoris, non est instituta humanitus, sed a Deo, qui dixit per Adam, Erunt duo in carne una (*Gen.* ii, 24.): idcirco contra eam solus Deus potuit dispensare, qui in Patribus sanctis hoc fecit per inspirationem internam, et illorum exemplo est ad posteros derivatum. Hæc Thomas. Hinc ait Magister libro quarto, distinctione 33 : Quæritur de antiquis Patribus, qui

Digitized by Google

plures leguntur simul habuisse uxores, an peccaverunt. Ad quod dicimus, quod varia invenitur dispensatio Conditoris pro varietate temporum. Ab exordio enim temporis inter duos tantum Adam et Evam est inchoatum conjugium. Postea vero, quum pene omnes homines falsis diis servirent, paucis in Dei cultu permanentibus, a Deo consultum est, plures uni viro conjungi connubio, ne paucis Dei cultoribus per mortem deficientibus, cultus et notitia Dei in mundo deficeret. Quum enim ceteris in idololatria derelictis, Deus Abraham et posteros ejus per Isaac in peculiarem populum elegisset, rite quærebatur multiplicatio populi Dei fecunditate mulierum multarum ; quia in successione sanguinis, erat successio religionis : idcirco sterilis fuit maledicta in lege ; et sacerdotes tunc conjugio utebantur, quoniam in successione familiæ, successio fuit officii. Hæc Magister.

Exod. xxiii, 26 et *Deut.* vii, 14.

Si autem rursus objiciatur prædictis : Contra legem naturæ est absolute ac penitus, ut homo se obliget ad impossibile, atque ut alteri detur, quod uni datum est ; sed homo contrahens cum una uxore, transfert in eam sui corporis potestatem, ita quod tenetur ei reddere debitum quando petierit : ergo est omnino contra legem naturæ, si ea vivente, det alteri mulieri sui corporis potestatem, quia non posset simul utrique reddere debitum, si peterent. Ad hoc Thomas respondet, quod vir per matrimonium non dat suæ uxori sui corporis potestatem quantum ad omnia, sed solum quantum ad ea quæ matrimonium exigit. Non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore reddat debitum uxori petenti, nisi quantum ad id, ad quod matrimonium est principaliter institutum, quod est bonum prolis, utpote quantum sufficit ad imprægnationem ; sed matrimonium, secundum quod institutum est in remedium, quod est secundarius ejus finis, requirit ut quolibet tempore debitum reddatur petenti. Per quod patet, quod accipiens plures uxores, non se obligat ad A impossibile, considerato principali matrimonii fine : idcirco pluralitas uxorum non fuit contra prima naturalis legis præcepta. Hæc Thomas.

Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo, scilicet Laban : *Dimitte me, ut revertar in patriam, et ad terram meam,* in qua natus sum. *Da mihi uxores et liberos meos,* hoc est, permitte ut eos mecum perducam, *pro quibus* uxoribus *servivi tibi.* Ex præcedentibus constat, quod Jacob accepit Liam, postquam septem annis servivit B socero ; deinde antequam dormivit cum Rachele, obligavit se ad serviendum socero adhuc septem annis : ergo quum natus est Joseph, finiti erant aut quasi finiti, quatuordecim anni servitii ; et item constat ex his, quod Joseph natus est in fine septimi anni, a tempore quo Jacob sumpsit Rachelem. *Ait illi Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo,* hoc est, pium et favorabilem te exhibe mihi. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Laban fuit idololatra et iniquus : idcirco C benedictio ista fuit multiplicatio temporalium bonorum ipsius Laban, propter virtutes Jacob ei concessa : ideo non ex sincero amore, sed proprii commodi appetitu, rogavit Laban ipsum Jacob, ut in suo obsequio permaneret diutius. *Constitue mercedem tuam quam dem tibi,* hoc est, tu ipse elige quid remunerationis velis a me pro tuo habere obsequio, quod a te cupio. *At ille respondit : Tu nosti quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis,* id est quam parva in servitute D et opere manuum mearum, *fuerit possessio tua,* quando primo ad te veni. Ideo subditur : *Modicum habuisti antequam venirem,* etc., videlicet tantum, quantum natura seu fortuna concessit tibi, quod tamen ex divina providentia prodiit, cui tota natura subjacet ac fortuna ; *benedixitque tibi Deus ad introitum meum,* hoc est, temporalia tua auxit mox ut ingressus sum ad te, et hoc propter me seu meritis meis, quia aliquam amicitiam et pietatem mihi exhibuisti, pro quibus reddidit tibi Deus

Digitized by Google

benedictionem istam terrenam, qui nullum bonum irremuneratum relinquit. *Justum est ergo ut aliquando,* id est jam de cetero, *provideam domui meæ,* hoc est familiæ, utpote uxoribus ac soboli, imo et mihi simul cum eis, secundum quod ad veram spectat prudentiam et sollicitudinem moderatam.

Dixitque Laban : Quid tibi dabo pro mercede, ut quod petii facias? *At ille ait : Nihil volo* mihi dari a te. Quasi dicat : Non quæro munus a te, vel ut aliquid tribuas mihi gratis. *Sed si feceris quod postulo* pro præmio mei laboris, *iterum pascam et custodiam pecora tua* ad tempus. Deinde postulatio ista exprimitur : *Gyra omnes greges tuos,* id est, circumeundo diligenter inspice atque considera eos; *et separa cunctas oves varias et sparso vellere,* hoc est, oves quæ in vellere suo seu lana habent diversos colores, divide ab ovibus unius coloris ; et committe oves illas diversorum colorum, aliis, scilicet filiis seu pueris tuis, alendas et custodiendas, ita quod oves unius coloris sub mea permaneant manu ; *et quodcumque furvum et maculosum variumque fuerit, tam in ovibus quam in capris,* id est omnes fetus variorum colorum, nascituri ex ovibus et capris unius coloris, quæ manebunt sub mea custodia, *erit merces mea. Respondebitque mihi cras justitia mea,* hoc est, in proximo seu futuro recipiam, Deo ordinante, quod merui ; *quando placiti tempus advenerit coram te,* hoc est, dum hora disceptandi de eo quod eveniet, an scilicet juste vel injuste evenerit, præsens fuerit inter te et me. Quasi dicat : Si res ipsa meam ostenderit justitiam, per hoc quod contra consuetum naturæ cursum orti fuerint fetus diversorum colorum ex femellis unius coloris, tunc scies quod veraciter juste egerim tecum, ita quod mirabilis ille effectus erit signum et argumentum justitiæ meæ, cui nondum retribuisti mercedem condignam. *Et omnia quæ non fuerint varia et maculosa et furva, tam in ovibus quam in capris, furti me argues,** id est, de furto me vere reprehendere potes super omnibus quæ non fuerint variorum colorum, sed coloris unius, si aliquid tale inveneris inter fetus qui erunt merces mea. Quasi dicat : Si deputavero seu appropriavero mihi aliquem fetum ovis aut capræ, fetum, inquam, unius tantum coloris, hoc furto adscribatur.

Dixitque Laban : Gratum habeo quod petis, id est, postulatio tua placet mihi. Laban enim vir versutus, naturalem cursum magis quam dispositionem providentiæ divinæ considerans, putabat quod solito modo oves et capræ unius coloris, parerent fetus unicolores : sicque speravit ipsum Jacob parum aut nihil adepturum a se pro suo obsequio ac labore. *Et separavit* ipse Laban dolosus *in die illa capras et oves,* puta femellas, *et hircos et arietes,* utpote mares illarum, *varios atque maculosos,* id est diversorum colorum ; et omnes hos utriusque sexus animantes diversicolores, dedit in manus filiorum et puerorum suorum : ut patet ex dictis, quoniam greges unius coloris manserunt sub manu Jacob. Sed his contrariari videtur quod subditur : *Cunctum autem gregem unicolorem, id est albi aut nigri velleris,* hoc est, qui erant omnino albi vel omnino nigri, *tradidit in manu filiorum suorum.* Videtur itaque sensus esse, quod greges hos unicolores dedit in manus Jacob et filiorum ipsius, quorum aliqui jam cœperunt cum patre suo exire in agrum, et officium illud addiscere. Nec exprimitur Jacob, quia jam satis expressus fuit per verba præhabita ; nec hi qui sub Jacob fuerunt pastores, quoniam filii Jacob quamvis adhuc parvuli, tamen principaliores illis reputabantur. *Et posuit spatium itineris inter se et generum suum, trium dierum :* id est, Laban per trium dierum viam sive distantiam separavit greges unicolores a gregibus diversorum colorum, ne ex vicinitate loci aut dolo miscerentur ad invicem, et ita generarent fetus diversicolores; et spatium istud etiam fuit inter Laban ejusque filios, et inter Jacob ac pueros ejus, sub eo

* *arguent*

gregem pascentes. Fuitque Jacob gener ipsius A Laban, id est maritus filiarum ipsius. *Qui pascebat reliquos greges ejus.* Hoc referendum videtur ad illud quod dictum est, Filiorum suorum : qui alebant pecora alia a præfatis. Sicque juxta hanc expositionem, filii Jacob dicuntur filii Laban, qui fuit avus eorum, quia fuerunt nepotes ipsius, juxta morem Scripturæ; unde sequenti capitulo Laban loquitur de eisdem : Quid possum facere filiis ac nepotibus meis ?

Sed huic expositioni objicitur, quod primogenitus B Jacob, scilicet Ruben, tempore hujus conventionis inter Laban et Jacob factæ, vix erat septem annorum ; quia conventio hæc facta est mox ut natus est Joseph, qui natus est circa finem septennii a tempore quo pater suus Jacob accepit Liam atque Rachelem : ergo Ruben et fratres ejus eo juniores, nondum poterant esse pastores. Ad quod dicendum videtur, quod utique sicut experientia docet, aliqui pueri ante septennium suum incipiunt oves et pecora custodire. Dictum est quoque in isto C capitulo, quod Ruben de agro regressus, attulit matri suæ mandragoras, quod fuit ante nativitatem Issachar ac Zabulon filiorum Liæ, ita quod Ruben non fuit tunc multum plusquam quinquennis : idcirco post duos annos ipse et Simeon ac Levi poterant patri suo aliqualiter deservire in pecorum pastu, præsertim quoniam credi potest quod pueri erant tunc infra tot annos majoris quantitatis ac roboris, quam sint modo ; et forte hoc specialiter fuit in filiis Jacob, qui fuit robustus D vir quando genuit eos, et aliquid specialis doni ac indolis fuit fortassis in eis, meritis sui patris, quatenus ei magis possent in necessariis deservire. Denique dictum est, quod non ideo dicitur Laban tradidisse pecora ista in manu filiorum Jacob, quia ipsi tunc erant principales illorum pastores, sed ob causam prætactam.

Verumtamen Lyra istud quod de filiis Jacob dictum est, reprobans, dicit quod littera nostra hic multum discrepat ab Hebraica littera, quæ (ut dicit) sub unico contextu et versu exprimit totum ab illo loco, Et separavit in illa die, usque ad id, Tradidit in manu filiorum suorum ; et ubi nostra translatio habet, Cunctum autem gregem unicolorem, asserit in Hebræo haberi, Omne quod habebat album in se ipso, et omne rufum in arietibus, tradidit, etc., quod, secundum eum, ita exponunt Hebræi, Omne quod habebat album in se, hoc est, albam maculam, quantumlibet parvam, et omne rufum, quantumcumque modicum habens de rufo, quamvis totum residuum velleris esset unius coloris, tradidit in manus filiorum suorum, id est filiorum sui ipsius. Et verum est, quod littera ista planior est quam nostra ; sed secundum eam non fit hic mentio, nisi de pecoribus diversorum colorum.

Est demum totus hic passus ab illo loco, Gyra omnes greges tuos, usque ad verba infra sequentia, scilicet, Tollens ergo Jacob virgas, ultra modum intricatus atque difficilis, non propter materiæ altitudinem, quæ si verbis planis recitata fuisset, nullam prorsus difficultatem haberet ; sed quia hæc ipsa historia, est hic multum succincte, obscure, breviterque narrata, in tantum quod aliqua subaudire oportet. Propter quod circa hunc locum scribit S. Hieronymus : Multum confusus est sensus horum verborum apud Septuaginta, et usque hodie nullum nostrorum potui invenire, qui hunc locum plane exponeret. Itaque Jacob loquens ad Laban : Vis, inquit, ut serviam tibi alios septem annos ? fac quæ postulo : separa omnes discolores et varias tam oves quam capras, et trade eas in manus filiorum tuorum ; et ex utroque grege alba et nigra pecora unius coloris da mihi. Si quid ergo ex albis et nigris, quæ unius coloris sunt, varium fuerit natum, erit meum ; si quid unius coloris, hoc erit tuum. Quasi dicat : Difficilem rem non peto. Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, et nigra nascantur ex nigris ; mecum justitia mea, dum Deus humilitatem meam respicit et laborem. Hæc Hieronymus.

Digitized by Google

Deinde describitur industria Jacob in A isto negotio : *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis,* id est virgas plataninas seu ex arbore platano, *ex parte decorticavit eas,* cortices in certis locis seu partibus virgarum abstrahendo. *Detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant,* hoc est in partibus virgarum decorticatis, *candor,* id est clara albedo, *apparuit ; illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt,* id est, partes virgarum non decorticatæ, virides perseverabant ; *atque in hunc mo-* B *dum color effectus est varius* in his virgis, quæ triplicis speciei fuerunt, seu ex tribus arboribus specifice distinctis, quatenus color magis diversificaretur in eis, et in fetibus producendis. *Posuitque eas in canalibus,* hoc est lignis seu saxis cavatis, *ubi effundebatur aqua,* id est in quæ aqua hausta fundebatur, ut pecora biberent : et aliqui dicunt, quod ibi fuerunt tres canales, et quod in quolibet canali posuit virgas unius speciei; alii putant, quod in singulis canalibus posuit tripli- C ces virgas illas, et quod virgæ erant tantæ longitudinis, sicut concavitates canalium, quatenus quodlibet pecus potans, eas adspiceret ; *ut quum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in adspectu earum conciperent,* etc. *Igitur quando primo tempore ascendebantur oves,* id est, quando arietes ascendebant super oves verno tempore ad hoc aptiore, *ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent* ipsæ oves ex D commixtione arietum ; *quando vero serotina admissura erat,* id est, in ea commixtione quæ fiebat in fine veris, quæ tardior fuit quam prima, *et conceptus extremus,* id est ultimus anni, *non ponebat eas,* scilicet virgas, in canalibus. *Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban,* etc., hoc est, fetus ovium et caprarum nati ex commixtione extrema seu ultima, pertinuerunt ad Laban, quoniam erant unius coloris, sicut et matres eorum, quæ eos concipiendo, non adspexerunt virgas diversorum colorum : et fetus illi serotini, erant aliis viliores ; quia in appetentibus coitum tarde, minus viget natura. Porro fetus primi temporis, erant meliores ; quoniam ex naturæ fortitudine provenit, quod animalia citius ac vigorosius fecundant et generant sive concipiunt. Unde ne dolus vel potius industria ipsius Jacob deprehenderetur, sic temperavit practicam suam, quod in una animalium commixtione virgas ponebat, et non in alia; ponebat tamen eas in commixtione, ex qua meliores fetus nascebantur, quia pertinebant ad eum, et varii erant. Vel (ut in Scholastica historia habetur) serotina admissura seu mixtio appellatur, quæ fit in autumno ; quia natura ovium Mesopotamiæ et Italiæ, eadem esse fertur, ita ut in uno anno bis pariant, juxta illud Poetæ : Bis gravidæ fetu.

Ad horum intelligentiam advertendum, quod istud est naturale, ut tam in hominibus quam in pecoribus matres concipiant fetum similem rei, cujus formam, dispositionem seu similitudinem intensius imaginantur tempore coitus. Hanc quippe virtutem habet vis imaginativa supra corpus atque materiam ex qua fit conceptus, quod similes concipiuntur fetus illis, quos in extremo coitus calore intente imaginantur sive inspiciunt. Hoc Jacob iste cognoscens ex naturali scientia, vel ut infra tangetur, potius ex instructione angelica, sic usus est sua industria, quod in ipso fervore diei, dum oves et capræ stabant, et cum magna aviditate bibebant, fecit arietes et caprarum masculos, scilicet hircos, super oves et capras ascendere, ut ex duplici desiderio, dum et avide bibebant, et ascendebantur a maribus, tales fetus conciperent, quales umbras seu similitudines arietum et hircorum super se ascendentium, contemplabantur in aquis canalium, utpote fetus diversorum colorum, quia ex virgis in aquis positis, varius apparebat imaginum color.

Circa hoc ait Hieronymus : Nec mirum hanc esse naturam in conceptu femina-

Digitized by Google

rum, ut quarum similitudinem conspexerint, aut apprehenderint in extremo seu maximo voluptatis æstu, ex quo concipiunt, talem et pariant sobolem, quum hoc ipsum servari dicatur in gregibus equarum apud Hispanos, videlicet quod pulchros equos ponunt ante oculos equarum tempore coitus. Quintilianus quoque excusavit matronam quamdam quæ Æthiopem peperit, per hoc quod consideravit id accidisse ex inspecta imagine. Insuper scriptum est in libris Hippocratis, quod mulier quædam fuisset punienda ex suspicione adulterii, eo quod peperit pulcherrimum puerum, tam sibi quam viro suo ac toti suæ parentelæ dissimilem, nisi ipse Hippocrates medicus monuisset inquiri, an talis imago seu pictura in cubiculo esset : qua inventa, fuit mulier liberata.

Hinc Alexander de Hales in scripto suo super secundum Sententiarum, quæstione qua quærit, utrum in statu innocentiæ a primis parentibus ac ceteris fuissent geniti tot filii, quot filiæ, ait : Multiplex est ratio, cur varietur vis generativa in actu generandi. Una sumitur ex parte animæ. Vis namque generativa multum conformatur accidentibus et imaginationibus animæ, ut experimentaliter patet. Nam ex memoria delectationis frequenter excitatur pruritus carnis, atque ex forti imaginatione in somnis, fit effusio seminis, quemadmodum ad præsentiam mulieris. Vis quoque formativa, quæ est præcipua vis in semine, multum adjuvatur ab imaginatione, ut patet in ovibus Jacob. Non solum autem variatio generationis accidit ex parte virtutis animalis moventis et imaginantis in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu naturæ institutæ ac integræ, imo et potius. Tempore enim naturæ institutæ, in quo corpus subjectum fuit animæ, quum vir vellet et intenderet generare virum, imaginaretur virum ; et ex hoc vigoraretur virtus naturalis in agendo, ut esset semen majoris virtutis, sicque generaretur sexus vigorosus et masculinus. Porro dum vellet et imaginaretur generare sexum femineum, tunc impressione minus forti ageret in naturam corporalem inferiorem, et tunc semen esset minus forte, et generaretur sexus femineus. Idcirco in statu naturæ institutæ, generatio maris et feminæ subesset voluntati rationali : et quoniam ratio tunc dictaret omnia esse facienda ordinate, et tot producere mulieres quot viros, ut quilibet haberet adjutorium simile sibi, secundum exigentiam legis matrimonii ; ideo tunc produceret viros et mulieres in numero pari. Nunc autem quia vis generativa non subest omnino virtuti animali seu imaginativæ, nec etiam rationali, licet eis aliquo modo conformetur, sed ex causis aliis variatur ; hinc modo non est certa determinatio numeri in viris aut mulieribus generandis : et hæc est quorumdam opinio. Hæc Alexander de Hales.

Præterea quæritur, cur aut qualiter sine peccato usus est Jacob præfata circumventione seu practica. Ad hoc respondet Augustinus, quod fecit hoc ut propheta, et non sine spirituali revelatione, qua præcognovit qualiter esset futurum. Alii quoque adjiciunt juste id actum esse, quoniam Laban sæpe dolose egit cum Jacob, et tenebatur ei in multis ; sicque Jacob prudenter retraxit ad se, quod suum erat de jure, et Deo inspirante hoc fecit : quemadmodum filii Israel egressuri Ægyptum, accommodabant ab Ægyptiis aliqua pretiosa. Non enim remunerati erant ab Ægyptiis pro suis laboribus atque obsequiis illis impensis. Postremo Hieronymus circa hæc scribit : Jacob novam stropham commentatus est, et contra naturam naturali arte pugnavit. Attamen in hac arte nova servavit justitiam, quia si omnes agni et hœdi fuissent varii nati, fuisset suspicio doli, et Laban apte occurrisset. Sic ergo Jacob temperavit, ut et laborum suorum perciperet fructum seu præmium, et Laban non penitus exspoliaretur. Hæc Hieronymus.

Ditatusque est homo, scilicet Jacob, qui in facto præscripto rationabiliter ac pru-

Aug. in Genesim q. xcm.

Exod. xi, 2.

Digitized by Google

denter se habuit, *ultra modum,* id est valde et ultra solitum, communemque ministrorum eventum, non tamen immoderate per culpæ excessum, quia juste sic accidit. *Et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos.* Quocirca quæri potest, an Jacob usus sit prædicta industria circa oves et capras dumtaxat, an etiam circa

A ceterorum pecorum greges. Ad quod non videtur ex littera haberi certa et manifesta responsio ; sed quoniam infra legitur Jacob eduxisse de Mesopotamia tantam multitudinem non solum ovium et caprarum, sed et vaccarum, asinorum et camelorum, videri potest alicui, quod etiam de illis sic fecerit.

ARTICULUS LXXVI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI INTELLECTU.

CERNENS *autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : Da mihi liberos, alioqui moriar.* Per Rachelem intelligitur anima contemplativa, quæ contemplationis suæ fructu interno et propriæ salutis profectibus non contenta, invidet suæ sorori fecundæ : id est, per modum invidentis se habet circa animam viri activi, in aliorum conversione et prædicationibus fructuosi, conquerens Sponso cœlesti, et rogans eumdem ut sibi det liberos, id est, per se alios convertat, reformet ac salvet. Cui Christus respondet, ex parte sui non esse defectum. Cui rursus hæc Rachel seu contemplatrix anima dicit, *Habeo famulam,* etc., id est, carnem istam mortalem cui conjuncta sum, illam fecunda, dando mihi gratiam ac virtutem, ut corpus meum ita afficiam flagellis, vigiliis, abstinentiis, fletibus, atque orationum instantiis, quatenus meritis horum corporalium exercitiorum meorum obtineam aliorum conversionem, eos quoque qui interdum me visitant, tam efficaciter horter et alloquar, ut convertantur atque salventur. *Deditque illi Balam in conjugium.* Bala interpretatur inveterata. Tunc ergo Bala traditur in conjugium Jacob, dum caro ex antiquo fomite vitiisque infecta, rationi subjicitur, et Sponso cœlesti ad ser-

B viendum offertur, juxta illud Apostoli, Exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, viventem, Deo placentem : sicque Christus per carnis hujus obsequium spirituales generat filios. *Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit :* hoc est, anima viri activi, qui præ debilitate opera non valet misericordiæ amplius exercere, aliam quamcumque personam ei subservientem, Christo loco sui assignat, ut per illam fiant hujusmodi, et opera producantur virtutum. Rom. XII, 1.

C Amplius, per hoc quod Rachel desideravit mandragoras Liæ, ei a filio suo Ruben allatas, signatur quod anima contemplativa quandoque appetit bonæ famæ odorem, quam anima habet activa per opera fidei coram aliis facta, quæ designantur per Ruben primogenitum Liæ, qui filius visionis interpretatur, per quem opera fidei (quæ est spiritualis oculus animæ) intelliguntur. Lia autem respondet Racheli : *Parumne tibi videtur quod præripueris maritum meum mihi,* etc. : quoniam anima viri activi forinsecus occupata, frequenter conqueritur se a cœlestis Sponsi amplexibus

D impediri, et se potius quam proximi sui animam ad exteriora officia applicari. Cui tamen interdum anima contemplativa condescendens, favet ut ad tempus contempla-

Digitized by Google

tionis vacet quieti, in Sponsi amplexibus quiescendo : sicque anima activi supernaturaliter fecundata et roborata, rursus generare et pristina virtutum exercitia exsequi incipit. Tandem recordatus Dominus Rachelis, aperit vulvam ejus, ita quod parit Joseph : hoc est, mentem contemplativam tanto implet zelo fraternæ salutis, quod merito affectionis tam sanctæ obtinet alicujus conversionem, per quod arbitratur se ab infecunditatis suæ ereptam opprobrio, nec tamen contentatur omnino, sed alterius quoque adhuc sitit salutem, dicens : *Addat mihi Dominus filium alterum*.

Præterea, nato Joseph, voluit Jacob ad patriam suam reverti : quia dum Christus multos ex Synagoga tam activos quam contemplativos suo discipulatui conjunxisset, ac regnasset, voluit reverti ad Patrem, patriamque cœlestem. Vir quoque fidelis, contemplativæ vitæ fructu gustato, cupit exterioribus resignare, et interioribus pure insistere; quem Laban cupit adhuc in exterioribus et pristino suo detinere obsequio. Vir autem contemplativus, pensans quantum ex hoc Jacob possit fructificare, eo pacto consentit, ut oves et capræ diversorum colorum, sint suæ, id est, quatenus eos possit convertere, et spirituales suos efficere filios, qui duplicitatis vitio et maculis pravitatum sunt respersi. Cui Dominus in hoc aliquando acquiescit, ita quod orationibus, exhortationibus, meritis et exemplis viri talis, peccatores tales convertit; alios vero greges, scilicet justos, aliis committit pastoribus. Itaque Jacob ovibus sibi creditis virgas decorticatas et multiformiter coloratas, tempore spiritualis fecundationis proponit, hoc est præcepta justitiæ, auctoritatem ecclesiasticam, potestatem verbi cœlestis, per quæ quasi per virgas corriguntur iniqui et reformantur ac diriguntur, quæ etiam virgæ multiplici sunt decore rectitudinis ac gratiæ decoratæ. Unde et lex Christi virga vocatur, juxta illud Psalmi : Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Itemque : Virga æquitatis, seu virga directionis, virga regni tui. Præterea in canalibus aquarum ponuntur hæ virgæ, id est, in libris sacræ Scripturæ (qui aquis sapientiæ salutaris et gratiarum fluentis repleti sunt) continentur descriptæ. Cortex vero a virgis detrahitur, dum superficialis et indiscretus intellectus, aut etiam rigor distortus, a præceptis et documentis atque ecclesiasticis auctoritatibus removetur, ne quis voluntate pro lege utatur, aut præcepta absque dispensatione et vera interpretatione juxta mentem legislatoris jubeat observari. Itaque per hæc oves et capræ, id est, fideles qui ante fuerunt diversitate vitiorum perfusi, fiunt varietate virtutum ornati, per quod homo qui præsidet eis, seu ita eosdem convertit, ultra modum ditatur sobole spirituali ac meritis in præsenti, præmiisque in futuro : quoniam omnium illorum opera bona et salus in ipsum redundant, et ipse cum singulis atque pro singulis coronatur; habetque asinos et camelos, utpote eos qui onus præceptorum cœlestium prompte ac obedientialiter portant. Alterutrum quoque onera sua pie supportant, quatenus omnes simul a Deo portari et misericordiam consequi mereantur, quemadmodum monet Apostolus : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Ps. cix, 2. — Ps. xliv, 7. — Galat. vi, 2.

ARTICULUS LXXVII

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : POSTQUAM AUTEM AUDIVIT VERBA FILIORUM LABAN.

RECITATUR in isto capitulo sancti Jacob cum suis reversio ad terram natalem. *Postquam autem audivit* Jacob *verba filiorum Laban, dicentium: Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri,* etc., id est, omnes divitias ejus abstulit ei et nobis per practicas suas. Et est hyperbolicus sermo seu per synecdochen dictus, quasi dicant : Tanta abstulit, quod parum nobis remansit. *Animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset circa se sicut heri et nudiustertius,* id est, consideravit quod Laban non habuit se circa ipsum amicabiliter et favorabiliter, sicut præterito tempore consuevit, imo signa indignationis et aversionis ad se, perpendit in vultu Laban; *maxime dicente sibi Domino* per inspirationem internam, vel revelationem angelicam : *Revertere in terram patrum tuorum,* etc., id est ad terram Chanaan, in qua Abraham et Isaac habitaverunt, et Isaac tunc adhuc habitabat, *eroque tecum* per gratiam specialem.

Misit nuntium, *et* per istum *vocavit Rachel et Liam in agrum ubi pascebat greges.* Vocavit quoque tunc aut paulo post alias duas uxores; sed istæ non exprimuntur, tanquam minus principales, quæ et famulæ erant principalium conjugum, scilicet Rachelis ac Liæ, earumque voluntatem sequi habebant. Vocavit autem eas in agrum, ut ibi cum eis tractaret liberius. *Dixitque eis : Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius. Deus autem patris mei fuit mecum; et ipsæ nostis quod totis viribus servierim patri vestro.* Littera pro majori parte plana est valde. *Sed et pater vester circumvenit me,* id est, fraudulenter egit mecum, meque fefellit quantum in se fuit, *et mutavit*
A *mercedem meam decem vicibus.* Hoc fecit Laban infra quinque ultimos annos, quibus Jacob sibi servivit. Oves enim (ut dictum est) in Mesopotamia pariunt bis in anno. Jacob autem servivit ipsi Laban per sex annos, post quatuordecim annos quibus ei pro duabus suis servierat filiabus : et in primo illorum sex annorum, non mutavit mercedem ipsius Jacob, ut dicitur : quia nondum advertit quod fetus primi seu verni temporis, essent ipsius Jacob; et fetus serotini, sui. Sed hoc comperto, mutavit
B in sequentibus quinque annis mercedem Jacob, bis quolibet anno, ut infra in littera continetur. *Et tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi,* id est, per suam fraudulentiam nocumentum mihi inferret. *Si quando,* id est dum aliquando, *dixit, Variæ,* hoc est fetus ovium et caprarum diversicolores, nati ex ovibus et capris unicoloribus, *erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oves,* quæ sub mea erant custodia, *varios fetus,* id est diversicolores. *Quando vero econtrario ait, Alba quæque*
C *accipies pro mercede,* id est fetus unicolores, *omnes greges alba pepererunt.* Si hoc accipiatur de omnibus gregibus pecorum specie distinctorum, sequetur quod pactio illa mercenaria, intelligenda sit, non solum de ovibus et capris, sed et de camelis, vaccis et asinis. *Tulitque Deus substantiam patris vestri,* qua ipse indignus fuit, vel quam ipse habuisset nisi hoc demeruisset: non enim habuit unquam hos fetus, qui devenerunt in partem Jacob, tanquam de jure pertinentes ad se ; *et dedit mihi.*

D Et modus illius dationis subjungitur : *Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat,* id est, statim quando instabat tempus quo oves concipere debuerunt,

Digitized by Google

ante ipsam arietum oviumque commixtionem, *levavi oculos meos* interiores, quia subjungitur, *et vidi in somnis :* unde ad illam oculorum elevationem incitabatur intus ab angelo. Vidi ergo in somnis *ascendentes mares super feminas,* mares, inquam, *varios et maculosos et diversorum colorum. Dixitque angelus Dei ad me in somnis : Jacob. Et ego respondi : Adsum.* Ista fuit interior collocutio, juxta quod loquitur Zacharias : Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Sic et in Evangelio scriptum est : Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Accipe puerum, etc. In somnis quippe exteriores sensus sunt clausi et quietati, et ita est homo tunc aptior ad revelationes, tanquam minus circa exteriora dispersus, et per consequens minus ab interioribus impeditus ; tuncque audit interiori auditu, quid loquatur in se Dominus Deus seu angelus ejus ; tunc quoque ratio viget potissimum in Prophetis, et in eis qui desuper illustrantur, quum tamen in aliis dormientibus propter exteriorum sensuum ligationem usus seu judicium rationis sopitum sit. *Qui ait : Leva oculos tuos* interiores, vim scilicet imaginativam et intellectivam, quia hæc visio imaginaria fuit et etiam intellectualis, quoniam angelo edocente, intellexit ipse Jacob hanc visionem ; *et vide universos masculos ascendentes super feminas, adspersos, varios,* etc. Quasi dicat : Sicut nunc vides in somnis, sic fiet in re. Verumtamen visio ista recitatur hic incomplete et breviter, et subintelligenda sunt multa. Creditur namque, quod in hac apparitione angelus docuit Jacob totum quod fecit de virgarum decorticatione et positione in aquis canalium, etc., prædixitque ei quid eveniret. Verumtamen in prima ascensione masculorum super femellas, masculi pertinentes ad Jacob erant unicolores, non varii ; sed mutata mercede, masculi diversicolores erant ipsius interdum. *Ego sum* repræsentative, non substantialiter, *Deus Bethel,* etc. : hoc est, in persona Dei qui tibi juxta Bethel

Zach. II, 3.

Matth. II, 13.

Ps. LXXXIV, 9.

A per subjectam creaturam apparuit, etiam nunc loquor et appareo tibi.

Responderuntque Rachel et Lia, sine quarum consensu et comitatione Jacob nolebat nec debebat recedere, quia maritus et conjux debent cohabitare, quemadmodum Adam prædixit, Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ : *Numquid habemus residui quidquam in facultatibus et hereditate domus patris nostri ?* quasi dicant : Nihil de cetero exspectare habemus a patre nostro, nec B aliquid restat nobis in opibus ejus, quoniam filiis suis deputavit et dabit quidquid adhuc habet ; ideo non est nobis causa manendi cum eo quando tu vis abire. *Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit :* id est, utique ita nos tradidit tibi in conjuges, quasi fuissemus ei alienæ, ejusque ancillæ, dando nos tibi nudas seu absque notabili dote aut possessione, et vendidit tibi nos pro obsequio quatuordecim annorum ; *comeditque pretium nostrum,* etc. : id est, possessiones seu C pecora, quæ ex tuo obsequio acquisivit, fuerunt victualia ejus, quod obsequium fuit pretium, pro quo dedit nos tibi quasi rem venditam.

Gen. II, 24.

Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis, scilicet undecim filiis et una filia, *ac conjugibus suis* quatuor, *super camelos, abiit.* In textu autem non exprimitur, an uxores suæ attulerunt secum pueros suos quando vocavit eas in agrum : et verius puto, quod non, et quod post præfatam collocutionem redierunt ad domum, et pue- D ros suos ac alia quædam secum portarunt, propter verba sequentia, præsertim quia paulo post subditur quod Rachel furata est idola patris sui ; nisi forte dicatur, quod Jacob in illa vocatione intimavit eis occulte cum nuntio suum propositum. *Tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat,* etc., scilicet lectos, utensilia, victualia, pecora, pecunias, servos ac famulas. *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves :* in quarum tonsione fuit occupatio longa,

Digitized by Google

et remote distabat locus ille a Jacob, quum dictum sit præcedenti capitulo, quod Laban posuit spatium trium dierum inter se et generum suum : et ita nactus est Jacob tempus magis opportunum ad fugam. *Et Rachel furata est idola patris sui,* ut occulte coleret ea, ut aliqui opinantur : quod non videtur, quia (ut patuit) assidue invocavit Deum verum pro sua fecundatione; natoque Joseph, Dei beneficium recognovit, et gratias egit Deo. Aliqui putant, quod ex cupiditate abstulit ea, quoniam pretiosa fuerunt, et ipsa patri indignabatur, quod quasi alienam vendiderat eam; et in textu habetur quod furata sit ea, sed non videtur quod fuerit tam injusta. Hinc in Scholastica historia legitur, quod ex Josepho sumptum est, quod tulit ea secum non ad colendum, quia a viro suo didicerat ea non esse colenda; sed ut confugiendo ad ea, veniam impetraret a patre suo, si deprehenderetur ab eo in via. Alii dicunt, quod tulit ea secum, quatenus patrem suum ab idololatria revocaret.

Circa hoc scribit Lyra, quod ubi nostra translatio habet, Idola, in Hebræo habetur, Theraphim : et dicunt aliqui, quod sunt imagines factæ partim per astronomiam, partim per necromantiam, quæ dant responsa. Hebræi dicunt, quod sit caput alicujus pueri primogeniti interfecti, diabolo immolati, quod præcisum salsatur, aromatibusque conditur, ut valeat diu durare, super cujus linguam ponitur nomen diaboli in aurea lamina, sicque donat responsa. Certum est tamen, quod talia non habent virtutem dandi responsa, nisi in quantum Deus permittit, ut scilicet per ea diabolus ipse respondeat : quod propter incredulitatem et vitia hominum Deus quandoque permittit. Hieronymus quoque fatetur, quod in Hebræo Theraphim habeatur, quod Aquila figuras vel imagines interpretatur; sed Rabbi Paulus affirmat, quod Theraphim in Hebræo non semper significat simulacra facta ad idololatrandum, vel ad responsa dæmonum requirenda. Nam primo Regum quo legitur, Accepit Michol sta- *I Reg.* XIX, 13. tuam et posuit in lecto, scilicet pro David, in Hebræo habetur, Accepit Theraphim ; nec est putandum quod in domo David fuerit Theraphim ad usus illos tam vitiosos, sed ad aliquas licitas repræsentationes.

Noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret. Ex hoc apparet, quod Laban habuit Jacob suspectum de fuga, et quod sciscitatus est eum inde, cui Jacob noluit suum confiteri propositum, ne impediretur a Laban. *Quumque abiisset tam ipse quam omnia quæ juris sui erant, et amne transmisso,* id est fluvio Mesopotamiæ pertransito, *pergeret contra montem Galaad,* hoc est versus montem istum, qui tamen post hæc vocatus est Galaad, ut in isto habetur capitulo, *nuntiatum est Laban die tertio, quod fugeret Jacob.* Ex quo elicitur, quod primo die quo Jacob iniit fugam, quidam cœpit ire ad Laban ad annuntiandum hoc ei, quia (ut dictum est) locus ubi filii Laban pecora sua pascebant, distabat itinere trium dierum a Jacob : et forsitan Laban fecit observari an fugeret. *Qui assumptis fratribus suis,* id est filiis et cognatis, *persecutus est eum,* etc. *Viditque in somnis dicentem sibi Dominum : Cave ne quidquam asperum loquaris contra Jacob,* etc. Hoc Deus dixit per angelum, quem Laban in somno visione imaginaria vidit in similitudine quadam humana. Vel sumitur hic, videre, pro audire, sicut in Apocalypsi : Conversus sum ut viderem vocem. *Apoc.* I, 12.

Et dixit ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres, id est me ignorante tam præcipitanter auferres, et tecum assumeres, *filias meas quasi captivas gladio?* etc., id est violenter : quod falsum erat, quia filiæ Laban sponte ac libenter abierunt cum suo marito. *Stulte operatus es,* etc., taliter fugiendo. Hoc non est verum, quoniam Deo præcipiente hoc fecit, qui et protectionem suam ei promisit : quod fecit in tantum, quod prohibuit ipsi Laban, non solum lædere aut tangere, sed etiam dure affari pium Jacob. *Esto,* id est, sit ita,

seu concedatur quod dicam ; *ad tuos ire cupiebas, et desiderio tibi erat domus patris tui,* id est, ipsos parentes tuos, eorumque domum et terram optasti videre, quod valde fuerat naturale, præsertim post annos viginti. *Cur furatus es deos meos?* Laban per propria verba pandit suam stultitiam. Etenim quales dii fuerunt, qui furto poterant tolli? et quomodo poterant custodire suos cultores, qui nequibant custodire se ipsos? *Respondit Jacob,* etc. : *Scrutare,* etc. *Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola. Quumque intrasset tentorium Rachelis :* quælibet enim uxorum Jacob habuit proprium tabernaculum, in quo cum sua sobole erat et operabatur ; *illa festinans, abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper.* Hoc verbum, abscondit, est hic præteriti temporis. Nam interim quod Laban scrutabatur tentoria Jacob et aliarum uxorum ipsius, Rachel festinanter occultavit idola sub stramentis, per quæ quidam intelligunt sellam cameli; sed incertum videtur quod sub sella poterant tegi, quamvis et ipsa desuper sedit : ideo per stramenta cameli, possunt intelligi fimus et alia quæ sub camelo ponuntur. *Scrutantique omne tentorium et nihil invenienti, ait* Rachel : *Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo, quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi,* id est, improvisa atque feminea debilitas seu fluxus menstrualis non permittit me surgere. Unde secundum Josephum, dixit naturalem purgationem sibimet imminere, et hoc fuit mendacium ad minus officiosum. *Sic delusa sollicitudo quærentis est :* quia per tam curialem et apparentem locutionem fuit deceptus.

Tumensque Jacob, cum jurgio, id est juste indignans, aut etiam motum aliquem venialiter culpabilem animositatis et iræ atque impatientiæ habens, quoniam contumeliosum fuit ita de furto impeti, reprehendi et examinari, *ait : Quam ob culpam meam,* etc., *sic scrutatus es,* etc.? *quid invenisti de cuncta substantia do-* A *mus tuæ?* id est, si aliquid de tua substantia invenisti in tabernaculis meis : *pone coram fratribus meis et fratribus tuis,* etc., hoc est coram filiis et cognatis nostris hic congregatis. *Idcirco per viginti annos fui tecum?* etc. Quasi dicat : Ingratus es beneficiis meis. *Ego damnum omne reddebam,* etc., id est, pecora furto ablata, et a bestiis devorata exigebas a me, et satisfeci tibi, ac solvi hujusmodi damna. *Die noctuque æstu urebar et gelu,* etc., id est, nunc ardore solis, nunc frigore noctis B ac hiemis affligebar, circa pecora occupatus. *Nisi Deus patris,* id est avi *mei Abraham, et timor Isaac,* hoc est Deus quem super omnia timet Isaac, de quo loquitur Isaias, Dominum exercituum sanctificate, (*Is.* VIII, 13.) ipse timor vester, et ipse tremor vester : unde ad insinuandum quam summe metuendus sit Deus, et quam specialiter timuit eum Isaac, dictum est quasi in abstracto, Nisi timor Isaac ; *affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses,* hoc est utique satis probabile.

C Circa hoc quærit Rabbi Paulus, cur Jacob distincte ait de Deo et de Abraham ac Isaac, Nisi Deus Abraham et timor Isaac. Ad quod (ut refert quidam) Hebræi respondent, quod Deus non vocatur Deus alicujus singularis personæ, quamdiu vivit in sæculo isto, quia potest mutari de bono in malum ; et Abraham jam obierat, et Isaac adhuc vixerat, quando Jacob hæc protulit, ideo ita locutus est. Sed responsio ista non valet, quum supra legatur Eliezer Abrahæ procurator, quum ivisset pro D Rebecca, dixisse : Domine, Deus domini (*Gen.* XXIV, 12.) mei Abraham, occurre hodie mihi. Deus quoque dixit Abrahæ adhuc viventi, ut sim Deus tuus, et Deus seminis tui. Elias quoque in sæculo isto frequenter locutus est, (III *Reg.* XVII, 20, 21.) Domine, Deus meus ; imo capitulo immediate sequente ait Jacob, Deus patris mei (*Gen.* XXXII, 9.) Isaac.

Respondit Laban : Filiæ meæ, scilicet tuæ uxores, *et filii, et greges tui, et omnia quæ cernis* hic pertinere ad te, *mea sunt.* Si voluit dicere Laban, quod erant sui ju-

Digitized by Google

ris atque dominii, falsum erat; si autem, quod erant sibi propinqui, seu a se et a pecoribus suis egressa, verum fuit. *Quid possum facere filiis et nepotibus meis?* Filios Jacob vocat filios suos et nepotes, quasi valde propinquos, tanquam dicat, Non possum rationabiliter eis nocere, quum sit contra jus naturale, et quia a Deo mihi prohibitum est. *Veni ergo, et ineamus fœdus,* id est pacis et amicitiæ pactum. *Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum,* hoc est, in signum et testimonium confœderationis atque concordiæ, statuit lapidem illum. *Dixitque fratribus suis,* id est filiis et consanguineis: *Afferte lapides. Qui congregantes* lapides, *fecerunt tumulum* magnum, *comederuntque super eum,* in protestationem quod essent confœderati. Vidit enim Laban Deum esse pro Jacob, propter quod non audebat ei resistere, et etiam emollitus fuit ex commemoratione beneficiorum et obsequiorum, quæ Jacob retulit se illi exhibuisse. *Quem vocavit Laban Tumulum testis,* id est tumulum qui est testis initæ pacis, *et Jacob Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ.* Jacob enim imposuit nomen Hebræum, Laban Syrum: et ambo nomina idem significant. Circa quod ait Hieronymus: Acervus, lingua Hebræa GAL dicitur; AAD vero, testimonium. Porro lingua Syra acervus dicitur JEGAR; testimonium, SYNTHA. Jacob ergo acervum illum vocavit Hebraice Galaad, Laban vero Jegarsyntha.

Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis, id est reale et mutum testimonium, *inter me et te hodie,* id est pacti quod modo inivimus, imo et de cetero erit signum fœderis hujus; *et idcirco appellatum est nomen ejus Galaad,* etc., quia Jacob tunc nomen istud imposuit illi acervo. Et adjecit Laban: *Intueatur et judicet Dominus inter nos,* id est, per effectum suæ justitiæ pandat se inspectorem operum nostrorum, si unquam post hanc horam violaverimus pactum istud, *quando recesserimus a nobis,* id est unus ab alio, *si afflixeris filias meas* injuste, *et si introduxeris alias uxores super eas,* præferendo illas filiabus meis, et eas opprimendo per illas; *nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit:* hoc est, ego ab obligatione hac ero immunis, nec aliquis hominum poterit me hujus pacti transgressorem ostendere, sed omnium cordium inspector Deus, infallibilis judex ac testis, puniet reum, qui ubique est præsens, et omnia præsentialiter intuetur. *Dixitque rursus ad Jacob,* repetendo prolata pro confirmatione dictorum: *En tumulus hic, et lapis quem erexi in signum* rei gestæ *inter me et te, testis erit,* etc.; ex quo probatur, quod etiam Laban statuit ibi lapidem aliquem grandem, in protestationem et signum verborum et operum ibi mutuo habitorum; *si aut ego transiero illum pergens ad te,* hoc est, si intentione nocendi tibi pertransiero locum istum versus te, *aut tu præterieris* illum, *malum mihi cogitans,* id est, cum proposito nocendi mihi, veneris ultra hunc locum adversus me; *Deus Abraham et Deus Nachor* fratris Abrahæ, *judicet inter nos,* castigando iniquum, *Deus patris eorum,* id est Deus Thare, qui fuit pater Abrahæ et Nachor. Dicitur autem Deus omnium, Deus Nachor et Thare, vel quia coluerunt eum, sicut et Abraham, vel saltem ratione creationis.

Juravit ergo Jacob se servaturum hoc pactum, *per timorem patris sui Isaac,* juxta sensum expositum, vel ut aliqui dicunt, et Rabbi Paulus tangit, per timorem quem habuit Isaac, quando putavit se offerendum Deo in holocaustum. Consueverunt etenim homines per terribilia quædam jurare, sicut per horam mortis suæ, aut per diem sui judicii. *Immolatisque victimis in monte* Galaad, quas obtulit Jacob Deo pro gratiarum actione, quod ita protexit se, et de mutua pace providit, poteratque Jacob tanquam sacerdos offerre privilegio et jure primogenituræ ad se devolutæ, *vocavit fratres suos,* id est filios et propinquos, *ut comederent panem,* id est cibos ibi paratos, cum gaudio epulan-

Digitized by Google

tes propter bona quæ acciderunt. *Qui quum comedissent, manserunt ibi* nocte illa. *Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas :* videlicet Rachelem et Liam, earumque filios, sed et filios aliarum duarum uxorum Jacob, ac Dinam filiam ejus, valedicendo eis cum osculo. *Benedixitque illis,* etc., imprecando eis bona juxta ritum suum, vel a Deo vero, quem Jacob, ejusque filii ac conjuges coluerunt. Et ecce infelix Laban iste, quamvis cognovit esse unum verum ac summum Deum, omnia intuentem ac judicantem, et ab eodem admonitus fuit, nihilo minus coluit idola sua ac periit, similis Samaritanis, qui Dominum timuerunt, et nihilo minus suis diis seu idolis servierunt, ut dicitur quarto Regum ; et Balaam, qui visiones Omnipotentis conspexit, et angelum sanctum frequenter corporaliter vidit, et tamen finaliter inventus est impius.

IV *Reg.* XVII, 41. *Num.* XXII.

Postremo de senio hujus Laban nunc modicum tangam, de quo probabile est, quod erat bene viginti quinque annorum aut circiter, et forsitan plus, quando Eliezer venit pro sorore ejus Rebecca, quæ per viginti annos fuit cum Isaac, antequam genuit Jacob ; qui dum venit a suis parentibus ad Laban, fuit septuaginta septem annorum, ut constat ex dictis ; deinde per annos viginti habitavit cum Laban : et ipse Laban, quando ultimo recessit a Jacob in monte Galaad, videtur adhuc fuisse robustus vir, ita quod post hoc potuit vivere diu, quamvis ignoremus quamdiu postea vixerit, sicque probatur diu vixisse.

ARTICULUS LXXVIII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : JACOB AUTEM ABIIT ITINERE QUO COEPERAT.

PROSECUTIO reversionis Jacob ad terram natalem, et solatia sibi a Deo collata, et qualiter ipse se habuit circa fratrem suum, recitantur præsenti capitulo. *Jacob autem abiit itinere quo cœperat* a monte Galaad die sequenti, cum omnibus ad se pertinentibus ibi ; *fueruntque ei obviam angeli Dei :* qui sibi obviaverunt in assumptis corporibus, ita quod sensibiliter eos vidit in illis corporibus. *Quos quum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc,* id est fortissimi milites Dei, instar castrorum prævalidi, atque ad protegendum me præparati. *Et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est castra,* ab effectu : quia videlicet angeli apparuerunt sibi ibidem, qui adversariis potestatibus terribiles sunt ut castrorum acies ordinata. Circa hoc refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod angeli qui custodiebant provinciam Syriæ, conduxerunt Jacob usque ad finem provinciæ suæ. Deinde obviaverunt ei angeli provinciæ quam consequenter intravit : quod non videtur congrue dictum, quia uni provinciæ non præest nisi unus angelus, generalem totius provinciæ curam habens. Unde in Daniele habetur de principe Græcorum, principe quoque Persarum, qui fuerunt angeli præsidentes toti regno Græcorum et toti regno Persarum, quemadmodum tunc Michael præfuit Synagogæ, qui est nunc princeps Ecclesiæ : et angeli tales sunt de tertio ordine angelorum, qui dicitur Principatus. Ipsi autem Jacob multitudo angelorum occurrit, ut Scholastica ait historia. Et si ei occurrerunt angeli custodientes provinciam, quam post Syriam introivit, quare scriptura ista non exprimit de occursu angelorum custodientium Syriam, sicut de aliorum angelorum occursu ? Verius ergo est quod dicunt doctores catholici, quod angeli illi fuerunt missi

Dan. X, 20 et 13. *Ibid.* XII, 1.

Digitized by Google

ad confortandum Jacob contra fratris sui iniqui timorem. Hinc ait Hieronymus : Jacob ad fratrem iniquum iturus, pulchre excipitur angelorum comitantium choris. Glossa quoque testatur : Multitudo angelorum quæ militia cœli vocatur, occurrit; quibus confortatus, non metuat fratrem suum, securus illorum auxilio.

Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem suum, qui erat *in* terra *Seir, in regione Edom,* etc. Quemadmodum in expositione capituli vicesimi quinti habitum est, Gen. xxv, Esau etiam appellatus est Seir et Edom, et hæc nomina Seir ac Edom, interdum sumuntur pro illa provincia in qua demoratus est Esau, et ita nunc accipiuntur, estque idem in re, terra Seir et regio Edom. *Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes : Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat in occursum tuum* frater tuus *cum quadringentis viris.* Jacob misit nuntios ad Esau, ad explorandum animum ejus, atque ad captandum benevolentiam ejus ; et ut in Scholastica habetur historia, nuntii redeuntes dixerunt ad Jacob, quod frater suus occurreret sibi pacifice. *Timuit Jacob valde.* Mirum quod vir iste tam virtuosus, post promissionem factam sibi a Deo, Ero tecum, etc., et post intuitum angelorum ad ipsius auxilium paratorum, timuit tantum hominem pravum. Ad quod aliqui dicunt, quod timuit, non de Dei promissione et angelorum ope diffidens, sed more hominum perturbatus : quibus objici potest, quod talem perturbationem debuit virtutum constantia, fidei robur, certitudoque spei prævenire atque excludere. Alii dicunt, quod Jacob formidavit se Deum offendisse, diu habitando cum Laban idololatra : quibus rursus objicitur, quod post illam habitationem Deus dixit ei, ut rediret ad terram nativitatis suæ, et quod esset cum ipso, et post omnia illa apparuerunt ei angeli jam præfati. Arbitror ergo dicendum, quod Jacob vir a Deo sublimiter illuminatus, sciom. xi, 33. vit quod judicia Dei sunt incomprehensibilia et occulta, et quod Deus permittit justos ab impiis in hac vita multipliciter tribulari, quod item divinæ promissiones variis modis possunt intelligi : quamvis ergo non formidavit de finali adjutorio Dei, timuit tamen ad tempus a fratre perverso affligi. Ideo loquitur Augustinus : Quæri potest, quomodo Jacob fidem habuit in promissis Dei : sed fieri potuisset ut Esau tabernacula ejus everteret, et tamen post illam eversionem Deus ei rursus adesset, et sua impleret promissa. Quo exemplo monemur, ut quamvis credamus in Deum, tamen faciamus quæ facienda sunt, in salutis nostræ præsidium. Aug in Genesim, q. cii.

Et perterritus, divisit populum qui secum erat, greges quoque pecorum, videlicet asinorum et caprarum, *et oves et boves et camelos, in duas turmas,* ita quod duæ erant turmæ hominum, et duæ pecorum : atque in prima turma erant Bala et Zelpha cum filiis suis ; in secunda et posteriori turma erant Lia cum filiis suis et filia sua Dina, et Rachel cum Joseph, sic tamen, quod Rachel et Joseph tanquam cariores ipsi Jacob, fuerunt in extremitate secundæ turmæ ; *dicens : Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam,* videlicet primam turmam, *alia turma quæ reliqua est, salvabitur.* Quasi dicat, Esau satiatus sanguine primæ turmæ, parcet secundæ : et ista ex causa Jacob fecit has turmas, ne omnes simul occiderentur ab Esau. Itaque quamvis Jacob speravit in Domino, fecit tamen quidquid potuit per humanam industriam. Propter quod dicit Glossa interlinearis : Imminente periculo, faciamus quod habet humana ratio, ne totum Deo committentes, ipsum videamur tentare.

Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, Revertere in terram tuam, etc., *et benefaciam tibi : minor sum,* id est indignus, *cunctis miserationibus tuis* mihi impensis seu impendendis, *et veritate tua quam explevisti servo tuo,* hoc est vera et reali exhibitione beneficiorum tuorum. His quippe erat Jacob indignus, considerando eum secundum naturalia sua tantum, per quæ non meruit eadem de condigno. *In*

Digitized by Google

baculo meo transivi Jordanem istum, id est cum baculo, utpote sine uxore et liberis, quodammodo solus, sine cognatis, solo meo baculo sustentatus : de cujus verbi intellectu dictum est in expositione capituli vicesimi noni ; *et nunc cum duabus turmis* hominum et pecorum *regredior.* Quasi dicat : Tu qui tanta bona mihi fecisti, noli me modo derelinquere. *Erue me de manu Esau,* etc. Mirum videtur, quod Jacob sciens sibi promissum a Deo totum quod in textu isto commemorat, tam ferventer oravit pro impletione eorum. Et respondendum, quod merito sic oravit, quoniam Deus sic præordinavit electis suis bona conferre, ut tamen velit eos talia orando et laborando acquirere, ita quod media obtinendi gratiam in præsenti, et gloriam in futuro, cadunt sub providentia Dei. Hinc dicitur, quod prædestinatio Dei precibus electorum juvatur, quia prædestinationis effectus orando obtinetur. Itaque Jacob, ne totum opus suum humano consilio tribuat, orationem adjungit : in cujus oratione apparent humana infirmitas et fidei pietas ; sicque oravit, quod spem suam moderabatur timore, et timorem suum spe consolabatur, suo nos docens exemplo, ut nobis ipsis ac domesticis rationabiliter consulamus, et tamen Dei auxilium invocemus.

Quumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, hoc est de suis pecoribus, *munera Esau fratri suo,* ut eum placaret per ea, *capras ducentas,* etc. : non viliora, sed pulchriora et cariora pecora diversorum generum, abstraxit de gregibus. *Et misit per manus servorum,* etc., unumquemque gregem ejusdem speciei seorsum, ita quod fuit spatium inter gregem et gregem, quatenus Esau ex munerum oblationibus magis et magis mitigaretur. *Dixit enim* ipse Jacob : *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo illum,* etc. Secundum Glossam, istud interpositum est a scriptore, id est libri hujus auctore. Non est enim viri prudentis sua secreta detegere, sicque his cum

A quibus agitur, suspectum se facere. Itaque Jacob dixit istud in corde suo, et ex cogitatione hac fecit hanc munerum præmissionem. *Ipse vero mansit nocte illa in castris,* id est in uno tentoriorum suorum. *Quumque mature,* id est ante diluculum, et cum ingenti provisione, nil faciens sine consilio, *surrexisset, tulit duas uxores suas et totidem famulas,* quæ etiam erant ejus uxores, *cum undecim filiis* et cum filia una, *et transivit vadum Jaboc,* id est torrentem seu flumen sic dictum, de quo
B aliqui putant quod fuit Jordanis, et vitio scriptoris pro Jacob scriptum sit Jaboc. Alii probabilius dicunt, quod fuit alius fluvius. Infra enim habetur, quod Jacob post hæc venit in Phanuel et Socoth, quæ sunt loca ultra Jordanem, ut fertur, quamvis istud non multum convincat. Sed auctoritas quædam testatur, secundo milliari a Jordane in finibus Idumææ esse Jaboc, quem transvadavit Jacob.

Traductisque omnibus, etc., remansit solus in ripa fluminis, ut orationi meditationique
C purius stabiliusque vacaret, et de agendis deliberaret. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Ex hoc constat, quod luctatio ista fuit in nocte, et quod Jacob mansit in ripa illa per diem seu partem diei et noctem. Denique, secundum Augustinum, vir iste luctans cum Jacob, id est contra Jacob, fuit angelus bonus in specie viri apparens, qui cum Jacob de Mesopotamia venit ; et aliqui dicunt, quod fuit angelus tunc a Deo specialiter missus ad confortandum et consolandum Jacob, qui
D fratrem suum valde extimuit. Sed cur angelus iste luctabatur cum Jacob ? Dicunt quidam quod ideo, quoniam Jacob aliqualiter immoderate timuit fratrem suum, non satis confidens in Domino, qui adsistentiam suam ei promisit, neque in adjutorio angelorum quos vidit : ideo angelus iste finxit se velle a Jacob recedere, ipse vero orationis suæ instantia ac fervore conabatur eum secum tenere : qui conatus vocatur luctatio. In fictione autem illa angelica non fuit falsitas aliqua, quia vere signifi-

Digitized by Google

cavit quod mens Jacob aliqualiter recessit per diffidentiam suam a Deo. Unde et Christus post resurrectionem suam cum discipulis ambulans, finxit se velle longius ire. Alii dicunt, quod luctatio ista non fuit propter culpam Jacob, sed quia ipse Jacob desideravit aliquid spiritualis gratiæ obtinere, in quo angelus noluit eum faciliter exaudire, ad innuendum quod majora gratiarum charismata quandoque difficilius obtinentur a Domino.

(*uc.* xxiv,)

Præterea quæritur, qualis fuerit ista lucta, et dicunt quidam, quod spiritualis dumtaxat. Ait enim Hieronymus super Isaiam: Oratione, non manibus, luctabatur Jacob cum angelo, qui eum custodierat in peregrinatione, et volebat eum relinquere ad cœlum volando, sed Jacob oratione benedictionem obtinuit. Alii dicunt, quod fuit non solum spiritualis, sed etiam corporalis seu manualis, quia paulo post subditur, quod angelus tetigit nervum femoris ejus. Sed quidquid sit de veritate hujus opinionis, argumentum hoc faciliter solveretur, dicendo quod ille fuit tactus virtutis, non manus aut corporis: solo enim virtuali influxu et potestatis suæ contactu potuit angelus hoc, imo et multo majora efficere.

(Hieron. p. Isaiam, i, 49.)

Qui quum videret quod eum, scilicet ipsum Jacob, *superare non posset*, loquendo de potentia ordinata, id est, quod non deceret, ut ipsum Jacob tam ferventer orantem abjiceret sive relinqueret, juxta quem modum supra Dominus ait ad Lot: Non potero facere quidquam quousque ingrediaris illuc. De Christo quoque in Evangelio scriptum est, quod non poterat ibi virtutem aliquam facere, propter incredulitatem illorum. Unde quidam exponunt sic: Qui quum videret quod eum superare non posset, id est non vellet, et ita in hoc fuit rursus fictio quædam, non falsa, sed dispensativa et figurativa: quia per hoc quod angelus finxit se non posse vincere Jacob, insinuavit quod Esau frater ejus eum superare non posset, imo quod populus nasciturus ex Jacob, superaturus esset posteros Esau, ut tempore David impletum est. Rursus dicitur angelus non potuisse superare Jacob, quia non potuit ei persuadere, ut ab invocatione et petitione benedictionis cessaret, et per modum impotentis ad superandum se habuit. *Tetigit nervum femoris ejus,* utpote latum nervum, seu locum nervosum illius, ex quo vis motiva et progressiva aliquo modo dependet; *et statim emarcuit,* vim suam perdendo, et aruit. Dicuntque aliqui, quod angelus intulit Jacob illam punitionem pro culpa nimiæ formidinis et aliqualis diffidentiæ suæ. Alii dicunt, quod non pro culpa aliqua ipsius Jacob fecit hoc angelus, sed propter figurativam et mysticam rationem, puta ad insinuandum, quod posteritas Jacob ex femore ejus egressura, esset aliquando lædenda et deprimenda a posteris Esau, non obstante quod primogenitura fuit Jacob collata: et istud (ut Rabbi Paulus refert) dicunt quidam Hebræi doctores, quod probant per hoc, quoniam infra habetur, quod filii Israel non comedunt nervum qui emarcuit in femore Jacob. Nempe si pœna illa accidisset Jacob pro culpa sua, pertinuisset solum ad personam ipsius, et ita propter eam non abstinuissent posteri ejus a nervi comestione.

(*en.* xix, 22.) (*latth.* xiii, 3.) (II *Reg.* viii, 14.)

Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora; quasi dicat: Hora jam imminet, in qua oportet te circa temporalia occupari, et me insistere laudibus Dei. Aliqui autem dicunt, quod angelus ideo dixit hoc, quia alii non fuerunt digni eum in humana illa effigie sensibiliter intueri. Sed dicendum, quod angeli in assumptis corporibus exhibent se visibiles quibus volunt, ita quod etiam a præsentibus videri non queunt, nisi a quibus volunt. *Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,* imprecando et ministerialiter impendendo mihi dona gratiæ et subventionis optata. Nec Jacob ita loquendo fuit inobediens angelo, sed ex caritatis fervore et sancta devotione hoc dixit. Nec angelus præcipiendo dicebat, Dimitte me; sed hortando, et hoc secundum unam consi-

Digitized by Google

derationem rationabiliter hortabatur, quia aurora instabat. Jacob vero ex alia consideratione rationabiliter dixit, Non dimittam te, etc. Sed cur angelus ait, Dimitte me, qui invito Jacob volebat abire, aut quasi ligatus seu detentus fuisset a Jacob? Respondetur, quod Jacob sua humilitate, caritate, devotione et oratione detinuit angelum : idcirco non decuit angelum invito Jacob disparere. Et quid mirum istud de angelo, quum Dominus locutus sit Moysi, Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos? *Exod.* XXXII, 10.

Ait ergo angelus ad Jacob : *Quod nomen est tibi?* Non ex ignorantia hoc quæsivit, sed ut ex responsione Jacob quam præscivit, aptius inferret quod intendebat. *Respondit : Jacob* mihi est nomen. *At ille : Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum,* id est, non solum vocaberis Jacob, ut hactenus, *sed Israel,* hoc est, etiam Israel appellaberis. Cujus nominationis ratio seu interpretatio subditur : *quoniam si contra Deum fortis fuisti,* id est, quia angelum in Dei persona tibi apparentem vicisti, juxta expositionem præhabitam, *quanto magis contra homines prævalebis ?* hoc est, a fratre tuo non superaberis, neque ab aliis ; imo potius in posteris tuis victurus es Idumæos ac alios. De hujus nominis Israel interpretatione scribit Hieronymus : Josephus putat Jacob ideo Israel appellatum, quoniam contra Deum stetit, ita quod Israel interpretatur stans contra Deum, seu reluctans contra angelum. Ego autem hoc in Hebræo invenire non potui; sed etymologiam hujus nominis angelus posuit, dicens : Quoniam si contra Dominum fortis fuisti, etc. ; sicque Israel interpretatur, princeps cum Deo. Quasi angelus dicat : Sicut ego sum princeps, ita et tu. Quod autem in libro Nominum Hebraicorum Israel interpretatur, vir videns Deum, non tam vere quam violenter interpretatum videtur. Hæc Hieronymus.

Interrogavit eum Jacob : Dic mihi, quo appellaris nomine? Hoc Jacob quæsivit, ut

A in divinorum cognitione proficeret, atque ut angelum istum proprio nomine invocaret ac honoraret. Unde in Judicum libro, pater Samsonis ait ad angelum : Quod tibi nomen est? ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te. *Judic.* XIII, 17. *Respondit : Cur quæris nomen meum?* quasi dicat : Nimis altum est tibi, quia angelorum naturam, quantum ad speciem specialissimam, aut non, aut valde difficulter potest homo in hac vita cognoscere : imo juxta Philosophum, sicut oculus noctuæ se habet ad lumen solis, ita

B intellectus humanus ad manifestissima naturæ, hoc est ad intelligentiarum notitiam. Aliqui vero dicunt, quod ideo angelus dixit, Cur quæris nomen meum? quoniam nomina angelorum qui foris mittuntur, mutantur juxta diversa obsequia ad quæ explenda mittuntur : sicut angelus missus ad purgandum labia Isaiæ, vocatus est Seraph, ex effectu inflammationis, quum tamen non esset de ordine Seraphim, juxta doctrinam divini Dionysii de Ecclesiastica hierarchia : quod quamvis sit verum, attamen *Is.* VI, 6. 7.

C angeli saltem nonnulli, aliqua habent nomina fixa, ut Michael, Gabriel, etc.

Et benedixit ei in eodem loco. Forma autem hujus benedictionis non exprimitur in hoc textu ; sed aliqui dicunt, quod prætacta mutatio nominis Jacob, et interpretatio cur Israel diceretur, fuit benedictio qua angelus ipsum Jacob benedixit, conferendo ei dona optata dispositive seu imprecative. *Vocavitque Jacob nomen loci illius,* in quo contigit istud, *Phanuel,* quod interpretatur facies Dei, quoniam vidit ibi

D faciem ejus. Propter quod subditur : *dicens : Vidi Dominum facie ad faciem,* id est clare ac facialiter, non in ipsa deitatis incomprehensibili invisibilique natura, quum scriptum sit : Non videbit me homo, et vivet. Et, Deum nemo vidit unquam. *Exod.* XXXIII, 20. *Joann.* I, 18. Sed ideo dixit hoc Jacob, quoniam oculo exteriori vidit clare angelum in forma humana, qui sibi in persona Dei apparuit atque locutus est. *Et salva facta est anima mea,* id est, a pristino timore humano erepta, et confortata in Domino,

Digitized by Google

imo et in spe æternæ salutis firmata. *Ortusque est ei statim sol postquam transgressus est Phanuel,* hoc est, mox ut recessit a loco, quem Phanuel nominavit, facta est clara dies. *Ipse vero claudicabat pede,* ex arefactione nervi præfati. Expedita namque ambulatio dependet ex multis, videlicet vi motiva, rectitudine tibiæ, vivacitate nervorum, etc. *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob,* id est nervum femoris, similem nervo qui in femore Jacob obstupuit, et insensibilis factus est : similem, inquam, quantum ad hoc quod est esse nervum femoris, quamvis aliunde ab illo differat, non numero tantum, sed specie quoque; aliorum vero usum nervorum non vitant. Porro in Scholastica historia legitur, quod primo ipsemet Jacob proposuit non comedere de cetero nervum, et id ipsum posteritas ipsius observat : et forte Jacob proposuit hoc in memoriam rei gestæ, et propter mysticam significationem ejus prætactam; posteritas vero Jacob hoc observavit, sectando patris sui exemplum, eumque honorando, et in rei gestæ memoriam.

Præterea de hoc sancti Jacob luctamine cum angelo, scriptum est in Osee : In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum ; flevit, et rogavit eum. Ex quibus elicitur, quod Jacob cum fletu deprecatus est angelum, quamvis Hebræi juxta consuetudinem fabularum suarum inanium, dicunt quod angelus qui luctabatur cum Jacob, fuit angelus Esau, cupiens Jacob impedire ab ingressu terræ promissionis, et consecutione primogenituræ ac benedictionum sibi ab Isaac præscitarum, et quod Deus contulit tantam fortitudinem ipsi Jacob, quod angelum illum vicit, in tantum quod angelus victus flevit, et flendo rogavit ipsum Jacob dilationem de obtinendo dominio, seu primogenitura et eminentia super Esau. Quorum omnium falsitas innotescit ex hoc, quod angelus Esau ex divina revelatione et ex rebus gestis cognovit, quod Jacob fuit a Deo ad primogenituram electus, et quod Esau fuit iniquus, ac primatu super Jacob indignus : idcirco noluit divinæ præordinationi taliter reluctari. Perfecta quoque angelorum beatitudo, excludit ab eis omnem miseriam, pœnam, mœrorem, ac fletum.

Osee XII, 3, 4.

ARTICULUS LXXIX

DE INTELLECTU SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI SECUNDI.

JACOB *autem abiit itinere quo cœperat.* Per Jacob vir christifidelis designatur, qui dum in via virtutum stabiliter perseverat ac proficit, abit itinere quo cœpit, cui obviam sunt angeli Dei, qui ad ejus auxilium sunt parati, de quibus
IV Reg. VI, 16. loquitur Eliseus : Plures nobiscum sunt quam cum illis, puta iniquis. Hos angelos homo fidelis fide intuens, nominat castra Dei, de quibus spiritualiter accipi potest
Joel II, 11. illud Joel : Multa sunt nimis castra Dei fortia, et facientia verbum ejus. *Misit autem nuntios ante se ad Esau fratrem suum.* Per hoc insinuatur, quod homo virtuosus conatur in bono vincere malum, et non solum eos quos ipse injuste offendit, sed hos quoque qui prorsus injuste contra eum moventur, nititur mitigare, reconciliareque sibi : quod si non potest per se ipsum peragere, studet hoc per alios facere. Timuit autem Jacob Esau valde, quoniam boni metuunt improbitatem pravorum, magis ne ipsi sua improbitate Deum offendant, seipsosque perdant, ac alios scanda-

Rom. XII, 21.

Digitized by Google

lizent, quam ne noceant ipsis bonis, quibus A nulla nocet adversitas, imo et plurimum prodest illata injuria, dummodo eis non dominetur propria iniquitas, ira, impatientia, aut similis culpa. Verumtamen nullus debet viribus suis ita confidere, ut cesset divinæ pietatis opem incessabilem invocare, ne a fratre suo seu proximo suo lædatur, hoc est, ne ex his quæ videt in aliis, aut quæ suffert ab eis, ad ullum moveatur peccatum, ne aliquem temerarie judicet aut contemnat, aut irrationabiliter indignetur vel contristetur; sed in omni even- B tu firmiter stet fixus in Domino, quia non
Prov. XII, 21. contristabit nec perturbabit justum quidquid ei acciderit.

Denique Jacob fecit duas turmas, hoc est, aciem virtutum moralium, aciemque virtutum theologicarum parat fidelis contra malitias perversorum, ut si læsus fuerit in aliqua virtute morali, peccando per iram, impatientiam, aut mœrorem, reliqua turma salvetur, id est, fides, spes, caritas maneant inviolatæ, et per eas damnum animæ suæ recuperet, ad Deum per eas confugiendo, C veniam postulando, seque deinceps diligentius custodiendo. *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*. Per Jordanem, flumen lacrimarum et saluberrimarum compunctionum accipitur : quod Christifidelis in baculo suo pertransit, quando divinæ pietati per spei suæ sustentationem innitendo, ad spiritualem profectum et complementum præfatarum virtutum per compunctionem et fletum perducitur. Amplius, quod Jacob per munera nisus est iram fratris sui D exstinguere, docet nos, quod orando et spiritualia aut etiam corporalia beneficia impendendo, debemus irascentium et invidentium ac adversantium passiones, aversiones, ac vitia pro viribus exstirpare. Mu-
Ibid. XXI, 14. nus enim absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam ;
Ibid. XVI, 7. atque ut iterum Salomon protestatur, Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem.

Per hoc demum quod Jacob uxores suas ac filios transduxit per vadum, innuitur quod vir bonus pertinentes ad se, seu subditos sibi, per evenientes adversitates, tentationes et persecutiones, studet ad tranquillitatem, pacem et devotionem suavem perducere. Ipse vero permanet solus, ut Deo simplicissimo expeditius vacet; et ibi luctatur cum Deo ac angelo, dum opportune et importune orando ac laborando, conatur aliquid singularis gratiæ ac virtutis a Domino extorquere, quamvis frequenter ac diu videatur repelli, seu non exaudiri. Quumque frequenter per contemplationem ad Deum se elevat, et rursus ex humana fragilitate evagando infra dilabitur, laboriosum exercet luctamen ; nec Deum dimittit, nisi benedicatur ab eo, concupitam mentis in Deo stabilitatem adipiscendo, ita ut dignus sit, Israel, hoc est vir Deum per fidem et sapientiæ donum contemplans, vocari : quo facto, consolatur eum Altissimus, quod non superabit eum humana malitia, seu aliorum improbitas. Tangit quoque nervum femoris ejus, dum concupiscentias carnis, et pronitatem ad vitiorum itinera in ipso mortificat. Locum autem in quo vir contemplativus tanta a Deo consequitur bona, videlicet ecclesiam, cellam, aut aliud quodcumque secretum, nominat Phanuel : quia in eo contemplatus est faciem Dei, hoc est gratiosam præsentiam ejus, viditque eum facie ad faciem, non per speciem, sicut in patria, sed per mysticam theologiam aut anagogicam visionem, sicut testatus est Paulus : Nos autem II Cor. III, 18.
revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Et tunc salva fit anima a prioribus malis, et Deo familiaris atque carissima redditur; oriturque in ea Sol justitiæ; atque ad ea quæ carnis et mundi sunt, claudicat, sed in via justitiæ recte progreditur.

Postremo, secundum Augustinum, et ut Aug. de Civit. Dei, XVI, 39.
plenius tangit Isidorus, per virum qui luctabatur cum Jacob, et se ab eo vinci sponte permisit, intelligitur Christus, qui se a posteritate Jacob, quæ nunc per Jacob si-

Digitized by Google

gnificatur, † sivit voluntarie crucifigi, atque per suæ meritum passionis etiam his a quibus occisus est, benedictionem promeruit, pœnitentibusque largitus est, ita quod facti sunt veri ac spirituales Israelitæ, qui ante fuerunt carnales Judæi.

ARTICULUS LXXX

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI TERTII : ELEVANS AUTEM JACOB OCULOS SUOS, VIDIT VENIENTEM ESAU.

OCCURSUS Jacob electi et Esau reprobi, nunc narratur. *Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau,* etc.; *divisitque filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum ; et posuit utramque ancillam et liberos earum in principio, Liam vero et filios ejus in secundo loco,* in quo etiam Dina filia Liæ fuit; *Rachel autem et Joseph novissimos.* Quemadmodum enim præhabitum est, Jacob divisit istos in duas turmas, ita quod Bala et Zelpha cum filiis suis erant in prima, Lia autem et Rachel cum sobole sua in turma secunda, sic tamen, quod Rachel et Joseph erant in extremitate turmæ secundæ. Unde in Scholastica fertur historia, eos errare qui dicunt Jacob fecisse tres turmas. Porro de causa hujus divisionis et collocationis, dictum est præcedenti capitulo. *Et ipse* Jacob *progrediens,* id est, duas turmas præfatas præcedens, ut fratrem offensum placaret, ne uxoribus suis ac filiis infligeret malum, *adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Cœpit etenim eum adorare a remotis ; et quum semel adorasset illum, surrexit ; paululumque progrediens, adoravit secundo ; ac denuo surgens, et parum procedens, adoravit tertio : sicque usque ad septimam adorationem, quam exhibuit juxta Esau fratrem suum, quatenus tam frequenti et magna humiliatione fratrem suum provocaret ad pietatem. Nam quamvis Deus promisit ipsi Jacob protectionem, ipse tamen fecit quod in se fuit. Intelligenda quoque sunt hæc de adoratione duliæ, quæ excellentibus exhibetur personis, qualis fuit et Esau, tanto vallatus exercitu, multisque præsidens. Et quod dicitur pronus in terram adorasse, quidam exponunt, quod capite inclinato hoc fecit. Glossa autem interlinearis dicit, quod genua flexit. Litteræ tamen magis consonum reor, ut toto corpore in terram prostrato, hoc fecisse dicatur, præsertim quia consuetudo Scripturæ est, ut per hoc quod dicitur absolute, Pronus in terram, designetur talis prostratio, et quoniam Jacob volebat se maxime humiliare.

Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum, scilicet Jacob fratrem suum. Dicunt quidam, quod ordinante cooperanteque Deo, cor Esau de ira et indignatione ad pietatem et fraternum amorem mutatum sit. Cor enim hominum in *Prov.* xxi, 1.
manu Dei est; et quocumque voluerit, vertet illud : estque proprium Deo, in ipsam hominis voluntatem immediate agere, et illud ad libitum immutare. Alii dicunt, quod Esau jam ante oblitus fuit injuriæ, quam aliquando reputavit sibi a Jacob illatam, et quod venit obviam non ad lædendum, sed ad suscipiendum ipsum Jacob pacifice ac honeste. *Et appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt,* etc., id est, profunde inclinaverunt ipsi Esau ; *extremi Joseph et Rachel adoraverunt,* adoratione duliæ. Sed quæri potest, qualiter Joseph adhuc infantulus potuit adorare. Et respondendum, quod Joseph jam erat qua-

Digitized by Google

si septennis, quoniam natus est quartodecimo anno servitii quo Jacob servivit Laban, post quos adhuc servivit eidem sex annis; quibus elapsis, recessit : sicque poterat Joseph a parentibus informari, ut inclinaret suo avunculo Esau. *Dixitque Esau : Quænam sunt istæ turmæ, quas obviam habui?* Hoc interrogavit de servis et pecoribus quos Jacob præmisit per ordinem. *Respondit* Jacob : *Ut invenirem gratiam coram domino meo,* etc., hoc est, ad me pertinent, et præmisi eas, ut dignareris pecora ista pro munere de mea manu accipere, quatenus per hoc tibi acceptus fiam, et pietatem tuam promerear, cui quasi domino me sponte subjicio.

Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. Circa hoc loquitur Augustinus : Utrum verba animi Jacob paventis ac perturbati usque ad hanc adulationem proruperunt; an sine peccato dici potuerunt? Et forsan, quod imo : quia et dii gentium dicti sunt, qui dæmonia appellantur, et Apostolus ait, Siquidem sunt dii multi et domini multi; maxime quia in Græco dictum est sine articulo, quo evidentissime solet verus Deus significari : quod facile capiunt qui Græcum intelligunt. Est itaque sensus : Vidi te cum ingenti reverentia, quasi quemdam deum, eo modo quo judices et prælati dii vocantur, juxta illud : Diis non detrahes. Et Moysi dictum est : Constitui te deum Pharaonis. *Esto mihi propitius, et suscipe benedictionem,* etc., id est dona et encænia quæ attuli. *Vix a fratre compellente suscipiens,* etc., id est, Esau dona ista vix capiens ex instantissima et quodammodo importuna prece ipsius Jacob. *Dixitque Jacob,* etc. *Sequar paulatim vestigia ejus,* scilicet Esau, *sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir,* etc. Hoc dixit Jacob, ut persuaderet fratri suo Esau, quod præcederet eum, asserens se velle eum sequi morose. Non enim fuit libenter diu cum Esau, ne forte Esau inciperet recordari præteritorum quæ Jacob fecerat ei. Verumtamen Jacob non sequebatur eum usque in Seir, vel quia ex meliori deliberatione mutavit propositum, vel occurrit ei aliunde obstaculum. Potest tamen a mendacio excusari, dicendo quod intendebat eum sequi, quando protulit verba hæc. *Hoc uno tantum indigeo,* id est, inter ea quæ tu mihi impendere potes, et quæ ego a te cupio, hoc solo indigeo, *ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.* Quasi diceret : Non cupio tuas divitias, neque honorem, neque comitatum, sed bonum favorem.

Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir, id est in terram Edom seu Idumæam, a nomine suo sic appellatam; tamen aliqui dicunt, quod Seir sit hic nomen villæ, in qua Esau habitavit, et eam suo nomine nuncupavit. *Et Jacob venit in Socoth,* ad urbem sic dictam. Unde Hieronymus scribit : Socoth usque hodie civitas est trans Jordanem, de qua in libro Judicum legitur : Locutus est Gedeon ad viros Socoth. Dicit quoque Hieronymus, quod Socoth interpretatur tabernaculum. Hinc Jacob imposuit nomen hoc urbi illi, quoniam ipse fixit ibi tabernacula sua, sicut subjungitur. *Ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavit nomen illius Socoth, id est tabernacula.* Sed quare ædificavit ibi domum, quum soleret in tabernaculis seu tentoriis et papilionibus commorari? Ad hoc, ut Lyra refert, respondent Judæi, quod per annum cum medio habitavit ibidem, ideo fecit etiam domum ibi. *Transivitque in Salem urbem Sichimorum,* etc. Circa hoc quærit Hieronymus, quæ fuerit ista urbs nomine Salem, ad Sichimos pertinens, quum Jerusalem, in qua regnavit Melchisedech, ante vocata sit Salem. Ad quod respondet, quod vel utraque civitas idem nomen sortita est : quod de aliis multis Judææ locis et oppidis invenitur, quod scilicet idem nomen loci et urbis, in alia et alia tribu est. Aut Salem, de qua nunc sermo, interpretatur perfecta seu consummata; alia vero, puta Jerusalem, interpretatur pacifica. Tradunt enim Hebræi, quod femur claudicantis Jacob, in

Ps. xcv, 5. 1 Cor. viii, 5. Exod. xxii, 28. Ibid. vii, 1. Judic. viii, 5.

Digitized by Google

Salem urbe Sichimorum sanatum sit : ideoque urbem illam esse Salem vocatam, quæ etiam dicta est Sichem, ita quod erat binomia. Et apud Joannem (Joann. III) dicitur Salim, et istud verius æstimatur, quam quod Lyra refert, dicendo : Secundum Hebræos, Salem non est hic nomen proprium civitatis, sed nomen commune, significans integritatem seu pacem, ut sit sensus : Transivit Jacob salem, hoc est integer atque pacificus, in urbem Sichem, quia videlicet nihil de rebus suis amisit in via. *Et habitavit juxta oppidum* illud. Et dicit quidam, quod noluit habitare in urbe illa, quia idololatræ habitabant in ea. Verumtamen certum est, quod Jacob et etiam Abraham et Isaac, sæpius commorati sunt in urbibus idololatrarum ; imo Jacob viginti annis habitavit cum Laban idololatra. Fortassis autem magis conveniebat ipsi Jacob, juxta urbem illam quam in ea morari, propter pecora sua. *Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula,* id est tentoria sua juxta urbem præfatam, *a filiis Hemor patris Sichem :* qui Hemor fuit rex Sichimorum, et pater viri nomine Sichem, a quo Sichimi seu Sichimitæ vocati sunt ; *centum agnis.* Circa hoc dicit Lyra : Hebræi dicunt, centum obolis : ex quo concludit, Ideo nostra translatio deficit, aut dictio Hebraica est æquivoca. Ad quod dicendum, quod conclusio illa, quantum ad primam ejus partem, non valet ; quoniam magis credendum est sancto Hieronymo, quam Hebræis. Tamen si verbum illud Hebræum æquivocum est ad agnum et obolum, non magis habetur in Hebræo, centum obolis, quam centum agnis. Divitiæ autem antiquorum pecora erant ; idcirco frequenter emerunt per pecora, sicut nunc per pecunias : propter quod a pecus pecunia nomen sumpsit, ut asserit Augustinus, et in Decreto habetur. *Et erecto,* id est constructo, *ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel,* id est, orando obtulit super altare hoc hostias omnipotenti Deo Israelis, videlicet sui ipsius, qui Israel est vocatus, seu suæ posteritatis, quæ sæpe hoc nomine designatur. Et recte nunc dicitur, Fortissimum Deum Israel, quoniam Deus omnipotentiam suam demonstravit in Jacob, protegendo eum a Laban et Esau, ceterisque adversis : quod et Jacob recognoscens, sacrificavit ei ibi cum gratiarum actione devota.

Itaque sancti hujus Patriarchæ exemplo discamus nos ipsos in omnibus humiliare, nec aliquis de sua quasi virtuositate, sapientia et electione præsumens, alteri se præponat, aut offensum placare ac veniam petere dedignetur, quum Jacob, qui tot habuit revelationes, cui et factæ erant tot et tantæ a Deo promissiones, quam profundissime atque sæpissime humiliaverit se coram reprobo fratre ; nec bono caritatis et pacis aliquid præferamus, imo ob ea libenter despiciamus seu aliis condividamus transitoria bona, quæ et Jacob quam liberalissime ac promptissime præstitit suo fratri desiderio amicitiæ atque concordiæ.

ARTICULUS LXXXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI QUARTI : EGRESSA EST AUTEM DINA FILIA LIÆ.

CAPITULO nunc elucidando describitur, quid contigerit ipsi Jacob, ac soboli ejus circa Sichimitas. *Egressa est autem Dina filia Liæ* et ultima proles ejus, *ut videret mulieres regionis illius.* Mulieres quippe naturaliter leves sunt animo et curiosæ. Unde libenter vident aliquid novi, quum tamen deceat esse eas valde pudicas

Digitized by Google

et taciturnas, ac domi manere, quantum congrue fieri potest, præsertim virgines atque juvenculas. Egressa est itaque Dina ex domo parentum, et introivit præfatum oppidum Sichimorum, juxta quod habitavit; atque ut Josephus refert, tunc erat solennitas illa in urbe, et Dina sola transivit illuc ad emendum ornamenta mulierum terræ illius, et forsitan ad videndum ornatus et mores, festa ac gestus civium loci illius. *Quam quum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius.* Sichem iste fuit primogenitus ipsius Hemor, qui pro tunc fuit rex et princeps urbis illius, et quorumdam circumjacentium locorum : sicque Sichem non fuit adhuc princeps terræ illius, nisi in quantum hereditario jure successurus fuit patri suo in principatu. Vel forsitan pater suus jam ei commisit quædam dominia. Dicitur autem Hemor Hevæus, quoniam fuit de stirpe Hevæi, qui fuit filius Cham filii Noe, ut dictum est supra. *Adamavit eam* amore libidinoso ac prædominante, *et rapuit* eam violenter, adjutorio suorum servorum, et forte per eos; *et dormivit cum illa,* cognoscendo ipsam carnaliter, *vi opprimens virginem,* id est eam quæ virgo fuit antequam taliter cognosceretur : et ita in fornicatione illa fuit raptus et stuprum, utpote violentia et violatio virginis. *Et conglutinata est anima ejus cum ea,* id est, amore intensissimo (qui amor ἔρως appellatur) ei adhæsit; qui amor est pessimus, subjiciens hominem carni totaliter, ita ut vix valeat aliud cogitare, nisi quod taliter amat, multaque mala sequuntur ex eo; *tristemque delinivit blanditiis,* etc., hoc est, blandis ac dulcibus verbis conatus est consolari ac mitigare Dinam, de sua injuriatione et constupratione mœrentem, quia et parentum ac fratrum suorum metuebat indignationem atque offensam; doluit quoque de hoc, quod a juvene idololatra et incircumciso cognita fuit. Denique probabile est, quod Sichem dixit ad eam : Ego sum primogenitus patris mei, et ero rex hujus loci, et accipiam te uxorem, eroque tibi bonus maritus, nec parentes tui potuissent te taliter sublimare.

Gen. x, 17.

A B C D

Quod quum audisset Jacob, etc., scilicet filiam suam esse raptam et corruptam, *siluit donec* filii sui *redirent,* etc., qui tunc erant in pastu pecorum occupati. Siluit autem dissimulando injuriam, non ut filios suos incitaret ad inordinatam vindictam, sed ut conferret cum eis quid esset agendum : quia nec regi Hemor audebat negare quod petiit, nec filio ejus alienigenæ libenter tradidit filiam suam, ut Josephus refert. *Locutus est itaque Hemor ad eos,* videlicet ad Jacob ac filios ejus : *Sichem filii mei anima adhæsit filiæ vestræ,* etc. Loquitur autem pluraliter, Filiæ vestræ, quamvis filia esset ipsius Jacob, non filiorum ejus, eo modo quo aliquid adscribitur toti multitudini propter partem ipsius. *Sed et Sichem ad patrem et fratres ejus,* id est ad Jacob et filios ejus, *ait : Inveniam gratiam,* etc. *Augete dotem,* id est, exigite a me pro dote quantum vultis; *et munera postulate,* etc., hoc est, non solum paratus sum huic puellæ assignare pro dote quod vultis, sed vobis quoque munera volo largiri ad libitum vestrum. *Responderunt filii Jacob, Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis,* etc., id est, pacatos se finxerunt ex verbis Hemor et filii ejus, et velle facere quod postulabant, dummodo ipsi circumciderentur, quum tamen corde sævirent in illos, et sororis suæ violationem proponerent ferociter vindicare, atque ut aliqui dicunt, proposuerunt ipsos invadere, quando jam essent circumcisi, quatenus tunc non possent resistere ex circumcisionis dolore. Vel dixerunt hoc, ut sic evaderent quod Hemor et Sichem ipsis proposuerunt, quos putabant non consensuros circumcisionis conditioni ac pacto. *Placuit oblatio eorum,* etc., id est, conditio ista, quam filii Jacob obtulerunt Hemor et filio ejus, placuit eis, quamvis videretur multum difficilis. Sed mirum quod hic non ponitur responsio Jacob : et forte id quod filii sui responderunt, venit ex ejus consilio; non tamen

Digitized by Google

ipse intendebat dolum quem filii intendebant.

Deinde in textu describitur, qualiter Hemor et filii ejus persuaserunt populo civitatis circumcisionem accipere. *Si circumcidamus masculos nostros,* id est, infantulos jam natos et etiam nascituros, imo et nos ipsi jam circumcidamur, *ritum gentis imitantes,* hoc est, observationi et consuetudini Hebræorum istorum nos conformantes per circumcisionis assumptionem ; *substantia eorum et pecora, et cuncta quæ possident, nostra erunt,* id est, per mutua matrimonia inter nos et eos devolventur ad nos, sicut et econverso, bona nostra ad eos per mutuam associationem. *Tantum in hoc acquiescamus, et simul habitantes, unum efficiamus populum* per observantiam ejusdem ritus et conjugalis conjunctionis et cognationis ac affinitatis. *Assensique sunt omnes,* etc., juxta antiquam grammaticam, id est, omnes cives urbis illius consenserunt conditioni et pactioni propositæ.

Præterea, ut recitat Lyra, Hebræorum doctores aliter passum istum exponunt, dicentes quod filii Jacob sincera intentione dixerunt ad Hemor et Sichem, Si circumcidamini, dabitur soror nostra in conjugem Sichem, ut petitis ; et quod dictio Hebraica, quam Hieronymus interpretatus est dolum, sit æquivoca ad fraudem, et ad bonam cautelam : sicque filii Jacob intenderunt Sichimitas ad circumcisionem recta intentione inducere ; sed Hemor et Sichem dolum fecerunt, dicentes civibus suis, Si circumcidamus masculos nostros, omnia quæ possident, erunt nostra, id est, habebimus eos nobis omnino subjectos, et erunt servilis conditionis sub nobis : quo dolo percepto, filii Jacob ruperunt pactum : quoniam violantibus fidem, non est fides servanda ; et interfecerunt Sichimitas. Hæc autem expositio falsa censetur, quoniam dato quod dictio illa Hebraica interdum significet bonam cautelam, quod tamen Rabbi Paulus negat, attamen hoc loco non posset sic accipi, quia immediate subjungitur, Sævientes ob stuprum sororis. Si autem filii Jacob dixissent bona intentione et prudenti cautela, Si circumcidamini, non dixissent verba quæ in textu habentur sævientes, sed placati et ignoscentes. Denique paulo post in isto habetur capitulo, quod dum Jacob reprehendisset filios suos de interfectione Sichimitarum, nullam aliam excusationem tangebant, quam sororis suæ violationem, dicendo : Numquid ut scorto abuti debuerunt sorore nostra ? Si autem Sichimitæ commisissent dolum prætactum, allegassent eum pro sua excusatione. Infra quoque habetur, quemadmodum Jacob mox moriturus, locutus sit : Simeon et Levi vasa iniquitatis bellantia, etc. ; ubi reprehendit eos de fraudulenta et atroci interfectione Sichimitarum ; nec possunt verba illa exponi de peccato eorum in Joseph commisso, ut in expositione capituli quadragesimi noni ostendetur.

Verumtamen Rabbi Paulus dicit, quod præinducta Hebræorum expositio potest salvari, quia (ut asserit) Sichimitæ non petierunt veniam aliquam de tanta injuria illata Jacob ac filiis ejus, nec filii Jacob promiserunt pacem Sichimitis, sed concesserunt solum quod possent confœderari, si circumciderentur : ideo non videntur peccasse, abscondendo suum propositum Sichimitis, quoniam licitum est contra inimicos uti insidiis. Sed omnia ista istius Pauli verba, sunt valde imperite prolata. Quod enim affirmat Sichimitas nullam veniam postulasse, est contra textum quo dicitur : Sichem ad patrem ejus, scilicet Dinæ, et ad fratres ejus ait : Inveniam gratiam coram vobis ; et quæcumque statueritis, dabo ; munera postulate, libens tribuam quod petieritis. Insuper quamvis filii Jacob non promiserunt Sichimitis pacem absolute, promiserunt tamen eam sub conditione, dicentes : In hoc valebimus fœderari, si similes nostri esse volueritis, et circumcidatur in vobis omnis masculini sexus ; tunc dabimus et accipiemus mutuo filias nostras ac vestras, et habitabimus

Digitized by Google

vobiscum, erimusque unus populus. Ideo postquam Sichimitæ conditionem hanc impleverunt, filii Jacob obligati fuerunt pacem servare cum eis, ac si absolute promisissent hanc illis ; stante quoque illa conditione, et præsertim ea impleta, non potuerunt filii Jacob uti insidiis contra Sichimitas, nec habuerunt contra eos prælium justum, in quo solo licet insidiis uti. Præterea falsum est, quod Paulus iste affirmat, Jacob patriarcham non increpasse filios suos de injustitia in hoc facto. Nam (ut paulo post inducetur) dixit ad eos, Turbastis me : per quod insinuavit, eos injuste egisse.

Et ecce die tertio quando gravissimus vulnerum dolor est, id est, quando circumcisi magis affliguntur ex vulnere circumcisionis, quia (ut dicitur) tertio die inde amplius cruciantur, sicut et vulnera quædam magis affligunt post certum tempus, quam dum recentia exstant ; *Simeon et Levi, fratres Dinæ* uterini, *arreptis gladiis, ingressi sunt urbem confidenter,* id est audacter, *interfectisque omnibus masculis* adultæ ætatis, quia (ut statim dicetur) parvulos duxerunt captivos ; *Hemor et Sichem pariter necaverunt,* etc. *Quibus egressis* de domo Hemor, *irruerunt super occisos ceteri filii Jacob, et depopulati sunt urbem in ultionem stupri,* etc., non in vindictam præfatæ fraudis confictæ.

Quibus patratis audacter, audacia excessiva, quæ fortitudini et rationi contrariatur : fortitudo namque est virtus moralis et cardinalis, media inter duo vitiosa extrema, quæ sunt timor atque audacia, quamvis timor et audacia interdum accipiantur extense in bono ; *Jacob dixit ad Simeon et Levi : Turbastis me,* id est, per hæc opera vestra mala ad magnam me induxistis tristitiam, inquietudinem ac timorem. Fuerunt enim in gestis his filiorum Jacob violatio pacti, crudelitas, furor, immansivus dolus, et indignatio gravis, homicidium et injustitia prorsus enormis ; quoniam et multos occidisse censentur, qui in raptu violationeque Dinæ, culpam non habuerunt. Propter quod Jacob dixit postea de eisdem : Maledictus furor eorum, Gen. XLIX, 7.
quia pertinax ; et indignatio, quia dura. In consilium eorum non veniat anima mea, Ibid. 6.
et in cœtu eorum non sit gloria mea. *Et odiosum fecistis me,* etc., *habitatoribus terræ hujus,* quoniam factum vestrum mihi imponetur ab illis. *Nos pauci sumus* comparatione illorum ; *illi congregati percutient me,* id est occident, *et delebor ego et domus mea,* hoc est, ego et soboles atque familia mea, auferemur de superficie terræ per interfectionem ab illis. Videtur Jacob ita dicendo esse mentitus, quia non contigit ita, et de veritate divinarum promissionum ei sæpe factarum dubitasse. Frequenter etenim Deus ei promisit copiosissimam posteritatis suæ multiplicationem. Dicendum, quod Jacob protulit verba illa, non simpliciter asserendo, sed avisando ac formidando, secundum considerationem inferiorum causarum, secundum quas sic factum fuisset, nisi Deus omnipotens aliter subvenisset. *Responderunt : Numquid ut scorto,* id est quasi meretrice, *abuti debuere sorore nostra ?* Non utique ; imo graviter peccaverunt ea abutendo, hoc est rapiendo et illicite cognoscendo, quæ tamen carnalis cognitio a solo Sichem peracta est : et quamvis Sichimitæ non debuerunt sic agere, iste tamen non fuit justus ultionis modus ac ordo, præsertim quoniam Hemor et Sichem emendationem præbuerunt tam magnam, et propter alias causas præhabitas.

Præterea objici potest prædictis, quod historia ista incredibiliter sonat : quomodo enim tam pauci qui ad sobolem ac familiam Jacob pertinuerunt, poterant multitudinem occidere tantam ? præsertim quia senior filius Jacob, adhuc vix erat viginti quinque annorum, vel parum plus. Jacob enim habitavit in Mesopotamia solum viginti annis, et septem annis moratus est ibi antequam genuit Ruben primogenitum suum, imo quasi octo annis, ita quod Ruben in exitu a Mesopotamia erat duodecim annorum aut circiter : propter quod Jacob

Digitized by Google

rediens, de filiis suis ad Esau dixit : Parvuli sunt. Ad istud Augustinus respondet, quod multi fuerunt cum Simeone et Levi adjuvantes eosdem, et quod Jacob diu habitavit in terra illa post reditum a Mesopotamia, antequam filii sui istud fecerunt. Habuit autem Jacob grandem familiam, sicut de Abraham et Isaac dictum est. Sichimitæ quoque fuerunt ad resistendum imparati, imo et ex dolore circumcisionis infirmi. Porro Josephus protestatur : Quum esset in urbe illa festivitas, et Sichimitæ requie ac epulis uterentur, filii Jacob primis custodiis incunctanter adsistentes, occiderunt dormientes.

Rursus contra prædicta objicitur, quod sancta vidua Judith ait : Domine, Deus patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem, id est ultionem alienigenarum, qui violatores exstiterunt in coinquinatione, et denudaverunt femur virginis, et dedisti mulieres eorum in prædam, et parvulos eorum in captivitatem, et omnem prædam in divisionem servis tuis qui zelaverunt zelum tuum. Ex quibus videtur, quod filii Jacob justo ac divino zelo id peregerunt, et factum illud Deo sit adscribendum, ejusque adjutorio factum. Ad hoc breviter aliqui dicunt, quod liber Judith non est in canone sacræ Scripturæ, et ab Hebræis inter apocrypha computatur, idcirco non habet auctoritatem contra Scripturam canonicam. In Scholastica vero historia respondetur, quod Judith non commendavit factum Simeonis, quod detestatus est Jacob, sed ultionem Domini factam per manum iniqui. Cui solutioni objicitur, quod Judith dicit deprædatores Sichimitarum zelo Dei permotos. Ad quod dici potest, sicut de Judæis ait Apostolus, quod habuerunt zelum Dei, sed non secundum scientiam.

Postremo moraliter per Dinam foris egressam ac violatam, intelligitur anima curiosa, quæ sui ipsius discussione et custodia derelictis, per inania evagatur, aliorumque vitam et defectus scrutatur : ideo a diabolo constupratur, fitque illius adultera, corruendo in mortalia peccata. Grave quippe curiositatis est vitium, quod dum hominem aliorum observationi facit intentum, reddit eum ad considerandum proprias culpas cæcum. Quumque anima talis ad horam de suis dolet peccatis, diabolus tristem delinit blanditiis, persuadens ei ad pristina mala redire ; ejus quoque prælato conatur suggerere, ut eum non increpet inde, sed sibi cohærere permittat. Boni autem prælati non acquiescunt suggestioni hujusmodi, sed arreptis gladiis verborum cœlestium ac virtutum, impugnant diabolum, et de ejus domo, quæ est ecclesia malignorum, animam ita deceptam ac eis commissam, reducunt, convertendo eamdem, Satanamque sub pedibus suis velociter conterunt.

Judith. IX. — Rom. X, 2. — Sensus moralis.

ARTICULUS LXXXII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI QUINTI : INTEREA LOCUTUS EST DEUS AD JACOB.

Recitantur in isto capitulo actus quidam et peregrinationes sancti Jacob, et beneficia ei a Deo collata. *Interea locutus est Deus ad Jacob* per angelum, consolando eum in timore quem habuit propter causam in fine præcedentis capituli expressam, et consulendo ei quid ageret. *Surge* de loco isto, et a tua formidine, *et ascende Bethel,* id est ad locum in quo vidisti scalam in somnis, puta ad montem Moria prope Jerusalem, *et habita ibi* cum tuis domesticis, *facque* ibi *altare Deo qui*

apparuit tibi quando fugiebas Esau, quando vidisti Dominum scalæ innixum, ut dictum est supra. Loquitur autem Deus per angelum de se ipso, quasi de alio, vel ad insinuandam pluralitatem Personarum in simplici deitate sic loquitur. Est tamen consuetudo Scripturæ veteris Testamenti sic loqui. *Jacob vero convocata omni domo,* id est sobole ac familia *sua, ait: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt,* id est idola quæ habetis. Probabile est, quod in domo Jacob nemo aperte coluit idola, et forte nec clam : quod de ejus uxoribus et filiis ac filia certius est. Sed ex urbe Sichimorum asportarunt idola quædam, ut dicitur. Josephus quoque fatetur, quod dum Jacob purgaret suos domesticos, invenit idola Laban. *Et mundamini* a vestris peccatis quæ commisistis in Sichimitas, et a ceteris vitiis vestris per pœnitentiam veram, *ac mutate vestimenta vestra* sanguine adspersa, aut a Sichimitis injuste sublata, quatenus per exterioris vestitus mutationem admoneamini, et curetis interiorem cordis vestri dispositionem mutare in melius. *Faciamus ibi altare Domino,* ad offerendum ei sacrificia laudis et gratiarum actionis, *qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei,* id est, gratiose ac familiariter adfuit mihi in peregrinationibus meis, in quibus etiam per angelos visibiliter comitatus est me. *At ille,* scilicet Jacob, *infodit eos,* utpote deos alienos cum inauribus et armillis, idolorum illorum ornamentis, *subter terebinthum.* Est autem terebinthus quercus quædam nigra. *Quumque profecti essent,* id est, quum Jacob et ejus domestici recessissent a loco prope Sichem seu Salem, *terror Dei invasit omnes per circuitum civitates,* hoc est, Deus omnipotens perterruit habitatores urbium quæ erant in gyro Sichem; *et non sunt ausi persequi recedentes:* et hoc fecit Deus meritis Jacob, qui idola illa tanquam spurcitias fodit sub terra, et quia domestici ejus jam purgaverunt se, ut divina protectione essent condigni. Qualiter vero Deus perterruit urbium illarum habitatores, an scilicet per aliqua exteriora visa sive audita, an corda eorum alterando ab audacia ad pavorem, Scriptura non exprimit.

Venit igitur Jacob Luzam, etc., *cognomento Bethel,* etc., id est ad urbem Jerusalem, quæ his aliisque nominibus appellatur, ut dictum est. *Et appellavit nomen loci illius, Domus Dei,* etc., hoc enim significat Bethel, et ita vocavit locum illum quando fugit ad Mesopotamiam; nunc quoque ita vocavit, nomen prius a se impositum confirmando. Tunc etiam adimplevit quod Domino vovit in visione præfata, sibi in monte Moria facta, dicendo: Cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. (Gen. xxviii, 22.) *Eodem autem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel,* id est prope urbem illam seu in pede montis Moria, *subter quercum,* quatenus ex arbore illa famosior esset sepultura ipsius; *vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus:* et hoc propter magnitudinem tristitiæ ac ploratus, quos Jacob et ejus domestici habuerunt de morte Deboræ, quæ fuit matrona valde antiqua, et (sicut ex verbis his conjicitur) virtuosa. Apparet quoque ex his, quod Debora obiit in domo Jacob. Dicuntque aliqui, quod Rebecca diu ante hæc misit eam cum aliis in Mesopotamiam, ut inde reduceret Jacob, et quod exinde mansit cum Jacob: quod si verum esset, probabile est quod Jacob non mansisset tot annis cum Laban; vel quando exposuit uxoribus suis causas suæ reversionis ad terram natalem, expressisset et causam hanc, quod scilicet mater sua ita misisset pro eo. Ideo dici potest, quod ex domo Isaac ivit ad visitandum Jacob, quem valde dilexit; et manens cum eo, defuncta sit.

Apparuit autem iterum Deus Jacob, etc., *benedixitque ei, dicens : Non vocaberis ultra Jacob,* id est, non solum nec principaliter Jacob vocaberis, *sed Israel erit nomen tuum,* quod nomen competit tibi tanquam viro contemplativo et perfecto. *Et appellavit eum Israel:* et ita nomen istud

Digitized by Google

est ei modo impositum, quod ante prænuntiatum fuerat imponendum. *Dixitque ei : Ego Deus omnipotens :* idcirco de meis promissionibus non est ambigendum quin possim eas implere. *Cresce* in virtutibus, et in sobole tua ac posteris, *et multiplicare* in successoribus tuæ propagationis : Jacob quoque post hæc genuit Benjamin. *Gentes et populi nationum ex te erunt,* videlicet duodecim tribus Israel, omnes quoque fideles erunt filii tui per fidei imitationem ; *reges de lumbis tuis egredientur,* id est, ex semine posterorum tuorum nascentur, quia de tribu Juda fuerunt reges, ex tribu etiam Ephraim fuerunt multi decem tribuum reges. *Terramque quam dedi Abraham et Isaac,* id est, quam eis pro eorum posteris suo tempore dare promisi, *dabo tibi, et,* pro id est, *semini tuo post te. Et recessit ab eo,* hoc est, Deus per angelum loquens et apparens ipsi Jacob, disparuit. *Ille vero erexit titulum lapideum,* id est, lapidem statuit pro signo et memoriali revelationis divinæ sibi factæ, *in loco quo locutus ei fuerat Deus ; libans super eum libamina,* id est, super lapidem illum Deo offerens oblationes de materiis liquidis, *et effundens oleum,* quod etiam Domino immolavit, *vocansque nomen loci illius,* id est urbis situatæ prope hunc montem seu titulum, *Bethel.* Ista quoque fecit quando ad Mesopotamiam fugit, et scalam in somno conspexit. Unde capitulo vicesimo octavo scriptum est : Surgens mane, tulit lapidem et erexit in titulum, fundens oleum desuper, appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. (en. xxviii, 19.)

Egressus autem inde Jacob cum suis domesticis, *venit verno tempore,* scilicet tempore veris, quod ad ambulandum est aptum, *ad terram quæ ducit Ephratam,* hoc est ad Bethlehem ; *in qua* terra seu via, non ipsa urbe, *quum parturiret,* id est, cum vehementi dolore inciperet parere *Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit,* hoc est morti appropinquare. *Dixitque ei obstetrix : Noli timere, quia et hunc habebis filium,* id est, post hujus infantuli nativitatem adhuc vives ; quasi diceret, Non morieris : quod dixit ad confortandum et consolandum Rachelem. *Egrediente autem anima* Rachelis de corpore suo *præ dolore,* hoc est, disponente se ad egrediendum, ita quod vita animalis in aliquibus membris quasi defecit, *et morte jam imminente, vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei,* hoc est filius quem cum tanto dolore peperi, et qui mihi occasio est hujus doloris mortiferi. *Pater vero appellavit eum Benjamin, id est filius dextræ,* hoc est constantiæ seu virtutis, quam Jacob in ejus generatione ac nominatione monstravit. *Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem :* quæ primo vocata est Ephrata ex nomine uxoris Caleb, quæ Ephrata vocabatur, et ibi sepulta est, ut primo Paralipomenon et in Scholastica fertur historia ; (I Par. ii, 19.) postmodum vero dicta est Bethlehem, quod interpretatur domus panis, quia post grandem caristiam ibi factam tempore Elimelech, fuit ibi abundantia victualium magna. *Erexitque Jacob titulum,* hoc est notabile, memorialeque signum sepulturæ Rachelis, *super sepulcrum ejus.* Hebræi autem semper fuerunt specialiter diligentes de honorifica sepultura suorum, tanquam fidem habentes vitæ sequentis et resurrectionis futuræ, atque ut vivi haberent mortuorum memoriam, ad sequendum bonorum exempla, et ad orandum pro ipsis, imo et pro honoratione ipsorum. *Hic est titulus monumenti Rachel usque in præsentem diem :* quia duravit usque ad tempus quo Moyses scripsit hæc, diuque postea.

Egressus inde Jacob cum suis, *fixit tabernaculum trans turrem Gregis.* Circa hoc dicit Hieronymus : Hunc locum dicunt Hebræi, ubi postea ædificatum est templum, et per turrim Gregis significari turrim Ader, id est congregationis et cœtus, de qua ait Michæas : Et tu turris Gregis nebulosa filiæ Sion ; (Michææ iv, 8.) et Jacob fixisse tentoria illo tempore trans locum, ubi post-

ea ædificatum est templum. Sed si sequimur ordinem viæ pastorum, locus est juxta Bethlehem (Luc. II, 13.), ubi vel angelorum grex in Christi nativitate cecinit ; vel Jacob sua pecora pavit, nomen loco illi imponens : et quod verius est, tunc quodam vaticinio præmonstrabatur, quod futurum erat mysterio. Itaque secundum Hebræos, turris Gregis significat locum ubi postea constructum est templum, qui locus vocatus est turris Gregis, quoniam templum factum fuit instar turris, illucque congregabatur populus, et pecora adducebantur ad immolandum. Porro secundum Hieronymum, locus est non remote a Bethlehem, ubi Christo nato angeli cecinerunt (Ibid. 14.), Gloria in excelsis Deo : quem locum vocaverunt postea Christiani, Angelus ad pastores. Sicque secundum intentionem beati Hieronymi, locus ille vocatus est turris Gregis quodam vaticinio futurorum.

Quumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, per enormem mentis suæ a Deo aversionem, et a loco in quo iniquitatem concepit, *et dormivit cum Bala concubina patris sui*. Bala illa, ancilla fuit Rachelis, et uxor legitima Jacob ; attamen ejus concubina vocatur, quia erat uxor minus principalis, ut dictum est plenius ; *quod illum minime latuit,* quia vel angelo revelante, vel homine recitante percepit : et hoc crimen Ruben fuit detestabilis prorsus incestus. Recitat tamen Lyra, quod secundum Hebræorum doctores Ruben non cognovit Balam carnaliter ; sed mortua Rachele dum Jacob transtulisset lectum Balæ de tabernaculo Rachelis, in quo Bala jacere solebat, tanquam Rachelis ancilla, ad tabernaculum Liæ, Ruben ejecit lectum inde, quia displicuit sibi quod lectus Balæ jaceret in tabernaculo Liæ matris suæ. Sed istud fabulosum censetur, nec consonat litteræ, nec ob talem ejectionem aut culpam sanctus Moyses scripsisset ipsum Ruben dormivisse cum concubina patris sui, nec solet Scriptura peccata hominum minora ita exaggerare. Denique fabula illa, est contra id quod Jacob in extremis positus dixit ad Ruben : Effusus es sicut aqua, non (Gen. XLIX.) crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. Hinc Rabbi Paulus refert, quod alii dicunt ipsum Jacob in tantum abhorruisse tam enormem filii sui incestum, quod ipse de cetero ab actu generationis cessavit.

Deinde in littera nominantur duodecim filii Jacob, quia post Benjamin non genuit aliquam prolem ; et additur : *Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia,* quæ est pars ac regio *Syriæ*. Sed objici potest, quod Benjamin non est in Mesopotamia, sed in terra Chanaan natus. Ad quod Augustinus respondet, quod etiam Benjamin pro tanto dicitur in Mesopotamia natus, quoniam inde habuit causam suæ nativitatis. Ibi enim mater sua patri suo est matrimonio juncta. Additque Augustinus : Nulla autem est facilior hujus quæstionis solutio, quam ut verba Moysis, dicentis hos duodecim filios Jacob in Mesopotamia genitos, per synecdochen accipiantur, sumendo videlicet majorem partem pro toto.

Venit etiam Jacob *ad Isaac patrem suum*. An hic servetur ordo historiæ, nescio. Non enim videtur, quod Jacob post reditum suum a Mesopotamia, non visitaverit patrem suum, senem, cæcum, atque carissimum, ante ea quæ modo sunt recitata, sed forte diu ante quædam eorum ac sæpius ; sed nunc describitur suum patrem visitasse, quia Moyses voluit hic mortem et sepulturam Isaac enarrare. Venit ergo ad patrem suum *in Mambre civitatem Arbee*. Civitas Arbee seu Arbea nomine, *ipsa est* quæ alio nomine vocata est *Hebron,* atque ut scribit Hieronymus, eadem urbs antiquitus dicta est Mambre, ab amico Abrahæ nomine Mambre, de quo supra dictum est (Ibid. XV, 13, 24.). Ideo non apparet verum, quod quidam hic scribit, Mambre nomen esse regionis in qua erat Hebron. *In qua peregrinatus est Abraham et Isaac,* id est, in civitate illa habitaverunt tanquam alieni et peregrini ac advenæ. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta anno-*

Digitized by Google

rum : sicque quinque annis diutius vixit quam Abraham. Josephus tamen dicit eum vixisse centum octoginta quinque annis, ut aliqui referunt, quod tamen non inveni in Josepho, sed sicut in textu habetur. *Consumptusque ætate,* ita quod naturalem periodum suam implevit, et humidum radicale consumptum fuit in eo a calido naturali ; *mortuus est, et appositus est populo suo,* etc., id est, in limbo patrum et sinu Abrahæ eis conjunctus, quantum ad animam ; *et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui,* qui fuerunt principales inter eos qui sepulturæ interfuerunt. Aderant autem et alii multi, et etiam forsan multi filiorum Jacob et Esau.

Postremo, quoniam non fit hic mentio de Rebecca, dicunt expositores concorditer, quod fuit defuncta antequam Jacob venit ad Isaac ; et Rabbi Paulus dicit, quod secundum Hebræos fuit defuncta ante reditum Jacob a Mesopotamia. Sed tunc quæstio oritur, cur Scriptura non facit mentionem de morte et sepultura Rebeccæ, quum tamen tam solennem faciat mentionem de morte, sepulturaque Deboræ nutricis Rebeccæ. Ad quod (ut recitat Rabbi Paulus) respondent Hebræi, quod Isaac fecit Rebeccam de nocte sepeliri occulte, quoniam ejus sepelitio non potuit honorifice fieri, eo quod ipse Isaac non potuit interesse, tanquam jam valde senex et cæcus. Esau quoque interesse noluit, quoniam mater privavit eum (sua instigatione) benedictione paterna ; Jacob vero nondum erat reversus. Ista recitatio videtur incerta et fabulosa. Poterat enim illuc Isaac deduci, poterat quoque multos honorabiles viros illuc dirigere ; nec certum est quod Esau tam pertinax manserit in sua contra matrem propriam indignatione, quod noluit ejus sepelitioni adesse, quod etiam propter humanum dedecus (ut puto) vitasset : imo quum fratrem suum tam amorose susceperit, potuit interim pietate et beneficiis suæ matris emolliri, et ei placari. Denique, quamvis fabula illa esset vera, ob hoc tamen non oportuit Scripturam sacram ab enarratione mortis ac sepulturæ Rebeccæ silere : imo absolute loquendo, falsum est quod Scriptura inde conticuit, quia quod hoc loco non refert, infra narrat, quemadmodum moris est Scripturarum, per recapitulationem multa ante omissa describere. Scriptum est equidem infra, præallegato capitulo : *Ibi,* videlicet in spelunca duplici, *sepultus est Isaac cum Rebecca, ibi et Lia condita jacet :* ex quo itidem constat, verum non esse, quod dicunt Scripturam non facere mentionem de Liæ sepultura ac morte. *Gen.* XLIX 31.

ARTICULUS LXXXIII

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI QUINTI.

PER Jacob pium et simplicem designatur quicumque fidelis. Quemadmodum igitur Jacob formidanti invasionem Chananæorum, locutus est Dominus, ut surgens ascenderet Bethel, habitaretque ibi ; sic unicuique nostrum invisibilium hostium certamina metuenti, Deus injungit, ut ab immoderata formidine atque ignavia exsurgentes, ascendamus mente per spem et orationem ad domum Dei, ad sanctam matrem Ecclesiam seu congregationem virorum ferventium, audiendo ipsorum consilia, et sequendo Sanctorum exempla, faciamusque ibi altare, hoc est, aram caritatis ac fidei construamus in cordibus nostris, quatenus omnia nostra ex fide procedant,

Digitized by Google

et per caritatem Domino offerantur, quia hoc sacrificium Deus solum acceptat, quod in ara cordis flamma caritatis accendit.

Jacob vero convocata omni domo sua, ait : Abjicite deos alienos, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Sic unusquisque prælatus ac præsidens sibi creditos debet ad caritatem, pacem et profectum assiduum convocare, et sæpe corporaliter congregare, omnesque ferventer hortari, ut deos abjiciant alienos, utpote avaritiam, [*Ephes.* v, 3, 5.] quæ idolorum est servitus, superbiam, immunditiam, et omne id per quod, seu cui magis adhæret homo quam Deo ; se quoque per contritionem, confessionem et satisfactionem emundent, vestimentaque [*Coloss.* iii, 9, 10.] mutent, exuendo veterem hominem cum actibus suis, et induendo novum, qui se- [*Ephes.* iv, 24.] cundum Deum creatus est, in sanctitate. Prava ac sordida vestimenta, sunt animæ vitiosæ consuetudines, habitus mali, mores et actus perversi, de quibus in Zacha- [*Zach.* iii, 4.] ria habetur : Auferte ab eo vestimenta sordida. Hæc vestimenta sunt commutanda in vestimenta pulchra, pretiosa atque fragrantia, quæ sunt virtutes et dona Spiritus Sancti, fructus et beatitudines, ferventes ad Deum affectiones, sinceræ meditationes, virtuosaque vita, quibus anima optime decoratur, ac suavissime redolet coram Deo, eique gratissima redditur. Insuper Jacob convocat domum suam, dum vir timoratus omnia interiora sua examinat, et omnes animæ suæ vires, in quibus vitia et virtutes exsistere queunt, scrutatur quid mali insit, quid boni desit : sicque passiones animæ reformare, universos quoque sensus suos interiores et exteriores rite custodire conatur, ne in aliquo Deum majestatis offendat; et vana ac fœda phantasmata tanquam diabolica simulacra detestatur, et ita coram Altissimo mundum cor gerere elaborat, cum Psalmista decan- [*Ps.* xxiv, 15.] tans : Oculi mei semper ad Dominum. Denique, quando homo sic agit, et ita ad ecclesiasticæ unitatis ac caritatis perfectionem progreditur, omnes invisibilium hostium acies per circuitum conterrentur, in tan-

A tum, ut a taliter proficiente diffugiant. Tunc etiam talis vir rectius appellatur Israel, tanquam divinorum sincerus expeditusque contemplator, quam Jacob : quoniam vitia, præsertim mortalia ac majora, jam penitus supplantavit, et cadunt a latere suo mille, ac decem millia a dextris [*Ps.* xc, 7.] ejus.

Amplius, exemplo illius venerabilis Deboræ, tam caritative, humiliter atque concorditer inter proximos conversemur, ut defuncti sic defleamur ab ipsis, quod et B locus nostræ sepulturæ, locus fletus digne vocetur. Absit, ut aliquis ita se habeat, quod eo mortuo, alii quasi a gravi onere exoneratos se glorientur. Insuper juxta hortamenta divina, non cessemus cum sancto Jacob spiritualiter crescere ac sanctis operibus multiplicari, quatenus et ex nobis nascantur gentes ac populi, hoc est, nostris verbis, actibus, meritis et exemplis convertantur ac regenerentur per supernorum infusionem charismatum, sicque nostri filii fiant. Reges quoque de lumbis C nostris egrediantur, hoc est, aliorum rectores ita gignantur ex nobis, et ita nunc habeamus locum ac partem in Ecclesia militante, deinde in Ecclesia triumphante.

Egressus inde, venit ad terram quæ ducit Ephratam. Ephrata quæ interpretatur frugifera, designat religionem monasticam, in qua est spiritualium abundantia fructuum : ad quam pergit Christifidelis, dum is qui exemplariter ac honeste inter sæculares se habuit, claustrum ingreditur, ut sicut per viam mandatorum cucurrit in [*Ps.* cxviii, 32.] D sæculo, sic per viam evangelicorum consiliorum in ipso volet cœnobio. Verumtamen sicut Rachel uxor Jacob, in via illa periclitata est ex partus difficultate, ita interdum contingit in homine religioso, ut caro ejus ex sua fragilitate et difficultate exsequendi quæ fervor spiritus suggerit, cadat sub onere. *Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem Gregis.* Per turrem Gregis potest prælatica potestas intelligi, quæ est altitudo, qua quis gregi Christi præest et præcipere potest. Hoc ergo impletur,

Digitized by Google

dum virtuosus claustralis ad aliorum regimen promovetur, potissimum ad episcopatus fastigium. Potest quoque per turrem Gregis, eremitica ac anachoretica vita signari, quæ est in grege totius Ecclesiæ quasi quædam præclarissima celsitudo, et conversatio angelis proxima ac familiarissima Deo. Tunc ergo fidelis figit tabernaculum trans turrem Gregis, et habitat ibi, dum verus cœnobita efficitur sincerus anachoreta, et solitariam vitam divinam potius quam humanam indefessus prosequitur, ita assidue in Deum absorptus, ut omnium terrenorum prorsus obliviscatur.

Præterea ex hoc quod Ruben primogenitus Jacob cum patris sui uxore dormivit, A docemur, ad quam horrenda vitia libido infelicem præcipitet hominem, et quanta sit humana fragilitas, dum tanti Patriarchæ primogenitus, in tam abominabilem ignominiæ fœditatem se ipsum demersit. Ideo qui stat, videat ne cadat. Nemo de se ipso præsumat, alienaque damna faciant nos peritos. *Erant autem filii Jacob duodecim :* per quos duodecim Apostoli designantur. Et sicut inter duodecim filios Jacob, unus Benjamin nomine, propriam matrem per difficultatem partus peremit; B sic unus Apostolorum ex Benjamin tribu natus, nomine Paulus, matrem suam primitivam Ecclesiam ad tempus vastavit, et eam in membris suis occidit.

ARTICULUS LXXXIV

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : HÆ AUTEM SUNT GENERATIONES ESAU.

MULTIPLICATIO posteritatis Esau, et dominatio posterorum suorum, hoc loco describitur. *Hæ autem sunt generationes Esau, ipse est Edom,* id est, alio nomine vocatus est Edom. *Esau accepit uxores de filiabus Chanaan : Ada filiam Elon Hethæi, et Oolibama filiam Anæ filii Sebeon Hevæi.* (Gen. XXVI) Supra legitur Esau accepisse duas uxores ex stirpe Chananæorum, quæ ibi aliis exprimuntur nominibus: ideo aliqui putant, quod hic suppleatur quod ibi omissum est, atque quod feminæ istæ fuerunt ab illis diversæ. Aliqui verisimilius dicunt, quod fuerunt eædem, et quod plura nomina habuerunt, sicut et Esau, (Matth. IV, 18; XVI, 17. Joann. I, 42.) atque in Evangelio idem vocatur Petrus et Simon ac Cephas. *Basemath quoque filiam Ismael,* etc. Supra capitulo vicesimo octavo scribitur accepisse Maheleth filiam Ismaelis. Si ergo ista fuit eadem quæ illa, dicendum est quod binomia fuit. *Peperit autem Ada* uxor Esau *Eliphaz,* etc., qui (secundum Hieronymum) est primus trium C virorum, qui in libro Job inducuntur disputasse cum Job : unde et Glossa interlinearis hoc innuit. (Job II, 11.)

Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, et abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Jacob. Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant ; nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Non quod ipsi duo soli occupaverint universam terram Chanaan, in qua D peregre habitabant, sed quia in illa terra aliunde populosa, non invenerunt sufficientia pascua pro suis pecoribus. *Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom.* Nomina ista Seir et Edom, quandoque accipiuntur prout sunt propria nomina Esau; quandoque sumuntur pro terra seu regione in qua commoratus est, puta pro Idumæa; quandoque Seir pro villa accipitur, et ita nunc accipi potest Seir pro villa seu terra illa, et Edom similiter, vel

Digitized by Google

pro ipso Esau, a quo mons ille nomen sortitus est.

Sed istis objicitur, quia superius dictum est, quod ipso Jacob ex Mesopotamia veniente, Esau habitabat in Seir seu Idumæa, (Gen. XXXIII, 14, 16.) et ex ea venit obviam Jacob, ergo ante mortem Isaac recessit a terra Chanaan, et habitavit in Seir : sicque multitudo gregum ipsius ac Jacob, non fuit causa separationis eorum ab invicem. Ad hoc Strabus respondet : Fieri potuit ut Jacob in Mesopotamiam fugiente, Esau ex dolore præreptæ benedictionis a parentibus suis recesserit, et habitarit in Seir per annos viginti, quibus abfuit Jacob; cui reverso ipse Esau reconciliatus, de Seir reversus, habitavit cum patre suo quamdiu vixit; quo mortuo, recessit a Jacob ex causa præfata. Alii dicunt, quod circa finem vitæ Isaac, rediit Esau ad ipsum, ut bona ejus perciperet, eumque sepeliret; ac deinde mansit ad tempus in terra illa; postmodum vero ad Seir reversus est, non quod ex humilitate cesserit fratri suo Jacob, sed Deo inspirante sic factum est, ut Jacob in terra semini suo promissa maneret. Esau quoque magis afficiebatur ad terram Edom, quia jam diu fuit demoratus in ea.

Postquam in isto capitulo descriptæ sunt generationes Esau seu filiorum ejus quos generavit in terra Chanaan, quorum multi erant binomii, et in libro Paralipomenon (I Par. I, 35 et seq.) primo aliter nominantur quam hic; nunc describitur generatio ejus, seu potius generatio posterorum ipsius in Idumæa : et personæ nunc nominandæ, etiam in primo libro Paralipomenon, aliis exprimuntur nominibus. *Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom,* id est Idumæorum, qui ibi ex ejus semine nati sunt, *in monte Seir,* etc. *Fueruntque filii Eliphaz primogeniti Esau, Theman, Omar, Sepho,* etc. Theman quandoque est proprium nomen viri, sicut hic. Interdum vero accipitur pro civitate, quæ fuit metropolis Idumææ, et ab illa Eliphaz iste vocatus est Eliphaz Themanites. *Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau, quæ peperit ei Ama-*

A *lec,* a quo nati et appellati sunt Amalecitæ; unde et populus ille frequenter nomine Amalec designatur. Si autem Eliphaz iste est is, qui disputavit cum Job, credendum est, quod non habuit concubinam postquam duxit uxorem legitimam, nisi sumendo concubinam pro uxore secundaria minus principali. Nam Eliphaz ille fuit vir magnæ prudentiæ, magnam quoque habuit notitiam divinorum, et sanctus Gregorius frequenter testatur tres amicos Job justos fuisse, quamvis disputando cum Job,
B excesserunt, et hæreticorum tenuerunt speciem, juxta mysticum intellectum. *Isti sunt filii Ada uxoris Esau.* Hoc non est referendum ad omnes præfatos, quoniam Amalec non fuit filius Ada, sed Thamna; sed referendum est hoc ad sex illos, qui in littera ante Amalec exprimuntur. Vel si referatur etiam ad Amalec, dici potest quod ipse fuit adoptivus filius Ada. Deinde nominantur duces Idumæorum nati ex semine Esau, per primogenitum ejus nomine Eliphaz.

Et hi, qui infra nominatim exprimuntur,
C fuerunt *duces filiorum Esau,* non filiorum ejus immediatorum et proximorum, sed remotorum ac posterorum. *Filii Eliphaz primogeniti Esau* qui duces fuerunt, supple, sunt hi : *dux Theman* nomine, *dux Omar, dux Sepho,* etc. Isti septem fuerunt immediati filii Eliphaz, ut in textu habetur : ideo non fuerunt duces totius plebis Idumæorum, sed unusquisque in tribu sua, sicut superius Dominus dixit de Ismaele, Duodecim duces generabit, duces duodecim tribuum suarum. Deinde ponuntur nati
D ex secundo filio Esau. *Hi quoque filii Rahuel filii Esau* ex secunda conjuge sua, quam tamen simul tempore habebat cum prima : *dux Nahath, dux Zara,* etc. Simili modo exprimuntur in littera duces nati ex tertio filio Esau, et intelligendum est de ducibus istis, quod fuerunt duces, unusquisque in tribu sua, ut tactum est.

Consequenter ponuntur duces, qui ante Esau in terra Idumææ fuerunt. *Isti filii Seir Horræi, habitatores terræ.* Isti, inquam, *Lotan et Sobal et Sebeon,* etc. Iste

Digitized by Google

Seir non fuit Esau, sed diu ante eum; fuitque Seir iste Horræus, cujus filii fuerunt habitatores terræ illius, et homines illi cognominabantur Horræi, quos postea posteri Esau expugnaverunt, et possederunt terram eorum, prout in Deuteronomio habetur. (…t. ii, 12.) Hinc ait Hieronymus : Postquam enumeravit filios Esau, altius repetit qui ante Esau in terra Edom principes exstiterunt ex genere Horræorum. *Hi duces Horræi filii Seir,* non Esau, sed alterius jam prædicti, qui habitabat in terra Edom, quæ tamen tunc nondum sic vocabatur, quia ab Esau vocata est terra Edom. *Erat autem soror Lotan, Thamna.* Circa hoc scribit Hieronymus : Hæc est Thamna, ut dictum est, concubina Eliphaz primogeniti Esau. Ideo Scriptura hæc loquitur de Horræis, quoniam primogenitus Esau ex filiabus eorum accepit concubinam, hanc scilicet Thamna.

Hi filii Sebeon, Aia et Ana. Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine, quum pasceret asinos Sebeon patris sui. Pro eo quod translatio nostra habet, Aquas calidas, in Hebræo habetur, Jamnum * (* ammim) : quod plura significat. Unde beatus Hieronymus : Varia, inquit, apud Hebræos de verbo hoc disputantur. Nam quidam eorum putant, per jamnum, maria designari, dicentes hunc Ana, dum pasceret asinos patris sui, congregationes invenisse aquarum, quæ juxta idioma Hebræum maria appellantur, quoniam reperit stagnum seu lacum in eremo, quod ibi difficile reperitur. Quidam putant hoc nomine aquas calidas significari lingua Punica, quæ Hebrææ contigua est seu affinis. Quidam arbitrantur eum primo commiscuisse onagros asinabus, et invenisse hujusmodi concubitum, ut ex eo velocissimi asini nascerentur qui muli vocantur. Alii putant quod equas primus fecit ascendi ab asinis, ut muli contra naturam nascerentur; et istud est melius ac plenius dictum, quam quod circa hunc passum Lyra conscribit, quasi omnes Hebræi idem sentirent de verbo hoc : Hebræi, inquiens, dicunt quod invenit mulas in solitudine; sed dictio Hebraica significat calorem aquarum, quam significationem secuta est nostra translatio, sicque exponitur de calidis aquis, quæ per modum fontis nascuntur, et fluunt ex terra, ubi sunt venæ sulfureæ, et calorem talem contrahit aqua, cujusmodi fontes reperiuntur in pluribus locis. Hebræi autem dicunt, quod asinos fecit ascendere super equas, sicque invenit modum generationis mularum. Hæc Lyra, qui etiam dicit : Aliqui libri habent Asinas, sed falsa est littera. Circa quod dico, quod secundum ejus expositionem, textus debet habere Asinos, quoniam muli generantur ex equa et asino ; sed secundum alias quasdam expositiones, indifferenter legi potest Asinas, et Asinos. Porro, secundum expositionem qua per jamnum intelliguntur asini velocissimi, ex onagris asinabusque nati, melius legitur Asinas : idcirco illa sua correctio litteræ, inconsiderata insufficiensque probatur.

Deinceps describuntur reges de semine Esau, qui regnaverunt in Idumæa post duces præfatos ejusdem stirpis. *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam habuerunt regem filii Israel,* scilicet ante Saul primum regem Israelitici populi : nam et quamvis Abimelech filius Gedeonis legatur regnasse super quosdam de Israel, non tamen fuit rex divinitus institutus, nec cunctis præfuit Israelitis, sed paucis ; (*Judic.* viii in fine, et ix.) *fuerunt hi : Balac filius Beor,* et ceteri qui exprimuntur in littera, quæ expositione non indiget. Verumtamen pro pleniori horum intelligentia, advertendum est primo quod ait Glossa : Sciendum, quod scriptura ista non commemorat omnes reges qui fuerunt in Edom ante primum regem Israel, sed hos tantum, qui regnaverunt ibi ante Moysis mortem. Secundo pensandum, quod etiam fertur in Glossa, quod iste Balac non est ille qui in libro Numerorum legitur conduxisse Balaam contra filios Israel. Ille enim regnavit in Moab, et fuit filius Sephor; iste in Idumæa, et filius fuit Beor. Tertio intuendum, quod sicut filii Israel [primo regebantur] per judices usque

ad Saul, deinde per reges usque ad transmigrationem Babylonis, et post hoc rursus per principes quosdam seu duces, quorum multi fuerunt pontifices ; sic Idumæi ex Esau nati, primo habuerunt duces, deinde reges, quorum primus fuit præfatus Balac, postea redierunt ad ducatum, postmodum tamen rursus regem sibi constituerunt tempore Joram regis Juda, ut legitur quarto libro Regum. *Mortuus est autem Balac, et regnavit pro eo Jobal,* etc., quem aliqui vocant Jobab[1]; et secundum Augustinum circa hunc passum, atque Ambrosium super epistolam ad Romanos, iste fuit Job. Hieronymus quoque refert, quod quidam suspicati sunt filium hujus Jobal, nomine Husam, fuisse Job. Hebræi vero dicunt Job natum de stirpe Nachor, non Abrahæ, ut dictum est in expositione capituli vicesimi secundi.

IV *Reg.* VIII, 20.

Gen. XXII, 20, 21.

Consequenter ponuntur in littera duces Idumæorum, qui præfatis regibus successerunt : quorum regum ultimus fuit Adad,* ut habetur in textu. Unde scriptum est primo Paralipomenon : Adad autem mortuo, duces pro regibus esse cœperunt in Edom. Ideo duces hic positi, non præcesserunt tempore reges prædictos. *Hæc ergo nomina ducum,* id est Idumæorum ex Esau genitorum : *dux Thamna,* etc. Ex hoc elicitur, quod Thamna quandoque significat proprie virum, interdum vero proprium nomen est mulieris, unde præhabitum est, quod Thamna fuit filii Esau concubina. Sunt etenim quædam propria nomina ad virum et mulierem æquivoca. Hic ergo accipitur Thamna pro viro, sicut et Oolibama, quum subditur, *dux Oolibama;* quum tamen prædictum sit, quod Oolibama fuit Esau uxor. De ducibus autem hic positis tenetur, quod fuerunt generaliter principes Idumæorum, non unius tantum tribus, sicut de aliis eorum ducibus tactum est.

* Adar

I *Par.* I, 51.

Sed circa hæc difficilis oritur quæstio. Si enim Moyses exprimit reges Edom, qui usque ad tempus suum fuerunt, et duces nunc positi in littera undecim numero, fuerunt post reges illos, qualiter potuit Moyses duces illos cognoscere atque describere? Insuper dictum est, quod non exprimit reges Idumæorum, nisi qui fuerunt usque ad tempus suum ; sed oppositum hujus apparet, quia in textu habetur, quod ultimus rex Idumæorum fuit Adad, qui fuit tempore David, et fugit a facie Joab, quando interfecit omne masculinum in Idumæa, ut primo Paralipomenon et tertio Regum libris describitur. Ad primum horum quidam dixerunt, quod Moyses ex revelatione divina per spiritum prophetiæ duces illos præcognovit atque expressit. Alii opinantur, ut in Scholastica historia tangitur, quod Esdras apposuit, textuique inseruit enumerationem ducum illorum. Ad secundum quidam absolute respondent, quod Glossa præallegata, qua dictum est, Moysen non describere reges Edom nisi usque ad tempus suum, sit falsa, quum tamen ex verbis Augustini sit sumpta : idcirco (ut videtur) moderantius dici posset, juxta prætacta ex Historia scholastica, quod enumeratio eorum qui post Moysen exstiterunt, ab Esdra apposita sit.

I *Par.* XVIII, 11, 13. III *Reg.* XI, 15, 16.

ARTICULUS LXXXV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI : JOSEPH QUUM SEDECIM ESSET ANNORUM, PASCEBAT GREGEM CUM FRATRIBUS SUIS.

QUALITER venditus sit Joseph a fratribus suis, atque ab emptoribus in Ægyptum perductus, ibique denuo venditus, præsens narrat capitulum. *Joseph quum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer.* Adjuvit ita-

Digitized by Google

que eos in pastu pecorum. Aliqui dicunt A in Hebræo haberi, Quum esset decem et septem annorum : quod concordatur, quia (ut dicunt) habebat sedecim annos plene, et septimumdecimum annum incepit; sicque translatio nostra computat plenos, quos tunc habuit, annos. *Et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui.* Porro filii Balæ fuerunt Dan et Nephthali; filii autem Zelphæ, Gad et Aser. Hi quatuor habuerunt majorem communicationem et societatem ad invicem, utpote in pluribus sibi consimiles, quia filii ancillarum : similitudo B namque est causa amoris et communionis; et ut aliqui dicunt, filii Liæ spreverunt eos, quasi servos ac filios famularum. *Accusavitque fratres suos apud patrem* eorum et suum *crimine pessimo :* quod quidam exponunt de coitu eorum in bestias. Nec exprimit textus an de crimine pessimo accusaverit fratres suos omnes, qui erant cum gregibus, an filios Balæ et Zelphæ dumtaxat ; magis tamen videtur intelligendum de eis, quia Scriptura immediate præmisit quod erat cum illis. Alii per pes- C simum crimen, intelligunt odium fratrum quo oderant ipsum Joseph; quidam vero de mutua fratrum suorum contentione seu rixa, quia (ut dictum est) filii liberæ contempserunt filios Balæ et Zelphæ. Unde ut refert Lyra, in Hebræo habetur, Retulit patri rixam eorum pessimam. Verumtamen Rabbi Paulus contradicit his verbis Lyræ. Cui videlicet Lyræ indecens esse videtur, ut Patriarchis imponatur commixtio talis cum brutis. Ad quod dici potest, non esse incredibile eos sic corruisse, quum D primogenitus inter eos proprii patris accesserit conjugem, tam incestuosum adulterium perpetrans. Hinc Glossa fatetur : Crimen pessimum est fraternum odium, vel quod cum pecoribus miscebantur; vel solum Ruben accusavit de incestu, ut partem a toto accipiamus : non enim omnes accusavit. Sed huic ultimo verbo Glossæ objicitur, quod Ruben potissime restitit venditioni Joseph. Ad quod dici posset, quod forsan eo ignorante accusabatur a Joseph, vel accusationem suam æquanimiter tulit.

Quæritur, quare Joseph magis associavit se filiis Balæ et Zelphæ. Dici potest, quod ex caritate et humilitate ac pietate hoc fecit, pro eorum solatio, quia vidit eos contemni ab aliis. Potius tamen puto, quod filii Liæ magis ægre ferebant, quod pater eorum tam specialiter dilexit Joseph, et ideo duriores ei fuerunt, quamvis Ruben venditioni ejus magis restiterit : propter quod declinavit ab eis.

Israel autem, scilicet Jacob, *diligebat Joseph super omnes filios suos,* id est præ unoquoque eorum seorsum accepto, non plus omnibus aliis simul sumptis : sicque Omnes, accipitur hic divisim, non collective ; *eo quod in senectute sua genuisset eum.* Contra hoc objici potest, quia si illa ex causa maxime eum amavit, magis adhuc amasset Benjamin, quem post Joseph genuerat. Aliqui quoque ex filiis Jacob, vix uno duobusve annis erant ipso Joseph seniores. Respondetur, quod una causa, ob quam magis amavit Joseph, fuit, quod in senectute genuit eum; sed in hac causa insinuantur et aliæ majoris dilectionis illius causæ, videlicet quod in senectute sua genuerit filium tam elegantem præ aliis in bonitate indolis ingenitæ, honestateque morum et corporis forma, imo et gratia copiosa : solent quippe in senectute generari pueri magis defectuosi, propter naturalem defectum virtutis generativæ in senibus. Benjamin vero erat adhuc infantulus, nec poterant in eo tales amabilitates perpendi ; imo secundum Josephum (ut infra tangetur) necdum fuerat natus. Præterea Rabbi Paulus testatur, in Hebræo non haberi, Eo quod in senectute genuisset eum, sed, Eo quod filius senectutis esset sibi. Quod exponens translatio Chaldaica, ait : Israel diligebat Joseph, eo quod esset filius sapiens : siquidem consideravit, quod filius suus Joseph præ ceteris esset zelator justitiæ contra vitia fratrum, et amator virtutum. Et istud his quæ dixi, satis concordat.

Digitized by Google

Fecitque ei tunicam polymitam, id est sericeam, ut in Hebræo habetur, quia erat de panno multis coloribus perornato : idcirco vocatur polymita, a *poly,* quod est pluralitas, et † *mitos,* quod est gutta colorans ; vel ut in Scholastica historia habetur, polymitam, id est plurium mitorum, a *poly,* quod est pluralitas, et *mitos,* quod licium est textorum. Hieronymus vero circa hæc scribit : Pro tunica varia, id est polymita, Aquila interpretatus est ἀστραγάλειον, id est tunicam talarem, utpote usque ad talos pertingentem ; Symmachus vero, manicatam, id est manibus artificis mira varietate distinctam, seu manicas habentem. Antiqui enim magis colobiis, id est vestibus sine manicis utebantur. Hæc Hieronymus. Hinc alii dicunt, quod ceteri fratres Jacob utebantur colobiis, id est vestibus brevibus sine manicis, ut expeditiores essent ad opera. *Videntes autem fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amaretur* naturali et paterno amore, et etiam caritate infusa : hoc enim viderunt per signa diversa, et per singularitatem ac pretiositatem præfati vestitus ; *oderant eum.* Invidebant enim eminentiæ ejus in hoc, in quantum eorum judicio redundabat in eorum damnum ac dedecus : timuerunt namque quod pater eorum benediceret ei præ ipsis, et præferret eum omnibus eis, sicut et Isaac benedixerat ipsi Jacob, et prætulit eum Esau prius nato. Reputabant quoque confusibile eis esse, quod pater eorum sic amavit filium juniorem. *Nec poterant,* id est non valebant, difficulterque poterant *ei quidquam pacifice loqui.* Habitus enim est quasi altera natura : idcirco qui odio aut alio vitioso habitu sunt repleti, valde difficulter se vincunt.

Quæritur, an Jacob recte egit tam specialiter diligendo Joseph. Ad hoc Augustinus respondet, quod quamvis poterat tam præelectum a Deo puerum ac ceteris virtuosiorem, specialiter valde diligere, excessit tamen et aliquo modo peccavit, quod amorem illum specialem tam evidenter monstravit per signa ; quia per hoc dedit aliis filiis suis occasionem multiplicium vitiorum, videlicet indignationis, iræ, tristitiæ et rancoris, imo et tandem sceleratæ venditionis : propter quod etiam Deus permisit ipsum Jacob in hac vita tam dire affligi occasione Joseph, seu ex ejus venditione, ita quod eum putavit a bestia devoratum ; quoniam per quæ quis peccat, per hæc et punitur.

Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis ; quæ causa, id est quæ somnii illius relatio, *majoris odii seminarium fuit,* etc. Oderant autem eum fratres sui : Primo, quoniam accusavit eorum vitia apud patrem, in quo bene et caritative egit, quia ad patrem pertinebat filiorum suorum correctio, nec correptionem ipsius Joseph voluerunt ad partem accipere. Secundo, propter specialem pretiosamque vestem, quam tulit : ex cujus intuitu, tanquam ex sensibili signo illius tam specialis amoris patris ad eum, incitabantur ad passiones diversas, quasi pater eorum jam transtulisset aut transferre intenderet jus primogenituræ ad Joseph. Tertio, quia pater tam fervide dilexit eum præ ceteris. Quarto, propter somniorum narrationem quæ retulit ipsis, quæ ipsi adscripserunt gravi ambitioni atque superbiæ Joseph, quasi jam ex somniis suis præsumeret vaticinari, eos suæ jurisdictioni ac dominationi esse subdendos. Nam dixit : *Putabam nos ligare manipulos in agro,* id est, istud in somno apparuit mihi per somnium, seu visionem somnialem in somno per imaginarias formas ostensam : nempe ut Josephus refert, missus fuit a patre cum fratribus ad colligendum messem ; *et quasi consurgere manipulum meum et stare :* recteque dixit, Quasi ; quia visio fuit, non res ; *vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres ejus : Numquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni,* id est jussioni *tuæ?* quasi dicant : Nequaquam ; quod tamen somnium tuum videtur evidenter prætendere : idcirco omnino phantasticum est, aut superbe confictum a

Digitized by Google

te. *Hæc ergo causa somniorum atque sermonum,* id est introductio somnii jam narrati ac enarrandi, et eorumdem relatio, vel causa hæc somnialis et sermo præfatus, *invidiæ,* quæ est tristitia de prosperitate et gratia seu virtute alterius, *et odii,* etc., quod directe opponitur caritati : estque malitiosa volitio, qua aliquis vult alteri malum, directe odiendo personam ejus secundum se : quod secundum unam considerationem est peccatum gravissimum, quia directe contrariatur summæ virtuti, quæ caritas appellatur; et sicut odium Dei est absolute gravissimum vitium, sic odium proximi gravissimum perhibetur inter vitia quæ contra proximum sunt.

Aliud quoque vidit, visione imaginaria, non intellectuali, *somnium, quod narrans fratribus, ait : Vidi per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me.* Hoc somnium idem significat, quod primum, et quodam modo aliquid plus; fuitque confirmatio somnii præcedentis. Verumtamen ipsemet Joseph non intellexit pro certo significationem somniorum et visionum istarum : idcirco non fuit adhuc propheta, sicut postea quando exposuit somnia Pharaonis, quoniam intelligentia
Dan. x, 1. est opus in visione : attamen conjiciebat ipse sapiens puer, quid hæc somnia prætendebant; sed certus non fuit, an essent ex causa pure naturali, aut fortuita et illusiva, an ex operatione superna et administratione angelica. *Quod quum patri suo et fratribus retulisset.* Jam dictum est, quod somnium istud retulit fratribus suis; et nunc denuo fertur cum additione, quod retulit illud patri suo ac fratribus. Aut ergo primo retulit illud fratribus tantum, et postea simul tam patri quam ipsis; aut jam suppletur quod ante omissum fuit, videlicet quod a principio retulit illud omnibus eis simul. Potius tamen puto, quod postquam retulerat somnia sua fratribus, ipsi indignantes recitaverunt ea patri, ut provocarent eum contra Joseph, quasi contra phantasticum et superbum : ideoque pater interrogavit eum de somniis suis, et

A tunc coram eo et fratribus repetiit ea, vel saltem ultimum istud; nec tamen ex levitate aut vanitate recitavit ea fratribus suis, sed ex inspiratione divina, quatenus suo tempore ad memoriam revocarentur, et sciretur quod ex divina providentia evenerunt ea, quæ contigerunt Joseph et fratribus suis. *Increpavit eum pater, et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti?* id est, quid designat? quasi dicat : Frivolum esse videtur. Ideo subdit : *Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus*
B *te super terram?* quasi dicat : Somnium tuum videtur insinuare, quod ego pater tuus designer per solem, et mater tua per lunam, fratresque tui per stellas, et quod adoratione duliæ simus te adoraturi in vita præsenti, quod apparentia caret.

Invidebant ergo ei fratres sui. Pater vero rem tacitus considerabat, id est, secrete diligenter pensavit, quid somnia ista significarent. Quamvis enim sic loquebatur, quasi Joseph ea præsumptuose narra-
C ret, et quasi inania essent, ad placandum filios suos contra Joseph accensos : quia interdum licet, ex rationabili causa, uti tali industria, et veritatem celare, et per modum increpantis ad inculpabilem se habere; nihilo minus intra se cogitavit, somnia illa aliquid secretum prætendere, præsertim quia jam miram probitatem et supernaturalem directionem vidit in Joseph; imo secundum Josephum, Jacob exposuit ipsi Joseph hoc somnium, et Joseph proposuit illud patri, ut exponeretur ei
D ab ipso. Præterea intuendum, quod hæc somnia causabantur in eo ex operatione angeli sancti, qui similitudines illas in interiori sensu Joseph formavit; nec tamen adhuc revelavit eidem significationem visionum illarum, quanquam etiam possent alicui naturaliter talia somnia apparere.

Circa hæc quæritur, qualiter verificatum fuerit ultimum somnium Joseph. Aut enim habuit illud ante mortem matris suæ, aut postea : Si ante, ergo Benjamin nondum exstitit natus, ergo non debuit

Digitized by Google

loqui de undecim stellis, sed de decem A dumtaxat. Si postea, ergo non debuit loqui de luna, per quam sua mater exprimitur, quia jam mortua fuit, nec eum unquam adoravit. Rursus, et si adhuc vixit, nunquam tamen legitur eum adorasse, nec intravit Ægyptum, sed ante ingressum Jacob in Ægyptum, fuit defuncta. Nec Jacob unquam legitur suum filium adorasse, imo nec humilis Joseph hoc permisisset.

Circa hoc quæritur, an mater Joseph fuit ante hanc ejus visionem ac venditionem defuncta. Videtur quod sic, ex ordine B recitationis historicæ, quoniam ante hæc describitur mors ipsius, et si ipsa adhuc vixisset, ipse retulisset et ei fortassis somnia sua. Infra quoque in isto habetur capitulo, quod Joseph missus fuit a patre suo de valle Hebron ad fratres suos : ergo Jacob habitavit tunc in Hebron, aut circa, post reditum suum a Mesopotamia : et hoc fuit postquam visitavit Isaac patrem suum, quæ visitatio facta est Rachele defuncta, ut ex præhabitis elucescit.

Oppositum tamen hujus videtur, quia in C textu ex verbis Jacob habetur : Numquid ego et mater tua, etc. ? Item quoniam Joseph vidit solem et lunam ac undecim stellas, atque per lunam ejus mater designabatur : ergo vixit adhuc. Insuper, secundum expositores concorditer, Joseph venditus fuit duodecim vel (ut alii dicunt) tredecim annis ante mortem Isaac avi sui ; imo, secundum Augustinum, et habetur in Glossa, vivente Isaac, Joseph cœpit esse decem et septem annorum : hoc tamen loquitur Augustinus secundum translatio- D nem Septuaginta, cui in hac parte nec nostra translatio, nec Hebraica veritas consonat. Rachel autem non videtur tot annis ante Isaac mortua. Postremo, quando Joseph dominabatur in Ægypto, suisque fratribus loquebatur, videtur primo ignorasse se fratrem uterinum habere, ut infra patebit : ergo ante obitum suæ matris venditus fuit.

Rursus in contrarium est, quia quando Jacob cum suis intravit Ægyptum, intra- *Gen.* XLVI, 21. verunt cum eo novem filii Benjamin, ut infra continetur, vel potius filii decem. Si autem Benjamin natus fuisset post Joseph venditionem, non potuisset habere novem filios quando Jacob intravit Ægyptum, præsertim quia non habuit nisi conjugem unam, et inter venditionem Joseph descensumque patris sui in Ægyptum, non fluxerunt nisi viginti duo anni : et ita si Benjamin, qui matre sua moriente natus est, post Joseph venditionem natus dicatur, non erat adhuc plene viginti duorum annorum, quando pater suus intravit Ægyptum, nec in ea ætate potuit ex una uxore filios novem habere, præsertim quia tunc homines non contrahebant tam mane.

Ad istud dicendum, quod Josephus scribit Joseph venditum esse Rachele matre sua vivente, propter motiva præhabita : et istud auctor Scholasticæ historiæ videtur amplius approbare. Alii vero propter rationes prætactas dicunt oppositum. Itaque in Scholastica historia legitur Joseph duodecim annis venditus ante obitum Isaac, quoniam Isaac sexagenarius erat quando *Gen.* XXV, 26. natus est Jacob, ut patuit capitulo vicesimo quinto. Isaac autem vixit in toto cen- *Ibid.* XXXV, 28. tum octoginta annis, ut dictum est capitulo tricesimo quinto : ergo in morte Isaac Jacob fuit centum viginti annorum. In venditione autem filii sui Joseph, fuit centum et octo annorum. Quum enim venit ad Joseph in Ægyptum, fuit centum triginta annorum ; sed inter descensum ejus in Ægyptum et venditionem Joseph, fluxerunt viginti duo anni. Joseph enim decem et septem annorum erat, quando venditus est ; et triginta novem, quando pater ejus venit ad eum in Ægyptum. Dum ergo rediret Jacob de Mesopotamia, et nondum venisset ad Isaac patrem suum, adhuc vivente Rachel, secundum Josephum, venditus est Joseph, et congrue Jacob dicere potuit : Numquid ego et mater tua adorabimus te ? quia mater ejus adhuc vivebat. Tamen nec mater ejus adoravit eum, quia non descendit in Ægyptum ; nec pater eum legitur adorasse, quia nec Joseph sus-

Digitized by Google

tinuisset ; sed fratres adoraverunt et parentes in filiis. Hæc ibi.

Verumtamen non obstantibus his, magis apparet quod Rachel defuncta sit ante Joseph venditionem, præsertim propter ultimam rationem ad hoc inductam de Benjamin : cui adjici potest, quod Joseph qui tam diligenter interrogavit a fratribus suis in Ægypto, an viveret pater eorum, nihil interrogavit de vita aut morte uxorum ipsius, quasi certus de obitu propriæ matris. Porro ad objecta respondetur, quod ideo Joseph vidit solem et lunam, quia parentes ejus adoraverunt eum non in propriis personis, sed in filiis suis, ut Rachel per Benjamin. Apostolus tamen testatur, quod Jacob adoravit fastigium virgæ ejus, videlicet Joseph. Nec absurdum videtur, si dicatur Jacob interdum aliquam duliæ adorationem exhibuisse suo filio in Ægypto, tanquam supremo illius principi terræ post Pharaonem, nec ad hujusmodi adorationem requiritur in terram prostratio aut genuflexio. Porro quod Jacob dixit, Numquid ego et mater tua adorabimus te? non dixit ad innuendum quod hoc fieri posset, aut mater adhuc viveret, sed ad insinuandum quod hoc fieri non valeret, quasi per hoc insinuans, visionem Joseph reputandam non esse, ad placandum filios suos per modum prætactum. Ad aliud quoque dicendum, quod Joseph in Ægypto fratribus suis primo loquens, scivit se fratrem uterinum ante suam venditionem habuisse ; sed an adhuc viveret, ignorabat, præsertim quia non vidit eum cum suis fratribus advenisse : idcirco quæsivit an adhuc alium fratrem haberent.

Quumque fratres illius in pascendis gregibus patris sui Jacob *morarentur in Sichem,* id est in loco sic dicto prope urbem sic appellatam : et forte interdum erant in urbe illa, interdum in campo et pascuis ; *dixit ad eum Israel,* etc., id est Jacob pater suus, qui alio nomine Israel nuncupatur. *Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos,* etc. *Missus de valle Hebron,* etc., in qua Jacob tunc habitavit, sicut et Isaac ante eum : ex quo videtur, stare non posse quod Josephus scribit, Joseph venditum esse, antequam pater ejus venisset ad Isaac qui habitavit in Hebron. *Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain,* puta in loco et planitie seu pascuis terræ sic dictæ. Iverunt enim fratres ejus de loco ad locum, secundum quod congruebat eis, ad inveniendum terras aptiores pro suorum pecorum pastu, quæ plurima erant valde, atque unius agri gramina cito carpebant.

Qui quum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, ex vehementi invidia, et ad ostendendum vanitatem et falsitatem somniorum ipsius, et ne unquam aliqua occasione eis præficeretur. Verumtamen non omnes, sed major aut magna eorum pars illud concepit et implere proposuit. *Et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit. Venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem,* etc., id est, cadaver ejus exstinctum projiciamus in hunc lacum seu puteum exsiccatum, ne unquam inveniatur ab aliquo. *Audiens autem hoc Ruben,* etc., *dicebat : Non interficiamus animam ejus,* etc., id est ipsum, partem pro toto accipiendo, ut moris est Scripturarum, vel animam, id est animalem et sensitivam vitam ipsius. Unde ex hoc loco probari non potest, animam hominis esse mortalem, ut Sadducæi dixerunt : imo in Prophetis interdum invenitur hic modus loquendi, juxta illud in Jeremia, Ne veniat Ismael et interficiat animam tuam; quum tamen certissimum sit, Prophetas sanctos posuisse quod immortalis sit anima rationalis. Ideo Sadducæi mendaciter imposuerunt Moysi sancto, quod docuerit animam hominis esse mortalem. *Sed projicite eum in cisternam veterem,* etc. Ruben voluit ut projiceretur vivus in eam, quatenus paulo post fratribus absentibus eum extraheret ; idcirco subjungitur : *Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo :* imo magis optabat eum eripere absque projectione in cisternam ;

Hebr. XI, 21. Act. XXIII, 8. Jer. XL, 15.

Digitized by Google

sed quum non posset hoc, consuluit ut A in cisternam projiceretur. Commemoravit quoque Ruben fratribus suis, quam grave facinus esset interficere proprium fratrem, et quantum pater eorum affligeretur de morte Joseph.

Confestim ergo ut pervenit ad fratres, nudaverunt eum tunica talari et polymita, etc., de qua dictum est. Circa quod dicit Lyra : In Hebræo habetur, Exspoliaverunt eum tunica sua et tunica serica : ex quo videtur, quod Joseph indutus fuit tunica duplici, una simplici et alia serica. B His contradicit Rabbi Paulus : In Hebræo, inquiens, habetur, Spoliaverunt eum tunica sua tunica serica ; ac si dicat, Tunica sua quæ serica fuit : unde ex hoc non habetur, quod habuit duplicem tunicam. *Et sedentes,* etc., *viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad,* id est de terra sic appellata, *et camelos eorum portantes aromata et resinam,* quæ est species odoriferi gummi, *et stacten,* id est myrrham, *in Ægyptum,* ad vendendum ibidem. *Dixit ergo Judas fratribus suis : Quid proderit* C *nobis si occiderimus fratrem nostrum,* etc. ? quasi dicat, Enorme crimen esset. *Melius,* id est minus malum, *est ut venundetur Ismaelitis,* etc. *Acquieverunt fratres sermonibus illius :* qui aliquid rationabilitatis continebant in se, idcirco dicuntur sermones ; imo comparative loquendo, multo sapientius loquebatur, quam illi qui voluerunt Joseph occidere. Fuit autem Judas inter fratres suos fortior corpore atque prudentior verbis, dempto quod Joseph eo sapientior fuit. Verum ut Salomon loquitur : D
Prov. XXI, 30. *Job* V, 13. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. Judas quippe et fratres ejus vendiderunt Joseph, ut duceretur in Ægyptum, quatenus elongatus ab eis, nequaquam posset eis præferri ; sed quod putaverunt esse obstaculum præsidentiæ ipsius Joseph super eos, factum est occasio et adminiculum præsidentiæ hujus.

Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis. Aliqui libri habent, Triginta argenteis, et verba beati Hieronymi in Glossa sic continent, si tamen correcta est Glossa. Ismaelitæ autem et Madianitæ hic pro eisdem accipiuntur. Vel quia Ismaelitæ in terra Madian habitaverunt, vel quia per conjugium aut alio modo facti sunt populus unus, aut quia Agar de qua natus est Ismael et Cetura, de qua Madian genitus est, fuit eadem Abrahæ uxor, ut factum est supra. Hinc Augustinus : Cur scriptura hæc Ismaelitas vocat Madianitas, quum Ismael sit filius Abrahæ ex Agar, Madian vero ex Cetura ? An quoniam teste Scriptura, Abraham dedit filiis Agar et Ceturæ munera, divisitque eos ab Isaac, ideo una gens facti sunt ? An vera est Hebræorum opinio, quod Agar et Cetura una fuerunt ? Hinc quoque errant Judæi, qui dicunt quod Joseph ter venditus sit, primo Ismaelitis a fratribus suis, secundo Madianitis ab Ismaelitis, tertio magistro militiæ Pharaonis a Madianitis, præsertim quum infra tricesimo nono capitulo scriptum sit, quod Ægyptius ille emit Joseph ab Ismae- *Gen.* XXXIX, 1.
litis. *Qui duxerunt eum in Ægyptum.* Infra habetur, quod Ruben in Ægypto locutus est fratribus suis : Merito hæc patimur quia *Ibid.* XLII, 21.
peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus dum deprecaretur nos. Ex quibus verbis aliqualiter elici valet, quanta angustia, formido, desolatio, mœror, penetravit animam pii, innocentis, adolescentisque Joseph, quando a fratribus suis sic nudabatur, et in foveam mittebatur, seque ab eis mox occidendum putavit, et quando deinde illis duris atque ignotis vendebatur hominibus, et in terram ducebatur remotam, separatus a suo carissimo patre, quem putavit se amplius non visurum. O quam lacrimose et affectuosissime fratres suos rogabat, ut sui misererentur ! Vere multæ tribulationes electorum Altis- *Ps.* XXXIII, 20.
simi.

Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum. Ait Josephus, quod in no-

Digitized by Google

cte ivit ad lacum. Quumque ei clamanti A Joseph non responderet, quem intendebat occulte extrahere ac reddere patri, de mane venit ad fratres. *Et scissis vestibus,* juxta consuetudinem Hebræorum, qui in præcipuis adversitatibus suas consueverunt scindere vestes, in signum interni et excessivi doloris, *pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, et ego quo ibo?* quasi dicat : Non invenio Joseph, ideo nescio quo præ dolore transibo. Putabat namque Joseph a fratribus esse occisum; sed cognito quod adhuc viveret, aliquali- B ter requievit. Unde constat, quod Ruben venditioni Joseph præsens non fuit. Ivit enim, ut dicit Scholastica historia, ad quærendum pascua meliora, atque (ut alii dicunt) ideo revertebatur, ut fratres suos induceret ad accedendum pascua jam inventa, quatenus eis absentibus extraheret ipsum Joseph, ac redderet eum patri. *Tulerunt autem tunicam ejus,* et laceraverunt, secundum Josephum, ut putaretur dilaniata a bestia, *et in sanguine hœdi quem occiderant, tinxerunt,* etc. *Quam* C *quum cognovisset pater, ait: Tunica filii mei est. Fera pessima comedit eum,* etc. Hoc putavit, nec formaliter mentiebatur. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Sed cur auxit sibi afflictionem induendo cilicium? An ut filio carissimo ostenderet se nimium condolere? vel pro relevamine animæ ejus, aut ut impetraret misericordiam Dei, si forte aliqua spes esset superstes de recuperatione filii prædilecti? *Congregatis autem cunctis liberis ejus,* etc., *noluit con-* D *solationem accipere:* quum tamen de irremediabilibus malis non sit ita tristandum, sed contra ea valeat oblivio; *sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum,* id est ad sinum ac limbum patrum, qui fuit in superiori parte inferni. Ac si dicat : Filium meum usque ad mortem deflebo, flendoque moriar, ut sic filio meo in tali loco inferni secundum animam jungar. Tamen (secundum Augustinum) verba hæc Jacob forsan fuerunt verba perturbati dolentisque animi, et proprias culpas exaggerantis.

Et illo perseverante in fletu. In Hebræo (ut refert Lyra) habetur sic, Et flevit eum pater suus, quod Hebræi exponunt de Isaac, tunc adhuc vivente, quem dicunt simul cum Jacob ipsum Joseph flevisse. *Madianitæ,* id est Ismaelitæ, *vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum;* sed pro quanto pretio, Scriptura non exprimit. Secundum Hieronymum, quidam dixerunt, Archimagiro, id est principi coquorum. Nam apud nonnullos, dapifer regis honorabilior est minister, princepsque militum. Unde et Josephus ait hic, Principi coquorum. Circa hæc quærit Hieronymus, quomodo Putiphar iste vocetur eunuchus regis, quum infra legatur habere uxorem. Ad quod respondet : Tradunt Hebræi, quod Putiphar emit ipsum Joseph, ob pulchritudinem ejus, in turpe obsequium, hoc est, ut misceretur ei contra naturam : propter quod Deus custodiens Joseph, infrigidavit Ægyptium. Ideo ἱεροφάνται, id est sacerdotes idolorum, elegerunt eum ad pontificatum Heliopoleos, hoc est civitatis solis, ut infra habebitur; fuitque tunc honorabilior auctoritate, quam ante in principatu. Itaque vocatur eunuchus, non sicut qui parvuli castrabantur, sed quoniam instar illorum impotens fuit : vel ut alii dicunt, eunuchi regum ac principum sæpe vocantur, servi eorum honesti et casti; quia et infra princeps pincernarum et princeps pistorum Pharaonis, appellantur ejus eunuchi.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXXVI

DE EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI MYSTICO SENSU.

De allegoria et tropologia præsentis capituli, a catholicis viris scripta sunt multa. Est enim specialis virtus in verbis hujus materiæ, beatissimum Joseph patriarcham concernentis; et quotiescumque legatur, quantumcumque quoque sciatur, semper tamen cum speciali aviditate auditur, et legentium ac audientium movet et accendit affectum. Est equidem ista materia valde mysterialis et spiritualibus plena sententiis, quæ nunc succinctim dumtaxat, breviterque tangenda sunt, ut vitetur prolixitas, et quæ alibi plenius dicta sunt, non repetantur superflue. Itaque Joseph pene in omnibus figura est Christi. *Joseph quum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis.* Sic et Christus Filius Dei, in juventute sua prædicando, miracula faciendo, sanctissime conversando, pascebat populum Synagogæ, non solum cum suis Apostolis, quos per diversa Judææ loca ad prædicandum direxit, sed item cum sacerdotibus, Scribis ac Pharisæis, ex semine Patriarcharum, sicut et Christus, natis. Denique, sicut Joseph ex pietate et humilitate fuit cum filiis Balæ ac Zelphæ : sic Christus Sadducæos, publicanos, ac peccatores admisit piissime; imo incomprehensibili humilitate cum illis conversari ac vesci dignatus est, ut eos sic traheret ad salutem.

Joseph *accusavit fratres suos crimine pessimo* apud Jacob : sic et Christus coram Patre æterno accusavit induratos Judæos de infidelitate, quæ pessimum crimen est, dicens : Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Multipliciter quoque et acriter reprehendit Judæos, potissimum sacerdotes, Scribas et Pharisæos, de pessimo hypocrisis vitio, de ambitione, cupiditate ac consimilibus. Jacob *diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute sua genuisset eum.* Sic et Deus Pater Jesum Christum præ omnibus participibus ejus incomparabiliter diligit, quia in sua æternitate genuit eum, in quantum est Deus, juxta illud, Ex utero ante luciferum genui te; atque in ultima mundi ætate, procreavit eum secundum assumptam humanitatem ex Virgine gloriosa. Unde in baptismo et transfiguratione Christi locutus est ei : Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Jacob fecit filio suo Joseph tunicam polymitam ac talarem : et Deus Pater ornavit Christi humanitatem amictu splendidissimo universarum virtutum, omnique ornatu ac varietate donorum et fructuum Spiritus Sancti, a summa vi animæ ejus usque ad infimam, prout capere poterat. Potest quoque per tunicam istam universitas electorum signari, qua Christus tanquam salvator ac caput eorum venustissime decoratur, juxta illud in Isaia, His omnibus quasi vestimento ornaberis.

Insuper, sicut fratres Joseph inviderunt eidem, eo quod a patre plus omnibus amaretur, et quia sic accusavit eos; sic impiissimi sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi, videntes quod Jesus eos in omni sapientia, eloquentia, vita, fama, miraculisque excederet, tanquam carissimus Deo, implacabilem contra ipsum conceperunt invidiam, ita quod gravis eis exstitit ad videndum. *Nec poterant ei quidquam pacifice loqui,* nisi forsan ex simulatione, ut eum caperent in sermone. Rursus, sicut Joseph vidit somnia præsaga futurorum, quibus suam super fratres suos præsidentiam præ-

Marginal references: Joann. xv, 22. — Hebr. I, 9. — Ps. CIX, 3. — Luc. III, 22 et Matth. XVII, 5. — Is. XLIX, 18. — Joann. XI, 47 et seq. — Sap. II, 15. — Matth. XXII, 15.

Digitized by Google

signavit, eisque retulit; sic Christus omnium excellentissimus Prophetarum, præcognovit in Spiritu qualiter præferendus esset universæ Ecclesiæ, atque a cunctis Judæis electis colendus ac adorandus, quod et eisdem sæpe prænuntiavit, Prædicabitur, inquiens, hoc Evangelium in universo mundo. Et, Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Et, Nemo venit ad Patrem nisi per me.

Amplius, sicut fratres dixerunt ad Joseph, *Numquid rex noster eris?* sic perversi Judæi dixerunt de Christo, Nolumus hunc regnare super nos. Et, Non habemus regem nisi Cæsarem. Quumque Salvator dixisset se esse Christum Dei electum; et, Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, ac venientem in nubibus cœli; pontifex insania agitatus, scidit vestimenta sua, et ait ad suos : Quid vobis videtur? Responderuntque omnes, Reus est mortis. Sed Christo a mortuis suscitato, adoravit eum sol, hoc est universalis Ecclesia, et luna, id est quæcumque Ecclesia particularis, congregatioque devota, et stellæ, utpote ecclesiasticæ personæ. Jacob misit Joseph ad fratres suos pecora custodientes, ad videndum quid agerent : et Pater misit Christum ad Synagogam, ad instruendum, considerandum, spiritualiterque alendum tam ipsos Judæorum pastores et superiores, quam eorum subjectos. Rursus, sicut fratres viso a longe Joseph ad eos veniente, locuti sunt, *Ecce somniator venit; venite, occidamus eum :* sic indurati Judæorum superiores de Christo dixerunt, Insanit, dæmonium habet, seducit turbam; et cogitaverunt interficere eum. Quemadmodum autem Ruben nitebatur eripere Joseph; sic Nicodemus et aliqui boni Judæi nitebantur Christum de manibus eruere Judæorum.

Interim, sicut Joseph a fratribus venditus est Ismaelitis; sic Christus a discipulo Judæis sævissimis, pro triginta argenteis : quemadmodum etiam Joseph venditus, ductus est in Ægyptum; ita Judæi Christum emptum mox tradiderunt gentilibus ad interficiendum : et sicut fratres tinxerunt tunicam Joseph in sanguine hœdi, et ab ejus venditione voluerunt immunes videri; sic condemnati Judæi, procuraverunt corpus Christi proprio cruore perfundi, et ab ejus interfectione voluerunt reputari immunes, dicentes sanctis Apostolis : Vultis super nos inducere sanguinem hominis hujus. Hinc Christum sciscitati sunt in ascensione sua gloriosi angeli : Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Præterea, sicut Joseph bis venditus est; ita et Christus : semel a proditore, deinde post resurrectionem suam a principibus sacerdotum et senioribus, qui pecuniam copiosam dederunt militibus Christum resurrexisse narrantibus, ut dicerent corpus ejus a discipulis suis furto sublatum, quatenus per hoc auferrent Christum de cordibus hominum, atque perpetuæ traderent eum oblivioni. Postremo, sicut Jacob inconsolabiliter flevit filium suum; sic Patri æterno quasi implacabiliter displicuit interfectio Unigeniti sui ex parte odii, crudelitatis, et malitiositatis occidentium eum. Unde pervenit super Judæos ira Dei usque in finem, et finis eorum vastitas, et usque in finem eorum desolatio perseverat.

Marginal references: *Matth.* [xxiv], 14. — *Joann.* VIII, [28]. — [*Id.*] XIV, 6. — [*Luc.*] XIX, 14. — [*Joann.*] XIX, [15]. — *Matth.* [XXVI], 64. — [*Id.*] 65, 66. — *Joann.* X, [20]; VII, 12, [32]; [X]I, 53. — *Matth.* XXVI, 14, 15. — *Joann.* XVIII, 35. — *Act.* V, 28. — *Is.* LXIII, 2. — *Matth.* XXVIII, 12, 13. — I *Thess.* II, 16. — *Dan.* IX, 26, 27.

ARTICULUS LXXXVII

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI OCTAVI : EODEM TEMPORE DESCENDENS JUDAS A FRATRIBUS SUIS.

IN isto capitulo describitur generatio Judæ, quia ex ejus propagine Christus fuerat nasciturus. *Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem,* id est de civitate nomine Odolla natum, vel civem ibidem, *nomine Hiram*. Refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod filii Jacob videntes patrem suum inconsolabiliter lamentari, quia credebat mortuum Joseph, cœperunt esse molesti Judæ, eo quod dederit consilium venditionis Joseph, idcirco recessit ab eis. Istud reor incertum aut fabulosum. Potuisset B enim se Judas excusare, dicendo : Idcirco consului ut venderetur, quia vos voluistis eum occidere, ideo magis rei estis quam ego. *Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue.* Circa hoc scribit Lyra : Sue non est nomen uxoris Judæ, sed patris uxoris illius. Huic autem dicto contrariatur quod infra in isto capitulo scriptum est : Evolutis multis diebus, mortua est Sue uxor Judæ. *Et accepta uxore, ingressus est ad eam. Quæ concepit et peperit,* etc., successive tres filios, ut patet in littera quæ plana est. *Quo,* scilicet tertio filio, *nato, parere ultra cessavit.* C

Dedit autem Judas primogenito suo uxorem nomine Thamar. Fuitque Her, primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini, id est, abutens vasculo suæ uxoris, et extra illud semen fundens. Quidam vero assignat causam hujus nequitiæ seu abusus, quæ causa videtur apparentiam non habere : quod propter fœditatem materiæ probare omitto. *Et* ideo *ab eo occisus est,* id est, Deus repente occidit hunc nequam pro tanta sua nequitia : et fecit Deus D hanc ultionem per angelum vel bonum

A aut malum ; atque (ut in Scholastica historia legitur) inventus est mortuus in lecto juxta uxorem. Quo exemplo terreri debent immundi et molles. Enormitas quoque hujus criminis indicibilis patet, quod etsi exsecrabiliter fiat cum meretrice, exsecrabilius tamen fit cum uxore ; gravius quoque est quam naturalis cum propria matre concubitus, ut asserit Augustinus. *Dixit ergo Judas ad Onan filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi.* Ordo verborum præposterus est : primo enim præcepit filio suo Onan, ut illam acciperet conjugem ; quo facto, cognosceret ipsam. *Ut suscites semen fratri tuo,* id est filium gignas ex Thamar, qui fratri tuo mortuo adscribatur, et ejus filius sit legalis. Ex hoc elicitur, esse aliqua observata ab Hebræis ante Moysis tempora, quæ ipse deinceps scripsit in lege. Et quæri posset, a quo istud præceptum accedendi uxorem fratris defuncti, primo datum sit et inceperit. De hoc forsitan post dicetur. *Ille,* scilicet Onan, *sciens non sibi nasci filios,* id est, quod primus filius quem ex Thamar procrearet, non sibi, sed defuncto fratri suo adscriberetur, *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram,* id est, inutiliter et innaturaliter uxorem cognovit, sicut de fratre ejus prædictum est. *Idcirco percussit eum Dominus,* etc., id est occidit, quemadmodum fratrem suum.

Evolutis autem multis diebus, mortua est Sue uxor Judæ. Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Mortua est filia Sue : ex quo infert, quod Sue fuit nomen patris uxoris Judæ. Ego autem credo Hieronymo sæpe dicenti, nihil se mutasse de Hebraica veritate. Hebræi vero perfidi, qui post

Digitized by Google

Christi fuerunt adventum, veritatem litteræ in locis aliquibus corruperunt. Potuit quoque accidere, quod uxor Judæ habuerit nomen multum simile nomini patris sui, ita ut pater vocatus sit Sua, et ipsa filia Sue, quemadmodum in Latino aliquis pater vocatur Joannes aut Jacobus, et filia ejus Joanna aut Jacoba. Unde et Rabbi Paulus insinuat, quod pater uxoris Judæ dictus est Sua. Ita, si Hebraica veritas habet, Mortua est filia Suæ, potest ita intelligi, Mortua est Sue, quæ fuit filia viri nomine Sua. *Qui,* scilicet Judas, *post luctum* quo uxorem suam defleverat, *consolatione accepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio,* id est pastor gregis, qui forte venit pro Juda, ut ovium suarum interesset tonsioni, ac more tunc solito faceret suis grande convivium, prout in libris Regum narratur de Nabal et Absalone; *Odollamites,* id est de urbe Odolla, de qua in primo Regum libro habetur, Ascendit David ad speluncam Odollam; et Michæas ait, Usque ad Odollam veniet gloria Israel; *in Thamnas,* id est ad locum circa oppidum sic vocatum, de quo illud Judicum quidam exponunt, Descendit Samson in Thamnatha.

[Margin: *eg.* xxv, — *Reg.* xiii, — *eg.* xxii, — *ch.* i, 15. — *dic.* xiv,]

Nuntiatumque est ipsi Thamar, quod socer illius, videlicet Judas, cujus filios habuit maritos, *ascenderet in Thamnas ad tondendas oves,* per manus servorum suorum. *Quæ, depositis viduitatis vestibus.* Ex quo verbo perpenditur, quod illis temporibus viduæ portabant specialia vestimenta, utpote humilitatem simplicitatemque prætendentia. Hinc quoque fertur de Judith, quod exuit se vestimentis viduitatis. Multum ergo corripiendæ sunt viduæ christianæ, quæ curiose aut pompatice vestiuntur. *Assumpsit theristrum,* id est album velamen, seu æstivalem ac lineam vestem, *et mutato habitu,* utpote meretriculari veste assumpta, *sedit in bivio itineris quod ducit Thamnam,* id est in compito seu capite duarum viarum, ubi viator diligentius debet considerare quo pergat; *eo quod crevisset Sela,* videlicet

[Margin: *ith* x, 2.]

A tertius filius Judæ residuus, *et cum non accepisset maritum,* etc. Hoc est, idcirco ita ornavit se, et tanquam meretrix se exposuit Judæ, non ex libidine, sed desiderio prolis habendæ, quam putabat se non adepturam ex filio Judæ, quia Judas non dedit ei filium illum maritum : ideo ex Juda impraegnari optavit; atque (ut aliqui opinantur) idcirco potius concupivit fecundari ex Juda, quia cognovit Christum ex ejus semine nasciturum : sicque aliqualiter excusatur hæc Thamar de incestu, sicut de filiabus

B Lot dictum. *Ingrediensque ad eam Judas, ait : Dimitte me ut coeam tecum,* etc. *Et illa dicente : Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem,* id est pignus pretii quod pro concubitu promisisti. Arrha quippe vocatur pars pretii : inde dicitur arrhabo, quasi arrha bona, et est id quod datur post taxationem pretii loco dandi; sicque Judas dedit ei pro pignore annulum et armillam, scilicet aurium ornamentum, et baculum suum. *Ad unum igitur coitum concepit mulier* geminos, etc. *Misit autem*

[Margin: *Gen.* xix, 31 *et seq.*]

C *Judas ei hœdum,* sicut promisit, *per pastorem suum,* etc. *Qui quum non invenisset eam,* etc., *reversus est ad Judam,* etc. *Ait Judas : Habeat sibi,* id est, pignus illud teneat sibi pro hœdo; *certe mendacii arguere nos non poterit,* etc. Ex hoc verbo Thomas concludit, quod homines interdum faciunt sibi conscientiam majorem de culpa minori, quam graviori : quemadmodum Judas de mendacio, quod non est semper mortale, quam de fornicatione quæ semper mortale peccatum est,

[Margin: Thom. super IV Sent., dist. 33, q. 1, art. 3.]

D loquendo de ea formaliter. Porro, ut recitat Lyra, in Hebræo habetur, Habeat sibi, ut non simus despectui : quod sic exponunt Hebræi, Sit suum quod habet de meo, nec amplius illam quæras, ne hoc factum meum divulgetur ad meam confusionem.

Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ, dicentes : Fornicata est Thamar, etc. *Dixitque Judas : Producite eam ut comburatur.* Evidentia etenim facti, probationem majorem non exigit. Sed quæri potest, unde Judæ ista auctoritas, ut eo

Digitized by Google

jubente ducta sit ad comburendum ; et eo jubente, dimissa sit. Rursus, videtur Judas injuste jussisse ut combureretur, quia adulterium non commisit. Non enim pro tunc habebat maritum : et dato quod adulterium perpetrasset, non tamen ob hoc comburi, sed leviori morte puniri promeruit. Ad istud (ut Rabbi Paulus enarrat) quidam Hebræi satis rationabiliter dicunt, quod Judas fuit illo in loco quasi princeps et judex, et quod ex ore ejus fiebant judicia, atque in isto negotio judicavit non secundum leges jam datas, sed juxta suum proprium arbitrium. Posset quoque dici, quod Judas dicitur id fecisse, quod a judice loci illius fieri procuravit ; Scriptura vero cursorie refert istam historiam. At vero Lyra refert, quod Hebræi dicunt hanc Thamar fuisse filiam Melchisedech regis ac sacerdotis, quoniam filia sacerdotis fornicans sive adulterans, erat comburenda : quod dictum reprobat Lyra, eo quod Judas dixit ad Thamar, Esto vidua in domo patris tui ; Melchisedech autem mortuus fuit tempore illo. Sed quidquid sit de veritate dicti illius, reprobatio ista infirma est. Nam dicitur aliquis esse et habitare in domo patris sui, patre defuncto. Dicit quoque Lyra, quod Thamar commisit adulterium cum Juda : quod non videtur, quoniam nondum erat matrimonialiter juncta Selæ filio Judæ, quamvis debebat eum accipere, et forte sponsalia erant inter Selam et Thamar contracta. Hinc alii dicunt, quod Judas peccavit adjudicando hanc Thamar morti, quia non meruit hoc.

Quæ quum duceretùr ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens : De viro cujus hæc sunt, concepi, etc. *Qui agnitis muneribus ait : Justior me est, quia non tradidi eam Selæ filio meo,* etc. Ex hoc probatur, quod nondum fuit sociata conjugio Selæ. Denique, quamvis Judas locutus sit, Justior me est, ambo tamen peccaverunt mortaliter in hoc facto. Quod si quæratur quis eorum magis peccarit, respondet Hieronymus : Comparatione Judæ, Thamar minus male fecit, quia non vaga turpitudine, sed filios requirendo peccavit. Aliis tamen apparet, quod absolute loquendo Thamar magis peccavit, quoniam scienter commisit incestum, et si Judas scivisset quod nurus sua exsisteret, non accessisset eamdem, unde nec postea eam cognovit, sed nec David uxores suas ab Absalon cognitas. II Reg. XVI, 22; XX, 3

Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero ejus, id est, duo fetus inventi sunt in utero Thamar ; *atque in ipsa effusione,* id est egressione, *infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum,* id est rubeum filum, ut per hoc discerneretur, quis inter duos gemellos valde consimiles, primogenitus esset, *dicens : Iste egredietur prior,* hoc est, obstetrix æstimavit quod sic fieri solet. *Illo vero retrahente manum* simul cum coccino, *egressus est alter,* manum suam protendens, aliumque nascendo præcedens. *Dixitque mulier,* id est mater infantulorum, admirans de hac quasi contentione infantum, ut in Glossa exponitur : *Quare divisa est propter te maceria ?* id est, ob quam causam frater tuus qui primo extenderat manum, rupit membranulam sive pelliculam, qua infans in matrice involvitur, quasi patefaciens tibi viam, ut tu primus exires ac nascereris ? Alter quippe manum suam extendendo, rupit pelliculam illam, quæ in partu dividitur, soletque infantem sequi ; imo si post egressum pueri maneat in utero matris, mater ipsa non diu vivit infante egresso. *Et ob hanc causam vocavit* ipsa Thamar *eum,* videlicet puerum primo natum, *Phares,* quod interpretatur divisio, ob hoc quod propter eum divisa fuit pellicula illa a fratre suo. *Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum,* qui exivit cum filo illo, *quem appellavit Zaram,* quod interpretatur oriens, et ita vocatus est, quia primus cœperat apparere, manum extendendo ; vel quodam futurorum præsagio, quoniam multi præclari et justi ex eo sunt nati, prout primo libro Paralipomenon scribitur. Qui- I Par. II, 6
dam dicit, quod Zara interpretatur reful-

Digitized by Google

gentia, et quod dictus sit Zara, propter refulgentiam coccini in ejus manu ligati; sed prior interpretatio et ratio nominis hujus est aptior, quam et sanctus assignat Hieronymus.

Circa hæc quæritur, quare et qualiter contigit, quod ille qui manum primo exposuit, eam retraxit et ultimo natus est. Ad quod arbitror respondendum, quod Deo sic moderante ac imperante id accidit, ad præfigurandum quod de Phares Christus fuerat nasciturus. Itemque ad designandum, quod in Christo primi sunt facti novissimi, et novissimi primi : quia Judæi qui erant primi, facti sunt excæcati, et gentiles sunt in Christo illuminati.

Postremo, circa capitulum istud movet beatus Augustinus quæstionem non parvam, qualiter scilicet in tempore illo brevi, videlicet viginti duobus annis, aut circiter, quibus Jacob mansit in terra Chanaan post Joseph venditionem, potuerunt omnia hæc narrata impleri, utpote quod Judas accepit uxorem, genuitque ex ea tres filios, quorum seniori conjugem dedit, illoque mortuo eidem conjugi alium suum filium dedit maritum; quo item defuncto, commisit nurui suæ ut in domo patris sui vidua permaneret, quousque cresceret junior filius suus, qui et interim crevit in tantum, quod ad conjugii contractionem fuit idoneus. De hoc Augustinus sic loquitur: Quæritur quando ista fieri potuerunt. Si enim post ingressum Joseph in Ægyptum, quomodo infra viginti duos annos fieri potuerunt, ut et filii Judæ fierent tantæ ætatis, quod omnes possent ducere conjuges? nisi forte dicatur, quod Scriptura velit per recapitulationem intelligi hæc fieri incepisse per aliquos annos ante Joseph venditionem. Nihilo minus merito quæritur, quot annorum potuit esse Judas quartus filius Jacob, si Joseph sedecim annorum est venditus, quum et ipse Ruben primogenitus Jacob vix sex annis præcedere potuit fratrem suum Joseph ætate. Difficile ergo est videre, qualiter inter annos illos fieri potuerunt omnia, quæ narrantur hic de Juda et filiis ejus ac nuru, nisi forte credamus Judam incidisse in amorem ejus, quam duxit uxorem, statim quum adolescere cœpit, nondum vendito Joseph. Hæc Augustinus. Similiter quoque dicendum de primis duobus filiis Judæ, quod statim in adolescentia sua sint uxorati.

Postremo, pensemus in præinductis occulta judicia Dei, et filiorum Judæ vitetur nequitia, nec aliquis conformetur malitiæ Onan, qui maluit fundere semen in terram, ductus invidia, indignationeque pessima, quam suscitare semen fratri suo defuncto : per quem Onan designantur qui aliis prodesse non volunt, etiam quando absque proprio detrimento hoc possunt.

ARTICULUS LXXXVIII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI NONI : IGITUR JOSEPH DUCTUS EST IN ÆGYPTUM.

HOC capitulo describuntur virtutes Joseph patriarchæ, et quanta pro justitia toleravit, quam gratiose quoque ac dulciter fuit Deus cum eo in adversis. Rediens itaque Moyses ad inchoatam de Joseph historiam, ait : *Igitur Joseph ductus est in Ægyptum,* etc. *Fuitque Dominus cum eo,* per providentiam specialem et directionem piissimam; *et erat vir in cunctis prospere agens,* etc. Quomodo verum est hoc, quum fuerit adolescens sedecim aut decem et septem annorum, et tanta adversa incurrerit? Et respondendum, quod paulatim crevit in virum sapientiæ ac virtutum;

Digitized by Google

imo et in adolescentia sua vir fuit, non corpore et ætate, sed probitate morum, constantia mentis, atque prudentia. Porro adversa quæ incurrit, non ex imprudentia ac defectuositate propria incidit, sed et ipsa cooperata sunt ei in bonum, atque in maximam prosperitatem. Fuit quoque in cunctis prospere agens, quantum ad animæ suæ salutem, quæ summa prosperitas est; et quantum ad temporalium rerum domini sui gubernationem, in omnibus prospere egit. *Qui,* dominus suus, *optime noverat Dominum esse cum* Joseph : hoc enim consideravit ex actibus virtuosis et prudentissimis verbis ac prosperis ipsius Joseph operibus, atque ut tactum est ex verbis Hieronymi, quia Ægyptius ille consideravit se subito infrigidatum a Deo, eo quod decrevit abuti Joseph ; *et omnia quæ gereret* ipse Joseph, *ab eo dirigi in manu illius,* etc., id est virtute et operatione Dei ad prosperum finem tendere ac moveri. *A quo,* domino suo Ægyptio, ipse Joseph *præpositus omnibus,* ceteris qui de familia Ægyptii erant, et temporalibus rebus ejusdem, *gubernabat creditam sibi domum,* id est domesticos et ea quæ erant in domo, *et universa quæ ei tradita fuerant* ad custodiendum, dispensandum, seu erogandum. *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph,* id est ipsi Ægyptio, pertinentibusque ad domum ipsius, in temporalibus, dando, conservando, et multiplicando ea Ægyptio propter Joseph, sicut benedixit domui Laban propter Jacob, ut scilicet ille Ægyptius esset magis gratiosus et favorabilis ipsi Joseph.

Rom. VIII, 28.

Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus adspectu. In quibus verbis tangitur duplex pulchritudo Joseph : una corporalis, quæ præcipue attenditur et apparet in facie ; alia moralis, quæ in compositione apparatus et facetia morum actuumque consistit. *Post multos itaque dies injecit domina sua oculos in Joseph,* id est, curiose et libidinose eum adspexit, quando jam fuit virilis ætatis, hoc est viginti annorum aut amplius ; *et ait : Dormi mecum.* Probabile est, quod primo per verba et signa habuit se blande procaciterque ad Joseph. Quumque videret se per talia non sortiri intentum, tandem concupiscentiis victa, dixit aperte, Dormi mecum. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam : Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua,* id est, non scit omnia illa distincte, nec curat, nec advertit hujusmodi, sed commisit omnia mihi. Unde ante hæc verba ait Scriptura, *Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur,* id est proprium cibum ac potum, quia insinuavit dispensatori suo, videlicet Joseph, quid vellet manducare ac bibere. Verumtamen istæ sunt hyperbolicæ locutiones, in quibus aliquid dicitur sine mendacio per excessum, ut magnitudo rei clarius exprimatur. *Nec quidquam est* in domo ejus, *quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi* ad gubernandum, non ad possidendum : ex quo videtur, quod Ægyptius ille etiam gubernationem sobolis suæ commiserit Joseph ; *præter te quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum,* videlicet adulterium, *facere, et peccare in Deum,* vel ut alii legunt, In dominum *meum?* id est, tam verum Deum dominum universorum, quam virum tuum qui est dominus meus temporalis, offendere. Quamvis autem adulterium sit directe peccatum in proximum, cui infert læsionem seu nocumentum, est tamen etiam peccatum in Deum, in quantum est contra præceptum illius. *Hujuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, et mulier molesta erat adolescenti,* quia mulier nitebatur Joseph ad libidinem provocare, et ipse econtrario hortabatur illam ad pudicitiam, fidemque conjugalem ; *et ille recusabat stuprum,* hoc est adulterium.

Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quidpiam absque arbitris faceret, id est solus nullo præsente, seu absque testibus qui indicare possent et protestari quid accidisset : ex quo conjicitur, quod Joseph sciens improbam consuetudinem dominæ suæ, assumpsit as-

Digitized by Google

sidue aliquos secum intrando et exeundo ac operando, ne illa auderet sibi inhonesta proponere; *et illa, apprehensa lacinia vestimenti ejus,* id est ora seu fimbria, vel (ut ait Andreas expositor) cornibus pallii seu mantelli, *diceret : Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio, fugit, et egressus est foras.* Refert Josephus, die illo fuisse præcipuam solennitatem Ægyptiis, in qua omnes ad templa convenerant idolorum, ad quæ etiam feminæ tunc venerunt; sed femina ista persuasit viro suo se esse infirmam, quatenus solitudinem, opportunitatemque captaret alliciendi Joseph ad suum consensum. Quumque sola esset cum eo, cœpit blandiri ac deprecari ejus concubitum, adjiciens minas, videlicet quod eum accusaret apud maritum, si sibi non consentiret. Quumque castissimus Joseph non flecteretur, illa apprehendit eum cum pallio, ut vel sic traheret eum ad stuprum; ipse vero iratus excussit se. *Quumque vidisset mulier in manibus suis vestem,* scilicet pallium, *et se esse contemptam* zelo justissimo, quia ut talis, erat prorsus contemptibilis, *vocavit ad se homines domus suæ :* forte enim aliqui de familia erant in domo, et alii cito redierunt de fano; *et ait ad eos : En introduxit virum Hebræum ut illuderet nobis,* etc., id est, maritus meus adduxit istum Joseph, qui conatus est dominum suum maxime inhonorare, violando et opprimendo me conjugem ejus, per hoc quod non solum mihi, sed et viro meo ac soboli nostræ ac cunctis ad nos pertinentibus fecisset illusionem atque opprobrium. *In argumentum ergo fidei,* et in signum et in probationem suæ accusationis, quod vera esset et fide digna : argumentum quippe est ratio rei dubiæ faciens fidem ; *retentum pallium ostendit marito revertenti domum, et ait : Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti, ut illuderet mihi :* quasi dicat, Ingratus est tibi et præsumptuosissime egit. Et recte, illicitus adulterinusque coitus, seu concupiscentia prædominans, vocatur illusio, quia per eum ratio penitus superatur, et homo bestialiter agit, ac confusive et derisive.

His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde. Quæri potest, an Joseph se excusavit, et putant quidam quod non, ne dominam suam dehonestare, diffamareque turpiter videretur. Verumtamen, quia in textu habetur, quod vir fuit nimium credulus verbis suæ uxoris, videtur quod Joseph modeste ac decenter se excusavit saltem seorsum apud dominum suum, aut etiam coram præsentibus ad tollendum scandalum ex parte sui jam instans. Josephus tamen tangit, quod causam suam Deo commisit, neque ad satisfactionem, neque ad integram factorum manifestationem conversus est, sed necessitatem et vincula tacitus ac mansuetus sustinuit. *Tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur,* hoc est qui peccaverunt in regem, ut rei læsæ majestatis : qui carcer erat (ut fertur) intolerabilior carceribus ceteris ; *et erat ibi clausus.*

Fuit autem Dominus cum Joseph. Dominus enim consolatur eos qui propter justitiam affliguntur, nec permittit hominem ultra vires tentari, sed facit cum tentatione proventum, et sperantes in se refocillat : et quoniam sanctus Joseph castitatis amore ac Dei intuitu carnales contempsit delicias, quas tam abundanter poterat habere ad libitum, meruit consolationum affluentiam divinarum. *Et misertus illius* in tantis adversitatibus, diffamiis, irrisionibus, dejectionibus, catenationibus, seu compeditionibus, quas innocentissime tener et virgineus juvenis toleravit, *dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.* Fecit enim ipsum Joseph sua probitate, verecundia, morigeratione, acceptum principi carceris, mentemque principis illius inclinavit ad compatiendum ac diligendum Joseph, ita quod credidit eum (ut æstimo) innocentem : et forsan jam ante noverat eum, quia famosus erat et omnibus ante carus; fueruntque ejus prudentia et bonitas divulgatæ, quia tam diu rexit domum

I Cor. x, 13.

Digitized by Google

principis militum Pharaonis. Atque (ut asserit Josephus) subtraxit vincula a Joseph custos carceris, jubens eum meliori vesci cibo, quam vinctis competebat. *Qui,* princeps carceris, *tradidit in manu,* id est in dispositione et ministratione *illius* Joseph, *universos vinctos* in carcere illo ; *et quidquid fiebat* in carcere, *sub ipso erat. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis*, id est, princeps carceris non inquisivit nec scivit quid ageretur in carcere circa vinctos, quoniam omnia illa commiserat ipsi Joseph plenissime, certus de fidelitate ipsius ; sicque Joseph vinctis illis diligenter et pie servivit, eundo de uno ad alium, et necessaria apportando ; sicque videtur quod princeps carceris amovit a pedibus Joseph ferramenta, quibus antea erat ligatus : de quibus cantamus in Psalmo, Humiliaverunt in compedibus pedes ejus ; ut expedite transiret de uno ad alium. Ps. cv, 18.

Præterea, si quæratur, cur piissimus Deus permisit innocentem Joseph tot et tanta sustinere adversa : respondendum, quod ideo, quia volebat eum tempore præordinato sublimare ad maxima : idcirco primo exercitavit eum adversis, ut in illis et per illa acquireret gratiam ac virtutes, per quas mereretur conservari a Deo in altis ac prosperis, ne caderet et periret in illis : et simili modo eademque ratione exercitavit sanctum David per Saul, antequam promovit eum ad regnum. Non enim est finis sapientiæ Dei, et providentia ejus universa complectitur, atque infinitæ perfectionis consistit.

ARTICULUS LXXXIX

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TRICESIMI NONI SENSU.

QUEMADMODUM Joseph ex terra promissionis in Ægyptum perductus est ab Ismaelitis negotiatoribus ; sic Christus, Synagoga relicta, per Apostolorum prædicationem ad gentiles in universum mundum portatus est : et sicut Putiphar eunuchus emit Joseph ; sic gentes castæ effectæ, seque propter regnum Dei castrantes, Dominum Salvatorem emerunt, proprium intellectum in captivitatem redigendo in obsequium Christi, hoc est supernaturalibus fidei veritatibus sincere credendo, ad obediendum divinis præceptis. Emerunt itaque Filium Dei fidei sanctæ commercio et obedientiæ nummo, seque ipsos abnegando, ut lucrifacerent Christum. Emerunt eum credendo, orando et superando se ipsos, de qua emptione ipse in Apocalypsi testatur : Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias. Et Isaias : Emite, inquit, absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens.* Sic et incomparabiliter plus fuit Deus Pater cum Christo homine ab incarnationis suæ exordio, ejus humanitatem in omnibus incessabiliter, infallibiliter et supergratiosissime dirigens ; et fuit Christus vir in universis prosperrime agens, de spirituali prosperitate loquendo : quoniam quidquid egit aut pertulit, saluberrimum et incessabiliter meritorium membris ipsius fuit ; sibi ipsi quoque accidentale promeruit præmium. *Et habitavit in domo domini sui :* quia primo habitavit in medio Synagogæ seu Israelitici populi, quæ fuit tunc domus Dei, qui est Dominus Christi, secundum ejus assumptam humanitatem ; habitavitque in medio electissimorum Judæorum, videlicet discipulorum suorum, quorum unus fatetur : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et

Matth. xix, 12. — II Cor. x, 5. — Apoc. iii, 18. — Is. lv, 1. — Joann. i, 14.

Digitized by Google

vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.

Præterea cuncta quæ gessit Christus inter homines conversando, dirigebantur in manu illius, hoc est cooperatione et virtute Spiritus Sancti, imo totius superbenedictissimæ Trinitatis. Siquidem anima Christi a suæ creationis primordio fuit summe repleta omni Spiritus Sancti dono, per quod summe ac perfectissime dirigibilis erat a Spiritu Sancto; propter quod de eo
LXI, 1. et in ejus persona Isaias prædixit: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.
XI, 2. Itemque: Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, etc. *Invenitque Joseph gratiam coram domino suo.* Sic et Christus acceptissimus fuit Patri suo, quemadmodum in Evangelio pro-
nn. VIII, fitetur: Pater non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. *Et ministrabat ei,* in quantum homo, quem-
id. XIV, admodum protestatur: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Unde per Isaiam
XLII, 1. Pater ait de Filio incarnato: Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. *A quo præpositus omnibus, gubernabat sibi creditam domum.* Sic Christus a Deo universis Judæis prælatus, tanquam verus rex Israel,
s. CIX, 4. et summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, direxit Judæos ad veram salutem, prædicando, corripiendo, miracula faciendo, evangelicam legem tradendo; specialiter quoque gubernavit sibi creditam domum, puta electos ex Israel beatos
ann. XVII, 12. suos discipulos, de quibus fatetur: Pater, quos dedisti mihi, ego servabam eos, et non perdidi quemquam eorum. *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph.* Sic meritis Salvatoris Deus Trinitas benedixit congregationi ipsius, quibus in
ct. II, 2-4. die Pentecostes misit in signo visibili Spiritum Sanctum, qui corda illorum copiosissime ac ferventissime adimplevit.

Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus adspectu. Sic Christus, in quantum Deus, essentialiter et incircumscriptibiliter pulcher, secundum naturam assum-
A ptam fuit multiplici pulchritudine excellentissime decoratus; nec decuit ejus humanitatem, nisi omni virtutum, donorum, fructuum, beatitudinum ac gratiarum pulchritudine venustissimam, assumi a Verbo æterno. Fuit et corpore speciosus Ps. XLIV, 3.
forma præ filiis hominum, et omni morali venustate summe conspicuus; nec fuit usquam in eo ulla macula culpæ, de quo Sponsa dicit in Canticis: Ecce tu pulcher Cant. I, 15.
es, dilecte mi, et rubicundus. Porro, per dominam quæ injecit oculos suos in Jo-
B seph, et dixit, Dormi mecum: accipitur Synagoga, quæ aliquando fuit sponsa et uxor Dei, de quo Jeremias disseruit: Non Jer. LI, 5.
fuit Israel viduatus a Deo suo; qui ait per Isaiam: Quis est iste libellus repudii quo Is. I, 1.
reliqui matrem vestram? Hæc domina, tempore procedente, facta est spiritualiter meretrix, cui ait Propheta: Et nunc, meretrix, Ezech. XVI, 35.
audi verbum Domini. Et Isaias: Quomodo, Is. I, 21.
inquit, facta est meretrix civitas fidelis? Hæc voluit Christum suis adulteriis, id est erroribus, falsitatibusque involvere, ut si-
C bi in illicitis consentiret, et se esse regem Messiam ac Dei Filium denegaret, nec novam traderet legem: quæ tandem suis passionibus ebria, apprehendit Christum cum vestibus; ipse autem relicto in manibus adulteræ pallio, fugit et egressus est foras: quia corpus suum permisit ab illa capi, flagellari, et crucifigi, ac eo ab anima sua relicto, descendit in limbum patrum, eodemque die fuit in paradiso. Insuper Synagoga dixit Dominum Jesum ad se ingressum, ut sibi illuderet, id est, per
D falsas doctrinas deciperet, clamitans coram domino suo Pilato: Seducit turbas, Joann. VII, 12, et Luc. XXIII, 5.
docens per universam Judæam. Itemque: Domine, recordati sumus quia seductor Matth. XXVII, 63.
ille adhuc vivens dixit, Post tres dies resurgam. Hinc procuravit Christum sepultum in sepulcro, quasi in carcere custodiri, et lapidem superpositum sigillo signari. Ibid. 66.

Postremo ad Omnipotentis laudem ac gloriam, ædificationemque nostram, vigilantissima mente consideremus omnipo-

Digitized by Google

tentiam gratiæ Dei, et beatissimi Joseph patriarchæ virtutes, qualiter ab infantia mansit in sancta vita, et zelator fuit justitiæ, ac caritativus delinquentium accusator. Deinde in terra aliena idololatriis plena, mansit immobilis in Dei timore, nec ab impiis poterat unquam perverti. Quumque pulcherrimus juvenis esset, et rebus omnibus, honore quoque et gloria abundaret, atque a domina sua, muliere utique secundum sæculum magna, tam diu ac sæpe incitaretur ad voluptatem, insuperabiliter ac virilissime restitit ei. Deinceps ob suam inflexibilem æquitatem injustissime incarceratus, nequaquam recessit corde a Domino, nec contra ipsius providentiam murmuravit; sed longanimiter et patientissime tulit, quidquid sapientia Creatoris super se evenire permisit. Itaque comparemus nos ipsos ad virum tantum, et conspiciemus quam infinita sit nostra miseria, nostra defectuositas, nostra malitia: sicque pœniteamus ex intimo mentis affectu, ac sancti hujus Patriarchæ virtutes et castimoniam imitari atque amplecti indefesse conemur.

ARTICULUS XC

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI : HIS ITAQUE GESTIS, ACCIDIT UT PECCARENT DUO EUNUCHI.

RECITATUR in isto capitulo, qualiter et ex qua causa cœpit sapientia hujus præinclyti Joseph manifestari regi Ægypti. *His,* quæ in præcedenti capitulo sunt narrata, *itaque gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi,* videlicet *pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo,* videlicet Pharaoni. Tamen quid mali egerint contra regem, aut quid omiserint de agendis, Scriptura non exprimit, nec certum est: quanquam Judæi juxta consuetudinem suarum fabularum, affirmant peccatum pincernæ fuisse, quod in potu regis inventa est musca; pistoris vero, quia in pane regis parvus lapis inventus est. Cur autem isti ministri vocentur eunuchi, dictum est in expositione capituli tricesimi septimi. *Iratusque contra eos Pharao : nam alter pincernis præerat, alter pistoribus* regis, quæ fuerunt duo magna officia: sicque Pharao tanto acrius fuit contra eos irascens, quanto eos ad officia promovit majora, aut in eisdem servavit; *misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph.* Itaque carcer ille fuit sub ditione principis militiæ, qui in eumdem carcerem fecerat Joseph retrudi. Sed quæri potest, qualiter Joseph dicatur ibi nunc vinctus, quum ex præcedenti capitulo sit probatum, quod compedes erant depositi. Respondetur, quod vinctus nunc fertur, vel quia jam antea erat ligatus compedibus, vel quia ibidem clausus, *Gen. XXXIX. 20.* vel quia adhuc habebat aliquam ligaturam in crure, cum qua tamen poterat ambulare in carcere. *At custos carceris tradidit eos Joseph,* etc., ut eis serviret.

Videruntque ambo somnium nocte una, id est visionem nocturnam imaginariam, quæ tamen non fuit casualis, aut pure naturalis, sed angelico ministerio in interioribus sensibus eorum exhibita ac formata; nec propter eorum merita fiebat illis repræsentatio talis in somno, sed ut per occasionem expositionis somniorum illorum, manifestaretur suo tempore Pharaoni sapientia Joseph propter commune hominum bonum. Viderunt itaque somnium, *juxta interpretationem congruam sibi,* hoc est significativum eorum quæ evenerunt eis ambobus. *Ad quos quum in-*

Digitized by Google

troisset, etc., *sciscitatus est eos, dicens : Cur tristior est hodie solito facies vestra ?* hoc est, Cur nunc majoris tristitiæ ac timoris signa in vultibus vestris apparent ? Interior enim dispositio, clarius celeriusque solet in facie apparere. *Qui responderunt : Somnium vidimus,* hoc est, unusquisque nostrum interiori intuitu aliquid vidit in somno. Erant autem gentiles idololatræ multum intenti somniis suis, visionibus atque oraculis, in quibus a dæmonibus variis modis illudebantur, et quasi semper putabant sibi per talia aliqua designari. *Et non est qui interpretetur nobis,* hoc est, nullus hic est qui nobis ea exponat. Habebant autem Ægyptii quosdam augures et maleficos ac divinos, a quibus talium expositiones quærebant, qui tunc non fuerunt præsto incarceratis. *Dixitque ad eos Joseph : Numquid non Dei est interpretatio ?* quasi dicat, Utique a vero Deo, non ab idolis, est somniorum interpretatio requirenda, et a servis ac vatibus Dei, non ab auguribus atque ariolis : quoniam est donum Dei, vere et certitudinaliter exponere somnia ac secreta ; præsertim quoque futurorum pure contingentium veritas per somnium præsignata, non potest certitudinaliter, nisi ex divina revelatione, prænosci. *Referte mihi quid videritis.*

Narravit prior præpositus pincernarum somnium suum : Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, id est frondes seu palmites, *crescere paulatim in gemmas,* hoc est botros, *et post flores* vidi *uvas maturescere ; calicemque Pharaonis,* id est scyphum ex quo bibere solet, *in manu mea. Tuli ergo,* hoc est, de vite deposui, *uvas, et expressi,* id est, humorem earum premendo effluere feci, *in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni.* Non res istas, sed earum similitudines vidit ille in somno, et videbatur ei in somno quod videret, et faceret ea quæ dicta sunt, quia in somno clausa est ratio, et anima similitudines rerum accipit, non ut similitudines, sed pro rebus ipsis, et in hoc ipso decipitur ; qui autem in somno ha- A bent propheticas visiones, supernaturaliter illuminantur, ad intelligendum earum significationes, nec decipiuntur, neque utuntur formis pro rebus per eas significatis, sed accipiunt eas ut similitudines rerum. *Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tres propagines, tres adhuc dies sunt,* hoc est, tres rami illi præsignant tres dies, *post quos recordabitur Pharao ministerii tui,* id est, in sua refectione memor erit, quam decenter consueveras ei porrigere potum ; *et restituet te in gradum* B *pristinum,* etc., quoniam inquisitione de te facta, inveniet, vel jam invenit, te mortem non meruisse. *Tantum memento mei, quum bene tibi fuerit,* etc. Littera plana est.

Videns pistorum magister, quod prudenter somnium dissolvisset, id est, quod Joseph sapienter exposuisset somnialem apparitionem pincernæ, auferendo ab eo vinculum et velamen suæ difficultatis, quod clausum fuerat et obscurum, *ait : Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum ; et in* C *canistro quod erat excelsius* aliis duobus, tanquam superpositum eis, *portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.* Somnia horum duorum ministrata sunt eis per similitudines materiarum, eorum officiis satis congruentes. Secundum Glossam in Hebræo habetur, Tres cophinos farinæ. Josephus autem ait : Duo canistra plena panibus, tertium vero plenum obsonio, hoc est cibo delicato, sicut est regius cibus. Unde in Græco habetur, tria canistra χον- D δριτῶν, id est panum secundorum, puta grossorum ; sicque datur intelligi, quod in tertio apparuit esca regalis. Verum de diversitate parva aut nulla est vis, quoniam significatio una est quæ subjungitur. *Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tria canistra, tres adhuc dies sunt ; post quos auferet Pharao caput tuum,* hoc est, decollari te faciet. Porro audito somnio hujus pistoris, Joseph, antequam illud interpretaretur, locutus est, Mallem esse interpres bonorum, ut Josephus dicit.

Digitized by Google

A *Exinde dies tertius natalicius Pharaonis erat,* id est dies anniversaria nativitatis regis illius. Eratque Pharao nomen commune regum Ægypti, non proprium; sicut Delphinus commune est nomen regum Franciæ. (Hieron. sup. Matth. cap. xiv, 6.) Secundum Hieronymum, nullum invenimus celebrasse diem suæ nativitatis, nisi Pharaonem et Herodem, ut quorum par fuit impietas, una esset solennitas. Verumtamen, quamvis hoc non legatur in Scripturis sanctis de aliis regibus, aliqui tamen dicunt plurium gentilium regum consuetudinem hanc fuisse. B Atque ut tangit Glossa, Pharao et Herodes diem nativitatis suæ celebraverunt, quia ex hora nativitatis, id est ex fato seu influentia horæ illius, se reges factos putabant; vel ad demonstrandum beatitudinem excellentiæ suæ, quasi præclarum bonum acciderit eis ac mundo in hora qua nati sunt. *Qui faciens grande convivium pueris suis,* id est servis et etiam filiis et cognatis, domesticis, aliisque nobilibus quos vocavit, (Marc. vi, 21.) sicut Herodes primis Galilææ, *recordatus est inter epulas magistri pincernarum,* C etc.; fecitque eis sicut Joseph prædixit. Forsan invenit unum illorum præ alio excusabilem; vel ad demonstrandum suæ majestatis ac libertatis potentiam, fecit tale judicium, ostendens se posse exaltare et humiliare, ut amplius timeretur. *Ut conjectoris veritas probaretur,* id est, ut Joseph ostenderetur verus somniorum interpres, et quod evenit, veraciter prædixisse. Verumtamen quod ait, Ut conjectoris, etc., intelligendum est consecutive seu concomitanter, non directe causaliter. D Non enim Pharao fecit illa, ut veritas interpretationis Joseph ostenderetur; sed ad factum Pharaonis, consecuta est illa ostensio præter Pharaonis intentionem, sed non sine præordinatione divina. Denique Joseph vocatur conjector, non quod quasi dubie aut fortuitu verum prædixerit, aut absque certitudine visiones illorum exposuerit; sed nomen conjectoris sumitur hic extense; vel ideo sic vocatur, quia Ægyptii illi putabant eum instar conjicientium esse locutum.

Circa hæc quæritur, quando revelavit Deus ipsi Joseph intelligentiam somniorum illorum. Respondendum, quod secundum doctores, gratia prophetiæ est donum actuale magis quam habituale, quia non inest Prophetis fixe ad eorum complacitum, sed prout actualiter tanguntur et illustrantur a Spiritu Sancto: ideo fieri potuit ut Joseph, audiendo recitationem somniorum illorum, acceperit desuper actualem illuminationem, qua sensum somniorum illorum clarissime intellexit; vel forte Deus jam ante revelavit sibi tam somnia illa, quam interpretationem eorum; vel ex inspiratione divina cognovit sibi revelandam somniorum illorum intelligentiam, quum ea audiret aut paulo post.

Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Sic multi tempore prosperitatis obliviscuntur pristinæ adversitatis seu paupertatis, imo et beneficiorum quæ eis in adversis exhibita sunt, ac benefactorum suorum. Quocontra in Ecclesiastico scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum, et gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris. (Eccli. xi, 27; xxix, 20.) Denique sicut vexatio dat intellectum, sic prosperatio, inflatio ac voluptas mentem obscurant. (Is. xxviii, 19.) Dicunt autem Hebræi id accidisse, quoniam Joseph nimis confidit humano auxilio: quod etiam asseruit Augustinus in homilia de Joseph. Sed potius reor, sine ipsius culpa hoc evenisse ex dispositione divina, quatenus ipse Joseph diutius carcerem sustinendo, gratiam mereretur majorem; ejusque patientia omnibus nobis in exemplum proponeretur, et tempore opportuno desuper præstituto, multo salubrius ab ergastulo eriperetur. Ex præordinatione namque divina non solum contingit tribulatio electorum, sed etiam duratio seu diuturnitas ejus.

Digitized by Google

ARTICULUS XCI

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI PRIMI : POST DUOS ANNOS VIDIT PHARAO SOMNIUM.

QUALITER Joseph post tribulationem A longam et suam extremam dejectionem, sit sublimatus divitiis, deliciis, atque honoribus, præsens refert capitulum. *Post duos annos* a die quo Joseph exposuit somnium principis pincernarum, seu liberationis illius de carcere, *vidit Pharao somnium,* id est visionem in somno, videlicet imaginariam apparitionem, sibi per angelum. bonum exhibitam tanquam principi communitatis, et propter commune bonum, non propter regis idololatræ meritum. Deus namque frequenter ostendit specia- B liter providentiam suam circa publicas personas, et aliqua bona eis largitur, ac futura præmonstrat, propter commodum politiæ et utilitatem regni totius, cujus prosperitas magna ex parte dependet a principe. *Putabat se stare super fluvium,* id est, in somno sibi apparuit quod staret super Nilum, videlicet in terra seu ripa juxta Nilum, *de quo ascendebant septem boves,* secundum apparentiam somnialem, *pulchræ et crassæ nimis :* sicque boves accipiuntur hic in feminino genere, hoc C
xxi,10. est pro vaccis, sicut in libro Job, Bos eorum concepit : unde ut Lyra ait, in Hebræo habetur, Septem vaccæ; *et pascebantur in locis palustribus,* hoc est in paludibus juxta Nilum. *Aliæ quoque septem* boves *emergebant de flumine* Nilo post boves crassas, *fœdæ confectæque macie,* hoc est turpes et macilentæ, *et pascebantur in ipsa amnis,* id est fluvii, *ripa in locis virentibus ; devoraveruntque eas, quarum mira species et habitudo corporum erat,* hoc est boves priores, valde speciosas ac magnas. *Ex-* D *pergefactus Pharao, rursum dormivit :* cogitando quippe de somnio suo, denuo obdormivit ; *et vidit alterum somnium :* quatenus geminatio somnii, esset confirmatio et certitudo veritatis præsagii. *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ* granis, *atque formosæ ; aliæ quoque totidem spicæ tenues, et percussæ uredine,* hoc est vacuæ et vento urente læsæ, ita quod grana eorum pauca videbantur corrupta seu elapsa, * *devorantes omnem priorum* spicarum *pulchritudinem,* id est fructum ac eminentiam.

* oriebantur

Evigilans Pharao post quietem, et facto mane, pavore perterritus, quia timebat quod somnia illa significarent terribilia et adversa sibi imminentia, nec consuetus erat somnia habere hujusmodi, *misit ad conjectores Ægypti,* id est ariolos et divinos ac magos, qui intromiserunt se de talibus exponendis, et interdum vere exposuerunt hominum somnia magica arte et ope diaboli, præsertim quando a dæmonibus somnia erant immissa, *cunctosque sapientes* sapientia Ægyptiorum, quæ potius fuit stultitia, quia superstitionibus plena : potuerunt tamen philosophicam sapientiam quamdam habere. *Et accersitis,* id est eis ad se adductis, *narravit somnium,* id est ambo somnia sua, vel forte primum dumtaxat, ita quod videns illos non posse exponere somnium primum, tacuit de secundo ; *nec erat qui interpretaretur,* id est, nullus Ægyptiorum potuit ea exponere. Dicunt tamen Hebræi, ut fertur, quod dabant regi quasdam expositiones, videlicet quod in brevi septem de filiabus suis essent morituræ ac sepeliendæ, et aliæ septem ab eo gignendæ ; sed rex non contentabatur de tali expositione, quæ aut parvam aut nullam apparentiam habuit. *Tunc demum reminiscens* eorum quæ sibi acciderant, *pincernarum magister, ait :*

Digitized by Google

Confiteor peccatum meum, id est ingratitudinem, A qua hucusque fui ingratus interpreti meo, vel culpam quam commisi in regem. *Iratus rex servis suis,* etc., id est, tu Pharao dudum irascens mihi principique pistorum, fecisti nos incarcerari, *ubi una nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum. Erat ibi puer Hebræus,* etc.

Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt : in carcere namque pili et barba ei in longum creverunt; *ac veste mutata, obtulerunt ei,* id est præsentaverunt regi : quia cum veste B vili ac sordida aut pene attrita, non licuit eum coram rege adduci, ne rex horrore affligeretur, aut quasi inhonorari videretur. *Cui ille* rex *ait : Vidi somnia, nec est qui edisserat : quæ audivi te sapientissime conjicere,* id est interpretari : et hoc relativum, Quæ, non refertur hic determinate ad somnia quæ Pharao se dixit vidisse, sed ad somnia in communi. Nam pincerna dixerat regi, ipsum Joseph esse prudentissimum somniorum interpretem. *Respondit Joseph : Absque me respondebit Deus* C *prospera Pharaoni.* Quasi dicat : Etiamsi ego non adessem, seu absque meis meritis et sine meo subsidio, Deus ex sua bonitate per modum sibi placentem manifestaret tibi, et nunc manifestabit expositionem somniorum tuorum, quæ erit pro tua prosperitate, non ad tuum gravamen, ut formidasti. Ex hoc apparet, quod jam ante hæc verba Deus manifestavit ipsi Joseph saltem in generali sensum somniorum regis : alioqui Joseph incaute protulisset hæc verba, vel verba ista erant verba bonæ D spei, et consolatoria regis perterriti, quia consuetum est regibus dici quæ libenter audiunt. In Scholastica quoque historia fertur, quod rex apprehensa manu Joseph, dixit ad eum : Vidi somnium, nec timeas edisserere quidquid sit : tuncque Joseph respondit verba prætacta. *Narravit ergo Pharao quod viderat,* etc., sicut jam recitatum est. De bobus pulchris nunc dicitur, quod erant obesis carnibus, id est carnosæ seu carnibus plenæ, quasi delicate nutritæ ob esum, id est ad hoc ut ederentur; et vireta carpebant, id est, virides herbas ac gramina abradendo edebant.

Respondit Joseph : Somnium regis unum est, hoc est, duplex somnium seu duo somnia, quantum ad imaginariam apparitionem distincta, unum est, id est idem significat. Deinde in textu expositio somniorum exprimitur. *Septem boves pulchræ, et septem spicæ* pulchræ, et *plenæ, septem ubertatis anni sunt,* etc., id est, significant septem annos fertilissimos, nunc instantes : et convenienter hi fertiles anni, per boves pingues et spicas plenas signantur; quoniam panis, qui fit ex granis spicarum, et carnes bovinæ spectant præcipue ad refectionem humanam, et item quoniam terra per boves aratur ac colitur. Per hoc quoque quod juxta Nilum visæ sunt boves, ostensum est, quod fertilitas et etiam sterilitas terræ, ex diversa dispositione Nili maxime nasciture fuerunt. Nilus quippe totam Ægypti irrigat terram, ex cujus convenienti irrigatione procedit fertilitas, sicut alibi ex apto pluviarum descensu. Ex irrigationis vero inconvenientia seu defectu, oritur in Ægypto sterilitas terræ, quemadmodum alibi ex pluviarum importuna abundantia, seu vehementi carentia. *Sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia :* hoc est, omnis victualium copia quæ præcessit in annis fertilitatis, dicitur oblivioni tradita, quia sic periit quasi nunquam fuisset, vel quia homines sic erant circa acquirenda necessaria occupati, quod non cogitabant de aliis rebus. *Consumptura est enim fames omnem terram,* id est habitatores Ægypti, et aliarum multarum habitatores terrarum, in quibus fames consumpsit pinguedinem, quam præcedens induxit ubertas. Itaque fames eos consumpsit, hoc est maceravit, afflixit, et forte multos occidit.

Consequenter subjungitur consilium Joseph. *Nunc ergo provideat rex,* id est prudenter consideret, et eligat sibi *virum sapientem* in divinis, *et industrium,* id est

Digitized by Google

prudentem in rebus humanis, in quibus A dirigatur a Deo; *et præficiat eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones :* erant enim in universo regno Ægypti quædam particulares provinciæ, ad ipsum regnum totale spectantes, in quibus ordinati fuerunt præpositi ad emendum quintam fructuum partem, ut subditur : *et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui jam nunc futuri sunt, congreget* per illos præpositos aliosque ministros *in horrea* per singulas urbes et alia loca ; *et omne frumentum* sic B collectum, imo et juste emptum, quantum ad blada ab aliis sumpta, *sub Pharaonis potestate condatur,* etc. ; *et non consumetur terra inopia,* id est, habitatores terræ ex victualium penuria non peribunt, si ita fuerit actum. *Placuit Pharaoni consilium* Joseph, *et cunctis ministris ejus.*

Circa hoc quæritur, cur non potius Joseph consuluit reservari mediam, quam quintam fructuum partem. Et videtur quod male. Si enim reliquæ quatuor partes fructuum necessariæ erant in annis fertilita- C tis, videtur quod quinta pars nequaquam suffecerit pro annis sterilitatis. Respondetur, quod in aliquibus annis sterilitatis fuit aliqualis fructificatio terræ, ut infra patebit. In annis quoque fecunditatis, necessaria fuit magna pars fructuum pro copiosa terræ seminatione, usuque jumentorum ; nec æstimandum quod quatuor partes fructuum necessariæ erant in annis fertilibus. Forsitan etiam dici potest, quod non bene poterat plus servari tamdiu, quam quinta pars fructuum, propter cor- D ruptionem quæ solet frumento accidere, si in magnis cumulis diu servetur.

Insuper, circa præhabita scribit quidam : Pharao non fuit oblitus somnium quemad-
Dan. II. modum Nabuchodonosor ; quoniam visio Nabuchodonosor fuit respectu futurorum de longe, quæ post ejus mortem impleta sunt : idcirco quia non vidit hujusmodi impletionem, non fuit motus ad honorandum Danielem, nisi Daniel retulisset ei somnium suum oblitum. Visio autem Pharaonis fuit de futuris in proximo : ideo pro ipsius Joseph exaltatione suffecit, quod exposuit somnium. Istud inconsiderate dictum probatur. Primo, quoniam visio Nabuchodonosor, de qua loquitur ille, non solum fuit de futuris in longinquum, sed etiam de futuris in proximo, imo potius de rebus tunc præsentibus. Etenim visio illa fuit de statua grandi, terribili, cujus caput videbatur esse ex optimo auro, ut habetur in Daniele. Et sicut ibidem habetur in textu, expositoresque addunt, per caput aureum intelligitur ipse rex Nabuchodonosor, regnumque ejus, qui tunc tenuit monarchiam, propter quod a Daniele *Dan.* II, 37.
dicebatur rex regum. Secundo, quoniam in Daniele scribitur alia visio Nabuchodonosor, quæ fuit de futuris in brevi; quam rex *Ibid.* IV.
ille non fuit oblitus, sed eam Danieli narravit : quam quum Daniel regi exposuisset, mox rex Danielem honoravit, antequam *Ibid.* V. 29.
impletionem expositionis illius vidit. Similiter quum Daniel exposuisset Balthasar regi visionem ipsius, mox honoravit eum Balthasar valde, et exaltavit antequam expositionis vidit effectum, ut in Daniele habetur. Postremo alia fuit ratio, cur Nabuchodonosor oblitus fuit primum somnium suum magis quam Pharao, prout super Danielem exposui, et nunc breviter tangam. Visio etenim illa, erat Nabuchodonosor terribilior valde quam somnia Pharaonis. Nabuchodonosor equidem vidit statuam altam, terribilem, cujus caput erat ex auro, brachia de argento, venter et femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum vero quædam pars ex ære, et quædam fusilis erat : sicque ex tam monstruosæ statuæ apparitione fuit rex ille perterritus ac turbatus magis quam Pharao ex somniis suis, quæ erant de rebus notis. Vehemens autem formido causat magnam motionem humorum, ex qua turbantur phantasmata, et causatur oblivio. Insuper advertendum, quod multipliciter atque difformiter Spiritus Sanctus tangat animas Prophetarum. Nam ut in Daniele inducitur, quum *Ibid.* IV, 16.
rex Babylonis exposuisset Danieli som-

Digitized by Google

nium suum de arbore visa in spiritu, Daniel cœpit quasi una hora intra se tacitus cogitare de somnio regis, et infra horam illam accepit a Deo illuminationem ad interpretandum somnium illud ; primum vero somnium regis illius exposuit sine mora, imo et ante, Deo revelante, somnium ejusque significationem cognovit. Joseph vero statim exposuit regi et ejus eunuchis somnia quæ viderunt.

Rursus hic oritur quæstio, cur et qualiter Joseph laudetur de somniorum interpretatione, quum Moyses alibi dicat : Non observabitis somnia; in Ecclesiastico quoque dicatur : Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. De hac autem materia in diversis locis alibi dictum est, et nunc breviter tangi potest, quod auctoritates illæ loquuntur de somniis quæ generantur ex superflua ventris repletione, aut nimia ejus inanitate, aut dæmonum illusione, aut præviis actibus, aut curis, aut cogitationibus importunis. Quæ autem a Deo vel angelis imprimuntur, sunt attendenda. Similiter ex somniis, quæ ex dispositione corporis ejus qui somniat, vel ex inflictione corporis cœlestis nascuntur, potest quidquid secretum aut futurum prænosci. De his, suis in locis plenius, Deo præstante, tractabitur.

Levit. xix, 26. *Eccli.* xxxiv, 2, 3.

Adhuc quoque pensandum, quod somnium et visio atque oraculum inter se distinguuntur, proprie inde loquendo, quamvis extense unum interdum sumatur pro alio. Somnium enim dicitur, revelatio vel apparitio facta in somno per imaginarias formas obscure ; et interdum ei cui fit somnium, desuper revelatur significatio seu intelligentia somnii : tuncque talis vocatur Propheta, præsertim quando de futuris est somnium. Interdum vero non ei, sed alteri significatio revelatur, ut patet de Joseph et Daniele : ideo tales sunt Prophetæ, non illi quibus fit solum imaginaria apparitio, ut Nabuchodonosor et eunuchi ac Pharao. Porro visio appellatur revelatio occultorum, sive ostensio futurorum magis clara et intellectualis, tam in vigilia, quam in raptu et ecstasi facta. Hinc Rabbi Moyses ait, quod somnium est casus a prophetia, quoniam prophetia est visio in lumine intelligentiæ ; somnium autem est manifestatio futurorum in imagine, ubi cadit lumen intelligentiæ et occumbit. Oraculum vero, secundum Albertum super Danielem, est expressa prænuntiatio seu præcognitio rerum in somno percepta : et ita se habet medio modo inter visionem et somnium, participans cum utraque : puta cum visione, in quantum est manifesta cognitio ; et cum somnio, in quantum in somno percipitur.

Dan. ii, 19; iv, 15.

Locutusque est Pharao, qui valde mirabatur utrumque, hoc est, tam expeditam et claram somniorum suorum expositionem, atque tam providum ipsius Joseph consilium : *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei,* hoc est illuminatione et gratia Dei, qui spiritus est, *plenus sit?* Vel, spiritu Dei, id est voluntate seu divinæ voluntatis cognitione de agendis. Potest tamen per spiritum Dei, Spiritus Sanctus intelligi, quanquam Pharao per hæc verba non intellexerit eum. *Dixit ergo ad Joseph : Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es* interpretando somnia mea, et consulendo quid mihi agendum sit, *numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero ?* id est, nec majorem te in sapientia, imo nec parem tibi in ea valeo reperire. *Tu eris super domum meam,* id est, palatio meo et ejus domesticis præeris, *et ad tui oris imperium cunctus populus obediet* in his quæ jurisdictionem tuam concernunt; *uno tantum regni solio te præcedam,* id est, secundus eris in regno meo, et primus post me, ita quod sola regia dignitate major te ero.

Dixitque rursus Pharao ad Joseph : Ecce constitui te super universam terram Ægypti, hoc est, plenum et generalem vicarium potestatis meæ te facio, præferendo omni te populo meo. *Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in ma-*

Digitized by Google

nu ejus. Annulo enim regum sigillabantur litteræ eorumdem : ideo Pharao cepit annulum de propria manu, et dedit in manu Joseph ; ad innuendum, quod quidquid Joseph faceret aut signaret, ratum esset et efficax. Sic et Assuerus rex dederat annulum suum primo Aman, deinde Mardochæo. [Esth. III, VIII, 8.] *Vestivitque eum stola byssina,* etc., id est candidissima linea veste, quæ subtilissima est in Ægypto. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum,* id est super pretiosiorem regis currum, uno curru excepto, in quo solus rex sedit; vel ut quidam exponunt, Super currum suum secundum, id est super primum ac regium currum, ita quod Joseph sedebat in illo curru, tanquam secundus a rege, qui interdum permisit ex speciali favore illum qui fuit secundus a se, ascendere currum suum; *clamante præcone* ante currum Joseph, qui per regiam urbem, et per diversas Ægypti urbes sic vehebatur, *ut omnes coram eo genu flecterent,* etc., sicut et Assuerus præcepit, ut omnes servi sui coram Aman flecterent genu. [Ibid. III, 2.] Verumtamen secundum Hieronymum et alios, in Hebræo non habetur, Ut flecterent coram eo genu ; sed dictio ista, Abrech, sicut et Symmachus transtulit; quod tantum valet sicut, Pater tenerrimus : quasi dicatur, Quamvis Joseph ætate sit tenerrimus, tamen sapientia et virtute meretur pater omnium appellari. Itaque præco hoc nomen clamando, insinuavit ut genua flecterent ipsi Joseph tanquam patri ac principi terræ. Hinc Aquila transtulit, Clamavit in conspectu ejus ad geniculationem.

Dixit quoque rex ad Joseph : Ego sum Pharao. Quod fuit juramentum regis: quasi dicat, Quam verum est, esse me Pharaonem, qui possum tibi tantam tradere potestatem, tam verum erit quod dicam, videlicet : *Absque tuo imperio non movebit quisquam* præter me qui major te sum, *manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Hyperbolica locutio est: tanquam dicat, Magna valde erit auctoritas tua, nec aliquis in Ægypto audebit tibi contradice-

A re sive resistere, nec quidquam notabile contra tuam ordinationem peragere. Porro in Scholastica historia exponitur sic : Neque egredietur hinc sine tuo nutu, nec sine eo publicis fungetur officiis. *Vertitque nomen ejus,* id est mutando seu aliquid imponendo, *et vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi :* quia per suam interpretationem atque consilium, liberavit jam quasi mundum a futuro famis periculo. Nomen autem Ægyptium erat; hoc est, Zaphanath, quod (secundum Hie-

B ronymum) Hebraice sonat, absconditorum inventor; et tamen quoniam ab Ægyptio impositum est, debet habere rationem linguæ illius. Interpretatur enim Zaphanath Pahaneach, salvator mundi, ut testatur Hieronymus. *Deditque illi uxorem* nomine *Aseneth, filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos.* Augustinus quærit, an iste sit Putiphar, de quo dictum est capitulo tricesimo nono, qui fuit emptor ac dominus Joseph. Hieronymus vero absolute respondet quod imo, et idem dicunt Hebræi. Cur

C autem vocatus sit eunuchus, et cur factus sit sacerdos, id est summus antistes, Heliopoleos, id est civitatis solis, de qua fertur in Isaia, Civitas solis † vocabatur una : [Is. XIX, 18.] dictum est in expositione capituli tricesimi septimi. Nullus quippe nisi castratus, aut infrigidatus ac impotens, poterat esse archiflaminus fani illius, forte ob hoc, ut sacris idolorum illius liberius atque integrius esset intentus.

Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti. Non quod jam extra terram Ægy-

D pti exstiterat, sed sedens in curru, processit de una parte terræ illius ad aliam. *Triginta autem erat annorum quando stetit in conspectu Pharaonis* taliter sublimatus : et ita fuit circiter tredecim annis in servitute et carcere ; et quia nescitur quamdiu in carcere fuit, ignoratur quamdiu ante servierat. Venditus est autem et cœpit servire, quando erat circiter decem et septem annorum. *Et circuivit omnes regiones Ægypti,* id est particulares provincias quæ ad dominium Pharaonis spectabant, ad vi-

Digitized by Google

dendum urbes et loca et populum, quibus erat prælatus, et ut agnosceretur ac honoraretur ab omnibus; non tamen significavit alicui causam, cur ita colligeret segetes, ut Josephus ait. Ex quibus omnibus constat, quanta gratia indiguit Joseph, ne in tam repentina et maxima atque multiplici sua exaltatione et honorificentia, inani falleretur lætitia, aut aliqua vanitate. *Venitque* successive *fertilitas septem annorum, et in manipulos redactæ segetes, congregatæ sunt in horrea Ægypti,* etc., per ministros a Joseph ad hoc deputatos; et intelligendum est istud de quinta parte fructuum, quæ per septennium servabatur.

Nati sunt autem Joseph duo filii antequam veniret fames, etc. Hoc (ut quidam scribit) adjicitur, quia Hebræi tempore communis tribulationis, ut est fames illa, ab uxoribus abstinebant; sed non est probabile, quod per septem annos famis ita continuerunt. *Vocavitque nomen primogeniti Manasses,* quod interpretatur oblivio, ideo ratio appellationis subjungitur : *dicens, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei,* hoc est, tantam donavit mihi prosperitatem, quod laborum et adversitatum quos pertuli, ac parentelæ meæ recordatio, non ingerit mihi tristitiam, ita quod per modum obliviscentis seu obliti me habeo. Verumtamen constitutis in prosperitate solet esse augmentum solatii, quod multa sustinuerunt adversa,
Ps. LXXXIX, 15. juxta quod scriptum est : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. *Nomen quoque secundi appellavit Ephraim,* quod interpretatur fructificatio seu crementum, ideo subditur ratio nominis : *dicens, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ,* id est in terra Ægypti, in qua in principio venditionis meæ in ea, et tempore incarcerationis pauper fui; in qua nunc crevi in spiritualibus et corporalibus bonis, in prole atque familia, in honore, potestate et gloria.

Igitur transactis septem ubertatis annis, etc., *cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph; et in universo orbe fames prævaluit.* Hoc per hyperbolen aut synecdochen dictum videtur. Non enim absolute in tota terra habitabili fuit caristia, sed ut infra habetur, præsertim in Ægypto terraque Chanaan, in regionibus quoque vicinis, quamvis non tam vehementer. Imo interdum in Scripturis una urbs mundus vocatur, ut quum Dominus ait in Isaia : Visitabo super orbis mala; Is. XIII. 11
ubi secundum Hieronymum, aliosque expositores communiter, per orbem ipsa Babylon ad litteram designatur, propter magnitudinem suam. De populo quoque qui venit cum Christo in die Palmarum, dixerunt Scribæ et Pharisæi : Ecce totus mundus abiit post eum. Joan. XII. 19.
In cuncta autem terra Ægypti fames erat, etc., id est in aliquibus, imo et in multis habitatoribus singularum civitatum Ægypti. Aliqui nihilo minus divites erant ibidem, qui in primis annis septem competentiam habuerunt ex propriis, quæ sibi reservarunt de fructibus annorum fertilium; hi præsertim, qui cognoverunt ea quæ Joseph de sterilitate terræ prædixit. *Omnesque provinciæ,* id est habitatores provinciarum illius climatis, *veniebant in Ægyptum, ut emerent escas,* etc., id est frumentum et blada ex quibus fit panis.

Digitized by Google

ARTICULUS XCII

DE MYSTICO HUJUS CAPITULI QUADRAGESIMI PRIMI INTELLECTU.

UNA causa, propter quam sancta Ecclesia tam diligenter atque solenniter legit Scripturas veteris Testamenti, est, ut innotescat quod Deus omnipotens semper habuit providentiam actuum humanorum: quod etiam ex hujus capituli historia clarissime comprobatur. Itaque per Pharaonem, qui vidit in somno futura in mundo, intelligitur quicumque princeps terrenus gentilis, qui in exordio fuit primitivæ Ecclesiæ, et tamen prædestinatus fuit a Domino: cui desuper monstrabatur mira et inaudita mundi mutatio: cui Christus per Apostolorum prædicationem exposuit, qualiter tunc instaret jamque inceptum esset tempus gratiæ, in quo toti humano generi exhibenda esset incomparabilis opulentia septem donorum Spiritus Sancti, et supernorum charismatum eis jugiter annexorum, quæ per septem boves pingues, spicasque plenas signantur; deinde tempore procedente, et caritate refrigescente, ventura esset in mundo spiritualis sterilitas, hoc est defectus virtutum, abundantia vitiorum, quæ frequenter ac diu fuit in Christi Ecclesia, atque per boves macras, et spicas exustas exprimitur.

Porro, sicut Joseph consuluit quintam fructuum partem annorum fertilium colligi ac reponi in horrea ad succurrendum tempore famis; sic Christus durante Ecclesiæ primitivæ fervore, fecit per quosdam viros fideles describi virtutes, sapientiam, miracula, martyria, ac diversa charismata, quæ fuerunt in primitiva Ecclesia, quæ tot tantaque fuere, quod vix quinta pars quibat describi. Descripta vero, in horreis, hoc est in librariis, est condita, in quibus sunt libri cibaria spiritualia continentes, ex quibus subvenitur fidelibus tempore spiritualis inopiæ, qui tunc ex recitatione seu lectione virtutum atque charismatum, ineffabilisque fervoris primorum fidelium ac præcedentium patrum, ædificantur in fide, accenduntur in caritate, roborantur ad bene agendum, sicque salubriter reficiuntur, ne pereant prorsus inopia.

Amplius, ipsius Joseph incarceratio et longa afflictio, figura fuit Domini Jesu Christi passionis: et sicut Joseph post maximam tribulationem subito vehementer est elevatus, Ægypto prælatus, et mundi Salvator vocatus; sic Christus post suam acerbissimam et ignominiosissimam passionem ac sepulturam statim est suscitatus a mortuis, cœlo ac terræ præpositus, atque ubique terrarum vocatus mundi Salvator. *Ps.* II, 6 *et seq.*
Constituitque Deus Pater Christum super domum suam, videlicet universalem Ecclesiam, cujus caput est Christus, et sub eo Romanus Antistes, Domnus apostolicus, generalis, plenus, ac summus Christi in terra Vicarius, in quo est potestatis ecclesiasticæ vertex ac plenitudo. *Act.* X, 42. *Coloss.* I, 18.

Insuper, annulum fidei dedit Pater in manu Christi, ita ut Christus omnes vocaret ad fidem, animasque fideles sibi per fidem sponsaret. *Vestivitque eum stola byssina,* id est carnis immortalitate, claritate, impassibilitate, ac subtilitate in sua resurrectione. *Auream quoque torquem circumposuit collo ejus,* hoc est, ardentissimam caritatem, et splendidissimam sapientiam radicavit in mente ipsius. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum,* id est supra corda fidelium, potissime Apostolorum et aliorum prædicatorum sanctorum atque pastorum, qui Deum in se portant, circumferunt, retinent, et eum ad aliorum animas vehunt, ac sibi subje-

Digitized by Google

ctos sustentant, qui sunt currus Dei, sicut A ad Eliam dixerat Eliseus, et rex Israel Eliseo : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus! Multi sunt tales currus Altissimi. Etenim currus Dei decem millibus multiplex. Quemadmodum etiam ante Joseph currebat præco clamans, ut omnes ei flecterent genu, et dominum eum recognoscerent Ægyptiorum ; sic Christum præcessit gloriosissimus sanctissimusque Joannes Baptista, qui prædicavit se esse indignum solvere corrigiam calceamentorum Christi Filii Dei, eumque esse ab om- B nibus adorandum, dicendo : Qui de cœlo venit, super omnes est.

IV *Reg.* II, 12; XIII, 14.

Ps. LXVII, 18.

Joann. I, 27; III, 31.

Præterea, sicut Joseph exaltatus duxit uxorem gentilem, genuitque ex ea filios duos ; sic Christus post suam resurrectionem et ascensionem, Synagoga relicta, gentilem plebem convertit, et ex ea sibi collegit Ecclesiam quam duxit in sponsam, ex qua genuit quasi duos filios, hoc est religiosos ac sæculares, seu contemplativos et activos. Ex primitiva quoque Ecclesia, hoc est per sanctorum Aposto- C lorum prædicationem, genuit filios duos, convertendo per eos multa millia Judæorum, sed incomparabiliter plura millia paganorum.

Adhuc autem sicut Joseph fuit triginta annorum quando circuivit Ægyptum ; sic Christus eadem in ætate exorsus est circuire Judæam ad prædicandum in ea, qui pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo : et sicut Joseph tempore sterilitatis aperuit horrea, vendiditque frumenta ; sic Christus tempore deformationis et conculcationis Ecclesiæ misericorditer auxiliatur, nec unquam in toto relinquet Ecclesiam, sed indesinenter statuit et conservat in ea quosdam electos ac virtuosos, qui mala mundi ac ruinam deplorant Ecclesiæ, clamantes ad Christum pro spirituali refectione ac reformatione populi christiani; quibus pius succurrit Salvator, et spiritualia tribuit alimenta, quæ oratione et subjectione quasi emuntur. Horrea vero sunt libri Scripturæ, sacramenta Ecclesiæ, corda ferventia, imo et ipsa caritas, pietas, omnipotentia, opulentia, liberalitas Dei, in quibus omnia bona supercopiosissime continentur; et tunc quasi aperiuntur, dum nobis ex eis dona gratiæ derivantur.

Act. X, 38.

ARTICULUS XCIII

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SECUNDI : AUDIENS AUTEM JACOB QUOD ALIMENTA VENDERENTUR.

QUALITER sint impletæ visiones som- D niales ipsius Joseph, quibus se vidit adorari a sole et luna ac undecim stellis, incipitur nunc describi. *Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis?* etc. Quasi dicat : Cur non festinatis ire in Ægyptum ad emendum necessaria nobis? *Descendentes igitur fratres Joseph decem,* etc., *Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus,* id est fratribus Benjamin, *Ne forte,* etc. Quasi dixisset : Non permitto eum ire vobiscum, ne aliquid adversi contingat sibi in via, quemadmodum contigit fratri ejus uterino ; quia (ut infra habetur) Jacob valde specialiter ipsum Benjamin diligebat. *Quumque adorassent eum fratres sui* adoratione duliæ, cum profunda inclinatione, aut prostratione, aut genuflexione, *et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur,* non tamen ex corde duro, neque ex ira, sed ex magna pruden-

Digitized by Google

tia et pia simulatione, imo et ex zelo justitiæ, quia volebat eos pro suis excessibus caute affligere; *interrogans eos: Unde venistis?* etc. Forte nescivit quod adhuc habitarent in terra Chanaan, quoniam pater eorum frequenter mutavit locum habitationis. *Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.* Ipse enim interim fuit valde mutatus in facie, quia sedecim annorum exsistens recessit ab ipsis, qui tunc erant in ætate virili, nec interim multum in apparatu mutati. Eratque Joseph in tanto constitutus honore, ac pretioso et quasi regali vestitu, quod fratres nequaquam poterant ex se ipsum cognoscere. *Recordatusque somniorum quæ aliquando viderat,* quæ capitulo tricesimo septimo scripta sunt, *ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ venistis,* id est loca Ægypti minus munita, per quæ regnum Ægypti possit facilius incursari.

Circa hoc duo quæruntur: Primum, quare Joseph recordatus somniorum suorum, protinus protulit verba ista. Secundo, an mentitus sit ista dicendo. Respondetur ad primum, quod ex quo fratres sui injuste contempserunt somnia sua, voluit eos inducere ad verificationem somniorum illorum, ut scilicet in tribulatione et angustia positi, eum attentius exorarent ac adorarent. Ad aliud quidam respondent, excusando Joseph a mendacio in his ac ceteris verbis ejus sequentibus, asserentes quod fratres ejus fuerunt aliquo modo exploratores, quia exploraverunt veniendo meliora itinera, et qualiter se haberent accedendo dominum terræ, qui vendidit blada. Hanc vero excusationem reprobat quidam, scribens hoc loco et alibi sæpe, non oportere Sanctos veteris Testamenti a venialibus excusari, a quibus nec Christi Apostoli fuerunt immunes. Ad quod dicendum, quod Sancti utriusque Testamenti sunt a peccatis excusandi, quantum vere ac rationabiliter fieri potest, et quod licet interdum uti subtili æquivocatione, et industriosa veritatis celatione per verba obscura: nec hoc est alium per mendacia fallere, sed potius ei sapienter prodesse. Mihi quoque apparet, quod præter modum prætactum excusari valeant verba Joseph ab omni mendacio, ut dicamus eum protulisse hæc verba ironice, non ex animo; itemque, exercitando et probando fratres suos, non affirmando, sicut frequenter sancti Patres imposuerunt sibi invicem aliquas culpas intentione exercitandi.

Qui dixerunt: Non est ita, domine, etc., id est, non sumus exploratores malitiosi. *Omnes filii unius viri sumus,* etc. Refert Rabbi Paulus, quod quidam expositores Hebræi dicunt, fratres Joseph ivisse dispersos per civitatem, ad quærendum undique fratrem suum Joseph, ut emptum redimerent, ac patri suo reducerent, et postea convenisse in domo Joseph ad emendum: idcirco imposuit eis, quod ex diversis regionibus essent missi ad explorandum: ideo ad excusandum se inde, dixerunt se esse filios unius viri. *Quibus ille respondit: Aliter est. Immunita terræ hujus considerare venistis,* juxta sensum prætactum. *At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus,* etc. Quomodo dixerunt hoc, quum putarent ipsum Joseph jam mortuum esse, sicut subjungitur, *Minimus* frater noster *cum patre nostro est, alius non est super,* id est, non vivit, ut credimus, quia infra tot annos nihil de eo percepimus? Dicendum, quod dixerunt se duodecim fratres esse, id est fuisse, vel per synecdochen dictum est hoc. *Hoc est, ait* Joseph, *quod locutus sum, Exploratores estis:* quasi dicat, Ex quo estis tot germani, estis magis audaces et præsumptuosi, in mutuo confidentes subsidio. *Jam nunc experimentum vestri capiam,* id est, per effectum investigabo an sitis in verbis veraces; *per salutem Pharaonis non egrediemini hinc,* id est, vos decem non exibitis simul Ægyptum, *donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis unum qui adducat eum.* Ex hoc videtur, quod Joseph quando hæc dixit, intendebat novem fratres suos secum tenere, quousque Benjamin adduceretur ad se; *vos autem eri-*

Digitized by Google

tis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, utrum vera an falsa sint, hoc est, an habeatis adhuc unum fratrem vobis juniorem. Circa quod Augustinus, et alii dicunt, quod Joseph videns decem fratres suos adesse, et fratrem suum uterinum deesse, timuit ne forte fratres sui aliquid malitiæ exercuissent in illum sicut in se : ideo voluit certificari de hoc per præsentialem et personalem adductionem fratris sui ad se. *Alioqui per salutem Pharaonis, exploratores estis,* hoc est, nisi potueritis verificare verba vestra prolata de minimo fratre vestro, habendi estis pro exploratoribus, et digni puniri ut illi.

Circa hoc quæritur, an licuit ipsi Joseph jurare per salutem Pharaonis, quum non liceat per creaturas jurare. Et per Moysen dictum est, Per nomen Domini Dei tui jurabis. (*Deut.* VI, 13.) Ad hoc Thomas in secunda secundæ, quæstione 89, respondet : Duplex est juramentum : Unum quod fit simpliciter contestando, et hoc divinæ veritati innititur, sicut et fides. Unde quemadmodum fides principaliter est de Deo, secundario autem de creaturis, in quantum veritas divina in eis resplendet : sic juramentum principaliter ad Deum refertur, cujus veritati innititur ; secundario autem assumuntur creaturæ aliquæ ad jurandum, non secundum se, sed in quantum divina in eis veritas manifestatur : sicque juratur per Evangelium, id est per Deum cujus veritas in Evangelio continetur, et per Sanctos qui veritatem hanc crediderunt. Aliud est juramentum quod fit exsecrando, atque in tali juramento inducitur creatura tanquam id in quo exerceatur divinum judicium, si perjuretur : ut quum homo jurat per caput suum, aut filium, aut per aliam rem quam amat ; sicque juravit Apostolus : Ego, inquiens, testem Deum invoco in animam meam. (II *Cor.* I, 23.) Et utroque modo intelligi potest, quod Joseph per salutem Pharaonis juravit, hoc est : per modum exsecrationis, sic quod salutem Pharaonis obligaverit Deo, nisi verum esset quod dixit ; et item per modum simplicis contestationis, A contestando videlicet veritatem divinæ justitiæ, ad cujus exsecutionem principes terræ constituuntur.

Tradidit ergo illos custodiæ, id est incarcerationi, *tribus diebus :* quia per odium cordis, per verba conspirationis, et per realem venditionem, peccaverunt in eum ; et etiam ut ipse interim melius deliberaret, quid faceret circa eos. *Die autem tertio eductis de carcere, ait.* Quo patet, quod non fuerunt in carcere per tres integros dies, imo non nisi per unum integrum B diem, et per aliorum duorum dierum partes : eodem namque die quo verba præhabita loquebatur cum eis, misit eos in carcerem. *Facite quæ dixi,* adducendo fratrem vestrum, quamvis non eo modo quo tetigi, sed ut tangam, *et vivetis,* id est, non occidam vos tanquam exploratores. *Deum enim timeo :* quasi dicat, Dei cultor sum, non idololatra. *Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere,* id est, ligatus ponatur in carcere ; *vos autem abite, et ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras,* C etc. Quamvis enim habitaverunt cum patre suo Jacob, nihilo minus unusquisque eorum habuit habitaculum speciale pro se ac sua uxore, ac sobole atque familia. *Fecerunt ut dixerat,* id est, acquieverunt verbis Joseph, et sic facere decreverunt. Verumtamen alia multa verba habuerunt Joseph et fratres ejus ad invicem, ut in sequentibus patet capitulis, ubi habetur : Interrogavit nos homo, scilicet Joseph, per ordinem nostram progeniem, si pater viveret, si haberemus fratrem. Quumque D Joseph dixisset eis ut fratrem illum adducerent, dixerunt : Non potest puer relinquere patrem suum ; si enim illum dimiserit, morietur, etc. Tuncque Joseph dixit eis cum juramento, quod non viderent faciem suam, nisi fratrem illum afferrent.

Et locuti sunt ad invicem : Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, etc. *En sanguis ejus exquiritur,* id est, justo judicio Dei ista sustinemus, in ultionem mortis fratris nostri. Putabant enim quod mortuus esset : et quamvis non

Digitized by Google

interfecerant eum, tamen conjiciebant, quod A ex sua venditione incidisset tot adversitates atque tristitias, quod diu inde obisset. Interfecerunt quoque eumdem morte civili, vendendo eum in servum : servitus autem est mors civilis. *Nesciebant autem quod intelligeret Joseph* verba eorum Hebraica, putantes eum Ægyptium natione, et nesciebant hoc, imo omnino æstimabant quod non intelligeret eos ; *eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Loquebatur enim Joseph lingua Ægyptiaca, et interpres narravit sensum verborum Joseph fra- B tribus ejus in lingua Hebræa : et hoc fecit Joseph, ne fratres eum ex sua loquela cognoscerent, ex qua multi faciliter cognoscuntur. Denique, ut refert Lyra, Hebræi referunt interpretem istum fuisse Manassen filium Joseph, quem ipse Joseph docuit idioma Hebræum. Sed hoc ad Judaicas arbitror fabulas pertinere, quum et Manasses tunc fuerit octo annorum aut circiter ; nec consuetudinis sit principibus, ad quos diversarum provinciarum atque linguarum homines assidue veniunt, tales C pueros habere interpretes, quos oportet esse valde prudentes et eloquentes : quod adhuc longe erat a puero octo annorum. Verumtamen ille interpres aliique domestici Joseph, imo Ægyptii communiter, sciebant Joseph esse natione Hebræum, et Hebræorum cognoscere ac eloqui posse linguam : ideo bene consideraverunt quod Joseph ex speciali causa loqueretur viris illis mediante interprete, non tamen sciebant causam in speciali.

Præterea quæri potest, cur interpres non D interpretabatur verba illa fratrum Joseph de peccato eorum. Respondetur, quod interpres non curavit ea interpretari, quæ fratres inter se loquebantur, et non ad Joseph. Sed tunc rursus est quæstio, qualiter audebant tam capitale crimen suum in aliena terra coram interprete recitare. Dici potest, quod interpres forsan non audivit hæc verba circa alia occupatus, aut parum divertens ; et taliter ea protulerunt, quod putabant ea ab alio nullo intelligi, quamvis Joseph ex singulari ad eos respectu audierit ea.

Avertitque se parumper, quasi acturus aliquid aliud, *et flevit,* ex consideratione providentiæ Dei, et admiratione ipsius ; ex devotione quoque ad Deum, considerando beneficia ejus in se, cum emollitione liquefactioneque cordis ; et item ex compassione, qua fratribus suis pie condoluit, quos vidit in magna desolatione atque angustia constitutos, quibus vexatio contulit intellectum, ita quod peccatum illud in Joseph commissum, sic ad memoriam reduxerunt. *Tollensque Simeon et ligans,* id est ligari seu compediri faciens eum, *illis præsentibus :* ut sic magis festinarent implere præceptum de adductione Benjamin ; tamen (ut creditur) post fratrum recessum fecit Simeonem dissolvi, et pie tractari in ipsa custodia. Quod si quæratur, cur potius Simeonem ligavit ac tenuit : respondetur, quod magis peccavit in Joseph sua crudelitate, et alios incitavit contra eumdem. *Jussit ministris* suis *ut implerent eorum saccos tritico,* imo et aliis bladis, ut patebit, *et reponerent pecunias singulorum in saccis suis :* et in hoc fecit gratiam eis, vel ideo forsan fecit hoc, ut ipsi paulo post inventa pecunia, rursus affligerentur timore, formidantes in reditu suo accusari de furto : voluit enim eos pro suis excessibus pie ac diu affligere, propter eorum salutem ex caritate et æquitate ; voluit quoque patri suo pecuniam suam remittere ; *datis supra cibariis in viam,* id est quibus vescerentur in reditu.

At illi portantes frumenta, non triticum tantum, *in asinis suis,* id est supra asinos, ita quod ipsi fratres portabant, hoc est portari fecerunt frumenta, *profecti sunt. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum,* cui non dedit triticum pro pabulo, *in diversorio,* etc., id est stabulo, vel ut quidam exponunt, in hospitio ad quod diverterunt in via ; *dixit fratribus suis : Reddita est mihi pecunia* quam pro bladis exposui. *En habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique mutuo dixerunt : Quidnam*

Digitized by Google

est hoc quod fecit nobis Deus effective vel A permissive? Siquidem sicut omnia in divina providentia comprehenduntur, sic omne esse et omnis actio est a Deo, quantum ad id entitatis quod consistit in eis. Sed cur ex facto isto quod Deo adscripserunt, turbati sunt? Cur etiam pluraliter sunt locuti, Quod fecit nobis Deus, quum unus eorum solum invenisset suam pecuniam? Dicendum ad primum, quod ideo, quia in reditu timuerunt suspecti haberi de furto, quamvis essent innoxii; et quia jam semel gravem tribulationem multum improvise B sustinuerunt, faciliter metuebant rursus similia pati, ut moris est infortunatis. Ad secundum dicendum cum Andrea, quod auditis verbis præfatis unius de inventione suæ pecuniæ, alii omnes aperuerunt suos saccos, ut viderent quid factum esset cum eis. Quumque unusquisque eorum invenisset suam pecuniam forte ligatam in bursa aut peplo parvo, exterriti sunt, et locuti verba inducta. Unde sequenti capitulo dicunt: Quum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus C pecuniam in ore saccorum.

Veneruntque ad Jacob patrem suum, et narraverunt ei omnia quæ sibi accidissent, etc. *His dictis, quum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias.* Ex hoc videtur, quod non invenerunt pecunias suas jam ante in via ac diversorio. Ad hoc quidam respondent, quod istud hic dicitur per recapitulationem, quia jam ante invenerunt pecunias. Sed si ordo verborum pensetur, non videtur solutio ista animum quietare, quia D aperte hic dicitur, His dictis, quæ scilicet retulerunt patri suo, Quum frumenta effunderentur, repererunt. Ideo arbitror respondendum, quod quamvis invenerunt pecunias suas in diversorio, tamen ex prudenti cautela dimiserunt eas in saccis suis, ut si quis eos quasi fures insequeretur, possent se excusare veraciter, per hoc quod pecuniæ non essent apud corpus nec in bursis eorum, nec eam interim attigissent. Nam et istud partim postea pro sua tetigerunt excusatione. Denique dicitur hic quod dum frumenta effunderent, singuli repererunt pecunias in ore saccorum, ergo et unus ille qui in diversorio eam invenit: idem est sentiendum de aliis quod de uno; nec obstat quod subditur, *Exterritisque simul omnibus,* quia hoc accipi potest ita, quod tunc timor pristinus fuit renovatus in eis, vel quod Jacob et alii ibi præsentes, ex hoc facto fuerunt exterriti, ex eadem causa qua fratres. *Dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis,* id est, aliquos filiorum meorum mihi abstulistis, aut mox auferetis, ut timeo. Vel loquitur Jacob per modum eorum qui intense diligunt suas res, utpote sobolem sive pecuniam, quarum quum partem amiserint, ita conqueruntur ac dolent, quasi totum perdiderint. Et est hyperbolica locutio quæ ex vehementia affectionis solet procedere. *Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum,* videlicet Benjamin, *tibi.* Istud non fuit prudenter dictum, quia nequaquam decuit avum innocentes nepotes occidere. *At ille: Non descendet, inquit, filius meus Benjamin vobiscum* adhuc, vel tam cito ut vultis, etc., ad terram, *ad quam pergitis,* id est perrecturi estis; tamen Jacob ante jam dixit, Benjamin auferetis, quia timuit finaliter sic futurum.

Digitized by Google

ARTICULUS XCIV

DECLARATIO CAPITULI QUADRAGESIMI TERTII : INTERIM FAMES OMNEM TERRAM VEHEMENTER PREMEBAT.

SECUNDA filiorum Jacob profectio in Ægyptum, in isto recitatur capitulo, in quo quanto historia pulchrior, tanto littera planior est. *Interim* quod dissensio ista inter Jacob ac filios ejus duravit de hoc, an Benjamin iret cum eis, *fames omnem terram,* id est habitatores totius terræ, præsertim Ægypti et Chanaan, *vehementer premebat,* etc. *Dixit Jacob ad filios suos : Revertimini* in Ægyptum, *et emite nobis pauxillum escarum,* id est aliquantulam quantitatem tritici ac bladorum. Quare non dixit, Emite nobis multum escarum? Dicendum, quod tanta fuit inopia victualium in domo Jacob, ut modicum reputaret quidquid secum portare poterant ex Ægypto. Vel ideo dixit, Pauxillum, etc., quia speravit quod Deus cito imponeret finem illi caristiæ. *Respondit Judas : Denuntiavit nobis vir ille cum attestatione jurisjurandi,* id est cum juramento assertorio, *dicens : Non videbitis faciem meam,* hoc est, non habebitis me vobis gratiosum ac favorabilem, nec permittam vos coram me prospere comparere, *nisi fratrem vestrum minimum,* id est ultimo natum, *adduxeritis vobiscum,* etc. Quemadmodum enim primogenitus dicebatur major, sic ultimo natus minor vocabatur aut minimus, quando multi filii erant. *Interrogavit nos homo,* scilicet ipse Joseph, pietate rationeque plenus, *nostram progeniem, si pater viveret, si haberemus fratrem* alium præter eos quos inter nos vidit. Non dicitur hic quod interrogavit, an mater nostra aut fratris illius viveret : ex quo elicitur, matrem ejus obiisse ante suam venditionem. Sciebat autem ante suam venditionem habere se fratrem uterinum ; sed quid interim accidisset de illo, nescivit.

Judas quoque dixit patri suo : Mitte puerum, scilicet Benjamin, *mecum,* etc., ut sit specialiter in mea custodia. *Ego suscipio puerum,* id est, obligo me ad custodiendum ac reducendum cum sollicite atque fideliter. *Nisi reduxero et tradidero,* id est assignavero, *eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* Ista fuerunt verba prudentiæ, quoniam filius post Dei offensam, nihil plus evitare, aut enormius reputare debet, quam esse reum peccati in suos parentes, quos post Deum tam specialiter diligere et honorare tenetur. Hinc ait Glossa : Ruben dixit, Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi, non tamen obtinuit. At Judas dicens, Ero reus peccati in patrem omni tempore, impetravit, quia ei commissus est Benjamin. Plus ergo est esse reum peccati, quam corporaliter occidi. *Si non intercessisset dilatio,* hoc est, nisi mora ista ex occasione Benjamin intervenisset, *jam altera vice venissemus,* id est, secundo reversi essemus ex Ægypto. Si autem prædictis objiciatur, quod obligatio Judæ præfata videtur fuisse valde incauta et periculosa, eo quod Benjamin potuisset in via mori aut capi, seu aliis irremediabilibus modis a reditu impediri : dicendum, quod pactio Judæ fuit rationabilis, considerata angustia famis, et magnitudine periculi ex caristia imminentis. Eratque intelligenda, nisi inevitabile occurreret impedimentum.

Igitur Israel pater eorum, id est Jacob, *dixit ad eos : Si sic necesse est, facite quod vultis,* eundo illuc cum Benjamin. *Sumite de optimis terræ* hujus *fructibus in vasis repositoriis vestris, et deferte viro munera,* ut sic obtineatis ejus gratiam ac favorem. *Modicum resinæ.* Secundum Schola-

Digitized by Google

sticam historiam, resina dicitur quodlibet genus gummi liquidum vel aridum seu siccatum, a ῥέειν Græce, quod est emanare. Porro, secundum Isidorum ac Papiam, resina generaliter dicitur gutta seu humor fluens de arboribus aromaticis, quæ indurata, ad unguenta valet ac medicinas. *Et mellis,* quod abundavit in terra promissionis, *et storacis et stactes et terebinthi.* Ista tria sunt nomina arborum aromaticarum; nunc tamen sumuntur pro guttis seu lacrimis ac fructibus profluentibus ex illis arboribus. Duæ quoque ponuntur species storacis. Nam una cadit in terram, et nullius pretii reputatur; alia adhæret cortici, et pretiosa censetur: atque (ut ait Glossa) storax species est resinæ. Duplex etiam ponitur gutta terebinthi, una est masculina, et parum valet; alia feminina, quæ pretiosa exsistit. Per stacten vero quidam intelligunt myrrham. *Et amygdalarum,* quæ notæ sunt, ex quibus fit delicatum pulmentum, et refectio infirmorum. Abundat autem una regio in aliquibus, in quibus deficit alia. Ideo Jacob misit hæc munera, ut tanto acceptiora essent ei cui mittebantur, quanto rariora et cariora sunt in Ægypto. *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum,* id est duplo majorem quam primo portastis vobiscum: quod ideo dixit Jacob, quatenus plura quam antea, emerent; vel quia suspicabatur blada paulatim carius vendi, durante diu caristia; vel ad satisfaciendum viro, si forte imponeret furti calumniam filiis suis: aut si alia quævis adversitas improvisa eis accideret, haberent opem pecuniæ; *et illam quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit,* etc., id est ex inadvertentia, aut alio modo erroneo, quatenus reddatis eam, si quis eam exegerit. *Deus autem meus omnipotens,* quem ego tam singulariter colo, qui solus immutare potest omnem mentem creatam ad libitum suum, *faciat eum vobis placabilem,* etc., id est, cor viri illius inclinet ad pietatem circa vos. *Ego autem quasi orbatus absque liberis ero,* etc., id est, interim et usque ad reditum vestrum ero similis homini non habenti filiorum solatium.

Descenderuntque in Ægyptum, etc., quæ bassior est terra Chanaan. *Quos quum ille* Joseph *vidisset, et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum,* id est in domum meam, *et occide victimas,* id est animalia comestibilia quæ offeruntur pro victimis, *et instrue,* id est præpara convivium, etc. *Ibique exterriti,* etc. Quia contra seu præter consuetudinem aliorum qui ad emendum venerunt, ducebantur in domum, valde extimuerunt quod arguerentur de furto, et inter cetera dispensatori dixerunt: *Non est in conscientia nostra,* id est, conscii nobis non sumus nec scimus, *quis eam posuerit in marsupiis nostris,* id est, quis pecuniam illam in sacculis nostris reposuit. *At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere. Deus vester et Deus patris vestri dedit vobis thesauros,* id est pecunias, *in saccis vestris:* quasi dicat, Ex providentia et beneficentia Dei vestri id accidit. *Nam pecuniam quam dedistis mihi* pro bladis in prima emptione, *probatam ego habeo,* etc., id est, fateor mihi satisfactum de ea, nec inde culpam vobis impono. *Et attulit aquam, et laverunt pedes suos,* etc. Hanc pietatem docuit sanctus Joseph suos domesticos, quoniam scivit quod Abraham, Isaac et Jacob, ceterique boni Hebræi (ut Lot) circa opera pietatis, lotionemque pedum advenarum ac hospitum fuerunt intenti. Gen. XVIII, 4; XIX, 2.

Igitur ingressus est Joseph domum suam hora prandii, *obtuleruntque ei munera,* etc., quæ secum tulerunt, *et adoraverunt eum proni,* id est prostrati, *in terram,* etc., vel cum inclinatione profunda, ut quidam exponunt: et puto quod utroque modo humiliaverunt se ei, reverentiam duliæ exhibendo eidem. Est autem dulia virtus, per quam personis sublimibus debitus honor impenditur, unde paulo post subditur: *Et incurvati, adoraverunt eum.* — *Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin*

Digitized by Google

fratrem suum uterinum, id est ex eodem utero materno (ex quo et ipse) natum, et fratrem suum ex parte patris et matris, *et ait : Iste est frater vester parvulus,* id est junior ceteris, etc. ? *Festinavitque,* id est, celeriter se avertit ab adspectu fratris sui, *quia commota sunt viscera ejus super fratre suo :* quod de visceribus spiritualibus et corporalibus accipi potest. Spiritualia etenim viscera, sunt amor et pietas. Joseph autem ex fratris sui uterini adspectu, fuit circa eumdem intensissime motus seu inflammatus naturali, imo et spirituali amore, et omni pietate interna ; atque ex redundantia naturali affectionum animæ tam fortium, fuit interior corporalis natura ac dispositio alterata in ipso prævalide. *Et erumpebant lacrimæ,* etc. Plus enim afficiebatur ad Benjamin, quia frater suus exstitit uterinus, nec venditioni suæ interfuit, neque peccavit in se, et quoniam pater suus tam specialiter illum dilexit.

Rursumque, etc., *ait : Ponite panes,* id est cibaria super mensam. *Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui simul vescebantur, seorsum.* Itaque erant ibi tres mensæ, una pro Joseph, alia pro fratribus ejus, tertia pro Ægyptiis : ponebaturque mensa specialis pro Joseph, tanquam pro advena ; et specialis pro fratribus ejus, tanquam pro extraneis; specialis quoque mensa pro Ægyptiis, tanquam pro indigenis. Hinc Glossa : Seorsum appositi sunt cibi Joseph quasi advenæ, et seorsum fratribus quasi exteris natione, seorsum quoque Ægyptiis quasi indigenis. Causa vero hujus diversitatis subjungitur : *illicitum enim est Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum, id est irreligiosum sive sacrilegum, putant hujusmodi convivium :* et hoc forsan propter disparem cultum, vel (ut dicunt Hebræi) quoniam ipsi Hebræi mactant et comedunt animalia quædam, videlicet oves et boves, quæ colunt Ægyptii. Unde in Exodo Moyses ait ad Pharaonem : Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si viderint nos Ægyptii ea mactare quæ ipsi colunt, lapidibus nos obruent. Ponebatur etiam specialis mensa pro Joseph, tanquam pro patrefamilias et principe. Et mirum si Ægyptii etiam ipsius Joseph vitabant communicationem in mensa, quum ipse sic ipsis præesset. *Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua,* id est unusquisque secundum ordinem suæ ætatis, ita quod primogenitus sedit superius, deinde juxta eum, qui fuit natus secundo, *et minimus juxta ætatem suam,* id est ultimo natus in infimo loco. Fecit namque eos sedere, sicut in domo patris sui sedere consueverunt. *Et mirabantur nimis* quod Joseph quem putabant eis extraneum, disposuit eos sedere, sicut solebant sedere in domo paterna; *sumptis partibus quas ab eo acceperant,* id est portionibus ciborum quas eis fecit apponi ; *majorque pars* ciborum *venit Benjamin,* hoc est, ei apponebatur, *ita ut quinque partibus excederet,* id est, quinquies plus haberet, quam aliquis unus ceterorum fratrum in sua mensa vescentium. Voluit enim Joseph ipsum Benjamin præ ceteris honorare in appositione escarum : quod et ideo fecit, ut consideraret an fratres inviderent in hoc ipsi Benjamin, sicut inviderunt sibi, quod a patre suo præ eis honorabatur in vestitu, ac amabatur. Hinc Glossa : Affectus animi boni semper proclivus est ad pietatem. Unde et in Joseph possumus virtutum copiam considerare : castus erat, quum sprevit impudicitiam dominæ suæ ; sapiens, dum diligenti investigatione explorabat animos fratrum, qualiter sentirent de fratre suo uterino ; justus, in abdicatione delinquentibus ; pius, in conversione pœnitentibus. Hæc Glossa.

Sed indecens videtur fuisse, quod soli Benjamin fecit quinquies plus apponi quam ceteris. Dicendum, quod secundum Josephum, Joseph honoravit Benjamin duplicibus partibus. Circa quod aliqui dicunt, quod alii fratres comederunt bini simul, et Benjamin solus, et tantum ei soli proponebatur, quantum aliis duobus : ita

Digitized by Google

quum quinque fuerint fercula, quinque partibus excessit pars Benjamin partes aliorum. Idcirco Scholastica historia : Utrumque, inquit, simul stare potest, si quinque fuerunt ciborum appositiones, et de qualibet duplum datum est Benjamin. Circa quæ iterum quæritur, quia videtur quod Joseph dedit fratribus suis magnam occasionem cognoscendi ipsum, præsertim quod ita disposuit eos ad sedendum. Ad hoc dicunt Judæi, quod simulavit se scire ordinem geniture eorum per divinatoriam artem, ita quod coram eis percussit scyphum suum argenteum, atque post primam percussionem dixit : Ille talis quia primogenitus est, sedeat primus, sicque deinceps. Potest etiam dici, quod simpliciter eis præcepit, ut ponerent se ad sedendum juxta suæ ordinem nativitatis, et in hoc obtemperaverunt.

Biberuntque et inebriati sunt, id est, potu competenter refecti, non gulose, vel forte ex prosperitate sua hucusque habita in hoc tam felici itinere, et ex gaudio de præsentia Simeonis, biberunt abunde. Verumtamen proprietas est idiomatis Hebræorum, ebrietatem pro satietate accipere, juxta illud in Psalmo, Visitasti terram, et inebriasti eam; atque in Canticis, Inebriamini, carissimi. Hinc loquitur Augustinus : Solent ebriosi in suum patrocinium sibi

Ps. LXIV, 10. *Cant.* V, 1.

A hoc testimonium adhibere propter Joseph, qui valde sapiens commendatur, coram quo fratres inebriati leguntur; sed inebriatio pro saturitate in Scripturis accipitur.

Sensus mysticus.

Præterea juxta mysticam significationem, per Joseph intelligitur Christus; per fratres ejus, prælati ac præsidentes. Quemadmodum ergo Joseph locutus est fratribus suis, Nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum, non videbitis faciem meam; sic Christus suis protestatur vicariis et prælatis, quod nisi quemcumque etiam in-B fimum, eis commissum, ei reducant, seu ad ipsum convertant, quantum in ipsis est, Salvatoris faciem per beatificam fruitionem videre nequibunt, sed pereuntium sanguis imputabitur eis. Rursus, sicut Joseph vendidit, imo et gratis dedit fratribus suis necessaria vitæ, et suo patri copiam misit; sic Christus suis vicariis dona gratiarum infundit, per quæ et ipsi spiritualiter reficiuntur, ac suos reficiunt subditos. Omneque bonum Christus, ut homo, ad Patris æterni refert honorem. Porro, per C Benjamin intelligitur Paulus, ex illius semine natus, quem Christus tam intense familiariterque dilexit, quemadmodum Jacob patriarcha Benjamin filium suum; ipsique Paulo Christus tam specialiter condoluit adhuc erranti, quod vas electionis fabricavit ex eo.

Act. IX, 15.

ARTICULUS XCV

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUARTI : PRÆCEPIT AUTEM JOSEPH DISPENSATORI DOMUS.

PROSECUTIO tribulationis, qua prudentissimus Joseph fratres suos industriose, pie, acriterque afflixit, describitur in isto capitulo. *Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens : Imple saccos eorum frumento,* etc. Itaque Joseph tria præcepit dispensatori : Primum, ut saccos eorum bladis impleret. Secundo, ut D singulorum pecuniam poneret in summitate seu ore sacci uniuscujusque eorum, ob causas in præcedentis capituli expositione inductas. Tertio, ut ultra hoc poneret scyphum suum argenteum in ore sacci junioris, ut ex ejus deprehensione fratres alii magis affligerentur, quia sciebat quam invite sine eo redirent; vel ut experiretur,

Digitized by Google

an caritatem et fidelitatem ostenderent circa fratrem suum juniorem, an potius ex invidia eum solum in tribulatione relinquerent, invidendo eidem propter honorem ei præ ipsis impensum in mensa, sicut inviderant sibi eo quod a patre plusquam ipsi diligebatur. *Jamque urbem exierant,* etc. *Surge, inquit, et persequere viros, et apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono?* hoc est, nocumentum, fraudem, ingratitudinem, pro caritate, pietate et beneficiis quæ vobis impendimus. *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo dominus meus,* scilicet Joseph, *augurari solet: pessimam rem fecistis,* tot vitia committendo in uno facto. *Fecit ille,* videlicet dispensator, *ut jusserat* Joseph, et tamen dispensator scivit eos ab hoc facto innoxios. Conjiciebat tamen, quod dominus suus ex aliqua speciali occulta ac rationabili causa, tam insolite et secundum apparentiam injuste, se habuit circa hos viros, quia de bonitate et prudentia domini sui non dubitavit.

Sed quæritur, cur Joseph qui in Glossa vocatur sanctissimus, et quem Deus in cunctis direxit, per se et per suum dispensatorem locutus est verba hæc quæ videntur mendosa, imo mendacia perniciosa, ut est injusta imputatio furti ; et præsertim cur fratrem suum præ ceteris innocentem, et qui nunquam peccavit in se, ita voluit tribulare. Aliqui dicunt, quod non oportet eum de mendacio excusare, et quod mendacium istud proprie non fuit perniciosum, quia non intendebat finaliter diffamare aut lædere eos. Sed juxta præhabita arbitror verius respondendum, quod prædicta verba protulit, proferrique fecit Joseph non affirmando, sed exercitando, probando, explorando, qualiter fratres circa Benjamin se haberent, et item juste eos pro suis excessibus expurgando, propter quod ait Glossa : Toties objecta fratribus accusatio, expiatio est venditionis fraternæ ; sicque in verbis his non fuit palliata aut artificialis mentitio, quia non intendebat fratres fallere aut nocere. Porro, quod innocentem Benjamin afflixit cum aliis, non egit injuste, sed ut paulo post eumdem copiosius exhilararet, ditaret ac honoraret : et in hoc habuit typum Dei, qui in sæculo isto electos suos interdum affligit non pro eorum demeritis, sed ut gloriosius coronentur, majorique gratia nunc ditentur.

Qui responderunt : Quare sic loquitur dominus noster dispensator, *ut servi tui tantum flagitii commiserint ?* Quare Simeon et Levi, qui tam animose et acriter sævierunt et ulti sunt stuprum sororis (*Gen.* xxxiv, 25.) in Sichimitas, tam molliter et formidolose locuti sunt, quum de furto turpissimo tam evidenter, atque ut ipsi senserunt, tam mendaciter arguerentur ? Idem de Ruben primogenito et Juda viro audace, potest inquiri. Et cur undecim fratres dispensatori non restiterunt in campo ? Respondetur, quod Joseph sciens fratrum suorum audaciam atque ferociam, misit cum dispensatore comitivam robustam, imo ut aliqui putant, multitudinem armatorum, secundum Josephum autem, multos equestres : ideo fratres non audebant resistere nec loqui superbe. Deinde immunitatem suam a furto, probant per locum a majori, videlicet quia pecuniam quam absque proprio scitu reportaverant ad patrem suum, jam sponte reportaverunt ad ipsum dispensatorem. *Et quomodo consequens est :* quasi dicant, Nullatenus sequitur, nec apparentiam aliquam habet ; *ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum,* id est scyphum argenteum ? *Apud quemcumque servorum tuorum fuerit inventum quod quæris, moriatur,* id est mox occidatur, *et nos erimus servi domini nostri,* id est, etiam illi ex nobis apud quos non fuerit scyphus inventus, redigentur in servitutem omnimodam ejus, cujus tu dispensator exsistis. Sicque fratres isti, de conscientiæ suæ sinceritate quantum ad furtum eis objectum securi, ad graviorem obligabant se talionem quam furtum simplex in terra illa exegit, ut verba pandunt sequentia.

Digitized by Google

Qui dispensator *dixit eis : Fiat juxta vestram sententiam,* hoc est, non secundum totum judicii vestri rigorem, sed juxta aliquam ejus continentiam, per modum qui subditur : *Apud quemcumque fuerit inventum* quod quæro, *ipse sit servus meus,* non solum spontanea, sed necessaria subjectione pro sua culpa; *vos autem* apud quos scyphus non invenietur, *eritis innoxii,* id est, innocentes ab hoc furto apparebitis, ac libere recedetis. *Itaque festinato,* id est celeriter, quasi nihil timentes de sua deprehensione in furto, *deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli* saccos suos ; *quos scrutatus, incipiens a majore,* scilicet primogenito, quasi nihil sciret de exsistentia scyphi in sacco junioris, et ne videretur id scire, si a juniore incepisset scrutari : atque, ut Josephus recitat, fratres increpabant servum Joseph, quod eos a processu sic impediret ; *invenit scyphum in sacco Benjamin. At illi scissis vestibus,* etc., quod consuetudinis fuit antiquis, in tribulationibus adversitatibusque præcipuis ; *reversi sunt in oppidum* cum vehementi confusione, quasi publice deprehensi in furto, qui jam cum grandi exierunt lætitia, quia hucusque eis prospere successit in isto itinere, et quia cum Simeone revertebantur : et quoniam ipsi fratrem suum Joseph pro tam vili pretio vendiderunt, merito confusionem hanc toleraverunt. Josephus refert, quod equites sumpserunt Benjamin secum, quem fratres sequebantur.

Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph : quia excusatio Benjamin, seu etiam pœna ipsi Benjamin infligenda, magis pertinebat ad Judam, quoniam obligavit se, et fidejussit pro eo ; fuit quoque inter fratres suos prudentior, fortior atque facundior. *Necdum enim de loco abierat,* id est, Joseph nondum recesserat de loco, in quo fratres suos licentiavit, et a quo dispensatorem suum misit post eos. Sciebat quippe protinus eos cum grandi nimis mœrore, ruboreque redituros. *Omnesque,* scilicet undecim fratres, *ante eum*

A *in terram pariter corruerunt,* ut flecterent eum ad compassionem et gratiam. *Quibus ille ait : Cur sic agere voluistis?* quasi dicat : Graviter prorsus peccastis, quia scienter et ex proposito hoc fecistis, quum ego tam benevolus fuerim vobis. *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* tanquam dicat : Etsi non ex timore Dei et honestatis amore, tamen ex consideratione excellentiæ meæ in arte auguriæ, per quam possum occulta cognoscere, debuistis retrahi ab hoc furto.

B Circa hæc quæritur primo : Cur pius et mitis Joseph fratres suos tribulavit tam diu ac acriter, quum perfectionis videatur esse majoris, pœnam et culpam simul dimittere. Secundo, an veraciter dixit, non esse similem sibi in augurandi scientia. Tertio, quid sit scientia augurandi.

Respondendum ad primum, quod in singulari et privata persona commendabilius est, ut injuriatoribus ignoscat propter Deum pœnam et culpam, quam culpam dumtaxat, dummodo ex hoc non oriatur
C nocumentum rei publicæ, nec jactura seu conculcatio justitiæ, nec injuriatores fiant ad injuriandum procliviores. Alioqui laudabilius est quærere ultionem ex caritatis affectu et zelo justitiæ. Fratres autem Joseph, peccatum suum in ipsum Joseph commissum, non satis recognoverunt, nec digne pœnituerunt : ideo melius fuit quod eos sic expurgavit. Denique Joseph fuit judex et princeps fratrum suorum ex ordinatione divina, quod scivit ex visionibus sibi a Deo ostensis : idcirco non debuit
D impunitum relinquere ipsorum excessum, in quantum graviter offenderant Deum ; neque injuriam sibi illatam, in quantum per illam fuerunt causa tam diuturnæ ac molestissimæ contristationis patris eorum. Hinc Thomas in secunda secundæ, quæstione 67 : Circa judicem, inquit, duo pensanda sunt : Primum, quod inter accusatorem et reum mediare et discernere habet ; secundum est, quod non propria, sed publica auctoritate hoc facit. Et ex horum utroque potest impediri a pœnæ relaxatio-

Digitized by Google

ne : primo ex parte accusatoris, ad cujus jus aliquando pertinet ut reus puniatur, videlicet propter injuriam accusatori illatam, cujus relaxatio non stat in arbitrio judicis, qui tenetur unicuique jus suum conservare et exhibere ; secundo ex parte publicæ auctoritatis, cujus fungitur vice, ad cujus bonum spectat ut malefici puniantur : sed hoc in supremo judice ac principe terræ locum non habet, cui commissa est plenaria rei publicæ potestas. Nam judex inferior non potest reum absolvere contra legem sibi a suo superiore præfixam, sed princeps potest absolvere reum, si placet injuriato, dummodo ipse princeps viderit hoc rei publicæ non esse nocivum. Hæc Thomas.

Insuper Joseph ex aliis rationabilibus causis sic fratres suos afflixit, quas tangit Augustinus dicendo : Movet quid sibi velit, quod Joseph fratres suos toties ludificavit, antequam eis aperiret quis esset, et tanta eos exspectatione suspendit : quod quamvis tanto suavius sit dum legitur, quanto inopinatius factum est illud cum quibus agitur, tamen gravitatem sapientiæ illius non decuisset, nisi in eo quod quasi ludo egit, magnum aliquid significaretur. Puto ergo non negligenter considerandam tantam miseriam in perturbatione fratrum suorum, qualiter Joseph tenuit eos quamdiu volebat, et quanta voluit mora protraxit, faciens eos tanto plus calamitosos, quanto plus futuram mox eorum lætitiam attendebat. Quodque agebat ut eorum gaudium differretur, ad hoc agebat, ut dilatione cumularetur, tanquam non essent condignæ passiones tantilli temporis ad futuram exsultationem eorum, cognito fratre quem a se perditum æstimabant.

Ad secundum Augustinus respondet, quod Joseph dixit jocose, non seriose, non esse similem sui in scientia augurandi. Verumtamen potuit esse quod fuerit valde peritus in ista scientia, ita quod scivit qualiter exerceretur, quod sine peccato potuit sciri, non tamen exercuit eam : quemadmodum de Moyse ait Scriptura, quod eruditus A est omni scientia Ægyptiorum ; sic tale quid potest de Joseph sentiri, qui ab anno suæ vitæ septimodecimo adhuc perdocilis puer inter Ægyptios mansit. Sed quod dispensator dicebat, quod in scypho illo dominus suus augurari soleret, aut non vere, aut jocose prolatum est, nisi forte quandoque simulatorie egerit hoc. Tamen secundum Rabbi Paulum, in Hebræo habetur : An ignoratis quod homo similis mei possit per augures talia scire ?

Ad tertium Thomas respondet in secunB da secundæ, quæstione 95, quod scientia augurandi est ars præcognoscendi futura sive secreta per motus, garritusque avium. Motus autem et garritus ac similes avium dispositiones, manifestum est non esse causas futurorum eventuum : ideo si ex eis futura aliqua præcognoscantur, hoc est secundum quod sunt effectus quarumdam causarum, quæ causant aut prænoscunt futuros effectus. Causa autem operationum brutorum, est quidam instinctus quo moventur per modum naturæ, quia non C habent actus sui dominium. Talis autem eorum instinctus est duplex : unus, qui procedit ex causa corporali, scilicet corpore cœlesti aut aere continente, quorum influentiis bruta subduntur, quia non habent nisi sensitivam animam et vires organicas. Sicque actus brutorum possunt esse signa aliquorum effectuum futurorum, in quantum dispositioni corporis cœlestis ac aeris conformantur. Hæc autem consideratio extendi non debet ad actus intellectus ac voluntatis, sed solum ad ea D quæ ad hujusmodi bruta aliquo pertinent modo. Consequuntur enim bruta ex corporibus cœlestibus dispositioneque aeris naturalem cognitionem et instinctum ad ea, quæ eorum naturæ necessaria sunt, ut sunt immutationes per ventos ac pluvias. Propter quod scriptum est in Jeremia : Milvus in cœlo cognovit tempus suum. Sic- *Jer.* VIII, 7.
que licitum est considerare avium garritus ac motus ad talia præscienda, ut si quis dicat, pluviam cito futuram, quia audivit corniculam sæpius crocitantem. Alio mo-

Digitized by Google

do instinctus brutorum est a causa spirituali, puta a Deo, ut patet de columba quæ super Christum baptizatum descendit, et
III *Reg.* xvii, 6. de corvo qui pavit Eliam; vel a dæmonibus qui Deo juste permittente utuntur brutis ad homines decipiendos. Itaque hujusmodi divinatione seu augurio uti, ultra quam se extendit secundum cursum naturæ aut ordinem divinæ providentiæ, superstitiosum est. Hæc Thomas. Aliqui tamen dicunt, quod augurium sumitur hic extense, prout se extendit ad divinationem quæ fit in ense et speculis, in quibus diabolus imprimit et apparere facit imagines rerum, quas monstrat superstitiosis.

Cui Judas : Quid respondebimus, inquit, domino meo, id est tibi nos impetenti? *vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere,* id est tuæ accusationi opponere? quasi dicat: Quamvis in veritate simus ab hac culpa innoxii, ita tamen res se habet, et sic undique sumus conclusi, quod non habemus excusationem coram hominibus apparentem. Ideo subditur : *Deus invenit iniquitatem servorum suorum,* hoc est, justo Dei judicio contingit nobis vexatio ista propter aliqua peccata nostra occulta, quorum punitionem Deus distulit usque nunc. *En omnes servi sumus domini mei, et nos et ille apud quem inventus est scyphus,* id est, tam ille, quam nos qui fuimus in ejus societate, videmur subjiciendi servituti tuæ perpetuæ, propter hoc factum. Hæc est enim consuetudo et lex, quod socii furis simul puniuntur cum eo, præsertim si de furto ejus sint conscii. *Respondit Joseph : Absit a me ut sic agam,* id est tam rigorose; *qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus. Vos autem abite,* etc. Ex his apparet, quod furtum simplex non puniebatur in Ægypto tunc corporali morte, sed servitute, quæ est mors civilis. Hæc quoque dixit Joseph, ut experiretur caritatem et fidelitatem fratrum ad Benjamin, an scilicet dimitterent eum solum in captivitate.

Accedens autem propius Judas, confidenter ait. Confidentiam illam peperit pu-
A ritas conscientiæ de immunitate objecti facinoris. Nempe ut in libro Sapientiæ legitur, Quum sit timida nequitia, dat te- *Sap.* xvii, 10.
stimonium condemnationis : semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Et alibi scriptum est : Justus quasi leo con- *Prov.* xxviii, 1.
fidens. *Oro, domine, audi me, ut loquatur servus tuus,* etc. *Tu es enim post Pharaonem dominus meus.* Pharao non erat rex aut dominus terræ Chanaan, nec habitatorum ipsius, et per consequens, nec fratrum Joseph ordinaria jurisdictione, sed potius
B quadam spontanea aut etiam necessaria illorum subjectione, præsertim quamdiu erant in terra dominationis ipsius. *Interrogasti prius servos tuos : Habetis patrem aut fratrem? et nos respondimus tibi domino meo.* Loquitur Judas multum humiliter ac reverenter, ad captandum benevolentiam domini sui, quem aliquando ita contempsit, quod non poterat ei quidquam pacifice loqui. *Est nobis pater senex, et puer parvulus,* etc., id est juvenis frater, puer patris nostri, qui comparatione fra-
C trum, dicitur parvulus seu minimus, quia ultimo natus, *cujus uterinus frater est mortuus,* secundum quod æstimamus; *et ipsum solum habet mater sua,* etc. Quomodo verum est hoc, quum Rachel mater Benjamin fuerit mortua quando hæc dicebantur? Respondetur, quod iste est sensus : Ipsum solum habet mater sua, id est, iste Benjamin est solus ex matre sua superstes ac vivus. Potest etiam dici, quod sicut parentes non penitus amittunt filios bonos ante se morientes, quia de Job ait
D Scriptura, quod Dominus addidit ei omnia *Job* xlii, 10, 13.
duplicia, et tamen post suam sanationem non habuit, nisi septem filios sicut et ante; sic parentes boni qui ante suam sobolem moriuntur, non perdunt, sed adhuc habent eamdem, quum immortalis sit anima, et electi tandem sint feliciter congregandi in unum.

Porro, in hac recitatione et excusatione Judæ, multa leguntur verba esse præhabita inter Joseph et fratres ejus in primo eorum ad eum ingressu, quæ non sunt an-

Digitized by Google

te descripta, sed gratia brevitatis omissa, A hicque suppleta. Nec enim Judas audebat scienter coram Joseph loqui mendacium, quod Joseph potuit scire esse mendacium. *Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer,* scilicet Benjamin, *defuerit, quum anima illius ex anima hujus pendeat,* etc., id est, corporalis animalisque vita patris nostri dependeat ex vita sui carissimi Benjamin, ita quod ex eo in adversitate relicto aut mortuo, pater noster vivere diu non posset. Ista ratio Judæ sumpta fuit ex dispositione sui patris, quatenus Jo- B seph tanta caritate patris ad filium considerata, attenta quoque magnitudine periculi, quod patri tam amoroso imminebat ex derelictione filii sui, acquiesceret suæ petitioni qua petivit pro Benjamin in servitute teneri. Deinde Judas ad idem inducit duo motiva ex parte sui: primum est, quia fidejussit pro Benjamin, quod eum reduceret, vel saltem reduci procuraret, quantum sibi possibile esset. Secundum, quia malebat in captivitate teneri, quam præsens ac testis adsistere calamitati quæ erat C suum patrem oppressura, si Benjamin non rediret. Itaque ait: *Ego proprie,* id est solus præ aliis, *servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem,* etc. *Non enim possum* licite ac honeste *redire ad patrem, absente puero,* etc. Littera plana est.

Sed circa hæc duo dubia oriuntur. Primum est, cur fratres videntes ipsum Benjamin tam singulariter amari a patre, non oderant eum, sicut oderant Joseph. Respondendum, quod solus amor præcipuus patris sui ad Joseph, non fuit totalis causa odii eorum in Joseph, sed et aliæ plures causæ in expositione capituli tricesimi septimi introductæ, quæ causæ non habuerunt locum in Benjamin. Insuper, viderunt patrem suum tam miserabiliter inconsolabiliterque afflictum ex amissione Joseph, quod tandem doluerunt se eum ex odio vendidisse, imo et odisse. Secundum dubium est, cur Judas vir industriosus, non dixit pro sui fratris excusatione, quod aliquis ex familia Joseph posuisset forsitan scyphum in sacculo fratris sui. Dicendum, quod quamvis probabile sit eum hoc bene cogitasse, non tamen audebat hoc dicere, quia timebat per hoc causam suam plus pejorare, et dispensatorem contra se provocare, ipsumque patremfamilias de sua familia diffamare.

Gen. xxxvii, 2, 11.

Postremo, quamvis totum hoc factum Joseph, prudenter ac pie ex divina inspiratione sit factum, possumus tamen considerare ex isto, quam multa mala fiant in mundo per circumventores, simulatores et callidos, contra simplices atque innoxios; ita quod innocentes, quamvis de suæ conscientiæ sinceritate sint tuti, nullam tamen evadendi inveniant viam.

ARTICULUS XCVI

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUINTI : NON SE POTERAT ULTRA COHIBERE JOSEPH.

MODO describitur, qualiter præelectus D hic Joseph notificavit se fratribus suis. *Non se poterat ultra cohibere Joseph* ab ostensione et signis affectionum suarum, neque a declaratione suæ notitiæ. Jam enim satis diu ac vehementer, imo et prudentissime afflixerat fratres suos : viditque eos in extremis angustiis positos, et de suis præteritis injuriis, fratri suo, videlicet sibi, illatis, valde dolentes. Expertus demum fuit jam copiose fidelitatem et caritatem eorum ad Benjamin atque ad patrem eorum, quem etiam novit in maximis curis ac doloribus constitutum. Hinc valde

Digitized by Google

condoluit eis, potissimum patri suo ac Benjamin. Verba quoque Judæ fuerunt tam amorosa et rationabilia, quod omnes qui aderant, poterant considerare eos non esse furti reos, nec quemquam eorum. *Multis coram adstantibus,* puta Ægyptiis, præsertim domesticis Joseph, qui adstiterunt spectaculo illi. Eratque lamentabile satis et miserabile, videre undecim fratres carnales, fortes ac juvenes viros, in tantis angustiis constitutos, quorum unus pro alio rogabat puniri in terra aliena, in qua et patris sui afflictiones magis quam proprias calamitates ac diffortunia doluerunt. *Unde præcepit ut cuncti egrederentur foras,* scilicet extra domum seu atrium in quo ista fiebant; et per Cunctos istos, intelliguntur Ægyptii. Forte enim permisit filios suos aut conjugem remanere in domo, aut etiam esse præsentes. Nam subditur, *et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Nam et ipse Joseph (ut moris est magnatum) erubuit coram extraneis vehementer plorare, nec prima facie voluit sua secreta pandere eis, præsertim qualiter venditus fuerat a fratribus, ne et fratres sui ex hoc coram Ægyptiis confunderentur, despicerentur, aut vexationem incurrerent.

Elevavitque vocem suam *cum fletu* alte et lacrimose loquendo, quum tamen (ut reor) proposuerit basse loqui; sed repentina ac intensissima inflammatio, alteratio, liquefactio sui cordis, et pietatis caritatisque motus, improvise vicit ac impulit eum ad loquendum tam lugubriter et sonore: *quam* vocem *audierunt Ægyptii,* qui quamvis essent expulsi, tamen ex curiositate manserunt prope januam sive parietem, ita quod verba Joseph potuerunt audire; *omnisque domus Pharaonis,* id est cuncti domestici regis: non quod statim et immediate audierunt vocem hanc Joseph, sed perceperunt ab eis, qui personaliter audierunt, et forte quidam de domo regis erant ibidem præsentes; *et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph. Adhuc pater meus vivit?* Quum dixisset, Ego sum Joseph, statim convertit se ad memoriam patris sui, quatenus vehementiam inflammationis ac alterationis sui cordis temperaret loquendo de patre, de cujus vita gaudebat. Nempe quod ait, Adhuc pater meus vivit? dixit, non quasi ex dubitatione quærendo, sed potius vitæ patris et futuræ consolationi ipsius congratulando. O quantus stupor et pavor, quanta admiratio et alteratio impleverunt corda Patriarcharum ex inopinatissimo verbo fratris, quem vel mortuum, vel in servitute vili ac gravi viventem putabant, dicentis: Ego sum Joseph! Ego, inquam, quem in tanto honore et gloria cernitis, cui vos toties prostravistis, inclinastis, humiliastis, in cujus potestate nunc positi estis, sum Joseph quem ita tractastis.

Non poterant respondere ad id quod interrogavit seu rememoravit, dicendo, Adhuc pater meus vivit, *fratres nimio timore perterriti.* Magna namque et rara ac penitus insperata, dum subito sentiuntur, timorem incutiunt. Nam et turbæ, visis Christi miraculis, timuerunt. Disciplui quoque, eo post resurrectionem ipsis apparente, conturbabantur ac terrebantur: quanto magis fratres Joseph, qui tantam fecerant injuriam fratri, quem in tanta potestate et eminentia viderunt ad oculum?

Matth. IX, 8.
Luc. XXIV, 37.

Ad quos ille, volens perterritos consolari, *clementer: Accedite, inquit, ad me.* Voluit autem eis aliqua dicere, quæ non volebat audiri ab aliis, imo nec ab uxore ac filiis. *Et quum accessissent prope: Ego sum, ait, Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Non ait, In Ægypto, sed, In Ægyptum, id est ad hoc ut longe a terra Chanaan ducerer in Ægyptum. *Nolite pavere* quod injuriam mihi a vobis illatam magis ulciscar; *nec vobis durum,* id est enorme et afflictivum, *esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus,* id est ad hoc quod detinerer in Ægypto, in qua sunt aliquæ regiones particulares contentæ ac ei subjectæ; vel, In his regionibus, id est in una harum regionum pertinentium ad posteros Cham, scilicet in terra Chanaan, quæ sicut et Ægyptus, ad

Digitized by Google

posteros Cham pertinebat. Unde et de Ægypto fertur in Psalmo, Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham. Denique venditio Joseph fuit enorme peccatum et gravis afflictio : ideo Joseph non admonuit fratres parvipendere suum peccatum, sed ne venditionem illam considerarent solum ut rem vitiosam ac duram in se, sed ut occasionem magni boni ex ea secuti, ne putarent quod ipse Joseph dure et ægre eam acciperet : ideo subditur, *Pro salute enim vestra,* id est pro conservatione vestra in tempore hujus caristiæ, *misit me Deus ante vos in Ægyptum,* id est, a vobis me vendi, et ante vos in Ægyptum duci permisit, imo et fecit. Nam actio illa venditionis et perductionis, quantum ad suam entitatem, fuit effective a Deo, a quo est omne esse, omne posse, et agere universum; obliquitas vero et perversitas actionum illarum, fuit a voluntate humana inordinata. Deus autem causavit actus illos recta intentione ac fine salubri, ut scilicet Joseph in Ægypto exaltaretur, et per eum aliis subveniretur : nec Deus permisisset actus illos fieri, in quantum fuerant mali, nisi voluisset ac potuisset ex eis elicere bona, quemadmodum in Enchiridion loquitur Augustinus : Tam bonus est Deus, quod non sineret fieri mala, nisi vellet ex eis elicere bona. *Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra,* hoc est caristia, quæ causa est famis in pauperibus, seu non habentibus competentiam ; *et adhuc quinque anni restant,* in *quibus nec arari poterit, nec meti,* etc. Verumtamen infra habetur, quod intra quinquennium istud Ægyptii araverunt, seminaverunt, et messuerunt proprias terras : ideo verba ista sunt intelligenda, quod intra quinquennium restans non poterat terra illa convenienter ac solito modo coli, imo post magnum agriculturæ laborem protulit fructum parvum. Quod autem permodicum est, pro nihilo reputatur.

Non vestro consilio, supple, tantum aut principaliter, *sed Dei voluntate huc missus*

A *sum.* Deus enim fuit causa effectiva illius perductionis, quantum ad suum esse ; et causa permissiva ejusdem, quantum ad suam deformitatem : imo ex valde speciali atque multiplici causa Deus sic ordinavit, juxta illud in Psalmo, Misit ante eos virum, in servum venundatus est Joseph. *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti :* hoc est, Deus per gratiam prophetiæ mihi infusam, et per sapientiam atque prudentiam mihi desuper datas, ita
B fecit me reputari ac sublimari a Pharaone, quod habet ac veneratur me quasi proprium patrem, et acquiescit omni consilio meo, ac suis domesticis prætulit me ; imo toti regno suo me ita præposuit tanquam principem vicarialem, quod uno tantum solio regni me præcedit. De hoc sublimius aliquid canit Psalmista, loquens de Pharaone et Joseph : Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam do-
C ceret. Unde de exaltatione ipsius Joseph per sapientiam, in libro Sapientiæ legitur : Hæc (scilicet sapientia) venditum justum non dereliquit, descenditque cum illo in foveam, donec afferret illi sceptrum regni.

Ps. civ, 17. *Ibid. 21, 22.* *Sap. x, 13, 14.*

Præterea quidam dicunt, superfluam Nili inundationem fuisse tantæ sterilitatis causam in Ægypto. Contra quod objiciunt alii, quod etiam in terra Chanaan aliisque provinciis fuit sterilitas : ideo dicunt, quod nimia siccitas fuit causa tantæ sterilitatis, tam in Ægypto quam alibi. Sed qui vult
D primam opinionem defendere, dicere potest quod sicut in Ægypto inundatio nimia Nili, sic alibi inundatio vehemens pluviarum sterilitatem induxit.

Festinate, et ascendite ad patrem meum, quia terra Chanaan situ altior est Ægypto, *et dicetis ei : Hæc mandat filius tuus Joseph : Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti,* dominum non principalem, id est, per Pharaonem me fecit præfici toti Ægypto, juxta sensum præhabitum. *Descende ad me, ne moreris, et habitabis in*

Digitized by Google

terra Gessen : illla enim terra fuit pars A Ægypti multum fertilis, et pro gregibus apta pascendis, ut infra habetur. *Nuntiate patri meo universam gloriam meam,* etc., id est famam, excellentiam atque lætitiam. Non ex vanitate, aut jactantia dixit hoc sanctus Joseph, sed quasi gratus Deo, pro patris sui consolatione, ut quo major patris sui fuit mœror ex Joseph amissione, eo major esset ejus consolatio ex ipsius recuperatione.

Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis, id est, quidam nota- B biles solenniter nuntiaverunt regi et ejus domesticis : *Venerunt fratres Joseph. Et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus.* Rex enim et omnes principes ac subditi ejus, diligebant ipsum Joseph, tum propter amabilitatem, pietatem, sapientiam, ceterasque virtutes ipsius, tum quia per eum tanta bona evenerunt ipsis ex providentia Dei : idcirco gavisi sunt, quod habuit undecim fratres, viros bene dispositos, robustos ac pecuniosos. Hoc enim pertinebat ad honorem Joseph, et valde hono- C rificum fuit ei, quod fuit a fratribus suis in tanta gloria et potestate inventus. Circa hoc scribit quidam : Licet Pharao et omnis familia ejus diligeret Joseph propter bona quæ fecit eis, tamen erat eis turpe, quod ipse servus emptitius et eductus de carcere, habuit tam magnum in regno dominium. Istud non videtur idonee dictum : primo, quia jam perceperunt, quod Joseph erat injuste incarceratus. Secundo, quia noverunt eum in pueritia venditum non pro culpa, nec ex parentum suorum inopia. D Tertio, quia sciverunt eum plenum spiritu Dei, et per dona divina digne ac juste promotum ad principatum : ideo fuit toti regno honor præcipuus, quod post regem habuit principem in omni sapientia ac virtute tam eminentem ; et apud antiquos talia plus reputabantur ac honorabantur in præsidentibus, quam nobilitas carnis. Filia quoque principis militum, et pro tunc summi antistitis Ægyptiorum, fuit ipsius Joseph uxor.

Deinde in littera recitatur, qualiter Pharao commisit Joseph, ut patrem suum cum omnibus suis faceret in Ægyptum descendere. *Dixitque ad Joseph* Pharao, *ut imperaret,* etc. *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti,* id est sufficientiam, imo et abundantiam omnium divitiarum Ægyptiarum, seu quædam de omnibus, *ut comedatis medullam terræ,* etc., id est delicatiores et optimos fructus ac cibos Ægypti. *Singulis quoque fratribus proferri,* id est ex bonis suis dari, *jussit binas stolas ; Benjamin vero* fratri suo uterino ac prædilecto, *dedit trecentos argenteos* nummos, quorum valor nobis ignotus est, *cum quinque stolis optimis : tantumdem pecuniæ et vestium mittens patri,* etc., si forsitan indigeret, quia pro bladis jam multa exposuit ; magis tamen in signum amoris et opulentiæ suæ creditur hoc fecisse. Stola (ut in Scholastica habetur historia) dicitur ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, quod est longum, quasi vestis talaris. *Dimisit ergo fratres suos,* id est abire fecit, *et proficiscentibus ait : Ne irascamini in via.* Hoc dixit, ne inter se contenderent de venditione Joseph, in qua unus habuit majorem culpam quam alius, vel de hoc quod quidam eorum volebant eum occidere, sicque se invicem accusando et excusando in talibus, litigarent.

Qui, etc., *venerunt,* etc., *ad patrem suum,* etc., *dicentes : Joseph filius tuus vivit* adhuc in carne, qui multo salubrius per gratiam et virtutes vixit in mente ; *et ipse dominatur in omni terra Ægypti :* dominatione administrationis et ordinatæ prælationis, quæ ordinatur ad bonum commune inferiorum, non dominatione fastus atque tyrannidis, quæ ad propria commoda retorquetur. *Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans,* hoc est, de profundo inveterati mœroris parumper respirans, *tamen non credebat eis* prima assertione. Nempe quæ multum læta ac prospera sunt, si ante fuerunt insperata, aut parum sperata, non aut vix creduntur quando denuntiantur. Primo, quoniam menti inoritur subito subitanea quædam formido, ne

Digitized by Google

forte sit aliter, sicque facilem credulitatem sequatur recens ac major afflictio. Secundo, quoniam insperata non creduntur faciliter, nisi per effectum aut evidentiam facti. Mens quoque humana non mutatur faciliter de extremo in extremum, nisi per medium. *Illi econtra referebant omnem ordinem rei :* hoc est, qualiter Joseph in Ægyptum per venditionem devenit, et qualiter ibi exstitit sublimatus, et cetera quæ viderunt ac passi fuerunt ; atque in argumentum veritatis ostenderunt dona eis data, et reliqua sibi a Joseph missa. *Quumque* Jacob *vidisset plaustra,* etc., *revixit spiritus ejus,* id est, de vehementi tristitia ac desolatione, quæ mortis imagines sunt, ad vivacitatem et jucunditatem reversus est,

A *et ait : Sufficit mihi,* pro consolatione longi mœroris mei, et quoad id quod in hac vita de exterioribus rebus potissimum opto, *si adhuc Joseph filius meus vivit,* etc., hoc est, vita ipsius bona et prospera, ad hæc mihi sufficiens est. Quasi dicat : Injuriam sibi factam, et eminentiam ejus tam magnam pertranseo.

Præterea, juxta spiritualitatem, per pietatem, caritatem et beneficia Joseph in fratres suos, etiam transgressores : significatur pietas, dilectio et beneficentia
B Christi in Christianos, quamvis ingratos, dummodo vere pœniteant; imo et impœnitentes frequenter per adversa ad suorum recognitionem excessuum industriosissime trahit.

ARTICULUS XCVII

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEXTI : PROFECTUSQUE ISRAEL CUM OMNIBUS QUÆ HABEBAT.

DESCENSUS Jacob patriarchæ ac suorum in Ægyptum, in capitulo isto describitur. *Profectusque Israel,* scilicet Jacob, *cum omnibus quæ habebat,* scilicet domesticis, qui in isto numerantur capitulo, et possessionibus suis, *venit ad puteum Juramenti :* de quo puteo dictum est in expositione capituli vicesimi primi. Ibi
(en. xxi, et seq.) namque Abraham atque Abimelech inierunt fœdus pacis et amicitiæ cum juramento, et est juxta Bersabee, fuitque via Jacob recta per locum illum. Voluit quoque illuc divertere ac dormire, ut offerret ibi hostias Deo, et orationi insisteret, quoniam Abraham diu habitavit ibidem, et
(bid. 33.) invocavit ibi nomen Dei æterni, sicut præallegato narratur capitulo ; quemadmodum etiam dum ivit ad Mesopotamiam, divertit ad montem Moria, in quo Abraham filium suum Isaac immolavit, ut illic orationi ac devotioni vacaret. *Et mactatis ibi victimis*

C *Deo patris sui Isaac,* id est, postquam in loco illo ante noctem occidisset et obtulisset Deo animalia quædam munda ac immolatitia, sicut in lege naturæ fieri consuevit, et Abel, Noe, et Abraham cum aliis, fecisse leguntur, *audivit eum per visionem nocte vocantem se.* Istud videtur de interiori auditu intelligendum : qui auditus versatur circa internam allocutionem, cujus intellectio est interior visio. Sic ergo audivit auditu mentali Deum, vocantem se vocatione interiori per visionem
D seu apparitionem internam, qua ei apparuit per angelum sanctum, per cujus ministerium omnia ista in persona Dei fiebant : sicque revelatio ista facta est in somno per visionem imaginariam aut intellectualem. Si autem facta est in vigilia, exponi hæc possent de exteriori auditu atque sensibili allocutione facta per visionem seu apparitionem angelicam, intus

Digitized by Google

aut etiam foris exhibitam. Et ut fertur in Glossa: Merito Deus ostendit se et allocutus est Jacob, in hoc loco pacis ac amicitiæ initæ. *Et dicentem sibi : Jacob, Jacob.* Repetitio nominis, est signum dilectionis, et excitatio attentionis. *Cui respondit : Ecce adsum,* quasi loquens cum Samuele : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Et cum Psalmista : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

I *Reg.* III, 9. *Ps.* LXXXIV, 9.

Ait illi Deus per angelum : *Ego sum fortissimus,* quia omnipotens, *Deus patris tui,* cujus respectu infirma ac imbecillis est omnis creatura. *Noli timere, descendere in Ægyptum.* Dicunt aliqui, quod Jacob timuit illuc descendere, quoniam senex erat ac debilis, et ne contingeret eum sepeliri in Ægypto, quum cuperet in spelunca duplici cum suis patribus sepeliri. Ego autem potius credo, quod cum omni aviditate et jucunditate illuc descendit, quasi carissimum filium ibi visurus in gloria, et sufficientiam habiturus ibidem cum omni sobole sua; nec propter debilitatem aut senium formidavit iter illud peragere, quia in curru convenienti ac molli sedebat. Scivit quoque se posse disponere de reductione corporis sui, et sepelitione ejus in spelunca præfata. Sed forsitan ideo magis timebat, quia sciebat qualiter Deus diu ante prædixerat Abrahæ, qualiter posteri essent affligendi in terra Ægypti : ideo Dominus consequenter promittit ei reductionem suæ posteritatis ad terram promissionis. *Quia in gentem magnam faciam te ibi,* id est, sobolem tuam multiplicabo in Ægypto copiosissime. *Ego descendam tecum illuc,* id est, per totum iter istud gratiose adero tibi, teque custodiam, *et ego inde adducam te revertentem,* id est, posteros tuos inde reducam ad terram quam promisi tibi eis daturum. *Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos,* id est, superstitem eum relinques, quoniam claudet oculos tuos quum obieris.

Surrexit autem Jacob a puteo Juramenti, etc., juxta quem immolavit, dormivit, visionemque habuit ; *venitque in Ægyptum cum omni semine suo,* non simpliciter cum omni semine suo, quoniam Joseph et filii ejus jam ante in Ægypto fuerunt, sed cum omni semine suo, quod secum in terra Chanaan usque tunc habitavit ; *filii ejus et nepotes,* videlicet filii filiorum suorum ; *filiæ :* Jacob non habuit nisi unicam filiam a se immediate natam, scilicet Dinam : quæ cum neptibus patris sui, Filiæ ejus dicuntur ; *et,* pro id est, *cuncta simul progenies.*

Deinde exprimuntur in littera duodecim filii Jacob cum filiis suis, et plana est littera, demptis aliquibus verbis. Nominatis quippe sex filiis Liæ, et filiis filiorum illorum, subjungitur hic : *Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia cum Dina filia sua.* Quod quidam exponunt non solum de immediatis filiis Liæ, sed etiam de filiis filiorum qui nominantur in textu, qui tamen filii filiorum non sunt in Mesopotamia, sed in Chanaan nati : quod solvunt, dicentes quod ideo filii filiorum dicuntur in Mesopotamia nati, quia patres eorum sunt geniti ibi. Quod videtur improprie dictum : sic etenim dici posset, quod etiam filii Joseph essent in Mesopotamia generati, quia pater eorum generatus est ibi. Idcirco quod dictum est, Hi filii Liæ, aptius referendum videtur ad sex filios ejus præfatos. — Insuper in verbis textus frequenter ponitur pars pro toto, videlicet *anima* pro *homo.* Dicunturque egressæ animæ de femore Jacob, quia homines ex ipso Jacob per generationem egressi sunt, quantum ad carnem; nec anima rationalis ex traduce est, nec de potentia materiæ educta, sed a Deo per creationem infunditur. *Filii Benjamin,* etc. Quocirca notandum, quod decem fuerunt filii Benjamin, quamvis in textu videantur tantummodo novem poni. In summa enim concluditur : *Hi filii Rachel, quos genuit Jacob : omnes animæ quatuordecim,* in qua summa includuntur Joseph et Benjamin. Quum ergo Joseph non habuerit nisi duos filios, oportet quod ibi fuerint decem filii Benjamin : aliter summa non excresceret usque ad quatuordecim. Porro, quod in

Digitized by Google

textu non videntur nisi novem filii Benjamin nominari, contingit ex hoc, quod duo nomina Hebraica scribuntur ibi ut unum nomen, videlicet Ophim. Sunt quoque hic nomina quædam, quæ primo Paralipomenon libro aliter exprimuntur, vel quia personæ erant binomiæ, aut eadem nomina diversimode terminantur seu inchoantur. Rursus in littera dicitur : *Filii Dan, Husim ;* ubi plurale ponitur pro singulari, quoniam Dan non nisi unum habuit filium, a quo tamen in Ægypto propagata est magna tribus.

Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt Ægyptum cum Jacob, et egressæ de femore ejus, sumendo partem pro toto, ut tactum est ; *absque uxoribus filiorum:* quæ uxores non fuerunt natæ ex semine Jacob, ideoque exceptio ista non est propria, vel refertur ad id dumtaxat quod dictum est, Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum ; fuerunt *sexaginta sex.* Istud, videlicet quod Jacob ingressus est Ægyptum cum sexaginta sex personis ex suo semine natis, in se ipso facile est, faciliterque probatur. Jam enim in textu præhabitum est, quod filii Liæ fuerunt triginta tres, nomine filiorum intelligendo etiam nepotes ; et simili modo filii Zelphæ fuerunt sedecim, filii Rachel quatuordecim, filii Balæ septem, qui simul sunt septuaginta, qui ex Jacob sunt geniti ; sed isti omnes non intraverunt cum eo Ægyptum, quoniam duo filii Judæ, videlicet Her et Onan, jam ante in terra Chanaan obierunt ; Joseph quoque et duo filii ejus fuerunt ante Jacob in Ægypto : sicque de numero illo septuagenario remanent sexaginta quinque, qui cum Jacob Ægyptum ingressi sunt, de femore ejus : quibus si Dina filia ejus addatur, sunt sexaginta sex.

Verumtamen circa hæc oritur quæstio, ut videtur, difficilis. Dicitur enim in textu, Omnes animæ filiorum ejus, videlicet Liæ, et filiarum triginta tres : et tamen soli filii Liæ, sunt triginta tres, ut computantibus patet. Ruben namque habuit filios quatuor, Simeon sex, Levi tres, Judas A quinque, Phares filius Judæ duos, Issachar quatuor, Zabulon tres : ergo in littera superflue additur, *et filiarum ;* vel summa est diminuta, quia cum filiabus, id est cum Dina filia Liæ, accipiendo plurale pro singulari, fuerunt animæ seu personæ illæ triginta quatuor. Ad hoc dicendum videtur, quod numerus major non excludit, sed ponit minorem ; nec tamen summa in littera expressa, est diminuta, quia principales personas (id est mares) expressit. Et si dicatur : Ergo superflue addebatur, Et B filiarum, quum soli filii essent triginta tres : respondetur, quod hoc non est superflue additum, sed ex rationabili causa, ne scilicet persona filiæ videretur omnino omissa in summa.

Præterea, computationis difficultatem auget, quod in textu subjungitur : *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta.* Jam enim dictum est, quod cunctæ animæ quæ cum Jacob in Ægyptum ingressæ sunt, egressæ de femore ejus, fuerunt sexaginta C sex : quomodo ergo nunc dicitur, quod omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta ? Ad hoc aliqui dicunt, hoc ultimo loco non dici, Omnes animæ domus Jacob quæ egressæ sunt de femore ejus ; neque hic dicitur, Quæ cum eo intraverunt Ægyptum, sed simpliciter, Omnes animæ domus Jacob quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuerunt septuaginta : idcirco sub numero isto includunt et ipsum Jacob, qui fuit paterfamilias, pars et caput suæ domus, hoc est D eorum qui habitaverunt secum, sive in domo sua, quorum ipse exstitit unus, et etiam filium ejus Joseph, qui intravit Ægyptum, quamvis ante patrem suum, duosque filios Joseph, qui quamvis in Ægypto sint nati, tamen nascendo ibidem, ipsam Ægyptum ingressi sunt. Aliqui vero pro duobus filiis Joseph numerant Zelpham et Balam uxores Jacob, de quibus tamen incertum est, an tunc adhuc vixerunt. Liam vero et Rachelem constat mortuas tunc fuisse.

Digitized by Google

Sed adhuc difficultatem hujus computationis auget potissime, quod Septuaginta transtulerunt interpretes, Omnes animæ domus, etc., fuerunt septuaginta quinque; nec possumus dicere translationem illam hoc loco esse corruptam sive erroneam, quoniam Lucas in Actorum libro ita allegat : Mittens autem Joseph, accersivit patrem suum in animabus septuaginta quinque. Ad quod respondet beatus Hieronymus, per πρόληψιν seu præoccupationem vel anticipationem hoc ab illis interpretibus esse prolatum, ita quod numerant etiam quinque filios filiorum Joseph tunc nondum natos : quoniam duo filii Joseph, erant duas tribus facturi, et propter ipsius Joseph honorem, Septuaginta interpretes transtulerunt septuaginta quinque animas domus Jacob introiisse Ægyptum. Lucas autem secutus est translationem Septuaginta interpretum. Scripsit enim conversis ex gentilitate, ad quos translatio ista fuit famosa.

Act. VII, 14.

Misit autem Jacob *Judam ante se ad Joseph.* Fuit equidem (ut tactum est sæpe) Judas multis donis ornatus præ fratribus suis post Joseph. Erat enim robustior, prudentior et eloquentior illis. *Ut nuntiaret ei,* scilicet Joseph filio suo suum adventum, *et ille,* videlicet Joseph, *occurreret* ei *in Gessen,* id est in illa parte regni Ægyptii. Nam Joseph per fratres suos insinuavit jam ante patri suo, ut primo veniret ad terram Gessen, et ibi præstolaretur suum adventum. Et dicit quidam, quod ideo Joseph hoc fecit, ut ibi instrueret patrem suum ac fratres, qualiter loquerentur ad regem : quæ causa videtur inepta, quia de hoc poterat patrem ac fratres in propria domo sua faciliter informare. Potius ergo reor, quod ideo Joseph sic ordinavit, quia intendebat patrem suum ac fratres constituere ad habitandum in Gessen : ideo voluit ut terræ illius aptitudinem primo viderent, et item ut exinde patrem suum cum honore ad propriam domum deduceret. *Quo quum pervenisset,* id est, quum Jacob venisset in Gessen, *juncto*

A *Joseph curru suo,* cum aliis multis quos secum perduxit, *ascendit obviam patri ad eumdem locum ; vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit.* Quum enim appropinquarent, descenderunt ambo de curru ; et Joseph qui junior et velocior erat, urgente amoris ardore, cucurrit ad patrem suum, qui et ipse festinavit ad filium ; moxque Joseph stringere cœpit ac osculari collum carissimi patris ac vultum : qui se invicem amplectendo ac osculando, fleverunt præ gau-

B dio, gratias Deo devotissime referentes, qui tam pie ordinavit cum ipsis, ac taliter ipsos conjunxit. Et ut Josephus refert, Jacob ex inopinata et magna lætitia pene ad defectum mentis pervenit ; sed recreavit eum Joseph, quamvis nec ipse se continuerit, ut non præ nimia lætitia quasi tale quid sustinuerit. *Dixitque pater ad Joseph : Jam lætus moriar,* id est, usque ad mortem jucunde vivam, et in ipsa morte consolationem habebo, *quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo,* id est, post mor-

C tem meam superstes manebis, pro consolatione et profectu filiorum tuorum ac fratrum atque totius tuæ prosapiæ in terra hac aliena. Jam enim in isto capitulo dictum est, quod Deus revelavit ipsi Jacob, ipsum Joseph esse victurum post patrem suum. Multa quoque alia verba habuerunt ad invicem tunc Jacob et Joseph, quæ non sunt descripta.

At ille locutus, etc. *Quumque vocaverit vos* Pharao, *et dixerit, Quod est opus vestrum,* id est exercitium principale sive

D officium ? *respondebitis : Viri pastores sumus servi tui,* id est esse cœpimus, *ab infantia,* hoc est a pueritia *nostra,* etc. *Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen,* quæ, sicut præhabitum est, pascualis est et fecunda ; *quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium :* ideo expedit vobis habitare seorsum ab illis. Cur autem Ægyptii detestentur ovium pastores, si quæratur : dicendum, quia Ægyptii coluerunt taurum et ovem, qui a pastoribus sæpe percutiuntur, et ab Hebræis macta-

Digitized by Google

bantur ac edebantur. Circa hæc dicit Historia scholastica : Pro Terra Gessen, alii habent, Ad urbem Heroum in terra Ramesse, quæ tunc Gessen, postea Thebais dicta est, a qua fuerunt Thebæi, quorum legioni præfuit S. Mauricius. In finibus autem terræ illius postea ædificaverunt Hebræi, cogentibus Ægyptiis, urbem Tabernaculorum, quæ dicta est Ramesse.

Postremo, circa hæc scribit Augustinus : Commendatur in Patriarchis, quod pecorum nutritores fuerunt a pueritia sua, et a parentibus suis : quia hæc est justa servitus, justaque dominatio, quum pecora serviunt homini, et homo pecoribus dominatur, quoniam ratio dominari debet irrationabili vitæ. Servum autem hominem homini, fecit iniquitas vel adversitas. Iniquitas, juxta illud, Maledictus Chanaan, servus erit fratribus suis. Adversitas, sicut Joseph venditus a fratribus suis, factus est servus Ægyptii. Primo ergo bella fecerunt servos, quibus Latina lingua dedit hoc nomen. Qui enim superatus jure belli posset occidi, appellatus est servus, quia ad vitam servatus. Inde dicuntur mancipia, quia sunt mancipata. Est etiam ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, filiique parentibus : quia et illic ista justitia est, ut infirmior ratione, serviat fortiori. Hæc ergo in servitutibus et dominationibus clarior exstat justitia, ut qui eminent ratione, excellant dominatione. Quod dum in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, per variam carnalium diversitatem sustinent justi temporalem adversitatem, habituri in fine sempiternam ac ordinatissimam felicitatem.

Sensus mysticus. At vero juxta mysticum sensum, per Jacob descendentem in Ægyptum cum quadam formidine, designatur vir virtuosus, religiosus et contemplativus, qui interdum ad sæculares et exteriora negotia ab altitudine spiritualium exercitiorum suorum descendit, pro bono communi et aliorum conversione ; tamen cum proprii detrimenti timore, ne forte caritatis fervor in se frigescat, aut cum impiis pervertatur : quem Dominus misericorditer consolatur, suam ei promittens gratiosam præsentiam, atque quod Joseph ponet manum suam super oculos ejus, hoc est, quod Christus sua virtute ac sapientia illuminabit ac confortabit interiores oculos ejus : quod dum vir virtuosus fuerit inter sæculares et exteriora expertus, magnifice gloriatur, præsertim dum Christum relinquit superstitem in cordibus conversorum, quando ipse ab illis discedit. Præterea, per hoc quod Ægyptii detestabantur pastores ovium, designatur, quod mundani et ambitiosi atque versuti despiciunt justos ac simplices, imo et justos prælatos, quemadmodum Salomon ait : Abominatio est iniquo vir justus. (*Prov.* XXIX, 27.) Per hoc quoque, quod filii Israel pastores, elegerunt habitare seorsum in terra Gessen, datur intelligi, quod contemplativi ac boni prælati, omnesque justi, eligunt, quantum valent, Deo in solitudine seu loco quieto vacare, et in spirituali opulentia demorari, sicque pravorum declinare consortia, quatenus in abscondito vultus Dei gustent magnitudinem, multitudinemque dulcedinis Domini, qui solus essentialiter et incircumscriptibiliter dulcis est.

Digitized by Google

ARTICULUS XCVIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEPTIMI : INGRESSUS ERGO JOSEPH, NUNTIAVIT PHARAONI.

RECITATUR nunc consequenter, qualiter Jacob patriarcha et filii ejus in Ægypto habitare cœperunt, et quomodo interim caristia undique crevit. *Ingressus ergo Joseph* palatium regis, *nuntiavit Pharaoni, dicens : Pater meus et fratres,* etc., *venerunt,* etc., *consistunt in terra Gessen.* Hoc quod ait, Consistunt in terra Gessen, referendum est non ad ipsum Jacob, ejusque filios, sed ad uxores fratrum, et ad possessiones eorum ac patris, quasi Joseph implicite dicat : Terram in qua sunt, cupiunt sibi ad habitandum donari. Porro patrem suum ac fratres secum adduxit Joseph. Nam subditur : *Extremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram rege.* Extremum, uno modo sumitur pro supremo seu maximo : sicque horum sensus verborum est, quod Joseph adduxit ac posuit quinque ex fratribus suis magis idoneos, prudentiores ac fortiores, in præsentia regis, tanquam digniores ad apparendum coram illo, et ut ex illorum adspectu Pharao ac ejus ministri præsidentiam ipsius Joseph haberent amplius gratam, quippe qui tot fratres haberet tam aptos. Secundo extremum vocatur, quod ultimum exstat ac infimum : et ita sensus esset, quod Joseph præsentavit regi fratres suos quinque juniores et debiliores, ne si vidisset robustiores, teneret eos in sua familia, et bellicis rebus involveret : sicque ut fertur, exponunt Hebræi. Prima tamen expositio verior reputatur.

Quos ille interrogavit : Quid habetis operis ? Ex hoc probatur, regibus non placere ut inferiores sint otiosi aut inutiliter occupati, sed aliquid faciant, quod ad bonum commune sit aliquo modo referibile. *Responderunt : Pastores ovium sumus,* A etc., non tamen ovium tantum, sed et alia diversarum specierum pecora nutriebant, videlicet boves, vaccas, capras, camelos, etc., ut patuit sæpe. *Ad peregrinandum in terram tuam venimus,* id est, ad hoc ut habitemus tempore aliquanto in regno tuo tanquam in terra nobis aliena. Vel, Ad peregrinandum, hoc est, ad vivendum conversatione tendente ad aliam vitam futuram ac meliorem in patria Beatorum, ad quam vita præsens est via ac peregrinatio quædam. *Quoniam non est herba gregibus* B *servorum tuorum,* id est, quoniam pecora nostra non inveniunt in terra Chanaan pascua. Illa exstitit una causa. Alia, quia nec ipsi habuerunt ibi necessaria vitæ. Tertia, quoniam Jacob voluit, cunctis postpositis, ad filium suum carissimum Joseph venire.

Circa quod quæritur, qualiter erant pascua in Ægypto tempore tantæ sterilitatis potius quam in Chanaan. Ad quod quidam respondent : Dicunt aliqui, quod tempore siccitatis ex qua causabatur ista sterilitas, sunt bona pascua in Ægypto : quia inun- C datio Nili ex aqua super terram manente, plus impedit generationem herbarum quam siccitas. Sed istud apparentiam nullam sortitur, quod scilicet tempore siccitatis præcipue sint pascua bona, ita quod siccitas conferat ad productionem herbarum seu graminum. Verius ergo censetur, quod in Scholastica fertur historia, quia Ægyptus contra naturam aliarum regionum, quum abundat frugibus, sterilis est in pascuis, et econtra. Diuturnior enim mora fluminis super terram, tempora co- D lendi impedit, vel sata exstinguit, pascua vero nutrit. His consonat quod loquitur Augustinus : Sicut perhibetur ex his qui

Digitized by Google

loca sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam quum defectus esset frumentorum, quæ solent Nili inundatione oriri. Dicuntur enim istæ paludes copiosius pascua germinare, quando aqua Nili nimis excrescit.

Dixit itaque rex ad Joseph, etc. *Terra Ægypti in conspectu tuo est,* id est in tua potestate seu dispositione, ita ut tu ipse possis patrem et fratres tuos locare ubi tibi placuerit. *In optimo loco fac eos habitare, et,* pro id est, *trade eis terram Gessen* ad habitandum. Verumtamen Josephus dicit : Concessit eis Pharao, ut in Heliopoli conversarentur. Illic enim pastores ejus habuerant pascua : et forte hoc ideo factum est, quoniam uxor ipsius Joseph fuit filia sacerdotis Heliopoleos, vel terra Gessen forsan ad Heliopolis territorium pertinebat. *Quod si nosti in eis esse viros industrios* in agricultura et pecorum pastu atque custodia, *constitue illos magistros pecorum meorum :* ut scilicet præsint custodibus gregum meorum, quod est in familiis regum magnum officium. Ex quibus verbis perpenditur, quod Pharao in tantum confidebat de fidelitate Joseph, quod credidit eum plus quærere commodum suum quam fratrum suorum.

Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, etc. *Qui,* scilicet pater, *benedicens illi,* utpote regi, imprecando ei prospera, et salutando eumdem, *et interrogatus ab illo,* puta a rege, *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ ?* hoc est, Quot annos vixisti ? Non autem volebat rex quærere numerum certum dierum quos vixit, quos numerare fuisset difficile. *Respondit : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram,* id est, dies conversationis meæ in sæculo isto, in quo tanquam peregrinus et advena vixi, suspirans ac tendens ad patriam electorum, ita quod conversatio mea fuit peregrinatio seu tendentia ad vitam beatam, *centum triginta annorum sunt, parvi et mali :* parvi, respectu futuræ durationis in vita beata, quæ finem non habet ; parvi quoque, quia pauciores diebus, quibus prædecessores mei vixerunt ; et mali, quia malis pœnalibus, scilicet tribulationibus, laboribus, doloribus, tristitiis, adversitatibusque similibus pleni fuerunt. Talia enim passus fuit Jacob, a facie Esau fugiendo ac metuendo, in Mesopotamia laborando, et ex Joseph amissione, aliisque diversis eventibus. Sed et mala culparum venialium diebus ejus fuerunt admixta. *Et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt* super terram. Isaac namque vixit annis centum octoginta, Abraham centum septuaginta quinque ; et qui ante eos fuerunt, vixerunt multo diutius. Itaque Sancti in lege naturali et scripta, reputabant se peregrinos et advenas in hoc mundo ; specialiter quoque Abraham, Isaac et Jacob, qui frequenter loca habitationum suarum mutabant, habitando in casulis : de quibus ad Hebræos ait Apostolus : Defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed de longe eas adspicientes, et confitentes quia hospites et peregrini sunt super terram. (*Hebr.* XI, 13.) Hinc Psalmista loquitur Deo : Ne sileas, quoniam advena sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. (*Ps.* XXXVIII, 13.) *Et benedicto rege, egressus est foras,* id est, postquam benedixisset Pharaoni, exivit palatium : quia non erat res sua, diu manere in regis palatio, quemadmodum et Berzellai dixit ad David, qui voluit eum ducere secum : Numquid vigent sensus mei ad discernendum, etc. ? (II *Reg.* XIX, 35.)

Ex verbis inductis apparet, quod Jacob benedixit bis Pharaoni : primo, mox quando intravit ad eum, antequam fuit interrogatus ab eo quamdiu vixisset. Secundo, post illius quæstionis solutionem. Rex enim videns atque considerans tam venerandi senis simplicitatem, sapientiam ac virtutes, delectatus fuit in eo ; et iterato (ut arbitror) petiit benedici ab eo. Sed cur Joseph non introduxit patrem suum ad regem ante filios ejus, vel saltem cum eis ? Dici potest, quod Joseph forte volebat primo experiri, qualiter Pharao se haberet ad fratres suos, ne forsitan aliqua mœroris occasio accideret seni patri. Quumque fuis-

Digitized by Google

set expertus benevolentiam regis ad fra- A tres, secure introduxit patrem.

Joseph vero, etc., *alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis,* scilicet certis temporibus misit eis tantum de tritico ac necessariis, quod sufficiebat universis ac singulis suis cognatis. *In toto enim orbe panis deerat,* etc. Hoc per hyperbolen et synecdochen dicitur, quia in Ægypto et regnis circumjacentibus fuit caristia, non absolute in toto mundo. *E quibus,* scilicet venientibus ad se ex Ægypto et Chanaan ac aliis regnis, *congre-* B *gavit* Joseph *omnem pecuniam,* quam ab eis juste accepit *pro venditione frumenti,* hoc est pro frumento quod vendidit eis, *et intulit eam in ærarium regis,* id est in repositorium thesaurorum ipsius. Circa hoc scribit Lyra : Tantum valet res, quantum vendi potest : idcirco quod Joseph emerat pro pretio parvo, tempore fertilitatis ab Ægyptiis, potuit eis revendere, et multo plus aliis pro pretio majori, maxime quia nullum compulerat ad vendendum sibi bladum nomine regis. Sed contra hoc scri- C bit Rabbi Paulus, quia in emptione et venditione æqualitas justitiæ est servanda : ideo non videtur dicendum, quod res tantum valet quantum possit vendi.

Circa ista dicendum, quod juxta scripta Thomæ in secunda secundæ, quæstione 77 : Carius vendere, similiter vilius emere, quam res valet, est secundum se illicitum atque injustum : idcirco contractus instituendus est secundum æqualitatem, quæ mensuratur secundum pretium datum aut dandum. Itaque de venditione et D emptione possumus loqui dupliciter : Uno modo secundum se, in quantum videlicet pro communi utilitate inductæ sunt, prout emens indiget re vendentis, et econverso. Quod autem pro communi utilitate est institutum, non debet in gravamen unius potius quam alterius vergere : propterea æqualitas justitiæ est servanda in emendo et vendendo, ita quod si pretium excedat rei valorem, sive econtra, tollitur æqualitas justitiæ. Secundo de venditione et emptione possumus loqui, prout per accidens cedunt in utilitatem aut detrimentum unius vel alterius : ut dum quis multum indiget re aliqua, et alius damnificatur si careat ea. In hoc itaque casu pretium pensandum est tam ex parte rei, quam ex parte damni ejus qui vendit : sicque aliquid potest vendi plus, quam valet secundum se, non tamen plus quam valet habenti. Si vero quis multum juvetur ex re alterius, et ille non damnificatur ea carendo, non potest licite supervendere eam, quia venderet quod non est suum ; nihilo minus potest res interdum vendi pluris quam empta est, ut si quis eam melioravit, vel pretium ejus mutatum est secundum diversitatem loci ac temporis, aut propter periculum cui se exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel propter laborem quem habuit, ita quod plus recipiendo quam exposuit, præmium accipit sui laboris.

Quumque defecisset emptoribus pretium pecuniale, *venit cuncta Ægyptus,* id est maxima multitudo omnium urbium atque villarum Ægypti, *ad Joseph, dicens : Da nobis panes,* id est necessaria vitæ pro commutatione quacumque tibi placente. *Quare morimur coram te,* id est, te sciente seu inspiciente, deficimus fame quotidie, et ad mortem disponimur, *deficiente pecunia,* hoc est, ex eo quod non habemus pecuniam ad emendum ? Non est verisimile, quod universis Ægyptiis simul defecit pecunia, quia non erant æque pecuniosi ac divites ; imo quidam eorum per aliquot annos sterilitatis habuerunt sufficientem ad emendum pecuniam. *Quibus ille respondit : Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos,* etc., videlicet blada. *Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei : Non celamus dominum nostrum, quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt ; nec clam te est,* id est, ignotum tibi non est, *quod absque corporibus et terra nihil habeamus,* etc., id est, præter agros et propria corpora, non habemus aliquid quod vendere valeamus seu pro victualibus dare; *et nos, et terra nostra, tui erimus,* id est,

Digitized by Google

parati sumus nos ipsos seu corpora nostra A et possessiones seu agros nostros subjicere Pharaoni in primis, deinde et tibi tanquam summo officianti regis, cui rex subdidit universum populum suum. *Eme nos in servitutem regiam,* id est, ad hoc ut simus servi emptitii regis nostri, *et præbe semina,* id est, blada da nobis, non solum ad manducandum, sed etiam ad seminandum, *ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem,* hoc est, ne nobis fame morientibus, seu ex defectu seminum terram serere ac colere nequientibus, agri in B solitudinem convertantur ac silvas.

Circa hoc quæritur, de quo anno intelligendum sit quod hic nunc dictum est, Venerunt quoque anno secundo. Certum est enim, quod hoc non possit intelligi de anno secundo septennii sterilitatis, hoc est de anno qui in ordine illorum septem annorum fuit immediate post primum annum, quia in illo anno secundo nondum vendiderunt Ægyptii pecora sua pro bladis : imo si de isto secundo anno istud intelligeretur, dicere oporteret, quod pri- C mo anno sterilitatis dedissent pecora pro frumento, sicque defecisset Ægyptiis pecunia ad emendum ante primum annum sterilitatis, quando adhuc fuit abundantia fructuum : idcirco Judæi, intelligentes istud de anno post primum annum proximo, apertissime errant. Capitur ergo hic annus secundus, pro anno altero seu anno sequente annum, in quo Ægyptii sua pecora dederunt pro bladis ; nec certum est, quotus fuit iste annus in ordine illorum septem annorum sterilium. D

Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, etc. ; *subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus,* etc., ita quod terra et habitatores ejus, erant immediate ipsius regis, *præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis,* tanquam cultui deorum suorum deputatis ; *quibus et statuta cibaria,* id est frumenta, *ex horreis publicis,* quæ pertinebant ad Pharaonem, *præbebantur,* etc., ut diis suis vacarent liberius, et pro rege ac populo ejus, orationibus sacrificiisque insisterent. Circa quod ait Glossa : Hic habemus exemplum, quod possessiones Ecclesiæ distrahi non debent. Denique, si gentiles reges ac principes sic deferebant ac providebant sacerdotibus suis, quanto magis christiani principes hoc facere atque ecclesiasticam libertatem defendere debent.

Dixit ergo Joseph ad populos Ægypti : *En ut cernitis,* id est agnoscitis, et partim ad oculum videre potestis, *et vos* tanquam servos emptitios, *et terram vestram* tanquam propriam hereditatem, *Pharao possidet* jure ac titulo justæ emptionis ; *accipite semina, et serite agros, ut fruges habere possitis.* Superius Joseph prædixit, Biennium est quod cœpit esse fames in terra, adhuc quinque restant anni quibus nec arari poterit, nec meti : quomodo ergo nunc ait, Accipite semina, etc. ? Sed sicut ibidem est dictum, verba illa intelligenda sunt sic, quod infra quinquennium istud terra non posset multum, sed parum valde fructificare. *Quintam partem* fructuum terræ *regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis,* etc. Istud fuit gratiosum, quum in aliquibus locis coloni vix habeant quintam partem, et in locis non multum fertilibus, mediam. Terra autem Ægypti est plurimum fructuosa, et potest parvo labore coli, quamvis tunc ad aliquantulum residui temporis sterilis, erat parum fructifera. *Qui responderunt : Salus nostra in manu tua est,* id est, conservatio vitæ nostræ in tua est potestate, quia nisi nobis provideres de victualibus, protinus moreremur. *Respiciat nos tantum dominus noster,* id est, tu ipse qui post Pharaonem es princeps noster, pie nos respice, nostris inopiis succurrendo, *et læti serviemus regi,* videlicet Pharaoni, gratias ei agentes, quod ita per te subvenit nobis. *Ex eo tempore,* etc., *quinta pars* terræ nascentium *solvitur,* id est, a populo debite datur *regibus* Ægypti. *Et factum est* ibi *quasi in legem,* id est, consuetudo ista obtinuit ibi vim legis, quæ et justa fuisse videtur, tanquam instituta a Joseph justo ac sapiente : sic-

Gen. XLV, 6.

Digitized by Google

que quod ait; Quasi, dicit hic veritatem, non A similitudinem tantum, quemadmodum et Joann.I,14. Joannes : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre; *absque terra sacerdotali,* etc.

Habitavit ergo Israel, id est Jacob, *in Ægypto, id est in terra Gessen, et possedit eam* ipse cum sua progenie, tanquam datam sibi ac suis a rege per modum hereditarii boni, quamdiu manerent ibidem. Apparet quoque, quod Joseph non emit terram illam regi ut ceteras terras Ægypti, nec habitatores ejus filii Israel vendi- B derunt se regi, nec Joseph vivente dederunt quintam partem fructuum terræ eis concessæ, Pharaoni : idcirco quod dictum est de tota terra Ægypti, est accipiendum de tota terra in qua morabantur Ægyptii. *Auctusque est et multiplicatus* in ea *nimis,* etc. In propria persona quippe auctus est et multiplicatus, quia in omni virtute accepit ibi copiosum profectum, et in multiplici gratia, sapientia ac spiritu prophetiæ profecit. In posteris quoque auctus et multiplicatus est vehementer, quoniam C posteri ejus per generationes assiduas creverunt in gentem magnam. Verumtamen, quantum ex Scriptura canonica elici potest, nullus ex duodecim filiis Jacob generavit post ingressum ipsius Jacob in Ægyptum. Nam et in libro Numerorum, Num.XXVI. ubi filii Israel numerantur secundo, non exprimuntur nisi qui nati sunt ex filiis duodecim Patriarcharum, quos genuerunt ante introitum Jacob in Ægyptum, quum tamen duodecim viri illi essent tunc adhuc juvenes satis. Joseph enim tunc erat D circiter quadraginta annorum. Erat namque triginta annorum quando præpositus est Ægypto, et statim venerunt septem anni fertilitatis, deinde mox anni sterilitatis, et circa principium tertii anni sterilitatis, ingressus est Jacob in Ægyptum. Primogenitus autem inter filios Jacob, videlicet Ruben, non erat septem annis senior Joseph, ut patet ex dictis.

Quumque Jacob *appropinquare cerneret diem mortis suæ:* quod quidam exponunt, quod per spiritum prophetiæ noverat diem obitus sui, vel se moriturum in brevi, quemadmodum beatissimus princeps Apostolorum de se in sua testatur Canonica : Scio II Petr.I, 14. quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus per revelationem significavit mihi. Quod quamvis sic esse potuerit in tanto Patriarcha, tamen ex littera hac istud non sequitur. Quum enim esset senex cæcutiens et debilis corpore, poterat absque spiritu prophetiæ considerare diem mortis suæ sibi appropinquare. *Vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo,* quatenus manum tuam ibi tenendo, promittas et jures mihi, implere quod te rogabo. Cur autem Jacob voluit filium suum sibi promittere ac jurare, quod postulavit ab eo cum positione manus sub femore suo, patet in expositione capituli vicesimi quarti, ubi legitur Abraham procuratori suo dixisse : Pone manum tuam subter femur Gen.XXIV, 2.3. meum ut adjurem te, etc. *Et facies mihi misericordiam,* ut scilicet corpus meum juxta petitionem meam sepelias : nam sepelitio mortuorum, est unum de operibus misericordiæ ; *et veritatem,* id est justitiam : nam filii tenentur suis patribus acquiescere in rebus tam piis ; vel, veritatem, implendo quæ mihi addixeris ; *ut non sepelias me in Ægypto ; sed dormiam,* id est, quantum ad corpus quiescam, *cum patribus meis* Isaac et Abraham ; *et auferas,* etc., *in sepulcro majorum meorum,* hoc est in spelunca duplici sita in agro Hebron, in quo majores, videlicet Adam, Abraham, Isaac, cum suis uxoribus tunc erant sepulti.

Cui respondit Joseph : Ego faciam quod jussisti. Jacob videbatur magis deprecatorie, quam præceptorie loqui ; sed pius et optimus filius ejus, accepit patris petitionem quasi jussionem ; eratque jussio, nomen illud extense sumendo : per quod patet promptitudo Joseph, ad obediendum venerabili patri suo. *Et ille : Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante,* id est, statim

Digitized by Google

postquam Joseph juravit per Deum cœli, A qui erat ex semine femoris Jacob incarnandus ac nasciturus, *adoravit Israel Deum,* gratias agens ei, et deprecans eum, ut juramentum filii sui impleretur; *conversus ad lectuli caput,* quod erat situm versus orientem, ut in Scholastica historia dicitur. Vel, ut aliqui dicunt, versus terram promissionis : quod forsan redit in idem. Et versus illam partem adoravit Deum immensum ubique præsentem, qui terram illam semini suo promisit, atque elegit ad exsequenda humanæ redemptio- B nis mysteria in ea, quod Jacob patriarcham et prophetam non latuit : ideo vultu illuc directo, adoravit.

Sed cur Jacob exegit juramentum a filio tam fideli, quasi non crederet verbis ejus simplicibus? An forsitan timuit, quod filius suus negotiis regni plurimum occupatus, negligeret aut diu differret verba sua implere? Denique Augustinus circa hæc scribit : Quid sibi vult tam sollicita corporis commendatio, ut non in Ægypto, sed cum patribus sepeliatur? Quod constat non C convenisse tam excellenti Prophetæ, si ex hominum consuetudine accipiatur ; si autem sacramenta, id est spiritualem significationem, quæramus, majoris admirationis gaudium invenimus. Peccata enim significantur per cadavera mortuorum, quum Dominus jussit post eorum contactum homines emundari. Unde et scriptum est : Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid prodest lavatio ejus? Sepultura ergo mortuorum, remissionem peccatorum significat. Ubi ergo sepelienda erant cor- D pora Patriarcharum, nisi in terra in qua crucifixus est ille, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? A loco autem Calvariæ, in quo crucifixus est Christus, distare dicitur fere per triginta millia passuum sepulcrum præfatum Patriarcharum, quod Abrahamium appellatur, ut in ipso numero significetur Jesus Christus, qui in baptismo fuit fere triginta annorum. Hæc Augustinus : cujus ratio nunc inducta, spiritualis est, non litteralis. Litterales vero rationes, in expositione capituli vicesimi tertii continentur, quo inter cetera dictum est, quod sancti Patriarchæ voluerunt sepeliri in terra sancta, duplicique spelunca, ut cum Christo resurgerent. Pro distantia autem triginta millium passuum, tacta jam in verbis Augustini, ponitur in Scholastica historia distantia triginta milliarium.

Postremo, juxta mysticos intellectus, per Joseph qui suam cognationem tempore famis pavit, atque in optimo loco constituit, ac regi Ægypti subjecit plenarie omnem terram ac populum ejus, intelligitur Christus, qui suos electos ex Judaismo tempore indurationis ceterorum Judæorum spiritualiter aluit, et in summo Ecclesiæ loco constituit eos tanquam principes et magistros conversorum ex gentibus, universumque mundum per suos discipulos ad obediendum Deo Patri convertit. Quemadmodum etiam Joseph pavit Ægyptios uno anno pro eorum pecoribus : sic Christus spiritualiter pascit nos, quando propter eum exteriora nostra suis membris, pauperibus scilicet communicamus ; deinde nos pascit pro nostris corporibus, dum ea Deo exhibemus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, et carnem spiritui subjugamus ; pascit nos item pro terra nostra, dum decimas, primitias, et oblationes devote offerimus, fideliterque persolvimus. Ipse etiam donat nobis semina verbi cœlestis, ne deficiente cultore, id est bono prælato seu prædicatore, terra in solitudinem redigatur, hoc est, ne Ecclesia militans in terra conversans, fiat prorsus inculta, et spinis ac tribulis passionum vitiorumque impleatur. Quintam quoque partem damus regi, quando non solum pro propria laboramus salute, sed sacrificia orationum ac opera bona pro aliis etiam Omnipotenti offerimus. Exemplo demum beatissimi Joseph patriarchæ, discamus patribus ac superioribus nostris libentissime obedire.

Sensus mysticus. *Lev.* XI. *Eccli.* XXXIV, 30. *Luc.* III, 23. *Rom.* XII, 1.

Digitized by Google

ARTICULUS XCIX

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI OCTAVI : HIS ITAQUE TRANSACTIS.

BENEDICTIO qua Jacob benedixit filiis Joseph, hoc loco describitur. Quod si quæratur, cur potius benedixit filiis Joseph, quam aliorum filiorum suorum : responderi potest, quod Joseph patriarcha sua ad patrem præcipua dilectione, pietate ac veneratione hoc meruit. Denique decuit, ut Joseph qui patrem suum ac fratres in corporalibus pavit, protexit ac honoravit, specialem in spiritualibus a suo patre recompensationem in se ipso ac filiis suis reciperet. *His itaque transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus:* hoc enim pater insinuavit filio suo per nuntium, quia omnino voluit ut ipse Joseph suo interesset obitui; vel Joseph jam ante disposuit, ut sibi tempestive denuntiaretur, quando pater suus videretur graviter infirmari; imo de se invicem perceperunt frequenter. *Qui assumptis,* etc., id est, secum accipiens duos filios suos, videlicet Manassen et Ephraim, *ire perrexit,* id est, iter assumpsit. *Dictumque est seni : Ecce filius tuus Joseph,* qui est filius tuus præ ceteris carior, honorabilior, sapientior, prudentior, fidelior, sanctior, *venit ad te. Qui confortatus,* id est gaudio recreatus, et melioris animi factus, ex apparentia et approximatione talis tantique filii, *sedit in lectulo,* in quo ante ex infirmitate jacebat.

Et ingresso ad se Joseph, *ait : Deus omnipotens apparuit mihi in Luza,* etc., id est prope civitatem sic dictam, quæ alio nomine vocatur Bethel atque Jerusalem. Ista apparitio fuit in monte Moria, quando
Gen.xxviii, 12. Jacob perrexit ad Mesopotamiam, viditque scalam in somno. *Et ait : Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum.* Qualiter facta sit apparitio et promissio ista, supra capitulo vicesimo octavo descriptum est, et ibi expositum. *Daboque tibi terram hanc, et,* pro id est, *semini tuo post te in possessionem sempiternam,* id est per sæcula diuturnam : et hoc, nisi posteri tui suis excessibus meruerint ea privari, exhibendo se indignos hujus promissionis effectu per sua demerita. *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt,* hoc est, erunt filii mei adoptivi, valdeque cari ; *Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi,* id est, mihi adscribentur, ita quod filii mei adoptivi, imo et filii, id est nepotes mei naturales appellabuntur, et facient duas tribus : sicque unusquisque eorum erit patriarcha et caput unius specialis tribus in Israel, quæ ab ipso nomen accipiet; et tribus duæ ab istis duobus nascituræ, habebunt sortes seu portiones suas in terra promissionis, quemadmodum tribus reliquæ ab aliis immediatis filiis meis gignendæ. Quemadmodum Ruben et Simeon dicuntur filii mei, duasque tribus gignent, quæ duos funiculos in terra Chanaan possidebunt ; sicque Ephraim et Manasses coæquabuntur Ruben primogenito meo, et Simeoni natu secundo. *Reliquos autem quos genueris post eos.* Paulo ante scripsi, quod nullus duodecim Patriarcharum videtur aliquem puerum genuisse post ingressum Jacob in Ægyptum : idcirco quod nunc ait, Reliquos autem quos genueris, in Scholastica historia ita exponitur, Si quos genueris. Denique ex hoc loco probatur, quod usque ad obitum Jacob, Joseph non genuit nisi hos duos, quos etiam genuit per aliquot annos ante adventum Jacob in Ægyptum. Jacob autem in Ægypto moratus est decem

Digitized by Google

et septem annis : si ergo per tot annos Joseph non genuit, probabile est quod nec postea. Itaque reliqui illi, *tui erunt,* id est, tibi, non alteri, adscribentur, *et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis,* hoc est, non facient tribus speciales, nec speciales sortientur funiculos, sed pertinebunt ad tribus Ephraim ac Manassæ, quasi appendices ac illis permixti.

Consequenter excusat se sanctus Jacob de hoc, quod non sepelivit matrem Joseph Rachelem in sepulcro majorum, in quo ipsemet petiit sepeliri. *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel,* etc. ; *et sepelivi eam juxta viam Ephratæ,* etc. Hoc totum scriptum est plenius capitulo tricesimo quinto. Quasi dicat Jacob, Sepelivi eam ibi solenniter, superponens titulum ejus sepulcro in perpetuam rei memoriam, nec mihi vacabat tunc corpusculum ejus in spelunca duplici sepelire, quia cum gregibus et parvulis veniebam a loco remoto ; eratque tempus veris, in quo pecora propter imprægnationem velociter ire non valent, ne moriantur. Vel Jacob introducit hæc verba, ad insinuandum quod ex Dei præordinatione ac voluntate sepelivit Rachelem ibi : alioqui potuisset eam satis faciliter recondere in spelunca, quæ (ut dicitur) vix distat per sex milliaria ab Ephrata. Nam et greges ac parvulos potuisset sub aliorum custodia per tantillum tempus relinquere.

n. xxxv, 20.

Videns autem Jacob *filios ejus,* scilicet Joseph, quos vidit confuse, nec recognovit, *dixit ad eum : Qui sunt isti ? Respondit : Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco,* etc., utpote in Ægypto, non in terra Gessen. Deus autem pueros illos dedit, qui eorum animas condidit, et qui eorum parentibus generativam vim contulit. Nam et opus naturæ, est opus increatæ artis divinæ. *Applicitosque ad se* filios Joseph, *deosculatus et circumplexus eos, dixit ad filium suum* Joseph : *Non sum fraudatus adspectu tuo,* id est, corporali tua inspectione atque præsentia non sum privatus. *Insuper ostendit mihi Deus*

A *semen tuum,* scilicet hos duos filios tuos : quos tamen (ut puto) Jacob aliquando vidit ante hanc horam, sicut et filium suum; sed nunc morte sua instante, voluit super hoc Deo specialiter regratiari. Ideo quoque voluit pueros illos deosculari et amplexari antequam benediceret eis, quia hoc moris tunc erat, et pater suus Isaac sic fecerat sibi, et item quatenus ex osculo et amplexu adolescentum, caritate eorum accensus, cum ampliori affectu ac magis devote benediceret eis. *Quumque tulisset eos Jo-*

B *seph de gremio patris :* quum enim Jacob cessavit a puerorum illorum osculo et amplexu, et protulit verba prætacta, ipse Joseph retraxit filios suos ad se ; *adoravit pronus in terram.* Quod exponi potest, tam de Joseph quam de Jacob, ita quod Joseph adoravit Deum prostratus, vel inclinatus solo tenus quasi disponens se ad benedictionis paternæ susceptionem pro se et in filiis suis. Vel quod Jacob Deum cum inclinatione capitis adoravit, disponens se ad benedicendum cum prævia oratione.

C *Et posuit* ipse Joseph *Ephraim* filium suum *ad dexteram suam, id est ad sinistram Israel,* utpote ipsius Jacob patris sui, quia Ephraim fuit posterior natu ; *Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris :* quia Manasses primogenitus fuit, ideo voluit Joseph ut staret ad dexteram Jacob ; *applicuitque ambos ad eum :* ita quod poterant tangi manibus sancti Jacob, cujus dexteram voluit Joseph superponi capiti primogeniti sui. *Qui,* scilicet Jacob, *extendens manum dexteram,*

D *posuit super caput Ephraim junioris fratris; sinistram autem super caput Manassæ qui major natu erat, commutans manus,* id est manus suas cancellans, illam superponens juniori ex causa speciali, quæ superponenda fuisset seniori ex lege communi. *Benedixitque Jacob Joseph* filio suo, non in propria ejus persona hac vice, sed in filiis ejus, benedicendo eis propter Joseph, *et ait : Deus in cujus conspectu ambulaverunt,* hoc est, in cujus præsentia timorate et juste vixerunt, *patres mei Abra-*

* pascit *ham et Isaac, Deus qui pascis* * *me ab adolescentia mea usque in præsentem diem :* hoc est, toto tempore vitæ meæ, mihi assidue affuisti, corporaliter ac spiritualiter me alendo; *angelus, qui eruit me de cunctis malis,* hoc est tribulationibus quas sustinui, patientiam dando seu procurando in eis, meque consolando, atque a diversis vitiis præservando, *benedicat pueris istis,* dona gratiæ eis infundendo, augendo seu conservando, temporalia quoque et magnam posteritatem tribuendo eisdem.

Circa quod quæritur, cur Jacob pueris benedicendo per invocationem nominis Dei, fecit mentionem de angelo; et quis sit angelus iste tantæ efficaciæ, quod eruit ipsum Jacob ab omnibus malis, et filiis Joseph benedicere potuit. Ad quod si respondeatur, quod per angelum intelligat Verbum æternum, Unigenitum Dei, qui est Angelus magni consilii, cujus incarnationem prævidit Jacob in spiritu, ambæ quæstiones solutæ sunt; si vero per angelum intelligatur angelus, qui erat proprius custos ipsius Jacob et ei familiaris fuit, dicendum, quod ipse Jacob aliter imprecatur benedictionem a Deo, aliterque ab angelo. Nempe a Deo, quasi a principali causa, petiit eam; ab angelo autem, tanquam a causa secundaria, cooperatoria, instrumentali, intermedia, et oratore.

Et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac : hoc est, oretur pro pueris istis, ut Deus faciat eis sicut fecit mihi et patri meo ac avo; vel sensus est, ut Deus rogetur pro eis oratione, in qua nomen meum et nomina Isaac et Abrahæ contineantur, dicendo : Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, benedicat Ephraim ac Manassæ. Sic enim soliti sunt posteri Deum orare, appellando eum Deum horum trium Patriarcharum, in designationem mysterii beatissimæ Trinitatis in simplici deitate. Potest quoque et ita exponi, ut ipse Jacob, Isaac et Abraham invocarentur a fidelibus, tanquam tres sancti viri ad orandum pro
Job v, 1. Ephraim et Manasse, juxta illud in Job : Ad aliquem Sanctorum convertere. *Et crescant in multitudinem super terram,* id est, magnæ tribus nascantur ex eis. Ipsi quoque in spirituali opulentia crescant.

Deinde in textu describitur, qualiter Joseph graviter, id est cum dolore, accepit quod pater suus modo præfato manus suas cancellavit, quia nescivit quare pater suus Jacob id fecit. *Qui renuens, ait : Scio, fili mi, scio,* quid et quare sic facio, et quod Manasses sit primogenitus; *et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur,* hoc est, magna plebs nascetur ex Manasse; *sed* Deut. xxxiii, 17.
frater ejus junior, scilicet Ephraim, *major erit illo,* scilicet plures ac digniores generabuntur ex Ephraim; *et semen illius crescet in gentes,* hoc est, magnæ nationes orientur successive ex Ephraim, et quidam ex posteris ejus ceteris tribubus Israel præsidebunt : quod primo impletum est in Josue, qui post Moysen fuit dux totius Israeliticæ plebis; deinde in Jeroboam Ephratæo, qui fuit primus rex decem tri- III Reg. xii, 20.
buum, post quem multi ex Ephraim reges Israel exstiterunt. *Benedixitque eis,* etc., scilicet duobus filiis Joseph, *dicens : In te benedicetur Israel.* Cui de duobus ait, In te? Itaque numerus singularis ponitur pro plurali; vel verbum istud specialiter direxit ad Ephraim; vel sensus est, In te, id est in exemplo cujuslibet vestrum, benedicetur Israel, id est Israeliticus populus, seu quicumque de genere Israelis; *atque dicetur : Faciat tibi Deus sicut* fecit ipsi *Ephraim et sicut* fratri ejus *Manassæ :* hoc est, tanta erit horum benedictio seu prosperitas puerorum, quod dum aliquis voluerit bona alteri imprecari, sumet formam benedicendi ex filiis istis, dicendo : Faciat tibi Deus sicut Ephraim et Manassæ, ita quod forma hujus benedictionis, quasi in proverbium convertetur.

Jam ante hanc formam benedictionis, quæ non est expressa per modum orationis seu imprecationis, sed magis per modum propheticæ prænuntiationis, scriptum est, quemadmodum Jacob benedixit pueris istis per modum orationis, dicendo : Deus,

Digitized by Google

in cujus conspectu ambulaverunt patres A mei, etc. Deinde benedictione ista finita, adjunctum est: Videns autem Joseph, quod posuisset pater suus manum dexteram super caput Ephraim, graviter accepit, etc. Moxque subjuncta sunt verba Jacob ad Joseph, post quæ additum est, Benedixitque eis, sicut nunc habitum est. Si ergo res gesta est eo ordine quo narratur, invenitur Jacob bis benedixisse pueris istis : et quod Joseph graviter tulit positionem dexteræ patris sui super caput Ephraim post primæ benedictionis prolationem, fuisset quasi B nimis tarde. Itaque, puto quod in descriptione horum non servetur ordo historiæ, sed quod Joseph nitebatur manum dexteram patris sui transferre de capite Ephraim super caput Manassæ, antequam pater suus benedictionem incepit; et quod Jacob tunc exposuit filio suo Joseph, cur manus suas sic cancellasset : quo facto, totam benedictionem, hic divisim recitatam, simul expressit.

Constituitque Ephraim ante Manassen : ita quod primogenituram quasi dedit C Ephraim juniori, et posteros ejus prædixit majores ac plures futuros posteris Manassæ. Sicque Jacob fecit cum Ephraim et Manasse, quemadmodum pater suus Isaac fecerat secum et cum Esau fratre suo primogenito. Denique, sicut Jacob ex divina revelatione præcognovit tot ac tanta futura, sic ex divina auctoritate et inspiratione fecit hanc commutationem seu præpositionem. Fuit quoque tribus Ephraim honorata præ tribu Manassæ in oblationibus principum, quando dedicatum est taber- D naculum, et in portatione ac situatione ejusdem.

Et ait ad Joseph filium suum : En ego morior, et erit Deus vobiscum per gratiam, *reducetque vos,* hoc est posteros vestros, scilicet duodecim tribus Israel, *ad terram patrum vestrorum,* hoc est ad terram Chanaan, in qua Abraham et Isaac habitaverunt, quam et Deus eis promisit pro posteris eorumdem. *Do tibi partem unam extra fratres tuos,* id est, specialem hereditatem confero tibi pro posteris tuis, seu pro sepelitione corporis tui. Quasi dicat : Propter virtutes tuas præcipuas, et pro beneficiis quæ mihi et meis impendisti tempore famis, et quia promisisti me sepelire in spelunca duplici, ut rogavi, do tibi præ fratribus tuis munere speciali hereditatem quamdam ad me pertinentem in Chanaan, etsi non propter magnum ejus valorem, tamen in signum præcipui amoris mei ad te. *Quam* partem *tuli de manu Amorrhæi,* hoc est de potestate et dominio Hemor regis Sichimorum, nati ex stirpe Amorrhæorum, *in gladio et arcu meo,* id est virtute gladii et pharetræ meæ, seu jure belli. Sed difficile est videre, qualiter illud impletum est.

Porro, supra legitur : Habitavit Jacob juxta oppidum, scilicet Sichem, emitque partem agri, in qua fixerat tabernaculum, a filiis Hemor patris Sichem centum agnis. Itaque de hac terra empta a Jacob, quidam exponunt hunc passum. Unde in Scholastica historia dicitur : Sane Jacob emerat eam centum agnis a rege Hemor, sed quum pro occisione Sichimorum debuisset auferri sibi, tamen potestative semper eam obtinuit, seu servavit : et ideo dicit, Quam tuli de manu Amorrhæi, etc. Sed huic expositioni obviare videtur, quod pars illa fuit res parva. In translatione quoque Septuaginta, quam hoc loco Hieronymus et Augustinus exponunt, habetur : Et dedi tibi Sichimam præcipuam supra fratres tuos. Itaque S. Hieronymus, per arcum et gladium Jacob, intelligit ejus justitiam, per quam meruit de periculo liberari, quando habitatores urbium prope urbem Sichem sitarum, voluerunt in Jacob familiamque ipsius insurgere, eo quod filii ejus occiderunt ipsum Hemor, et filium ejus, urbemque everterunt : et ita extunc videtur locus ille pertinuisse ad Jacob, tanquam datus sibi a Deo, cujus virtute adversarii exterriti sunt, nec audebant persequi ipsum Jacob ac suos. Tangit quoque Hieronymus aliam expositionem, quæ nunc ex Scholastica historia tacta est, dicens :

Gen. XXXIII, 18, 19.

Digitized by Google

Dabo tibi Sichimam, quam emi in fortitudine mea, id est cum pecunia seu aliquo æquivalente, quam multo labore acquisivi, super fratres tuos, hoc est, absque sorte do eam tribui Joseph. Ibi namque sepultus est Joseph, et mausoleum seu sepulcrum ejus usque hodie cernitur.

Amplius, B. Augustinus circa hæc scribit: Quæritur, quomodo ad litteram stare possit, quod Jacob dicit se dare filio suo Joseph Sichimam præcipuam, et quod possederat eam in arcu et gladio. Emit enim possessionem illam centum agnis, non cepit jure belli. An quia filii ejus urbem Sichimorum expugnaverunt, potuit ejus fieri jure belli, ut justum bellum gestum videatur cum eis, qui primo intulerunt injuriam, violando filiam Jacob? Cur ergo non dedit eam majoribus filiis suis qui hoc fecerunt? Deinde, si de victoria glorians, dedit eam Joseph, cur ei displicuerunt filii, qui hoc fecerunt? Cur benedicturus eis, exprobrat factum illud? Latet ergo hic propheticum sacramentum, quoniam Joseph quadam præcipua significatione Christum significat: et ipsi Joseph datur terra illa, in qua Jacob deos obruit seu defodit alienos, ut Christus designetur ac intelligatur possessurus gentes, diis patrum suorum renuntiantes, et in ipsum credentes. Hæc Augustinus. Itaque, secundum Augustinum, istud intelligitur de terra quam emit Jacob, quam (ob causam prætactam, seu juxta expositionem inductam) dicitur Jacob accepisse in arcu suo et gladio.

Postremo, ut refert Lyra, Hebræi exponunt istud de terra urbis Sichem, dicentes quod Jacob eam obtinuit jure belli: quia dum Amorrhæi voluerunt contra eum insurgere, propter eversionem urbis illius, Jacob armavit se ac suos domesticos ad resistendum illis, confidens in Dei auxilio. Unde et timor Dei tunc invasit Amorrhæos, ita quod redierunt: ideo juste terram illam obtinuit. Sed istis objicitur, quia victoriam seu possessionem illam non obtinuit Jacob arcu et gladio suo, sed Dei auxilio. Ista quoque narratio Hebræorum, de armatione Jacob et domesticorum suorum, videtur conficta, nec textui consona; quoniam supra habetur, quod urbe Sichimorum eversa, Jacob dixit filiis suis: Turbastis me, et odiosum fecistis Chananæis; illi congregati percutient me, et delebor ego et domus mea. (Gen. xxxiv, 30.) Et subditur ibi in principio capituli tricesimi quinti, Præterea locutus est Deus ad Jacob: Surge et ascende Bethel. (Ibid. xxxv, 1.) Quumque profecti essent Jacob et sui, timor Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes. Ex quibus probatur, quod ipso Jacob metuente, Deus commisit ei, non ut se et suos armaret, sed ut cum eis a loco illo recederet. Nec timor Dei invasit Chananæos, quum Jacob armasset se et suos contra illos; sed quum profectus esset, seu recessisset ab ipsis. Hinc præinducta expositio duplex Hieronymi, rationabilior esse censetur.

(Sensus spiritualis.) Juxta spiritualem demum intelligentiam, per Manassen Synagoga, per Ephraim Ecclesia, quæ est Synagogæ præposita, designatur. Et quamvis Deus benedixit aliquando Synagogæ, multo tamen præclarius benedixit Ecclesiæ; et ipsa Ecclesia numerositate, dignitate ac meritis Synagogam excessit. Christus vero videbatur ad tempus pro Synagoga zelare, et gentiles postponere: Non sum, inquiens, missus nisi ad oves perditas domus Israel. (Matth. xv, 24.) Attamen Deus Pater prælegit Ecclesiam, cui per fidem et meritum crucis Christi subvenit, quod per cruciformem cancellationem manuum Jacob figurabatur, quæ cancellatio fuit ipsi Ephraim gloriosa, et ipsi Manassæ quodammodo opprobriosa: per quod designatum est, quod verbum crucis Judæis est scandalum, electis vero gentilibus virtus Dei, honor, et gloria. (I Cor. i, 23.)

Digitized by Google

ARTICULUS C

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI NONI : VOCAVIT AUTEM JACOB FILIOS SUOS, ET AIT EIS.

NUNC in isto capitulo sententioso atque A difficili exaratur, qualiter beatissimus patriarcha Jacob, prophetali spiritu plenus, benedixit universis ac singulis filiis suis, et multa eis prædixit : quorum quædam concernebant duodecim tribus, quantum ad tempus quo in terra promissionis sunt constituti, et terram illam per congruas divisiones sortiti. Aliqua vero, quæ et principalia sunt, Christum respiciunt, de cujus primo ultimoque adventu clarissime vaticinatur Jacob in isto capitulo. *Vocavit autem Jacob filios suos*, duodecim B scilicet Patriarchas, qui utique omnes studuerunt adesse, quando viderunt patrem suum se ad mortem disponere; *et ait eis : Congregamini,* corporaliter circa lectum meum, spiritualiter quoque, mentes vestras recolligendo ad verborum meorum advertentiam diligentem ; *ut annuntiem quæ ventura sint vobis diebus novissimis.* Per hoc quod ait, Diebus novissimis : insinuat se locuturum de mysteriis Christi, et de rebus in adventu ejus implendis : cujus tempore non fuerunt in carne viventes filii C Jacob, quibus ipse ista annuntiavit, sed posteri eorumdem, qui nomine patrum suorum significantur. Itaque per novissimos dies intelligitur ultima mundi ætas, seu tempus regis Messiæ, quod est tempus evangelicæ legis, cui alia lex divinitus non succedet. Propter quod loquitur Paulus :
[I Cor. x, 11.] Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt. Joannes quoque apostolus in prima
[I Joann. ii, 18.] sua Canonica : Filioli, inquit, novissima hora est. Hinc de tempore Christi loquitur
[Is. ii, 2.] Isaias : Erit in novissimis diebus præparatus D mons domus Domini in vertice montium. Atque ut Rabbi Paulus allegat, Rabbi Moyses Gerundensis ait in Glossa sua : Novissimi dies sunt dies Messiæ, quos Jacob significavit quum dixit : Non auferetur sceptrum, etc. Et addit : Secundum omnium enim opinionem, dies novissimi sunt dies Messiæ, hoc est tempus primi adventus Christi, in cujus temporis fine erit adventus ejus secundus.

Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum : me scilicet, qui alio nomine dictus sum Israel. Per hæc verba tam diligenter et affectuose repetita, reddit filios suos ad audiendum attentos, et magna se annuntiaturum designat. Deinde a primogenito inchoat : *Ruben primogenitus meus. Tu fortitudo mea.* Hoc est : O Ruben qui primogenitus meus es, tu es effectus seu proles, in quo robur meæ virilitatis primo apparuit. Unumquodque enim (ut ait Philosophus) in specie sua perfectum est, dum potest sibi simile generare : sicque fortitudo potentiæ generativæ, et efficacia virilitatis ipsius Jacob, primo in Ruben apparuit, tanquam in suo effectu, et velut in speculo. Unde de viro qui multos genuit, communiter dicitur, fortis. Dicitur quoque primogenitus fortitudo patris, quoniam per primogenitum suum pater primo confidit suo tempore constipari, ac multiplicari. In Scholastica historia ita exponitur verbum hoc : Tu fortitudo mea, id est, tu es quem genui in ætate robusta. [Benedictio Ruben.]

Et principium doloris mei. Hoc quidam exponunt sic : Tu es præcipua causa meæ afflictionis, per hoc quod cum uxore mea enormem commisisti incestum, de quo [Gen. xxxv, 22.] quasi incomparabiliter dolui. Verumtamen si loquamur de dolore sensibili, videtur Jacob intensius diutiusque doluisse de amissione Joseph, quam de aliqua alia adver-

Digitized by Google

sitate. Quidam vero ita exponunt : Tu es principium doloris mei, id est sollicitudinis meæ circa filios, quæ sollicitudo in se pœnalis est, et habet laborem annexum. Unde de conjugatis ait Apostolus : Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. (I Cor. VII, 28.) Itaque per dolorem rite accipitur totum onus status matrimonialis. Denique, quum Jacob genuisset Ruben ex Lia, cœpit Rachel invidere sorori, quod illa magis quam ipsa fructum protulisset conjugii, de qua invidia doluit Jacob : sicque Ruben fuit ei doloris illius occasio. Porro, secundum Hieronymum, in Hebræo habetur : Tu capitulum liberis meis, id est, filiis meis quoddam exordium es, quoniam ordo seu series generationis eorum cœpit a te, qui es velut capitulum, id est parvum caput eorum. Hinc Septuaginta transtulerunt : Tu principium filiorum meorum. Rursus, quia capitulum accipi solet pro loco disciplinæ et correctionis, potest ita intelligi : Tu capitulum liberis meis, id est, quum sis primogenitus, debuisti fratribus tuis exemplum virtutum præbere, et delinquentes corripere, omnesque dirigere, quum tamen per incestum tuum feceris omnino contrarium. Iterum potest istud exponi in laudem ipsius Ruben, in quantum fratres suos de venditione Joseph, seriose ac vestibus scissis corripuit.

Primus in donis, hoc est, ratione primogenituræ competeret tibi duplex portio hereditatis seu facultatum tui parentis, quia (ut dictum est sæpe) in lege naturæ primogenito debebatur portio duplex omnium paternorum bonorum. Dicitur quoque Ruben primus in donis, quoniam dona gratiæ suo patri concessa, decuit primo ad ipsum derivari, ac relucere in ipso. Parentes quoque communiter plus diligunt primogenitum : idcirco sunt proniores aliquid primogenito dare. Et ita fuisset fratribus suis major in donis, nisi peccando meruisset jure primogenituræ privari. Loco hujus verbi, Primus in donis, Septuaginta transtulerunt, Durus ad ferendum : quod trahi posset ad sensum eumdem, quoniam

A tanta privilegia primogenitorum fuerunt aliis filiis frequenter molesta. Ruben quoque per suum incestum fecit se gravem ad ferendum tam proprio patri, quam fratribus suis, præsertim filiis Balæ quam cognovit. In idem redit littera Origenis, qua dicitur, Durus in conversatione. Porro in Hebræo habetur, Major ad portandum, hoc est dignior ad obtinendum ac possidendum ea, quæ ad primogenituræ privilegia pertinebant : quod redit in idem cum nostra translatione.

B *Et major in imperio,* id est, dignitas primatus ac sacerdotii pertineret ad te jure primogenituræ. Promiserat quippe Deus patriarchæ Jacob, quod reges nascituri essent ex eo. Sicque regia dignitas etiam pertinuisset ad posteros Ruben, nisi peccando tam graviter obicem posuisset. Hinc ait Hieronymus : Debebas juxta ordinem nativitatis tuæ, hereditatem, quæ primogenitis debetur, regnum sacerdotiumque, accipere. Itaque triplex bonum pertinuisset ad Ruben ex sua primogenitura, quo C propter suum incestum privatus est : Primum fuit duplex portio hereditatis, et hoc ad filios Joseph translatum est. Nam Joseph duplicem accepit funiculum in filiis suis Ephraim et Manasse, a quibus derivatæ sunt duæ tribus, ut præcedenti articulo patuit : et quantum ad hoc, verificatur quod primo Paralipomenon libro habetur, Primogenita reputata sunt Joseph. Secundum fuit sacerdotium, quod translatum est ad tribum Levi. Tertium, regia dignitas, quæ ad tribum Judæ translata est. (Gen. XLVIII, 22.) (I Par. V, 1.)

D Hinc subditur : *Effusus es sicut aqua,* id est, præfatis bonis ac privilegiis prorsus privatus es, et effusa sunt a te, sicut effunditur aqua. Vel sic et melius : Effusus es sicut aqua, id est, instar liquidi elementi effudisti concupiscentiam tuam impetu passionis, nec humorem tuæ libidinis refrenasti freno virtutis seu retinaculo castitatis, quemadmodum aqua ab effusione compescitur vasculo. *Non crescas,* id est, ad primatum et eminentiam non assurgas, nec super fratres tuos te efferas tanquam

Digitized by Google

primogenitus; imo propter excessum tuum humilies te, sufficiatque tibi esse ut unum ex eis. Hinc Septuaginta transtulerunt: Sicut aqua non ebullias. Aqua namque ebulliens jactat se, et crescit in altum, quod Jacob prohibuit ipsi Ruben. Vel, Non crescas in hominum reputatione, quia tui incestus demerito eris contemptus, seu reputationis minoris. Porro, secundum Hieronymum, in Hebræo habetur, Ne adjicias, id est, non præsumas amplius tale quid agere. Potest quoque sic accipi, Non crescas, id est, tribus tua non tantum multiplicetur, ut aliæ quædam tribus in Israel: quod certum est esse impletum; sicque per quod peccavit, per hoc fuit punitus. *Quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus* cognoscendo ipsius uxorem nomine Balam, ut patuit capitulo tricesimo quinto. Gen.xxxv,

Circa hæc quæritur, cur Jacob post tantos annos, tam acriter commemoravit ac ultus est facinus filii sui, etiam in posteris ejus. Respondetur, quod zelo justitiæ et ex divina inspiratione hoc fecit, et forsan Ruben ille nondum digne inde pœnituit; nec tamen posteris ejus in hac vindicta fiebat injuria, quoniam ex eorum meritis eis non debebantur præfata bona, quibus propter patris sui incestum privati sunt. Denique etiam secundum leges humanas, pro crimine læsæ majestatis filii privantur hereditate ac patria et honore, propter patris sui excessum.

Deinde de Simeone ac Levi subjungitur, quorum crimina memorat, sicut et crimen Ruben: et quantum ad hoc, non solum annuntiavit futura diebus novissimis, sed et retulit præterita multis annis. Attamen principale intentum ipsius Jacob, fuit futura prædicere: propter quæ et præterita quædam retexuit, ne pœnam infligendam sine culpa depromeret. Quomodo autem ea quæ Jacob dicit ad Ruben, ad Simeonem quoque et Levi, sint benedictiones, quum potius videantur exprobrationes ac maledictiones, infra dicetur. *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia,* id est, hi duo fratres carnales ex patre et matre, fratres quoque conformitate malitiæ, sunt vasa plena iniquitate, injuste pugnantia. Est autem Hebrææ loquelæ proprietas, ut omne alicujus rei contentivum, vas appelletur illius: sicque Simeon et Levi vocantur vasa iniquitatis bellantia, quia fuerunt subjecti vitiis iræ, impatientiæ, simulationis, rancoris, crudelitatis, ex quibus fuerunt moti ad bellum iniquum contra Sichem filium Hemor regis Sichimorum, et contra habitatores urbis illius. *In consilium ipsorum non veniat anima mea,* id est, absit ut mihi complaceat eorum consilium, quod contra Sichimitas conceperunt; *et in cœtu eorum non sit gloria mea,* hoc est, gloriatio mea non conformetur impiæ gloriationi cœtus ipsorum. Quasi dicat: Detestor ipsorum consilium et conventum, in quantum talia tractaverunt, nec mihi unquam placuit quod fecerunt; *quia in furore suo occiderunt virum,* videlicet Sichem filium Hemor, imo et ipsum Hemor ac Sichimitas, etiam post confœderationem et initam pacem; *et in voluntate sua suffoderunt murum,* id est, muros oppidi Sichem everterunt pro posse. Unde Hieronymus ait: Significat Jacob non fuisse sui consilii, quod Hemor et Sichem viros sibi fœderatos interfecerunt, et contra jus pacis amicitiarum sanguinem effuderunt innocentem, et crudelitate quasi furore rapti, muros hospitæ urbis everterunt.

Levi et Simeonis benedictio. Gen.xxxiv, 25, 26. Ibidem.

Maledictus, id est despectus et abominabilis Deo, *furor eorum* contra Sichimitas conceptus, *quia pertinax:* nam quamvis Sichem ac pater ejus Hemor, multum amicabiliter tractassent cum filiis Jacob de pace et confœderatione, de satisfactione et nuptiis Dinæ, obtulissentque munera copiosa, et circumcidissent se ipsos, civesque suos induxissent ad idem, nihilo minus Simeon et Levi in suo permanserunt furore; *et indignatio eorum* maledicta est, qua Sichimitis indignabantur propter raptum et violationem suæ sororis, etiam post prædicta, *quia dura* fuit et ferox, imo et obstinati fuerunt in ea, qui post tanta

benevolentiæ signa ac opera emolliri non poterant. *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel :* hoc est, ego Jacob prædico tribum Levi, tribumque Simeonis, hinc inde in terra promissionis esse dividendas ac dispergendas. Levitæ etenim non acceperunt et non habuerunt hereditariam portionem, sicut ceteræ tribus; sed urbes ad habitandum, non simul in una plaga terræ, sed per loca a se invicem valde remota, partim trans Jordanem, partim infra, prout in libro Josue scriptum est. Erant quoque Levitæ divisi in tres turmas, scilicet Caathitas, Meraritas, et Gersonitas, quæ turmæ a se invicem habitaverunt divisæ. Similiter tribus Simeon exstitit parva, et inter filios Judæ quasdam urbes sortita est, atque ut refert Lyra, Hebræi de dispersione Simeon adjecerunt : Non est pauper scriptor nec pædagogus, nisi de Simeon, hoc est, filii Simeonis discurrerunt per ceteras tribus Israel ad scribendum pro pretio, et ad instruendum pueros aliorum pro victu necessario obtinendo, sicut nunc faciunt apud Christianos clerici pauperes.

Josue XXI, 3 *et seq.*

Insuper quidam Hebræi, ut recitat Lyra, exponunt hunc passum de iniquitate Simeonis et Levi in Joseph commissa. Nam dicunt quod hi duo præ ceteris adversati sunt Joseph, et voluerunt eum occidere : idcirco dicuntur vasa iniquitatis bellantia, et eorum consilium pater ipsorum abhorruit. Hæc autem expositio videtur valde impropria. Primo, quia nec occiderunt Joseph, nec voluerunt eum bellando, sed opprimendo occidere, nec ei adversando suffoderunt murum. Verum est tamen, quod pro eo quod nos habemus, In voluntate sua suffoderunt murum, Septuaginta transtulerunt, In desiderio suo subnervaverunt taurum : et isti per taurum intelligunt Joseph, de quo in Deuteronomio Moyses loquitur : Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus. Sed constat, quod non subnervaverunt Joseph. Præterea, Septuaginta sic transtulerunt : Simeon et Levi fratres consummaverunt iniquitatem adinventionis suæ. Quum ergo non occiderint nec subnervaverint ipsum Joseph, certum est, quod non consummaverunt iniquitatem adinventionis suæ in eum : ideo ista non exponuntur recte hoc modo. Asserit tamen Lyra, quod Hebraica veritas habet, In voluntate sua subnervaverunt taurum. Sanctus vero Hieronymus asserit in Hebræo haberi, In libidine sua suffoderunt murum. Hæc autem diversitas translationum et opinionum contingit præcipue ex frequenti et magna æquivocatione dictionum Hebraicarum, in quibus (ut dictum est) æquivocatio habet præcipue locum.

Deut. XXXIII, 17.

Si ergo juxta Septuaginta interpretes dicatur, Subnervaverunt taurum, potest per taurum intelligi ipse Sichem, propter libidinis et incontinentiæ suæ excessum quo Dinam oppressit. Quidam vero per taurum intelligunt tauros ac cetera pecora Sichimorum, quos Simeon et Levi cum suis adjutoribus subnervaverunt. Nonnulli exponunt ista de sacerdotibus, Scribis, ac Pharisæis, ex Levi et Simeone natis, qui præ ceteris Judæis contra Christum pugnaverunt, et multa contra eum habuerunt consilia, eumque tandem interfecerunt. Et murum, hoc est, corpus ipsius, seu ipsum Christum, qui fuit fortissimum Israelis propugnaculum, vulneribus suffoderunt, sicut fatetur : Foderunt manus meas et pedes meos. Per taurum quoque intelligunt Christum, propter fecunditatem ac fortitudinem suam, quem subnervaverunt iniqui, corpus ipsius totaliter violentissime extrahendo. Propter quod protestatur : Dinumeraverunt omnia ossa mea. Denique tam pertinacissimus fuit sacerdotum, Scribarum, et Pharisæorum furor in Christum, quod quanto plura atque majora fecit miracula, tanto plus insaniebant in eum, cogitantes qualiter eum occiderent. Ceteris expositio ista apparet magis allegorica esse quam litteralis.

Ps. XXI, 17. — *Ibid.* 18. — *Joan.* XI, 47, 53.

Circa prædicta scribit Hieronymus : Levi hereditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris, id est sortibus seu tribubus, paucas ad habitandum habuit urbes.

Digitized by Google

Similiter Simeon de tribu Juda modicum quid accepit. Itaque sicut Simeon et Levi peccaverunt enormiter, interficiendo innoxios ac urbem demoliendo, sic et ipsi puniti sunt per urbium subtractionem, et suorum posterorum dispersionem. Nihilo minus erat alia ratio specialis, cur tribus Levitica non habuit hereditaria bona.

Sequitur benedictio Judæ præ ceteris pulchra, quia de eo Christus fuerat nasciturus. *Juda, te laudabunt fratres tui.* Judas interpretatur, laus sive confessio. Itaque Jacob benedicturus filio suo Judæ, sic rite incepit : Te laudabunt. Quasi dicat : Merito appellatus es Judas, quia laudabunt te fratres tui : quod et in illo Juda patriarcha aliqualiter est impletum. Erat enim post Joseph inter fratres suos notabilior, fortior, atque prudentior. Magis autem impletum est in posteris ejus. Nam tribus Juda, a principio fuit numero major, viribus fortior, ad ardua aggredienda audacior : idcirco a ceteris tribubus laudabatur, et specialiter quando (ut legitur) primo secuta est Moysen per viam maris Rubri divisi, ceteris tribubus non audentibus statim Moysen sequi. Præterea, Josue mortuo, consulentibus filiis Israel Dominum : Quis ascendet contra Chananæum, et erit dux belli ? Dominus dixit : Judas ascendet. Quumque Jacob publice prophetasset, reges, et regem regum Messiam, nascituros esse de Juda, fuit tam ipse Judas, quam tribus ipsius, honorabilis reliquis filiis Jacob. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum,* id est, hostes tuos potenter prosternes. Hoc in David præcipue constat impletum, quem Dominus in omni bello salvavit ac vincere fecit. *Et adorabunt te filii patris tui :* quod in Christo ex Judæ semine incarnato impletum est, quem multi ex duodecim tribubus Israel conversi, adoraverunt post ascensionem ipsius in cœlum, sicut in Actibus Apostolorum edocetur. Adoratione autem duliæ multi adoraverunt David regem, tanquam sublimem personam, etiam Nathan propheta et Bethsabee, ut patet libro tertio Regum.

(Judic. c. i, 1, 2. — Reg. xiv, 32, 33. — I Reg. i, 23.)

Catulus leonis Juda. Hoc de David exponitur, qui in adolescentia sua instar leunculi fortiter et audacter prostravit superbissimum gigantem Goliath : Non concidat, inquiens, cor cujusquam in semetipso. Ego ibo et pugnabo contra incircumcisum istum. Et quum esset minimus ac junior inter omnes fratres suos, in regem unctus est, et leonem ac ursum occidit in campo. Verius tamen exponitur istud de Christo, qui tanquam fortissimus leonis catulus, mox ut ex Virgine natus est, ad invisibilium hostium debellationem processit, fortissimumque tenebrarum principem conculcavit. Hinc in translatione Septuaginta, his verbis subjungitur, Ex germine, fili mi, ascendisti : in quibus verbis Jacob dirigit sermonem suum ad filium suum Judam, quum tamen istud non intelligatur de ejus persona, sed de nato ex ipso. Christus quippe ascendit ex supernaturali germinatione, natus de Spiritu Sancto ex virginea Matre. Ascendit quoque ex germine, quia quum esset secundum carnem natus ex germine Judæorum, ascendit dignitate et gloria super omne genus humanum et super cœlos cœlorum. Nostra vero translatio continet, *Ad prædam, fili mi, ascendisti :* quod quidam exponunt de David, qui victis hostibus exspoliavit eosdem. Aptius autem de Christo accipitur, qui juxta Psalmistam, Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Mox namque ut in cruce tradidit spiritum, descendit in limbum patrum, atque in puncto suæ resurrectionis spoliavit infernum, ac Sanctos inde educens, ascendit quadragesimo die ad prædam illam electam, ut perduceret eam secum in cœlum. Hinc secundum Hieronymum, in Hebræo habetur : De captivitate, fili mi, ascendisti. Et secundum eumdem Hieronymum, per captivitatem intelligitur comprehensio et passio Christi, per ascensum resurrectio ejus. Ascendit quoque Christus ad prædam, quia per se ipsum, deinde per suos Apostolos processit ad convertendum homines, vinculis vitiorum et jugo diaboli compeditos, quos

(I Reg. xvii, 32. — Ps. lxvii, 19, et Ephes. iv, 8.)

Digitized by Google

fortis armatus (puta diabolus) sibi habuit A obligatos. Luc. xi, 21, 22. Christus etenim fortem illum devicit, et vasa ejus diripuit. Unde de Christo Is. liii, 12. per Isaiam locutus est Deus Pater : Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod in mortem tradidit animam suam.

Requiescens accubuisti ut leo. Requievit Christus triduo in sepulcro, accumbens seu dormiens ibi instar catuli leonis, qui natus, tribus diebus dormit, antequam ad vitales evigilet actus. Unde translatio Septuaginta habet : Accubuisti ut leo, et ut B catulus leonis. Porro in nostra translatione subjungitur : *et quasi leæna.* Itaque Christus Prov. xxx, 30. requievit ut leo, qui est fortissimus bestiarum, quem aliæ bestiæ metuunt, nec invadere audent : sic Christus omnium potentissimus regum, securissime requievit atque regnavit devicto mortis aculeo, nec quisquam potuit ei nocere. Requievit etiam ut leæna, quæ est valde crudelis. Nam moriendo mortem devicit, atque potestates conculcavit aereas, et quod per Osee prædixerat, Osee xiii, 14. protinus adimplevit : Ero, in- C quiens, mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne ! Idcirco de ipso in Apocalypsi Apoc. v, 5. asseritur : Vicit leo de tribu Juda. *Quis suscitabit eum?* id est : Quis audebit Christum post resurrectionem suam impassibilem factum, impugnare? aut quis poterit ei regnum auferre, de quo Angelus ac Is. ix, 7. Isaias et Evangelista prædixerunt, Dabit Luc. i, 32, 33. illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis? Nempe ut Daniel Dan. vii, 14. prophetavit, Potestas ejus potestas æter- D na, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur. Quod si objiciatur, quod multi tyranni ac perfidi ab exordio primitivæ Ecclesiæ Christum impugnaverunt : dicendum, quod impugnaverunt eum in mysticis suis membris, sed Is. xli, 11. ut Isaias prædixit, Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. Vel, Quis suscitabit eum? supple, a mortuis, nisi ipsemet secundum quod Deus.

Circa hæc scribit Hieronymus : Christus in somno mortis requievit ut leo, quia non necessitate, sed potestate quievit in morte, sicut prædixit : Potestatem habeo ponendi Joan. x, 18. animam meam. Et, Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam. Quod vero addidit, Et ut catulus leonis : ideo dictum est, quia inde mortuus, unde natus. Utrumque siquidem ex humanitate assumpta competit ei. Aiunt physici, quod catulus leonis quum fuerit natus, tribus diebus et tribus noctibus dormit ; deinde locus cubilis tremefactus rugitu leonis, excitat ejus catulum dormientem : sic Christus in cubili sepulcri tribus diebus ac noctibus jacens, somnum mortis implevit. Bene ergo Christus ut leo requievit, qui non solum acerbitatem, sed et imperium mortis vicit, et ut catulus leonis die tertio resurrexit. Unde additur, Quis suscitabit eum? Nullus, subaudi, nisi ipse qui ait : Solvite templum Ibid. ii, 19. hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Verumtamen quidam exponunt ista de David. Et aliquo modo in ipso impleta sunt tanquam in evidenti figura Christi. David quippe frequenter ascendit ad prædam, et grandem prædam ab Amalecitis reduxit, quando milites ejus dixerunt, Hæc est præ- I Reg. xxx, 20. da David, ut primo Regum habetur. Requievit quoque in regno ut leo, quia hostibus suis potenter prævaluit ; et tanquam leæna, quia nonnullos terribiliter laceravit, ducens super eos ferrata secantia, juxta illud secundi Regum libri : Populum ejus, II Reg. xii, 31. scilicet filios Ammon, adducens, serravit et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et transduxit in typo laterum ; sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Hinc tandem nullus audebat eum suscitare ad præliandum adversus eum. Tamen quod dictum est, Quis suscitabit eum? potest ita exponi de David, quod solus Deus suscitavit eum ad prophetandum, vel ad procreandum regni successorem, videlicet Salomonem.

Non auferetur sceptrum de Juda, id est, regia dignitas non tolletur in toto de tribu Judæ patriarchæ, *et dux de femore ejus,* id est, princeps Israeliticæ plebis non

Digitized by Google

deficiet de posteritate ac semine Judæ præfati. Quasi dicat : Etsi rex deficiat de Juda, non tamen princeps in toto nec diu, quamvis ad tempus durante captivitate in Babylone. *Donec veniat qui mittendus est,* id est, quousque Christus Dei Filius per incarnationem descendat ad homines, qui unice, id est singularissime, admirabilissime, ac saluberrime, fuit a Deo Patre mittendus in mundum : de cujus adventu ac missione omnes prædixerunt Prophetæ, et
xvi, 1. copiosius Isaias, Emitte, inquiens, Agnum,
id. xix, Domine, dominatorem terræ. Itemque, Mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. *Et ipse erit exspectatio gentium,* id est salus exspectata, seu salvator a gentibus exspectatus : de quo et gentilium vates, præsertim decem Sibyllæ, plurima prædixerunt ; de quo et Aggæus :
7. II, 8. Ecce veniet Desideratus cunctis gentibus.
XLII, 4. Et rursus in Isaia : Legem ejus insulæ exspectabunt, et in ipso gentes sperabunt. Denique ex hac beatissimi Jacob prophetia probamus venisse Messiam, quia a tempore David usque ad Herodem regem alienigenam, natione Idumæum, sub cujus domi-
th. II, 1. nio natus est Jesus Nazarenus, quem credimus esse Christum, habuerunt Judæi regem aut principem de tribu Juda, quamvis in ipsa Babylonica captivitate fuerit hoc interruptum ad tempus, quia Judæi tunc erant ad alienam terram abducti. Nam reges habuerunt usque ad ipsam captivi-
V *Reg.* , 6. tatem, quorum ultimus exstitit Sedecias. In reditu autem habuerunt ducem ac principem ipsum Zorobabel ex regibus natum, deinde sacerdotes seu pontifices præfuerunt usque ad Joannem Hircanum, qui sibi imposuit diadema. Pontifices vero illi posuerunt ex una parte de tribu Juda, quæ a tempore Moysis et Aaron fuit conjugio sociata tribui Levi sacerdotali. Josaba quo-
d. XI, 2. que uxor Joiadæ sacerdotis, fuit filia Joram
ar. XXII, regis Juda, ut patet quarto Regum. Horum autem veritatem et omnia probat frater Raimundus in Pugione.

Sed contra hæc tanto importunius instant Judæi, quanto ex eis apertius probamus Christum venisse. Dicunt ergo, in Hebræo non haberi, Donec veniat qui mittendus est; sed, Donec veniat Silo. Silo autem fuit nomen civitatis, in qua tem- I *Reg.* II, 14.
pore Heli sacerdotis, fuit arca Dei, et tabernaculum Domini, ac oleum unctionis qua reges inungebantur. Asserunt igitur prophetiam hanc esse impletam, quando Saul de tribu Benjamin factus et unctus est rex in Silo. Sed istud est fatue dictum. Non enim ante Saul fuerunt reges de tribu Juda, ut Saul uncto, dicatur sceptrum ablatum a Juda : imo Saul statim post suam *Ibid.* XIII, 14.
promotionem est reprobatus a Deo, et paulo post David ex stirpe Judæ unctus est *Ibid.* XVI, 13.
rex a Samuele, ac deinceps mansit sceptrum in tribu Juda secundum modum præhabitum. Alii ex Judæis dicunt hanc prophetiam impletam, quando Jeroboam Ephratæus factus est rex, quia tunc decem tribus recesserunt a regno Juda. Sed istud est falsum, quia Jeroboam factus est rex III *Reg.* XII.
non in Silo, sed in Sichem, ut legitur tertio libro Regum. Rursus post illam divisionem fuerunt reges in tribu Juda multo solenniores, fideliores, sanctiores et potentiores, quam reges decem tribuum, ut patet de Asa, Josaphat, Osia, Joathan, Ezechia, Josia : imo, regno decem tribuum per reges Assyriorum prorsus destructo, mansit sceptrum et principatus in Juda usque ad Herodem, qui fuit primus rex Judæorum ex gentibus natus. Hinc quidam Judæi dixerunt vaticinium istud impletum tempore Nabuchodonosor, qui regnum Juda destruxit. Quod iterum improbatur, quia post mortem Nabuchodonosor et Babylonis destructionem, redierunt Judæi in sua, habueruntque duces, principes et quosdam reges de semine Judæ, ut dictum est, usque ad Herodem. Joannes enim Hircanus, rex fuit, et filius ejus Aristobulus. Postremo, falsitas objectionum istarum probatur ex translatione Chaldaica, quæ est apud Judæos multum authentica, in tantum quod nullus ipsorum ei contradicere audet : quæ continet, Non auferetur sceptrum de Juda, etc., donec veniat Messias. Dicendum er-

Digitized by Google

go, quod nomen hoc Silo, quandoque in Hebræo est nomen proprium loci, quandoque nomen commune, et tunc significat missionem : sicque accepit ipsum Hieronymus, et bene, ut patet jam ex Chaldaica translatione. Hæc autem frater Raimundus, Nicolaus de Lyra, et alii christiani doctores, qui in Hebræa lingua diligenter eruditi fuerunt, plenius conscripserunt.

Deinde de Christo subjungitur : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.* Hoc Septuaginta sic transtulerunt : Alligans viti pullum suum, et funiculo pullum asinæ. In Hebræo autem, secundum Hieronymum, sic habetur, Alligans ad vitem pullum suum, et in Sorec, fili mi, asinam suam. Quod S. Hieronymus sic exponit : Pullum suum, id est gentilem populum, copulavit vineæ Apostolorum, qui ex Judæis fuerunt ; et ad Sorec, id est ad electam vitem, alligavit asinam, hoc est Ecclesiam ex gentibus congregatam. Sic quoque Origenes exposuit. Porro Glossa clarius sic exponit : *Ligans* ipse Christus vinculo caritatis et disciplinæ, *ad vineam,* id est congregationem Apostolorum seu primitivam Ecclesiam ex Judæis collectam, in qua principales fuerunt Apostoli ; unde loquitur Isaias : Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est ; et vir Juda, germen ejus delectabile ; *pullum suum,* id est gentilem populum ante indomitum, et instar pulli a legis onere alienum. Christus enim per Apostolorum prædicationem convertendo gentiles, per fidem univit, atque per caritatem incorporavit eos congregationi Apostolorum, ac primitivæ Ecclesiæ ex Judaismo conversæ : sicque ligavit Christus *asinam suam,* id est Synagogam legis oneri assuetam, tardigradam, et importabilium observantiarum pondere pressam, *ad vitem,* hoc est ad se ipsum, qui ait : Ego sum vitis vera. Vel, ad vineam jam præfatam, quia post Christi resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, multa millia Judæorum per Apostolos sunt conversa, et eis per fidem unita, ac Christo per caritatem

Is. v, 7.

Joann. xv, 1.

A incorporata. Sicque in Christo vite, sicut in lapide angulari, associati sunt Judæi et gentiles electi. Ipse etenim fecit utraque unum.

Ephes. II, 20 et 14.

Sed hæc expositio videtur Nicolao de Lyra, magis mystica seu spiritualis, quam litteralis : idcirco per verba hæc, Ligans ad vineam pullum suum, etc., dicit insinuari fertilitatem terræ promissionis in vino et lacte ; ut sit sensus, quod in uno stipite vitis, possit onerari una asina, ejusque pullus. Et idem dicit significari per B verba sequentia : Lavabit in vino stolam suam, id est, tanta erit ibi abundantia vini, ut possint panni in eo lavari. Sed his contradicit Rabbi Paulus, affirmans expositionem Catholicorum præinductam, esse litteralem, non mysticam. Jacob enim loquitur metaphorice in capitulo isto quasi per totum, per similitudines scilicet corporalium rerum. In tali autem locutione sensus litteralis non est qui immediate significatur per nomina, sed qui significatur per ipsas res, propter earum pro- C prietates et similitudines ad id quod principaliter designatur. Ideo sicut jam ante per leonem catulumque leonis, significata est certa persona, scilicet David vel potius Christus, ita et nunc per pullum et asinam præfati populi designantur, quos et Christus significavit in se uniendos, equitando in die Palmarum super pullum et asinam. In Scripturis quoque per vineam designatur ad litteram Synagoga seu Christus atque Ecclesia, ut constat in auctoritatibus introductis ; et in Osee, Vitis frondosa Israel. D Itemque in Psalmo : Vineam de Ægypto transtulisti. Denique, postquam de Christo locutus est Jacob, Ipse erit exspectatio gentium, convenienter subjunxit, qualiter gentes essent congregandæ in ipso, et uniendæ eidem, dicens : Ligans ad vineam pullum suum, etc., et qualiter Christus fieret redemptor earum, per suam videlicet dignissimam passionem, de qua subditur : Lavabit in vino stolam suam.

Matth. xxi, 7.

Osee x, 1.

Ps. LXXIX, 9.

In his autem Rabbi Paulus vere atque catholice dicit ; imo expositio illa præta-

Digitized by Google

cta videtur omnino inepta et rudis in se, aliena quoque a textu. Nempe quum Jacob patriarcha dixisset, Et ipse erit exspectatio gentium, quod omnes de Christo exponunt, immediate sub eodem contextu subjunxit, Ligans ad vineam pullum suum, etc., ita quod participium istud, ligans, cum suo adjuncto, est determinatio ejus quod præmisit, Et ipse erit, etc. : idcirco necesse est, utrumque de eodem, utpote Christo, exponi. Similiter illud quod subditur, Lavabit in vino stolam suam. Certum est autem, quod Christus non ligavit pullum et asinam ad eumdem vitis stipitem ad onerandum uvis eosdem. Qui vero vellet quasi litteraliter ac superficialiter loqui, rationabilius dicere posset, quod in die Palmarum quum Christus sedisset super pullum, ut Joannes, Lucas et Marcus testantur, et super asinam, ut refert Matthæus, quorum utrumque a Zacharia prædictum est, ipse Salvator fecerit pullum suum et asinam, quibus scilicet usus erat, ligari ad stipitem vineæ aut prope vitem. Erant enim animalia ista simul ligata, atque ut Marcus fatetur, pullus fuit ligatus foris seu extra et prope Jerusalem in bivio, hoc est, in duarum viarum principio. Et quia Jerusalem terraque sancta, erat tam fertilis vini et vineis consita, probabile est quod juxta bivium illud vinea fuit. Sicque per verba hæc insinuantur Christi humilitas ac paupertas, sicut in Zacharia legitur : Ecce Rex tuus venit tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et pullum asinæ.

Itaque de Christi passione subjungitur : *Lavabit in vino stolam suam.* Per stolam intelligitur mundissima Christi caro, quæ fuit quasi vestis animæ suæ, et quoddam suæ deitatis tegumentum : quoniam teste Apostolo, Habitu inventus est ut homo. Hanc stolam Christus lavit vino, id est, proprio sanguine eam perfudit et cruentavit. Lavit quoque eam non ab aliqua sorde peccati, sed a similitudine carnis peccati, hoc est a mortalitate, quia per suam passionem meruit etiam sibi ipsi carnis suæ immortalitatem, ac corporis sui glorificationem perfectam. Quod autem per vinum passio seu sanguis designetur ad litteram, constat ex eo quod in Psalmo cantamus : Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. *Ps.* LXXIV, 9. Et Christus passione instante oravit : Pater, si fieri potest, transfer calicem istum a me. *Matth.* XXVI, 39. Unde de hujusmodi calice vini, et epotatione ejus usque ad fæces, in Jeremia et Ezechiele multa leguntur. *Jer.* XLIX, 15. *Ezech.* XXIII, 31-34. *Et in sanguine uvæ,* hoc est cruore carnis suæ, quæ instar uvæ compressa est in passione, quæ in Scripturis torcular vocatur, lavabit *pallium suum,* id est mysticum corpus suum, quod est Ecclesia, quæ est decor et vestimentum quoddam sui Salvatoris, juxta illud in Isaia : His omnibus quasi indumento ornaberis. *Is.* XLIX, 18. Hanc Christus lavit ab omni peccato, proprii sanguinis effusione, sicut in Apocalypsi asseritur : Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc.* I, 5. Huic expositioni consonat quod in Isaia de Christo habetur : Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? *Is.* LXIII, 1-3. A quo paulo post quæritur : Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ? Ad quod ipse respondet : Torcular calcavi solus. Unde et Jeremias in Threnis : Torcular, inquiens, calcavit Dominus virgini filiæ Juda. *Thren.* I, 15. Itaque sicut Passio per torcular, sic sanguis nomine vini signatur, de quo vino loquitur Zacharias : Quod bonum Domini, et quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? *Zach.* IX, 17.

Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Potest hoc ad litteram accipi de corporalibus oculis ac dentibus Christi, ut per verba hæc insinuetur optima atque tenerrima complexio Salvatoris, cujus corpus formatum est virtute Spiritus Sancti, ex purissimis sanguinibus supermundissimæ Virginis. Convenientius tamen per oculos Christi, intelliguntur sancti Apostoli et Evangelistæ, qui in mystico corpore ejus quod est Ecclesia, tanquam splendidissimi oculi sunt : quo-

Digitized by Google

niam totam Ecclesiam dirigunt et illustrant, et in se ipsis majore claritate sapientiæ atque scientiæ splenduerunt, et in luce contemplationis præ cunctis fuerunt altissimi. Pulchriores ergo sunt vino, quo nunc legis severitas seu notitia potest intelligi. Nam legem spiritualiter exposuerunt, et ejus mitigaverunt rigorem. Porro dentes Christi sunt prædicatores, qui convertendo et instruendo fideles, trajiciunt eos in mysticum Domini sui corpus, et verbum Dei quod est cibus animæ, masticant, et aliis præbent paratum. Hi candidiores sunt lacte per spiritualia charismata Spiritus Sancti; lacte quoque, id est imperfectorum cognitione et refectione, sunt clariores: perfectorum enim est solidus cibus; qui autem lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ. Quidam dicit in Hebræo haberi, Rubicundiores sunt oculi ejus vino: quod exponit de tribu Juda pro tanto, quia ex vini copiosa potatione oculi rubent; per dentium vero candorem, intelligit abundantiam lactis in terra promissionis, quia ex lactis comestione dentes candidi parent. Sed istud est judaizatio grossa. Nam ut in Scholastica habetur historia, Judæi hæc ita exponunt, et quantum ad hoc, magis apparenter quam ille: quia quod dictum est, Ipse erit exspectatio gentium, non de Christo, sed de Juda seu ejus tribu exponunt: idcirco non mirum quod et verba sequentia sub eodem contextu. Si vero illud exponatur ad litteram de Christo, sicut secundum veritatem oportet verba hucusque sequentia, nequaquam tam grosse et superficialiter sunt exponenda.

Thren. IV, 7. — *Hebr.* V, 13.

Zabulon benedictio. Sequitur benedictio Zabulon. *Zabulon,* id est tribus nascitura ex eo, *in littore maris habitabit, et in statione navium, pertingens usque ad Sidonem.* Hæc enim tribus, in divisione terræ Chanaan facta filiis Israel, possedit maritima loca circa littus Mediterranei maris, ubi erant aliqui portus, in quibus fuit statio navium temporibus opportunis, et pertingebat sors ejus usque Sidonem urbem. Sicque Jacob prævidit in spiritu, quod sub Josue factum est actu.

Jos. [illegible] 10-16.

Issachar benedictio. *Gen.* XLIX, [illegible] Deinde subjungitur benedictio Issachar, qui tamen natus est ante Zabulon, ut supra patuit. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos:* hoc est, tribus ipsius Issachar instar fortis asini fuit robusta, ad agriculturam et onera mercium deferenda; et habitavit inter terminos, quia secundum Hieronymum, possedit pulcherrimam in Galilæa provinciam, inter mare Mediterraneum et Jordanem, et inter montes atque maritima juxta possessionem Nephthali. *Vidit requiem quod esset bona,* hoc est, habitationem suam consideravit esse quietam ac bonam, *et terram quod optima,* id est, terram sortis suæ vidit esse valde fecundam, et mediocri labore fecundabilem; *et supposuit humerum suum ad portandum,* hoc est, patientem et agilem se exhibuit ad sustinendum agriculturæ laborem, vel ad deferendum onera mercium, quæ in suis finibus abundabant, quas portavit ad mare; *factusque est tributis serviens,* id est, tributa regibus comportavit, vel servivit navibus tributa ferentibus, seu his qui terræ nascentia quærebant ad solvendum tributa. Sed et tribus illa regibus Israelitici populi tributa solvebat, et de fructibus terræ suæ solvebat censum regibus debitum ac annuas sacerdotibus decimas. Verumtamen, sicut refert Hieronymus, Hebræi dicunt per hæc verba metaphorice designari, quod viri de tribu Issachar, meditationibus Scripturarum die ac nocte vacabant, et in earum studio laborabant: propter quod ceteræ tribus eis deserviebant, apportantes eis dona quasi tributa tanquam magistris, faciendo eis provisionem et recompensationem in temporalibus, ut studio legis inhærerent liberius; et ita hæc tribus servivit illis tributis, id est dantibus talia dona eis, viditque quietem contemplationis, quod esset bona, atque ad portandum studii hujus pondus, supposuit suos humeros.

Sed contra hæc arguit quidam, quia ob has causas non diceretur hæc tribus, asi-

nus fortis, quod est stolidum animal ; et quia non invenitur in Scripturis, quod de tribu Issachar fuerint viri excellentis scientiæ; et quia expositio ista non bene continuat litteram istam. Verum objectiones istæ sunt leves, quia nec dictum est quod propter vacationem studii hujus et meditationem Scripturarum asinus appelletur; sed quoniam multi de tribu hac agriculturæ et mercibus deferendis fortiter insistebant. Nihilo minus dici posset, quod propter laborem studii dictus sit asinus fortis, sicut de viro multum studioso communiter dicitur, quod laborat in libris ut asinus; fitque ibi comparatio ad conatum, non ad capacitatem. Porro quod ait, in Scripturis non inveniri de tribu Issachar fuisse viros super alios in scientia excellentes, inconsiderate prolatum est, quum primo Paralipomenon scriptum sit : De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberent in Israel. Super quod ait Glossa : Doctores legis in tribu Issachar fuisse traduntur. Quod autem addit, expositionem istam non bene continuare litteram, non probat, et est contra Hieronymum, idcirco contemnitur.

Hucusque positæ sunt benedictiones sex filiorum Liæ. Sequitur benedictio Dan filii Balæ, ancillæ Rachelis. *Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel.* Hoc impletum est non in persona ipsius Dan, sed in Samsone nato ex tribu Dan, qui judicavit populum Israel annis viginti, sicut de aliis tribubus judices quidam in Israel exstiterunt. Circa quod Historia scholastica ait : Quasi dicat, Licet tribus Dan sit minima, tamen de ea surget judex in Israel. Quod non est intelligendum quasi tribus Dan fuerit minima in quantitate seu numero personarum; imo tam in prima quam secunda numeratione filiorum Israel fuit maxima numero post tribum Juda, sicut in libro Numerorum ostenditur : sed minima fuit dignitate, quia vilis reputabatur tanquam nata ex ancilla, sicut et tribus Nephthali et aliæ duæ tribus, et ante ceteras tribus ad idololatriam declinavit, ut in fine libri Judicum edocetur. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Hoc quoque de Samsone exponitur, qui propter similitudinem actus dicitur coluber, qui est venenosus ac callidus serpens; itemque cerastes, id est serpens cornutus. Quemadmodum enim coluber insidiatur in via, ac percutit clam euntem ; sic Samson in viis Israel observavit Philistæos, interficiens quos invenit, et cornu suæ judiciariæ auctoritatis miræque fortitudinis illos juste prostravit : imo sicut cerastes mordendo ungulas equi, facit equitem cadere ; sic Samson concutiendo et frangendo columnas domus, in qua tria millia Philistæorum fuerant congregata, omnes illos oppressit et interfecit. Sed quia Samson quum talis ac tantus esset, nazaræusque Dei ex utero matris, non tamen exstitit Christus, sed evidens figura ipsius : ideo sanctus Jacob quum verba hæc protulisset, protinus ad verum Salvatorem mentem sermonemque dirigens, dixit : *Salutare tuum exspectabo, Domine :* hoc est, regem Messiam, per quem Deus Pater salvabit mundum, præstolabor in limbo patrum quousque per eum educar. Cui Salvatori loquitur Zacharias : Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. De hoc salutari frequenter loquitur Isaias : Exspectabo, inquiens, Deum salvatorem meum. Et, Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Sed et Simeon justus in cantico suo : Viderunt oculi mei salutare tuum.

Denique, sicut in Glossa et in Scholastica historia habetur, quidam exponunt istud de colubro et ceraste, de Antichristo, quem dicunt de tribu Dan nasciturum, qui contra fideles armabitur instar serpentium morsu pestiferæ prædicationis, et cornibus violentissimæ potestatis, multosque qui ad culmen virtutum ascendent, dejiciet. Semita autem angustior est quam via. Erit ergo Antichristus coluber in via : quoniam eos quibus blandiendo parcet, incitabit ut

Judic. XVIII. — *Ibid.* XV et XVI. — *Zach.* IX, 11. — *Is.* XXV, 9; LII, 10. — *Luc.* II, 30.

eant per viam latam perditionis ; sed in via mordebit, quoniam tales occidet veneno sui erroris. Fiet quoque cerastes in semita : nam quos fideles invenerit, et per arctam viam salutis incedentes conspexerit, non solum invadet persuasione versuta, sed etiam premet potestate iniqua, et post beneficia fictæ dulcedinis, exseret cornua potestatis. Et quia post Antichristum statim veniet Christus ad finale judicium, recte subjunxit Jacob : Salutare tuum exspectabo, Domine. Nam et Sancti in cœlo præstolantur secundum Christi adventum, ut glorificentur in corpore. Quidam vero exponunt ista de Juda proditore, quem dicunt de tribu Dan natum, qui equum, id est Christi carnem, et equitem, hoc est animam ejus, morsu proditionis adduxit in supplicia passionis et mortis. Verumtamen proditor ille magis putatur fuisse de Issachar stirpe. Nam et de vico nomine Carioth dicitur oriundus, qui vicus in tribu Issachar legitur exstitisse.

Gad benedictio.

Sequitur benedictio Gad filii Zelphæ, quæ fuit ancilla Liæ. *Gad, accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.* Hoc Hieronymus et alii sequentes eum, dicunt impletum, quando tribus Gad una cum tribu Ruben ac media tribu Manassæ, processit manu armata ante ceterum populum Israel ultra Jordanem, donec obtinuerunt novem tribus terram sibi promissam : quo facto, accincta est tribus Gad retrorsum, quia extunc disposuit se ad redeundum ad sortem sibi jam ante datam trans Jordanem ; invenitque ibi prælium gentium vicinarum, quæ impugnare cœperunt eos, quos tribus Gad ibi de suis reliquerat; sed tribus Gad gentes illas prostravit. (*Josue* I, 12-16.)

Aser benedictio.

Sequitur benedictio Aser, qui et ipse natus est ex eadem matre qua Gad. *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus :* hoc est, terra sortis tribus ex Aser nascituræ, fertilis erit valde, tamque delicata et pretiosa alimenta nascentur in ea, ut regibus possint præbere delicias.

Nephthali benedictio.

Subditur benedictio Nephthali, qui fuit frater ipsius Dan uterinus. *Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis.* Per Nephthali intelligitur tribus nata ex eo, quæ comparatur cervo emisso, qui est animal velox valde, quoniam terra ejus velocissima erat in fecunditate, atque præ aliis præcoces seu præmaturos protulit fructus. Porro in Hebræo secundum unam interpretationem habetur, Nephthali ager irriguus : quia videlicet terra tribus Nephthali super lacum Genesareth sita, fuit Jordane irrigua ; et dedit hæc tribus eloquia pulchritudinis : quia in ea fuit mons Thabor, in quo ubertim morabantur Prophetæ, qui eloquia deprompserunt pulcherrima ; et quia de primis fructibus terræ Nephthali fiebant tempestivæ oblationes in domo Dei, propter quod sacerdotes ac Levitæ verba laudis divinæ concinebant devote. Potest quoque exponi de populo Nephthali, qui prompte atque velociter ivit cum Barac ad pugnam contra (*Judic.* IV, 10.) Sisaram tanquam cervus celerrimus, et obtento triumpho, Barac et Debbora canticum Domino cecinerunt, ut legitur in libro Judicum. (*Ibid.* v. 1 *et seq.*) Melius tamen referuntur ista ad Christi doctrinam et fructificationem, qui in terra Zabulon ac Nephthali prædicare exorsus est, ut habetur in Matthæo, et in sequenti dicetur articulo. (*Matth.* IV, 13.) Sequitur benedictio sancti Joseph filii primi Rachelis, post benedictionem Judæ pulcherrima.

Digitized by Google

ARTICULUS CI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI QUADRAGESIMI NONI, AB EO LOCO QUO HABETUR : FILIUS ACCRESCENS.

SEQUUNTUR benedictiones filiorum Rachelis. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Joseph interpretatur incrementum, seu accrescens, sive augmentum, quemadmodum Judas, confessio seu laus. Sicut ergo Jacob incepit benedictionem Judæ dicendo, Juda, te laudabunt fratres tui; alludens interpretationi nominis ejus, et quasi dicens, Rite vocatus es Judas : sic quoque benedictionem Joseph inchoat sanctus Jacob, alludendo interpretationi nominis sui, dicens Filius, accrescens Joseph; tanquam dicat, Vere et merito vocatus est Joseph, quia copiose accrescens est. In quibus verbis ipsa repetitio, est veritatis confirmatio, atque intentæ advertentiæ excitatio : ideoque bis ait, accrescens, quoniam tempore Joseph in propria persona valde crevit in spiritualibus ac temporalibus bonis. Crevit etiam potestate ac dignitate, fama et gloria, honore, prole ac magnificentia ; de quo Ecclesiasticus : Joseph natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi. *Et decorus adspectu :* erat enim ornatus pulchritudine corporali, venustate morali, spirituali decore, imo et supernaturali mentis speciositate. *Filiæ discurrerunt super murum.* Hoc fuit impletum, quando Joseph pergebat seu curru vehebatur per terram Ægypti. Tunc enim (ut ait B. Hieronymus) tota turba puellarum ac dominarum seu matronarum Ægypti, adventum ejus percipiens, prospexit de muris, turribus ac fenestris, ut pulchritudinem ac venustatem ipsius conspiceret. Circa quod ait Glossa : Hinc conjicitur quanta fuerit pulchritudo ejus, quum et feminæ, quarum est proprie pulchritudo, eum sic admiratæ sint atque intuitæ. Unde alia littera habet : Filius auctus Joseph, filius auctus ; super fontem filiæ gradu composito incedentes super murum.

Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt : hoc est, quamvis tam gratiosus, speciosus, atque amabilis erat Joseph, tamen fratres ejus animam ejus naturaliter tranquillam et piam, ad amaritudinem perduxerunt, et verba rixosa ad eum locuti sunt : quia (ut patuit) non potuerunt ei quidquam pacifice loqui, et dixerunt ad eum : Numquid rex noster eris ? *Invideruntque illi,* eo quod a patre maxime amabatur, et propter somnia sua quæ retulit eis, ut dictum est plenius ; *habentes jacula :* quia sagittis invidiæ suæ vulneraverunt in primis spiritualiter semetipsos, et ipsum Joseph interficere optaverunt, verbaque detractoria, pungitiva, mordacia protulerunt adversus eum, dicentes : Ecce somniator venit ; venite, occidamus eum. Quidam vero exponunt ista de quibusdam viris Ægyptiis, quos dicunt ad tempus invidisse ipsi Joseph, præsertim in suæ promotionis improvisæ et inopinatæ exordio, specialiter fautores dominæ, quæ ipsum Joseph mendaciter accusavit et incarcerari obtinuit. *Sedit in forti arcus ejus :* id est, Joseph armaturam et protectionis suæ fiduciam fixit in Omnipotente, sperans in omni adversitate liberari ab eo, qui ipsum in cunctis direxit; *et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob :* hoc est, ipse Deus altissimus, qui est potens conservator ac roborator ipsius Jacob, sua virtute divina liberavit ipsum Joseph a vinculis, quibus erat ad tempus vinctus in carcere. Nam

[Margin: Eccli. XLIX, 17. — Gen. XXXVII, 4, 8. — Ibid. 19, 20.]

Digitized by Google

Sap. x, 13, 14. descendit cum eo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret ei sceptrum regni, ut in expositione capitulorum tricesimi noni et quadragesimi dictum est plenius. Possuntque per vincula brachiorum ac manuum ejus intelligi coarctatio et angustia ejus, quas habuit, quando a fratribus suis fuit projectus in veterem cisternam. Porro secundum Lyram, Hebræi sic legunt, Deaurata sunt brachia manuum ejus : quod exponunt, dicentes brachia ejus fuisse ornata armillis, et digitos ejus annulis aureis, quando præpositus est Ægypto.

Inde pastor egressus est, lapis Israel. Hoc aliqui sic exponunt : Inde, videlicet
III Reg. xi, 26; xii, 20. ex tribu et semine Joseph natus est Jeroboam, qui fuit primus rex Israel, id est decem tribuum, utpote prout regnum Israel dividitur contra regnum Juda : qui Jeroboam dicitur pastor, quia rex et judex populi Israel fuit, et lapis ejusdem, id est robur plebis illius, quæ ei ut fundamento innitebatur, et adjuvabatur in eo quasi in capite et lapide angulari. Sed ista expositio videtur inepta, quia Jeroboam, quamvis ad modicum tempus in principio regni sui
Ibid. xii, 28 et seq. fuerit bonus, statim tamen ad idololatriam lapsus est, et pene totum populum suum retraxit a cultu Dei, ac idololatriæ mancipavit; cujus impietatem omnes reges Israel
IV Reg. xvii, 2. sunt secuti, nisi quod ultimus regum illorum Osee, inde aliqualiter declinavit. Ideo non apparet, quod Jacob patriarcha computavit hoc inter dona ad benedictionem Joseph spectantia, quod Jeroboam natus ex ipso, ad regnum promotus est; nec tantum transgressorem appellavit pastorem ac lapidem Israel, ut videtur. Dicitur autem in Scholastica historia, quod Jeroboam fortiter rexit decem tribus : quod non videtur posse salvari, quoniam pessime rexit eas.

Hieronymus vero cautius istud exponit, per pastorem et lapidem Israel intelligens tribum Ephraim, quæ fortis fuit ac dura ut lapis, et aliis tribubus imperavit : non quod tota tribus Ephraim, sed quidam ex

A ea, decem tribubus imperarunt. Quidam autem per pastorem et lapidem Israel, intelligunt ipsum Joseph. Nam immediate præmissum est, Per manus potentis Jacob, ut sit sensus : Inde, id est ex ipso Jacob, egressus est pastor, lapis Israel, scilicet Joseph, qui pastor et lapis fuit totius sobolis Israeliticæ in Ægypto. Præterea reor istud convenientius posse exponi de Josue Ephratæo, qui post Moysen præfuit toti Israelitico populo, eratque pastor justissimus et lapis immobilis æquitatis, non re-
B cedens ab omnibus quæ per Moysen Deus præcepit. At vero Rabbi Paulus hic satis catholice loquitur, dicens quod Jacob prævidit in spiritu, qualiter filii Joseph ex Ephraim erant gravissime per idololatriam ruituri, nec unquam Deo reconciliandi nisi per Christum : idcirco post præhabita prophetavit de Christo, dicens : Inde, scilicet ex Jacob seu ex potente ipsius Jacob, utpote ex Patre omnipotente, egressus est pastor, lapis Israel, id est Christus, qui ait : Ego sum pastor bonus. Et rursus : Joan. x, 11; xvi, 2
C Exivi a Patre, et veni in mundum. De quo Pater ait in Ezechiele : Salvabo gregem Ezech. meum, et suscitabo super eum pastorem xxxiv, 2 unum qui pascat eum, David servum meum, 23. id est Messiam, ut omnes exponunt. Et Zacharias : Framea suscitare super pastorem. Zach. xiii, Et post pauca : Percute pastorem, et di- 7. spergentur oves gregis. Qui pastor est lapis angularis, in quo Judæi ac gentiles electi, sunt per fidem collecti. De quo per Isaiam Deus Pater testatur : Ecce ego mit- Is. xxviii, tam in fundamentis Sion lapidem, lapi- 16.
D dem angularem, probatum, pretiosum. Et in Psalmo : Lapidem quem reprobaverunt Ps. cxvii, ædificantes, hic factus est in caput an- 22. guli. Dicitque Rabbi Paulus, quod etiam Rabbi Moyses Gerundensis affirmat, per lapidem Israel, de quo Jacob hic loquitur, intelligendum esse lapidem illum, de quo in Psalmo cantatur : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.

Deinde Jacob dirigit sermonem ad filium suum Joseph : *Deus patris tui,* videlicet Deus meus, *erit adjutor tuus,* sicut fuit

Digitized by Google

hucusque, adjuvabitque te contra aciem A invisibilium hostium, ne a malitia vincaris, sed in bonis finaliter perseveres, efficaciterque proficias; *et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper,* hoc est, dando tibi spiritualia ac temporalia bona : spiritualia, quæ a Rege cœlorum præstantur, et per cives cœlestes, videlicet angelos sanctos, adipiscuntur; temporalia quoque, quæ ex influentia cœlestium corporum producuntur; *benedictionibus abyssi jacentis deorsum,* id est donis congruæ irrigationis, fecundationisque terræ B ex aquis et nubibus quæ ex mari frequentius generantur per elationem vaporum; *benedictionibus uberum et vulvæ,* id est generatione ac educatione sobolis copiosæ, quæ ex tuo semine orietur, et pecorum quibus tui posteri abundabunt. Benedictio etenim vulvæ, est fecundatio ac prolificatio in conjugatis; benedictio autem uberum, est affluentia lactis ad nutriendum prolem jam natam. Unde de quorumdam maledictione ait Osee propheta : Da eis, Domine. Quid dabis eis? Vulvam sine li- C beris, et ubera arentia. Ose IX, 14.

Benedictiones patris tui, confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus. Quidam magnam faciunt difficultatem circa verbi istius expositionem, quod tamen non videtur necesse. Potest enim hoc verbum plane exponi hoc modo : Benedictiones patris tui, hoc est, benedictiones quas ego pater tuus, o Joseph, contuli seu imprecatus sum tibi ac fratribus tuis, confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, id est, auctoritatem et efficaciam quamdam sortiuntur ac ha- D bent ex benedictionibus Abrahæ et Isaac, id est ex benedictione quam ego accepi ab Isaac patre meo, atque ex benedictione quam Isaac ab Abraham sumpsit : quia (ut ait Scriptura) benedictiones patrum radicantur in filiis, ideo ego in quem transfusæ sunt benedictiones Abrahæ et Isaac, idoneus sum benedicere filiis meis. *Donec veniret desiderium collium æternorum,* id est, quousque impleretur desiderium filiorum meorum Patriarcharum, a me desiderantium benedici. Quasi dicat : Usque in hanc horam qua vobis benedixi, fui ad hoc efficax et condignus. Denique in Scripturis ad litteram, per montes frequenter intelliguntur sancti ac prælati, seu fideles majores; per colles vero, minores, sicut quum loquitur Isaias : In novissimis diebus erit præparatus mons Domini in vertice montium, et elevabitur super colles. Is. II, 2. Itaque Jacob patriarcha, sciens filios suos duodecim Patriarchas, nondum venisse ad altitudinem perfectionis Patriarcharum majorum, Abrahæ et Isaac ac sui ipsius, rite nominat eos colles, qui et æterni vocantur, quantum ad animam immortalem, et quia ad immortalem vitam corpora suscitabuntur. Unde et communis modus loquendi est, Ille adjuvit seu liberavit multos æternos homines. Paulus quoque scribens Philemoni : Ideo, inquit, forsitan ad horam recessit a te, ut æternum illum reciperes. Philem. 15. Nec mirum, quod Patriarchæ isti nunc designentur per colles, qui ante in visione significati erant per stellas, præsertim quum Jacob in isto capitulo toto multum metaphorice sit locutus.

Præterea Lyra ponit hic duas alias horum expositiones verborum, præmittens in primis, quod secundum Hebræos modernos, ista est littera : Benedictiones patris tui, confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, usque ad terminum collium sæculi. Deinde præmittit, quod Deus apparens ipsi Jacob in monte Moria, inter cetera promisit ei totius mundi possessionem sive dominium, dicens : Dilataberis ad orientem et occidentem et septentrionem et aquilonem. Hanc autem promissionem non fecit Deus Abrahæ nec Isaac, sed solum promisit terram Chanaan eis. His præmissis, inducit expositionem Hebræorum hujusmodi : Benedictiones patris tui, scilicet mei, confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, id est, meliores sunt, et ad plus se extendunt, quam benedictiones patrum suorum Abrahæ et Isaac; et subditur causa, Usque ad terminum collium sæculi : quasi dicat, Quia extendunt se usque ad

Digitized by Google

fines terræ habitabilis. Consequenter inducit expositionem secundam, præmittens quod sicut natura procedit de imperfectiori ad perfectius; ita revelationes factæ patribus veteris Testamenti de Christi mysteriis et felicitate futura, clarius factæ sunt patribus posterioribus, quam prioribus : *Ps.* cxviii, 100. unde David testatur, Super senes intellexi. Ideo Jacob, qui fuit posterior Abraham et Isaac, clariorem notitiam habuit de prædictis quam ipsi : quoniam sibi revelatum est mysterium Christi futurum, quantum ad ejus generationem et passionem, per quam janua cœlestis aperta est. Et secundum hoc exponitur littera sic : Benedictiones patris tui, puta ipsius Jacob, confortatæ sunt super benedictiones patrum suorum, et clariores revelationes factæ sunt ei de mysterio Christi et felicitate futura ; donec veniret desiderium collium æternorum : quasi dicat, Ad hoc devenit revelatio mihi facta, quod declaravit mihi apertionem januæ cœlestis fiendam per Christum, ad quod omne desiderium tendere debet.

Sed contra hæc scribit Rabbi Paulus, dicens ambas has expositiones insufficientes, quoniam falsum seu inconveniens præsupponunt. Prima namque expositio præsupponit, quod Deus promisit ipsi Jacob terminos latiores seu terram majorem, quam Abrahæ aut Isaac, scilicet totius mundi dominium : quod Rabbi Paulus asserit esse falsum. Ideo auctoritatem præallegatam exponit non de totius terræ habitabilis, sed de terræ promissionis oriente, occidente, aquilone atque meridie. Secunda demum expositio, secundum Paulum istum, præsupponit hoc falsum, quod scilicet Jacob habuit clariorem notitiam de mysteriis Christi et futura beatitudine quam Abraham : quod est inconveniens valde, tum quia Abraham dicitur Pater fidei, in cujus *Luc.* xvi, 22. sinum justi portabuntur ab angelis; tum *Gen.* xviii, 17. quia Dominus dixit supra, Num celare potero Abraham quæ gesturus sum ? Eadem ac fortiori ratione inconveniens videtur, quod Deus celaret Abraham ea quæ perti-

A nent ad salutem, quæ fuerat revelaturus ipsi Jacob. Deinceps Rabbi Paulus exponit hunc passum, præmittens quod dum Jacob benedicebatur a patre suo, dictum est ei : Det tibi Deus de rore cœli, etc., per quod fuit benedictus de bona influentia cœlesti, atque de bona dispositione terrestri, ex quibus terræ nascentia multiplicantur. Non tamen legitur, quod Jacob fuit benedictus expresse a patre suo de multiplicatione propagationis hominum. Jacob ergo in hoc loco magis benedixit filium suum Joseph,
B quam ipse Jacob fuit benedictus ab Isaac patre suo, quantum ad prædicta : et hoc est quod dicit, Benedictiones patris tui, quibus scilicet te benedico, confortatæ sunt benedictionibus patrum meorum, quibus me benedixerunt. Sequitur in littera secundum Hebraicam veritatem, Usque ad desiderium collium æternorum seu collium sæculi : in quo desiderio intelligitur Christus, a cunctis gentibus desideratus. Et est *Agg.* ii, sensus, quod benedictiones temporales quibus Jacob ipsum Joseph benedixit, fortio-
C res seu ampliores sunt, quam benedictiones patrum ipsius Jacob, videlicet Abrahæ et Isaac. Hæc Rabbi Paulus.

Præterea quamvis prolixum ac laboriosum consistat, inter opiniones et expositiones istas discernere, atque quid veri, quid item falsi in eis contineatur, monstrare; tamen quia materia pulchra est, theologica atque fecunda, intendo aliquid breviter tangere : et quantum capere queo, amborum dicta in quibusdam a veritate recedunt. Itaque quod prima opinio dicit, Deum
D promisisse ipsi Jacob totius terræ habitabilis possessionem atque dominium, stare potest ; imo et verum est, juxta sensum quem in expositione capituli vicesimi octavi introduxi : *Gen.* xxviii, 14. non quod ipse Jacob in sua persona promissionis illius sit consecutus effectum, quippe qui nec terram Chanaan in propria persona unquam possedit : sed quia Apostoli ex ejus semine nati, totum orbem terræ subjecerunt legi ac fidei Christi, et spirituali semine seu populis a se conversis mundum impleverunt, juxta il-

Digitized by Google

xvii, 6. lud Isaiæ : Florebit et germinabit Israel, A et implebunt faciem orbis semine. Ipsi quoque Apostoli constituti sunt principes omnium populorum, juxta quod Psalmista xliv, prædixit : Constitues eos principes super xlvi, 4. omnem terram. Et maxime istud impletum videmus in ipso Domino salvatore ex Jacob nato, qui dudum totius mundi obti- vii, 14. nuit monarchiam, cui omnes populi, tribus et linguæ deservierunt. Et si Rabbi Paulus contradicere voluit verbis istis, erravit. Quod autem alia opinio dicit, promissionem istam non factam Abrahæ pa- B triarchæ, erroneum est : quemadmodum enim capitulo vicesimo octavo desuper xxviii, promissum est ipsi Jacob, Dilataberis ad xiii, 14. orientem et occidentem et septentrionem et meridiem ; ita Dominus ait ad Abraham, Leva oculos tuos in directum, et vide a loco in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem ; omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. Quod juxta præhabitum intellectum, non minus verificatur de Abraham, quam de Jacob ; C imo quum Abraham sit pater mediatus seu avus ipsius Jacob, tota posteritas Jacob etiam ex Abraham prodiit ; imo semen Abrahæ multo longius, latiusque dilatatum est super terram, quam semen Jacob : quia ex Abraham nati sunt Ismaelitæ, Madianitæ, Amalecitæ, et aliæ variæ gentes, ut patuit supra.

Insuper, quod Lyra expositioni suæ præmisit, quod revelationes factæ patribus veteris Testamenti de mysteriis Christi et futura beatitudine, clarius factæ sunt po- D sterioribus patribus quam prioribus, stare non potest, si hoc absolute de omnibus illis intelligatur. Non enim credendum est, quod Sophonias, Aggæus, Habacuc, et contemporanei eis, fuerunt magis illuminati de mysteriis Christi et felicitate futura, quam Moyses, David, Isaias, Elias et Eliseus ; imo secundum Augustinum et Thomam, Moyses in hac vita vidit Deum per speciem, sicut et Paulus in raptu. Sic quoque non est putandum, quod Isaac fuit magis illuminatus, aut clariores revelationes sortitus sit de Christo et beatitudine electorum quam Abraham : imo secundum illud dictum sequeretur, quod Joseph et fratres ejus fuissent de talibus clarius illustrati, quam Jacob pater eorum.

Sed his objici potest, quod ait S. Gregorius : Secundum incrementa temporum, crevit scientia Patrum sanctorum. Dominus quoque dixit ad Moysen : Nomen meum *Exod.* vi, 3. Adonai non indicavi eis, scilicet prioribus Sanctis. Præterea Thomas ait in secunda secundæ, quæstione 1 : Fides secundum successionem temporis crevit, non quantum ad suam substantiam, sed quantum ad suam explicationem. Nam quo patres veteris Testamenti fuerunt adventui Christi propinquiores, eo magis explicite agnoverunt articulos fidei.

Ad ista dicendum, quod loquendo in generali, naturale est homini secundum ordinem causæ materialis ab imperfectione ad perfectiora ascendere. Sed quia operatio gratiæ non coarctatur legibus limitibusque naturæ, Deus ex beneplacito suo, secundum ordinem sapientiæ suæ, frequenter revelavit prioribus Sanctis plura et altiora de Christo et salute per eum præstanda, etiam clariori sublimiorique modo, quam posterioribus, et præsertim illis quos voluit aliorum esse doctores, videlicet Moysi, David, Isaiæ, etc. Nam et ipsi David revelavit multa secreta de Christo et felicitate æterna per anagogicas visiones, quæ aliis revelavit per visiones imaginarias. Nihilo minus quibusdam posterioribus Patribus ac Prophetis dedit revelationes plures ac clariores de Christo et ejus mysteriis ac vera salute, quam quibusdam prioribus Prophetis ac Patribus. In tali enim præcognitione videntur Jeremias, Daniel atque Ezechiel præfulsisse quibusdam duodecim Prophetarum, qui tempore Isaiæ aut circiter, vel etiam ante fuerunt. Hoc tamen generaliter verum est, quod juxta temporum incrementa, crevit sanctorum Patrum scientia, quantum ad hoc, quod posterioribus Prophetis communiter revelata sunt

Digitized by Google

aliqua, quæ prioribus revelata non erant, saltem tam determinate. Ex hoc tamen non sequitur, quod absolute loquendo major fuit illuminatio talium quam priorum. Ideo quod Lyra ex præinducto suo verbo communi concludit, Ideo Jacob qui fuit posterior ipso Abraham et Isaac, clariorem notitiam habuit de Christi mysteriis et felicitate futura, quam ipsi, non sequitur, nec est certum : quia simili ratione sequeretur, quod Isaac habuisset clariorem inde cognitionem, quam Abraham ; imo quum Abraham fuerit quasi primus pater et doctor populi fidelis, videtur valde præcipuam habuisse revelationem de præinductis. Nihilo minus certum est, quod multa revelata sunt ipsi Jacob, quæ non erant tam explicite et distincte sancto Abrahæ revelata. Quamvis enim fuerat Abrahæ revelatum, quod Dei Filius ex suo semine nasceretur, non tamen quod ex tribu Judæ hoc fieret.

Deinde quod Lyra ait, ideo ipsum Jacob habuisse clariorem de Christi mysteriis et felicitate notitiam, quam Abraham et Isaac; quoniam ipsi Jacob revelatum est futurum Christi mysterium, quantum ad ejus generationem et passionem, per quam aperta est janua regni cœlestis, quasi ista non fuerint etiam Abrahæ revelata : non videtur idonee sapienterque dictum. Nam incarnatio Filii Dei ex suo semine, fuit Abrahæ primo et evidenter revelata, secundum omnes doctores catholicos. In incarnatione autem Filii Dei, intelligitur generatio ejus humana. Similiter revelata fuit Abrahæ causa incarnationis Filii Dei, scilicet redemptio generis humani per Christum, quum dictum est ei a Domino : Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. (Gen. XXII, 18.) Revelatum quoque fuit Abrahæ, quod redemptio ista compleretur per Christi passionem et immolationem : quod S. Thomas in secunda secundæ, quæstione 2, bene declarat, determinando, qualiter fides mysterii Christi fuit semper necessaria ad salutem, inter cetera dicens : Post peccatum, scilicet originale, fuit mysterium Christi explicite creditum, non solum quoad incarnationem, sed etiam quantum ad passionem et resurrectionem, per quas a morte redimimur. Aliter Patres non præfigurassent Christi passionem tam ante legem, quam sub lege per sacrificia quædam : quorum sacrificiorum rationem et significationem majores cognoverunt explicite, minores implicite. Hæc Thomas. Quum ergo Abraham fuerit unus illorum majorum, cognovit explicite futuram Christi passionem et resurrectionem, cœlestisque regni apertionem per Christi mortem. Nec ignoravit quæ esset, et in quo consisteret vera beatitudo, quando Dominus dixit ad eum : Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. (Gen. XV, 1.) Alioqui non recte cantaret Ecclesia in officio Missæ pro defunctis : Michael archangelus repræsentet eas (scilicet animas fidelium defunctorum) in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus.

Nunc verba Rabbi Pauli sunt breviter discutienda. Itaque quod ait, Non legitur, quod Jacob fuit expresse benedictus a patre suo de multiplicatione propagationis hominum et animalium, non est efficaciter dictum : quia supra legitur, Vocavit Isaac Jacob, et benedixit. (Ibid. XXVIII, 1, 3, 4.) Deinde post pauca, forma benedictionis ibi subjungitur : Deus omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum. Dicendo autem, Benedicat tibi, imprecabatur ei abundantiam spiritualium temporaliumque bonorum. Unde et ibi adjicitur, Ut possideas terram peregrinationis tuæ : in cujus terræ possessione includitur evidenter possessio frugum ac pecorum. Insuper, quando Isaac ante hæc benedixit ipsum Jacob benedictione primogenituræ, inter cetera ait : Serviant tibi populi, et adorent te tribus. (Ibid. XXVII, 29.) Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Certumque est, quod ista non intelliguntur dicta de persona ipsius Jacob, nec in eo completa sunt, sed de posteris ejus prænuntiabantur, et regia dignitas posterorum ipsius per ea significabatur, imo et excellentia Christi, ut ibi exposi-

Digitized by Google

tum est : sicque Jacob per verba illa fuit expresse benedictus a patre suo de multiplicatione suæ posteritatis et opum ejusdem. Hinc quoque stare non potest, quod Rabbi Paulus ex præhabitis suis verbis conclusit, dicendo quod Jacob magis benedixit filium suum Joseph, quam ipsemet Jacob fuit benedictus ab Isaac patre suo, præsertim quoniam Isaac benedicendo suo filio Jacob, prædixit Christum ex ejus semine nasciturum. Et rursus dixit ad eum : Det tibi Deus benedictiones Abraham. Per quæ omnia imprecabatur ei bona majora, quam ipse Jacob imprecatus est Joseph filio suo.

...n. xxviii,

Postremo circa illud quod dictum est, Donec veniret desiderium collium æternorum, in Scholastica historia scribitur : Forte hoc potest ita intelligi. Legitur in libro Numerorum, Inclinati sunt vel gestierunt scopuli Arnon ; et in Psalmo, Montes exsultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium ; hic vero dicitur, Desiderium collium æternorum. Et hæc tria ad idem spectant. Dicimus ergo juxta Arnon fuisse colles saxeos atque asperrimos, qui ideo dicti sunt æterni, et habebant quatuor cerata, id est cornua, unde tetragoni dicti sunt, id est quatuor angulorum : quorum aliqua pars inclinata est coram populo Israel, ut pertransiret facilius, sicque applausit adventui Israelis; et forte dimidia tribus Manassæ circa montes illos habuit sortem. Est itaque sensus : Sic benedicetur Joseph, donec per colles exsultantes intret terram promissionis, et ultra : quia Donec, est dictio inclusiva. Vel forte prophetavit de monte Ephraim et monte Samariæ, in quibus regnavit Israel, vel de montibus Persarum ac Medorum, inter quos exsulant adhuc tribus Ephraim et Manassæ, et læta est terra de exsilio hostium : et tunc Donec, exclusivum est. Tunc enim terminata est gloria Israel. Ex Hebræo autem habetur hic sensus, Donec jungantur colles æterni cœlo : hoc est, benedictus sit Joseph ubique, eo more loquendi, quo dici solet, Stet hoc donec cœlum et terra invicem copulentur. Hæc ibi.

...um. xxi, ...s. cxiii, 6.

Sequitur : *Fiant in capite Joseph,* id est, præfatæ benedictiones, quibus imprecatus sum bona ipsi Joseph, impleantur in ipso ac posteris ejus, *et in cervice Nazaræi, inter fratres suos,* hoc est, benedictiones istæ descendant in Joseph, ut portet hæc bona in se, sicut portatur res super cervicem : qui Joseph est nazaræus, id est sanctus, inter fratres suos, et sanctior illis. Sicque Jacob, Deo revelante, scivit ipsum Joseph esse in caritate et magna perfectione, et quod Deus in omnibus eum dirigeret.

Benedictio Benjamin.

Sequitur benedictio Benjamin, secundi et ultimi filii Rachelis. *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Secundum beatissimos doctores Hieronymum et Augustinum, istud est apertissima prophetia de Paulo apostolo, qui ex semine Benjamin natus est, fuitque lupus rapax persequendo crudeliter Christianos, sicut in Actibus Apostolorum habetur, et ipse ad Timotheum fatetur : qui mane comedit prædam, hoc est, in adolescentia sua vastando Ecclesiam, bona Christianorum diripuit ; et vespere divisit spolia, id est, post suam conversionem injuste sublata pro posse restituit, et tanquam dispensator fidelis, dona gratiæ sibi collata aliis communicavit, gradus quoque Ecclesiæ distincte divisit, atque eloquia Dei prædicans erogavit. Quæ omnia erant spiritualia fidelium alimenta. Unde Septuaginta translatio est hæc : Benjamin lupus rapax, mane comedet adhuc, et vespere dividet escam. Paulus autem mane, hoc est in adolescentia sua, adhuc comedit, hoc est littera legis refecit se, et in studio legis occupabatur assidue. Sed escam illam spiritualiter intellectam, aliis post suam conversionem ordinate distribuit, omnibus omnia factus, et unumquemque juxta suam capacitatem informans, utpote sapientiam loquens inter perfectos, parvulis autem lac potum tribuens, non solidum cibum.

Philipp. iii, 5. *Act.* ix, 1, 2. I *Tim.* i, 13. I *Cor.* ix, 22; ii, 6; iii, 1, 2. *Hebr.* v, 12.

Porro (ut refert Hieronymus) Hebræi exponunt hæc sic : Templum et altare, in quo immolabantur hostiæ, et sanguis effunde-

Digitized by Google

batur, fuit in Benjamin tribu. In ea enim fuit Jerusalem, ut scribitur in Josue libro. Per hæc ergo verba significatur, quod sacerdotes mane hostias immolabant, et eas sibi invicem diviserunt de vespere: sicque Benjamin lupus vorax vocatur, propter hoc quod in altari fuit ignis hostias devorans, seu holocausta consumens. Verumtamen expositio ista videtur satis extranea: quia quod dicitur, lupus rapax, Scriptura non nisi in malo accipere solet; quod autem ignis altaris holocausta voravit, fuit institutum ad Dei honorem: et quantum ad hoc, potuisset dicere sanctus Jacob, Benjamin ignis vorans; non autem proprie, lupus rapax. Quidam vero, ut refert Isidorus, et Scholastica tangit historia, exponunt ista de Jerusalem, quæ fuit in progenie Benjamin: quæ Jerusalem lupus rapax vocatur, quia in ea habitaverunt principes Judæorum crudelissimi ac rapaces, qui in medio ejus innocentem sanguinem effuderunt, prout in quarto libro Regum, et in Ezechiele ac Jeremia describitur; qui et tandem Christum Dominum occiderunt, et ejus peremerunt discipulos. Unde et Christus: Non capit, inquit, Prophetam perire extra Jerusalem. Hæc plebs mane comedit prædam, quando in primitiva Ecclesia diripuit bona fidelium; sed vespere dividet spolia, quando in fine sæculi convertetur, et litteram occidentem a vivificante spiritu sequestrabit; et quidquid injuste obtinuit, justis ac indigentibus communicabit.

Josue XVIII, 28.

Luc. XIII, 33.

Postremo, si istæ expositiones videntur alicui spirituales, poterit passum istum exponere de tribu Benjamin, quæ post mortem Josue fuit adeo bellicosa, quod contra totum ceterum Israeliticum populum ter processit ad pugnam, atque in prima pugna interfecit de Israel viginti duo millia, et in pugna secunda decem et octo millia virorum: quorum omnium mane seu cito prædam diripuit ac voravit, et vespere spolia divisit residua.

Judic. XX, 21, 25.

Omnes hi in tribubus Israel duodecim, id est, omnes præfati filii Jacob, continentur in duodecim tribubus Israel, tanquam

A earum patres et capita, ita quod in singulis quisque eorum est pater et caput in tribu ex se nata. *Hæc*, quæ scripta sunt in isto capitulo, *locutus est eis pater suus* Jacob, *benedixitque singulis, benedictionibus propriis*, hoc est unicuique filiorum suorum distincta ac propria benedictione. Circa hoc oriuntur dubia duo: Primum est, qualiter verum sit quod unicuique filiorum suorum benedixit, quum videatur filium suum Ruben, deinde Simeonem ac Levi reprehendisse, et quodammodo maledixisse magis, quam benedixisse; deinde Simeonem et Levi affatus est, et benedixit seu maledixit aut reprehendit eos conjunctim, non separatim aut sigillatim. Secundo quæritur an præter præscriptas benedictiones, vaticinationes seu increpationes, benedixerit singulis filiis suis etiam aliis benedictionibus non descriptis.

B

Ad hæc respondendo, dicendum est primo ad secundum. Itaque aliqui dicunt, quod præter præhabita benedixit singulis illis benedictionibus propriis, quæ non sunt descriptæ, imprecando illis bona spiritualia ac æterna: quia (ut dicunt) non est probabile, quod non fuerit eis imprecatus bona talia in extremis, et etiam quia (ut tactum est) quædam prædictorum sunt maledictiones magis quam benedictiones, nec in eis benedixit Simeoni ac Levi seorsum, sed pariter. Itaque qui vellet hanc sequi opinionem, responderet ad primam quæstionem, concedendo quod quædam prædictorum non sunt benedictiones, videlicet verba directa ad Ruben, et ad Simeonem ac Levi; sed quod post præscripta ac introducta, benedixit universis et singulis filiis suis propria benedictione. Istud autem inconveniens reor. Si enim post præintroducta ipse Jacob per alia verba benedixisset filiis suis cunctis ac singulis, imprecando eis expresse bona spiritualia et æterna, non est verisimile, quod sanctus Moyses benedictiones tam spirituales atque notabiles non descripsisset; sicut descripsit capitulo præcedenti benedictiones, quibus benedixit filiis Joseph; quemadmodum etiam su-

C

D

Digitized by Google

Gen. xxvii, 29, 39. pra descriptæ sunt benedictiones, quibus Isaac benedixit Jacob et Esau. Denique omnia verba Jacob ad filios suos directa, sunt benedictiones apertæ ac formales, vel benedictionis alicujus contentiva, præter ea quæ dixit ad Ruben, Simeonem et Levi. Nunc ergo instantiæ sunt solvendæ et quæstiones determinandæ.

Itaque ad primam respondendum est quæstionem, quod Jacob dicitur singulis suis filiis benedixisse, non quod singulis dixerit bona, sed quia bene et prophetice dixit de eis, vel quia ex maxima parte benedixit eis. Hæc responsio in Scholastica datur historia. Unde constat, quod secundum illius auctorem Historiæ, Jacob non benedixit filiis suis aliis benedictionibus a prædictis. Potest et aliter responderi, quod scilicet reprehensiones, quibus Jacob reprehendit tres filios suos seniores, non fuerunt proprie loquendo maledictiones, sed paternæ, justæ, ac medicinales correptiones, ad filiorum suorum salutem finaliter ordinatæ, ut per eas purgati, expeditius salvarentur, sicque virtualiter benedictiones fuerunt; nec filiis, sed eorum vitiis maledixit, et pœnas quas prædixit, imprecatus est eis potius tanquam remedia, quam velut supplicia. Porro ad id quod objicitur de Simeone ac Levi, quod non sigillatim, sed simul benedixerit eis: dicendum, quod ambos nominatim exprimendo, dicitur benedixisse distincte ambobus. Vel ipsi ambo computantur pro uno, quia communicaverunt in vitio, pro quo simul eamdem sustinuerunt correptionem. Ad secundum quæsitum jam patet responsio. Quod vero objicitur non esse verisimile, quod non fuerit singulis imprecatus bona spiritualia ac æterna : sic solvitur, quod bona illa intelliguntur implicite comprehensa sub temporalibus bonis, de quibus fit mentio. In lege autem naturali et scripta, non consuevit de spiritualibus et æternis bonis fieri mentio expressa atque formalis.

Et præcepit eis, dicens : Ego congregor ad populum meum, hoc est, per mortem hanc temporalem transibo ad patres de-

A tentos in limbo. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici.* Istud præcepit filiis suis, quia jam ante ipse Joseph promisit et juravit ei, quod sepeliret eum in illa spelunca : ideo præcepit ceteris filiis suis, ut in hoc adsisterent ipsi Joseph. Cur autem ibi sepeliri voluerit, dictum est sæpe. *Quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri.* Totum istud scriptum est supra, et ibi expositum. *Ibi* Gen. xxiii, 8 et seq.
B *sepelierunt eum, et Saram uxorem ejus.* Quod ait, Ibi sepelierunt, non est ad eosdem per omnia referendum. Non enim omnes qui sepelierunt Saram, sepelierunt et Abraham, quum et ipse Abraham sepelierit Saram, ut in præallegato patet capitulo. Isaac autem et Ismael leguntur ipsum Abraham sepelisse ; sed non videtur quod Ismael interfuerit sepulturæ Saræ. *Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua.* Jacob quippe et Esau sepelierunt Isaac patrem suum ; quod autem Rebecca
C sit ibi sepulta, supra non legitur, sed hic tantum. *Ibi et Lia condita jacet,* quod etiam non nisi hic legitur : ex quo constat, quod Lia defuncta fuit antequam Jacob intravit in Ægyptum. Porro quando obierint, aut ubi sepultæ sint aliæ duæ uxores Jacob, videlicet Bala et Zelpha, Scriptura non exprimit ; nec certum est, an cum Jacob introierint Ægyptum, an antea fuerint mortuæ : et si ante erant defunctæ, non tamen sunt in spelunca illa sepultæ, quia non fuerunt principales ipsius Jacob uxo-
D res, sed principalium suarum uxorum ancillæ.

Finitisque mandatis quibus filios instruebat : quæ mandata non sunt hic in speciali descripta. Credendum est tamen, quod erant mandata de modo colendi Deum verum, conversandique juste, atque ut suo tempore redirent ad terram sibi promissam, ne idololatriam ac viam sequerentur Ægyptiorum. *Collegit pedes suos super lectulum, et obiit.* Ex quibus verbis docetur, quam devotissime sit defunctus, et

Digitized by Google

quod levem habuit mortem. Nempe verbis ad filios terminatis, recollegit cor suum in Deo, et pedes suos composuit, sicque salubriter obdormivit in Domino. *Appositusque est ad populum suum :* quia ab angelis anima ejus portata est ad limbum patrum, et in sinum Abrahæ collocata. Nam creditur nihil secum purgandum tulisse, utpote tam eximius Patriarcha ac Propheta, qui in tanta plenitudine divinæ illuminationis, atque in tanto lumine prophetici spiritus decubuit in extremis. Electi autem qui aliquid purgabile secum de sæculo hoc tulerunt, post suam in purgatorio purgationem ducebantur ad limbum patrum, usque ad Christi resurrectionem.

Circa hæc in Scholastica historia dicitur : Appositus est ad populum suum, id est ad angelos certa spe, et tandem in re. Notum quidem est, quod appositus est ad Abraham et Isaac ; sed tam pauci, populus dici non possunt. Hæc ibi. Sed contra hoc arguit quidam : Hoc, inquiens, non videtur bene dictum, quoniam sancti angeli sunt in beatitudine, ideo nullus potest dici ad eos appositus, nisi quando transfertur ad gloriam. Deinde subdit, quod motivum auctoris præfatæ Historiæ, non sit valens : quia in limbo ante mortem Jacob non solum fuerunt Abraham et Isaac, sed omnes justi qui mortui fuerunt ab Adam usque ad Jacob, qui populus poterant dici, quum secundum leges, decem homines faciant populum.

Circa hæc advertendum, quod iste male et truncate recitat verba præallegatæ Historiæ. Non enim dicitur in ea absolute, quod Jacob appositus est ad angelos, sed additur, Certa spe, et tandem in re : quod negari non potest. Quod vero ille affirmat, motivum auctoris Scholasticæ historiæ non valere : dicendum, quod aliquis dicitur pertinere ad populum Jacob dupliciter : Primo, quia de numero est prædestinatorum, sicque multi de populo Jacob fuerunt ante eum in limbo : et ita verba ista exponi possunt de populo seu animabus electorum illorum, sicut et modo exposui ea. Secundo, quis dicitur de populo Jacob, quia est de numero veteris fidelisque populi, qui cœpit ab Abraham ; vel ut tangit Augustinus, quia est de numero populi Israel, qui cœpit a Jacob, et ita videtur Scholastica historia loqui. Nec solum in ea hæc continentur, quia et Strabus ait, et habetur in Glossa : Quærendum de quo populo istud dicatur. Notum est autem, quod ad Abraham et Isaac appositus sit Jacob ; sed populus multitudo est, illi autem tam pauci non poterant populus dici. Intelligendum est ergo istud dici de angelis. Denique super illud, Congregatus est Abraham ad populum suum, dicit Glossa interlinearis, id est ad angelos, quorum concivis erat. Similiter super illud, Appositus est Isaac populo suo, habetur in Glossa, id est cœtui angelorum vel animarum sanctarum, quibus appositus est, nulla remanente sollicitudine tentationum, vel periculo peccatorum.

Gen. xxv, 8. Ibid. xxxv, 29.

Amplius, omnia ista sumpta videntur ex verbis beati Augustini dicentis : Videndum est qualiter assidue dicant Scripturæ, Appositus est ad populum suum. Ecce enim de Jacob dicitur, jam quidem mortuo, sed nondum sepulto, Congregatus est ad populum suum ; sed ad quem populum, non in promptu habetur. Ex illo enim prior populus natus est, qui populus Israel appellatur ; qui vero eum præcesserunt, tam pauci justi nominantur, ut eos populum vocare cunctemur. Nempe si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret. An forte populus est, non solum hominum sanctorum, sed etiam angelorum, populus civitatis illius, de qua legitur ad Hebræos, Accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei Jerusalem, et ad millia angelorum exsultantium ? Huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fuerunt. Tunc enim dicuntur eis apponi, quando jam non remanet sollicitudo tentationum sive periculum vitiorum. Quod Scriptura intuens, ait : Ante mortem ne laudes hominem quemquam. Ex his Augustini verbis jam lucet, verum non

Hebr. xii, 22. Eccli. xi, 30.

esse quod ille reprehensor dicti istius affirmat, Nullus dici potest appositus ad angelos, nisi quando transfertur ad gloriam : quia secundum Augustinum, hi qui post vitam hanc fuerunt Deo placentes, angelis dicuntur appositi, in quantum in eis cessavit tentationum sollicitudo et peccandi periculum, utpote quia impeccabiles erant.

Dicit quoque circa hæc Rabbi Paulus : De nullo Sancto qui ante Abraham decessit, legitur, quod fuit appositus ad populum suum. Cujus ratio potest esse, quia licet illi decesserunt in gratia, habebant tamen forte venialia aliqua, pro quibus oportebat eos ad tempus in purgatorio esse : sicque propter tales non diceretur Jacob appositus ad populum suum, quum non essent adhuc in limbo. Sed hæc Rabbi Pauli verba in duobus deficiunt : Primo, in hoc quod dicit, Idcirco non legi aliquem Sanctorum (qui ante Abraham erant) appositum ad populum suum, quia licet decesserunt in gratia, habuerunt tamen forte venialia aliqua, etc. Si enim hoc esset causa, quod non leguntur ad populum suum appositi, Scriptura non diceret supra, Geneseos vicesimo quinto, de Ismaele : Deficiens mortuus est, ad populum suum appositus; nisi forte dicatur, quod Ismael tantæ exstiterit sanctitatis, quod non tulit secum aliquod veniale : quod non videtur. Et si hoc de ipso diceretur veraciter, multo plus dici posset de Sem, Enoch et Noe, qui tamen non leguntur congregati ad populum suum. Secundo, deficit in hoc, quod dicit, Propter hoc non diceretur Jacob appositus populo suo, quum non essent adhuc in limbo. Nam dato quod Sancti qui Abraham præcesserunt, obiissent in aliquibus venialibus culpis, non tamen fuissent in purgatorio usque ad mortem Jacob, præsertim illi majores jam nominati, et eis consimiles, sicut Abel, imo et Adam, de cujus pœnitentia legitur in libro Sapientiæ, Hæc, scilicet sapientia, illum qui primus formatus est, eduxit a delicto suo ; et etiam Lot. Unde omnes isti et multo plures, creduntur ante mortem Jacob in limbo fuisse.

Gen. xxv, 17.

Sap. x, 1, 2.

ARTICULUS CII

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI NONI.

VOCAVIT *autem Jacob filios suos, et ait eis : Congregamini.* Jacob figura est Christi. Quemadmodum ergo Jacob patriarcha, obitu suo instante, convocavit filios suos, ut se patrem ipsorum audirent, et eis in diebus ventura novissimis prænuntiaret; sic Christus imminente sua salvifica passione, convocavit gloriosos Apostolos : Scitis, inquiens, quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Deinde in novissima Cœna prædixit apertissime ipsis suam passionem, traditionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus Sancti missionem, multorum Judæorum et totius gentilitatis conversionem, præclarissima quoque miracula in nomine suo fienda.

Matth. xxvi, 2.

Ruben primogenitus meus. Potest per Ruben intelligi sacratissimus Petrus, quem Christus inter Apostolos fecit majorem, principemque eorum constituit. *Tu fortitudo mea.* Petrus namque fuit inter Apostolos fortior in fide, et ferventior in amore : propter quod Salvator dixit ad eum : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Itemque : Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Qui recte fortitudo Christi vocatur, quoniam totius

Matth. xvi, 18.

Luc. xxii, 32.

Digitized by Google

potestatis ecclesiasticæ plenitudinem contulit ei Christus, dicendo : Pasce oves meas, (Joann. XXI, 17.) hoc est, totius ovilis mei, universarumque ovium mearum te pastorem ac prælatum constituo. Sicque fortitudo Christi in Petro magis resplenduit, qui etiam in virtute et efficacia miraculorum fuit potentior, quippe qui umbra sui corporis ægros, quoscumque per eam tangebat, sanavit. (Act. V, 15.) *Et principium doloris mei :* quia videlicet de Petri ruina et trina negatione Christus ex caritate doluit vehementer. Fuit quoque Petrus principium doloris, id est sollicitudinis Christi, quia pro Petri, tanquam pro pleni et summi sui vicarii mox futuri, conservatione fuit Christus specialiter sollicitus, dicens ad eum : Simon, ecce Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (Luc. XXII, 31, 32.) *Primus in donis :* quia in fidei firmitate, in caritatis fervore, in ecclesiastica auctoritate, in miraculis aliisque donis quampluribus fuit præcipuus, et in primatu ac sacerdotio inter Apostolos summus. *Major in imperio.* Fuit namque totius universalis Ecclesiæ præsul, qui universis ac singulis potuit imperare, cui omnes jure divino inclinare se tenebantur: propter quod Paulus apostolus dixit ad archiapostolum Petrum : Meum est orare, tuum præcipere. *Effusus es sicut aqua.* Petrus enim Christum negando etiam cum detestatione, anathematizatione atque perjurio, (Matth. XXVI, 74. Marc. XIV, 71.) peccavit mortaliter, et donis gratiæ fuit privatus, quousque pœnituit. *Non crescas* in fama : quia per trinam negationem Christi, videtur Petrus quamdam suæ famæ denigrationem quodammodo incurrisse; *quia,* inquam, *ascendisti cubile patris tui.* Cubile Dei Patris fuit Synagoga, olim Dei sponsa : quam Petrus inordinate ascendit, quando in tantum timuit ejus offensam, quod Dominum Christum negavit. Vel quando timens eos qui erant ex circumcisione, a gentibus se subtraxit. (Galat. II, 12.) Propter quod Paulus restitit ei in faciem. (Ibid. 11.) *Et maculasti stratum ejus :* quia per hoc alios scandalizavit, in tantum quod simulationi ejus ceteri consenserunt, (Ibid. 13.) et Barnabas corruit in eamdem, sicut ad Galatas scribit Paulus.

Præterea, potest per Jacob Deus Pater intelligi, qui electos suos per gratiam convocat : sicque per Ruben intelligitur Christus, qui est primogenitus Patris, sub nomine Sapientiæ loquens : Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam. (Eccli. XXIV, 5.) Ipse est fortitudo Dei, est enim virtus et sapientia Patris. (I Cor. I, 24.) Et principium doloris ejus : quia de persecutionibus et interfectione Christo illatis a Judæis incredulis, Pater per modum dolentis se maxime habuit, in tantum quod Synagogam, sibi olim tam caram, reliquit in finem. Primus in donis. Nam Deus non ad mensuram dedit Spiritum Sanctum et ejus charismata homini Christo, qui etiam protestatur : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. (Joann. III, 35.) Major in imperio. Omnia quippe subjecta sunt ei, (Ps. VIII, 8.) et Pater dedit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur. (Philipp. II, 9, 10.) Propter quod dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (Matth. XXVIII, 18.) Nam et ipse est rex regum, et dominus universorum, caput, pontifexque totius Ecclesiæ, qui tempore passionis effusus est sicut aqua, prout in Psalmo fatetur : Sicut aqua effusus sum. (Ps. XXI, 15.) Non crescas. Christus etenim in corde perfidorum Judæorum non crevit. Quia ascendisti cubile patris tui : id est, Synagogam usque ad intima ejus scrutatus es, vitia sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, (Matth. XXIII.) aperiendo et increpando; sicque maculavit stratum ejus, hoc est, maculatos ostendit eos, in quorum cordibus debuit specialiter esse lectus seu quies Patris æterni.

Insuper, per Ruben primogenitum Jacob, intelligitur populus Judæorum, qui fide et vocatione prior fuit populo christiano : fuitque fortitudo Dei, quia in populo illo omnipotentiam suam per diversa monstravit miracula; in quo etiam populo fuit fidei fundamentum ac firmamentum Ecclesiæ, de quo ait Apostolus : Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. (I Cor. III, 11.)

Digitized by Google

Fuit quoque populus ille principium doloris, quia sæpissime ac gravissime Deum offendit; primus in donis, quia usque ad Christi adventum ac passionem fuit peculiaris populus Dei, præcipuis beneficiis Dei decoratus; et major in imperio : pertinebat enim ad eos regnum et sacerdotium, et testamentum, et legislatio, atque adoptio. Sed effusus est sicut aqua, impetum passionum suarum sequendo, contra Salvatorem : ideo meruit minorari, non crescere; quia ascendit cubile patris, id est Christi humanitatem, quæ fuit et est thronus deitatis, in qua plenitudo divinitatis corporaliter habitavit : quod Judæi ascenderunt, contra Christum insurgendo, eumque conculcando, et per diversas detractiones quantum fuit in eis, commaculando, ac mortis decoloratione operiendo.

Deinde de Simeone ac Levi subjungitur; et sicut in præcedenti tangebatur articulo, quod de illis litteraliter fertur in textu, de sacerdotibus et Levitis, Scribis ac Pharisæis ex ipsorum semine natis, spiritualiter sumitur. Illi etenim sacerdotes, Levitæ, Scribæ et Pharisæi, fuerunt vitiosissima vasa, qui contra Christum publice et insidiose per verba atque injurias pugnaverunt, et diversa habuerunt consilia, qualiter eum circumvenirent, accusarent, occiderent, quemadmodum Jeremias prædixit : Consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. *Quia in furore suo occiderunt virum :* de quo itidem cecinit Jeremias : Novum faciet Dominus super terram : femina circumdabit virum. *Maledictus furor eorum, quia pertinax :* Pilatus namque multipliciter institit, ut de manu eorum eriperet Christum; sed illi econtra tanto furibundius clamaverunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Caveamus ergo, ne et in nobis inveniatur pertinax furor, aut indignatio dura, ne maledicamur cum illis. Nam qui ad indignationem facilis est, erit ad peccandum proclivior.

Consequenter de Juda subjungitur : *Juda, te laudabunt fratres tui*. Per Judam, qui interpretatur laus sive confessio, qui et inter fratres suos fortissimus fuit, intelligitur Christus, qui a primo instanti creationis animæ suæ, nunquam cessavit a laude interna majestatis divinæ, et exsultavit ut gigas ad currendam viam, de quo ait Psalmista : Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Quem laudaverunt fratres sui sancti Apostoli, de quibus dixit beatissimæ ac ferventissimæ suæ amatrici Mariæ Magdalenæ : Vade, et dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum*. Christus quippe aereas potestates victoriosissime expugnavit, et obstinatos Judæos per manum Romanorum prorsus dejecit, sicut per Isaiam testatur : Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. De quo et Psalmista : Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Qualiter autem cetera verba in benedictione Judæ posita, conveniant Christo, in præcedenti expressum est articulo.

Zabulon in littore maris habitabit. Per quemlibet Patriarcharum, quantum ad bona quæ in eo fuerunt, Christus significatur. Quidquid equidem boni fuit in aliis ac diversis divisim et imperfecte, fuit in Christo conjunctim atque perfecte. Itaque per Zabulon, qui intelligitur habitaculum fortitudinis, exprimitur Christus salvator et Deus, cui cantatur in Psalmo : Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias. Etenim turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Zabulon iste, videlicet Christus, habitavit in littore maris, hoc est in quiete et tranquillitate pectoris tempore tribulationis : per mare enim adversitas, inquietudo, tribulatio designatur; per littus maris, tranquillitas. Quoniam ergo Salvator in omni tribulatione ac pœna quas pertulit, inconcussibilem mentis tranquillitatem servavit, recte in littore maris dicitur habitasse; *et in statione navium,* hoc est in stabilitate parti-

cularium Ecclesiarum, quia in mentibus constantium demoratur fidelium, qui non sunt arundo vento agitata, sed assimilantur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, ita quod nec venti tentationum, nec flumina tribulationum queunt cor ejus movere. *Pertingens usque ad Sidonem :* quia (ut ait Evangelista) egressus Jesus, venit in partes Tyri et Sidonis, ut Tyrios Sidoniosque curaret in mente a vitiis, et in carne ab invalitudinibus. Sidon quoque interpretatur venatio : per quam designantur animæ, dæmonum venationibus laqueisque deceptæ, ad quas Christus devenit, convertendo et redimendo easdem. Unde Psalmista : Ipse, inquit, liberabit me de laqueo venantium. Insuper Christus (ad litteram) sæpius fuit et mansit in Capharnaum, urbe supra mare Galilææ constructa, et prædicavit ibidem frequentius, pertransiens usque Sidonem, sanando omnes oppressos a diabolo, et curando omnem languorem et omnem infirmitatem in populo : per quod sacratissimus evangelista Matthæus ostendit, in hoc esse completum quod illustrissimus Isaias propheta prædixit : Primo tempore, hoc est in evangelicæ prædicationis principio, alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali.

Matth. xi, 7; vii, 24. — Ibid. xv, 21. — Ps. xc, 3. — Matth. iv, 13 et seq. — Is. ix, 1.

Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos. Issachar interpretatur merces, per quem exprimitur Christus, de quo fertur in Psalmo : Quum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii, merces fructus ventris. Ipse namque præmium est omnium Beatorum, seu objectalis eorum felicitas. Propter quod ait : Qui diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Qui inter terminos accubavit, id est intra fines Ecclesiæ requievit, in solis videlicet catholicis personis, non in schismaticis neque hæreticis, quorum conventicula detestatur. Non enim est Deus dissensionis, sed pacis. *Vidit requiem quod esset bona :* id est, contemplationis quietem pensavit præferendam esse omnibus mundi deliciis, dicens : Unum est necessarium ; et requiem felicitatis æternæ judicavit super omnia esse appetendam, quam etiam mens sua a primo suæ creationis exordio plene gustavit, et experimentaliter vidit ; *et terram quod optima :* hoc est, paradisum cœlestem, qui est terra viventium, regioque vivorum, consideravit incomparabiliter præ omnibus istis terrenis amandum. *Et supposuit humerum suum ad portandum :* id est, se ipsum paratum exhibuit ad laborandum et sustinendum, quidquid Pater voluit eum facere ac sufferre, quatenus requiem illam æternam, terramque optimam supercœlestem, mereretur ac procuraret hominibus. Et quantum ad hoc, fuit quasi asinus fortis, non propter stoliditatem ac tarditatem, sed propter laboriositatem ac obedientiam, qua omne pondus laborum ac tormentorum patientissime ac obedientissime toleravit. Propter quod dixit ad Patrem : Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem. Atque in cruce : Consummatum est. Et demum in Psalmo : Omnes fluctus tuos induxisti super me. Et voce membrorum suorum dicere potuit Patri : Ut jumentum factus sum apud te. Factus est enim obediens usque ad mortem. *Factusque est tributis serviens.* Nam et Christus (ad litteram) solvit tributum, ut Evangelista describit, non quia tenebatur, sed quia dignatus est, et ne scandalizarentur pusilli. Spiritualiter quoque hoc fecit : quia ut homo, obtulit Deo sanctæ servitutis talentum, hostiam laudis, et munus devotissimæ regratiationis, secundum quod dixit : Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Ps. cxxvi, 2, 3. — Joann. xiv, 21. — I Cor. xiv, 33. — Luc. x, 42. — Joann. xvii, 4. — Ibid. xix, 30. — Ps. lxxxvii, 8. — Ps. lxxii, 23. — Philipp. ii, 8. — Matth. xvii, 23 et seq. — Joann. viii, 29.

Dan judicabit populum suum. Dan interpretatur judicium, et fuit figura Christi, qui constitutus est judex vivorum ac mortuorum, et universa quæ egit ac docuit, cum summa discretione exhibuit. Qui fuit *coluber in via, cerastes in semita :* quoniam principem tenebrarum a quo tenebatur, cum summa decepit industria ; potestate quoque regali ac auctoritate pontificali munitus, confregit ty-

Act. x, 42.

Digitized by Google

rannorum vehicula, ita quod corruerunt A deorsum.

Gad accinctus prœliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum. Per Gad, qui interpretatur felicitas, designatur Salvator : qui secundum suam deitatem, est essentialiter ipsa, in se subsistens, superessentialis ac infinita felicitas ; et secundum suam humanitatem felix fuit, quantum ad superiores suæ animæ vires, ad increatum objectum relatas, ab incarnationis exordio. Qui omni spirituali armatura fultus, contra invisibiles hostes præliatus est B in primo suo adventu ante Israeliticam plebem, ab electis Judæorum cordibus illos fugando, et plurimos convertendo prædicatione, oratione, exemplo, miraculis. Deinde circa finem mundi contra Antichristum (Thess. II,) pugnabit, quem interficiet spiritu sui oris, et destruet illustratione sui adventus. Sanctis quoque Eliæ et Enoch dabit virtutem resistendi efficaciter Antichristo. Sicque per sui collationem subsidii, ante eos præliabitur ac transibit, sicut per Isaiam ait (XLV, 2.) ad Cyrum : Ego ante te ibo, et gloriosos C terræ humiliabo. Sicque accingetur Christus retrorsum, quia ad hoc ita contra Antichristum bellabit, quatenus eo occiso, exerceat paulo post generale judicium : quo completo, redibit unde descendit.

Aser, pinguis panis ejus, et prœbebit delicias regibus. Aser interpretatur beatus, (Joann. VI, 59.) et typus exstitit Christi, qui ait : Caro mea vere est cibus. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. In qua carne continetur supernorum pinguedo charismatum, quum ipsa sit deitatis instrumentum D animatum conjunctum, in quam etiam virtutes animæ Christi copiosissime prorsus redundant : imo ipsemet totus Christus est pinguissimus panis, omni virtute et gratia (Ibid. 51.) incomparabiliter plenus. Nam ait : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Qui in Sacramento acceptus, confert spirituales delicias regibus, qui se ipsos ratione juxta evangelicam legem gubernant, utpote cunctis vere fidelibus : in quo multi reges et principes timorati et christifideles, miro modo sunt delectati. Hinc de Christo in Psalmo prædictum est : Erit firmamentum (Ps. LXXI, 16.) in terra in summis montium. Ubi alia habet translatio, Erit frumentum. Alia vero, Erit memoriale triticum. Translatio autem Chaldaica, Erit placenta tritici in terra, etc. Per quæ omnia aperte est prophetatum, quod Christus sub forma et tortula panis triticei, offerendus ac manducandus esset in evangelica lege : per hoc memoriam (Ps. CX, 4, 5.) faciens mirabilium suorum, dans escam tam supersubstantialem timentibus se. Unde Propheta prænuntiavit : Manducaverunt (Ps. XXI, 30,) et adoraverunt omnes pingues terræ. Hoc totum filiis sæculi hujus incredibile esse videtur ac stultum. Propter quod unus illorum dixit : Non inveni tam fatuam legem, sicut est lex Christianorum ; quoniam Deum quem colunt, propriis dentibus devorant. His vero qui spiritum Dei habent, rationabilissimum ac profundissimum videtur esse mysterium. Intelligunt namque rationes institutionis tanti Sacramenti, et fructus saluberrimos ejus, quos et vicissim in se ipsis gratiose experiuntur.

Nephthali, cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Per Nephthali, qui interpretatur comparatio, intelligitur rex Messias, Patri se comparans, Ego, inquiens, et (Joann. X, 30.) Pater unum sumus : quia quum in forma (Philipp. II, 6.) Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Qui rite cervus emissus seu velox vocatur, quia exsultavit ut gigas (Ps. XVIII, 6.) ad currendam viam. Et sicut desiderat cervus (Ps. XLI, 2.) ad fontes aquarum, ita desideravit nos adducere secum in gloriam, nec a cursus sui fervore unquam potuit retardari. Dedit quoque eloquia pulchritudinis, quoniam sapientissima ac profundissima protulit documenta, ita quod omnes mirabantur (Luc. IV, 22,) in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Erat quippe docens sicut potestatem (Matth. VII, 29.) habens, non sicut Scribæ et Pharisæi. Hinc et adversarii ejus compulsi sunt dicere : Nunquam sic locutus est homo sicut hic (Joann. VII, 46.) loquitur. Siquidem diffusa erat gratia in (Ps. XLIV, 3.) labiis ejus. Nec mirum si in humanitate assumpta quampulcherrima verba de-

Digitized by Google

prompsit, qui secundum quod Deus, est A Verbum æternum atque omnipotens sermo Dei Patris. Potest quoque istud exponi de cœtu Apostolorum, quorum quidam erant ex tribu Nephthali, tribuque Zabulon, qui ad evangelicæ legis prædicationem tanquam celerrimi cervi avidissime et velocissime processerunt, et eloquia pulchritudinis, utpote Christi doctrinam prorsus pulcherrimam, latissime diffuderunt, de quibus cantamus in Psalmo : Principes Zabulon et principes Nephthali. (*Ps.* LXVII, 28.)

Filius accrescens Joseph, filius accres- B *cens, et decorus adspectu.* Joseph evidentissima Christi figura est. Christus enim crevit seu profecit sapientia, ætate et gratia, secundum manifestationem. (*Luc.* II, 52.) Crevit quoque et fama, sicut gloriosissimus Joannes Baptista prædixit : Illum oportet crescere, me autem minui. (*Joann.* III, 30.) Denique juxta Danielis oraculum, Christus est lapis sine manu præcisus de monte, qui lapis crevit in montem magnum, et implevit universam superficiem terræ. (*Dan.* II, 34, 35.) Crevit ergo fructu multiplici, multa millia convertendo, partim C et primo per se ipsum, deinde plenius ac mirabilius per suos discipulos, in primis ex Judæa, Galilæa atque Samaria, deinde ubique terrarum ex gentibus. Qui fuit decorus adspectu, utpote speciosus forma præ filiis hominum. (*Ps.* XLIV, 3.) Cujus humanitatem omni virtute, sapientia, dono, fructu, beatitudine ac gratia excellentissime pulchrificatam, Verbum æternum assumpsit. Cui etiam in deitatis natura pulchritudo appropriatur. Siquidem æternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere : D species, inquam, in imagine, hoc est pulchritudo in Filio ; et usus in munere, id est communio in Spiritu Sancto. Hoc fideliter cognoscentes filiæ Ægypti, hoc est animæ seu Ecclesiæ ex gentibus conversæ, discurrerunt super murum : quia super Apostolorum doctrinam se fundarunt, ut Christi pulchritudinem contemplarentur. Sed inviderunt Christo in primis perversi et obstinati Scribæ, et sacerdotes ac Pharisæi vani et ambitiosi, Christi eminentiam et suam depressionem ferre non valentes. Idcirco verbis et ictibus eum impetierunt, dicentes : Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat : tentemus quæ ventura sint ei, contumeliis et tormentis interrogemus eum, morte turpissima occidamus eum. (*Sap.* II, 17, 19, 20.)

Sedit in forti arcus ejus : quia in Deo fuit fiducia Christi, quem Deus Pater cito eripuit a cunctis vinculis et adversis, quibus ligaverunt et crucifixerunt eum iniqui, qui vinctum eum tradiderunt Pilato, clavisque dirissimis affixerunt patibulo. (*Matth.* XXVII, 2.) Sed Deus patris ejus, hoc est Deus Abrahæ et ceterorum Patriarcharum ac Joseph sponsi Mariæ, quorum filius Christus vocatur, fuit in omnibus Christi adjutor, sicut in Evangelio ait : Ego in Patre, et Pater in me est. Et : Pater non reliquit me solum. (*Joann.* XIV, 11; VIII, 29.) Qui Pater per Isaiam protestatur de Christo : Ecce puer meus, suscipiam eum ; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. (*Is.* XLII, 1.) Eripuit, inquam, eum ; quoniam tertio die suscitavit eum ad immortalem ac impassibilem vitam. Ideo Christus, passione instante, locutus est Petro : An putas quod non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ? (*Matth.* XXVI, 53.)

Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum : dedit enim Christo omnem et plenam potestatem in cœlo et in terra, omni creaturæ præficiendo eumdem, fecitque eum caput ac principem in triumphante ac militante Ecclesia ; *benedictionibus uberum et vulvæ :* quia tam singularissime Christum hominem honoravit Trinitas Deus, ut lacte virginalium uberum sacratissimæ Virginis aleretur, atque de inviolata ac integra ejus vulva prodiret, procedens tanquam sponsus de thalamo suo. (*Ps.* XVIII, 6.) Benedixit quoque Christum benedictionibus uberum ac vulvæ, multiplicando populum christianum innumerabiliter toto orbe terrarum. Potest item per ubera, intelligi utriusque Testamenti Scriptura, qua Christus fuit plenissimus ; et per vulvam,

Digitized by Google

th. III, Baptisma, quod et Christus dignatus est a Joanne suscipere. *Benedictiones patris tui, confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus :* id est, benedictiones seu gratiæ, quas Deus Pater contulit Christo, prævaluerunt et eminentiores fuerunt omnibus benedictionibus, quas Patriarchæ aut ceteri Sancti a Deo sortiti sunt, sicut Psalmista prædixit : Ps. XLIV, 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Donec veniret desiderium collium æternorum :* hoc est, quousque opere impleretur, quod Sancti veteris Testamenti prædixerunt, et fieri ac videre desideraverunt, quemadmodum ait Salvator x, 23, discipulis : Beati oculi qui vident quæ vos th. XIII, videtis. Dico enim vobis, quia multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt. *Fiant in capite Joseph, et in cervice Nazaræi inter fratres suos :* hoc est, omnes præfatæ benedictiones impleantur in Christo et in corde ipsius, qui præ omnibus suis participibus summe et incomparabiliter sanctus est, de quo prædixe- II, 23. runt Prophetæ : Quia Nazaræus vocabitur.

Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. Benjamin filius dexteræ interpretatur, cujus ortus, fuit suæ matris interitus. Per quem Christus significatur : ipse enim est Filius rc. XVI, Omnipotentis, sedens ad dexteram ejus, imo et ipse vocabitur dextera et brachium A Patris, juxta quod scriptum est : Salvavit Ps. XCVII, 1. sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Isaias quoque ait : Notum fecit Do- Is. LII, 10. minus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Denique Christi ortus sive adventus, fuit occasionaliter interitus suæ matris, videlicet Synagogæ : quæ ipsum non recipiendo, meruit corporaliter spiritualiterque occidi, et usque in finem relinqui. Christus autem in primo suo adventu, quasi lupus rapax, non propter crudelitatem, sed propter sanctæ caritatis B aviditatem, impetuosissime prædam comedit, hoc est, sibi ardentissime incorporavit, quos per se et sanctos Apostolos traxit ad fidem : quod deinceps fecit et faciet per prædicatores electos, convertendo quamplurimos usque ad finem mundi; tuncque quasi vespere dividet spolia, discernendo in finali judicio inter electos et reprobos, ad dexteram suam statuens oves, et ad sinistram hœdos.

Postremo, per hoc quod Jacob filios ancillarum, videlicet Balæ et Zelphæ, inter C filios principalium suarum uxorum benedixit, nec inter eos aliosque discrevit, ostensum est, quod in Christo Jesu non est discretio servorum ac liberorum, nisi quantum ad merita; quod item Christianis non sit carnis nobilitas, sed virtutum præclaritas magni pendenda.

ARTICULUS CIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINQUAGESIMI : QUOD CERNENS JOSEPH, RUIT SUPER FACIEM PATRIS.

QUAM ardentissime sanctus Joseph dilexerit patrem suum sanctissimum, et quantum de ejus sublatione ac morte doluerit, in exordio demonstratur hujus capituli. *Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris sui, flens et deosculans eum :* id est, ipse Joseph, videns ac pensans patrem suum in tanta plenitudine propheti- D carum revelationum atque in tanta devotione et sanctitate obiisse, quasi victus filialis amoris tam naturalis quam infusi fervore, projecit se super corpus patris sui defuncti, applicans vultum suum vultui ejus, sicque cum lacrimis copiosis deosculans ipsum; ostendens in mortuo, quam vehementer amavit viventem, et de

Digitized by Google

sublationе tam optimi patris intime dolens, quamvis non sit sicut ceteri qui spem non habent, nec abhorruit faciem defuncti osculari. (I Thess. IV, 12.) Puto autem, quod etiam in facie defuncti tanti Patriarchæ, apparuit quædam supernaturalis serenitas, et quædam coloris vivacitas, quæ erat interioris puritatis et tranquillitatis defuncti indicium, sicut de multis Sanctis in novo Testamento defunctis agnovimus. *Præcepitque servis suis medicis :* Joseph quippe, ut moris est magnis principibus, speciales habuit medicos; *ut aromatibus condirent patrem,* id est corpus ejus exanime, ponendo partem pro toto. Voluit autem corpus illud condiri, ne infra tempus, quo ejus sepultura fuerat differenda, generaretur ulla corruptio : quod etiam fecit honorando corpus patris tam sancti. *Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies* post corporis sancti unctionem, antequam amplius aliquid fieret circa illud. *Iste quippe mos erat cadaverum conditorum :* ut scilicet reservarentur tamdiu intacta post eorum conditionem.

Flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus. Circa hæc ait Scholastica historia et etiam Strabus, et habetur partim in Glossa : Joseph præcepit medicis ut aromatibus eum condirent, et custodierunt eum Ægyptii quadraginta diebus. Mos etenim ethnicorum, id est gentilium, erat, corpora non condita, servare novem diebus, diebusque singulis ea deflere, et calida aqua fovere, ut scirent an anima esset egressa, an sopita. Corpora vero condita, quadraginta diebus servabant. Porro Hebræis mos erat, corpora incondita servare diebus septem ; condita autem, diebus triginta servabant : ergo et ipsi corpus Jacob triginta diebus. Sicque sub custodia amborum, scilicet tam Ægyptiorum quam Hebræorum, fluxerunt dies septuaginta. Fideles autem nunc mortuos suos plangunt triginta diebus, hoc est, speciales Missas sub numero tot dierum pro eis celebrant, quoniam fide Trinitatis et virtutibus eos credunt conditos. Quidam vero agunt ter-

A tiam diem pro spiritu et anima et corpore ; aliqui autem septimum diem, quoniam anima specialiter habet tres vires, concupiscibilem, irascibilem et rationalem, et corpus constat ex quatuor elementis ; vel quia quietem, quæ per septimum diem designatur, eis exoptant. Hæc ibi. Flevit ergo Ægyptus ipsum Jacob septuaginta diebus, quia populus in Ægypto habitans, tot diebus solenniter luxit eum, et ejus celebravit exsequias, ita quod Ægyptii ethnici fecerunt hoc juxta ritum suum quadragin- B ta diebus et Hebræi habitantes ibidem, juxta morem suum diebus triginta. Nam et tot diebus fleverunt postea Moysen et Aaron. Flevit autem Ægyptus sanctum Jacob, tum propter amorem et reverentiam Joseph, tum ex amore quo dilexerant ipsum Jacob, ad quem tempore famis multi confugerant Ægyptii, quibus piissimus Jacob per se et per filium suum Joseph frequenter liberaliterque subvenit, propter quod erat eis valde dilectus.

Et expleto planctus tempore, locutus est C *Joseph ad familiam Pharaonis : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis,* ut det mihi licentiam abeundi ad sepeliendum patrem meum, *eo quod pater meus adjuraverit me, dicens : En morior ; in sepulcro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.* Supra legitur, quod Jacob exegit juramentum a Joseph, quod sepeliret (Gen. XLVII, 29, 30.) eum in spelunca duplici, quæ a tempore Abrahæ fuit pro sepultura empta ac præparata. Quomodo ergo Jacob fodit sibi ibi D sepulcrum ? Ad hoc secundum Augustinum dicendum, quod quamvis ante non legitur hoc fecisse, tamen quia hic dicitur id egisse, credendum est esse sic factum. Forsan enim in loco speluncæ fecit diu ante fieri aptum receptaculum pro corpore suo ac corpore Liæ, antequam eam sepelivit ibidem. Aliqui autem dicunt, quod fecerat ibidem habitaculum speciale. *Dixitque ei Pharao : Ascende, et sepeli patrem tuum,* etc. Quare Joseph qui erat regi familiarissimus atque carissimus, per se ipsum non

Digitized by Google

rogavit licentiam illam a rege? Forte ex A humilitate hoc fecit, vel timuit ne rex suspicaretur eum non velle reverti : idcirco volebat per alios explorare animum regis. Qui certus de veritate et fidelitate ipsius Joseph, mox annuit ejus petitioni : quod per se, vel per alios quos Joseph direxit ad ipsum, insinuavit ei.

Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti, et *domus Joseph cum fratribus suis,* etc., id est, domestici Joseph et undecim fratres ejus secum per- B gebant. *Habuit quoque in comitatu currus et equites,* etc. : senes namque et nobiles erant equestres, vel sedebant in curribus, et ita iverunt non pedestres. *Veneruntque ad aream Attath*, quæ sita est trans Jordanem :* ubi populus Israel postea murmurans, igne consumptus est, secundum Glossam, ut habetur in Numeris; *ubi celebrantes exsequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies,* etc., tot diebus ibi plangendo certis horis, potissimum ipsi filii Jacob. *Fecerunt ergo* C *filii Jacob sicut præceperat eis,* etc., *et sepelierunt eum in spelunca duplici,* etc. Circa hæc dicit Strabus : Area Attath trans Jordanem est, et distat ab Abrahamio, id est spelunca duplici, quinquaginta millibus. Præterierunt ergo speluncam illam, et postea transito Jordane, redierunt ad eam. Ideo quæritur, cur hoc fecerunt. Sed dicit aliquis, id est, aliquis dicere potest, quod timebant bella sibi instare : ideo diverterunt a recto itinere, sicut et Deus circumduxit filios Israel per desertum, ne eundo D per rectam viam, timerent propter imminentia bella. Istud quoque in Scholastica historia tangitur.

* Atad

Reversusque est Joseph in Ægyptum, etc., *sepulto patre. Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit injuriæ, quam passus est,* etc. ; *mandaverunt ei, dicentes,* forte per Benjamin, qui non interfuit illi injuriæ, quam ab aliis fratribus toleravit. Tamen secundum Lyram, Hebræi dicunt quod mandaverunt ei per filios Balæ, quos inter ceteros fratres suos magis dilexit, forte quia Bala fuit ancilla matris Joseph : quod non videtur verum, imo certum est quod dilexit Benjamin plus quam eos, et forsitan etiam Judam, qui liberavit eum de morte, et tam solenniter præ omnibus benedictus fuit a patre eorum. Maxime autem ipsa injuria Joseph, displicuit ipsi Ruben. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius,* id est ex ejus persona, *diceremus.* Istud ex timore finxerunt, ut facilius veniam impetrarent, sicque fuit mendacium officiosum et veniale peccatum. *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Per scelus fratrum, intelligi potest propositum interficiendi eum ; per peccatum, invidia qua oderant ipsum ; per malitiam, venditio qua eum vendebant. *Nos quoque oramus, ut servo Dei patri tuo,* id est amore patris tui et ad ejus honorem, *dimittas iniquitatem hanc,* id est præfatas iniquitates, intelligendo plurale per singulare : hoc est, rogamus ut nobis ignoscas tantas offensas propter patrem tuum. *Quibus auditis, flevit Joseph* ex pietate et rememoratione præteritorum, et ex patris sui memoria. *Veneruntque ad eum fratres sui,* cognito per internuntium quod sic fleret ; *et proni adorantes in terram* eum adoratione duliæ, *dixerunt : Servi tui sumus,* ex ordinatione divina, et etiam ex Pharaonis constitutione, et nostra jam prompta subjectione.

Quibus ille respondit : Nolite timere quod vindicabo injuriam meam. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Quasi dicat, Non possumus resistere voluntati Dei, quæ est ipsa volitio Omnipotentis in se ipso, seu ipsemet Deus : quæ quum sit omnipotens ac beatissima, semper infallibiliterque impletur, sicut per Isaiam testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas *Is.* XLVI, 10.
mea fiet; atque per Jeremiam : Quis est *Jer.* XLIX, 19.
iste pastor qui resistat vultui meo? Signis autem divinæ voluntatis, scilicet præcepto,

Digitized by Google

prohibitioni, consiliis, iniqui resistunt et eis contraria faciunt. Quamvis autem venditio Joseph non fuit a voluntate divina, nec placita Deo, in quantum fuit iniqua et a voluntate fratrum perversa; tamen in quantum fuit actus realis, et via ac dispositio ad plurima bona, quæ Deus decrevit ex ea elicere, sic fuit a Deo, et placuit voluntati ipsius, nec potuit quis hoc Dei propositum impedire; nihilo minus fratres potuerunt, imo et debuerunt, illam venditionem injustam, ut talem, vitare. *Vos cogitastis de me malum,* id est, mihi nocere intendistis, *et Deus vertit illud in bonum:* hoc est, ex vestro malo elicuit bonum, quia venditio et perductio mei in Ægyptum, fuit occasio promotionis meæ in Ægypto. Propter quod subditur : *ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos,* id est, præservaret eos a morte temporali per providentiam meam, qua frumenta reposui ad vendendum ea tempore famis. *Nolite timere. Ego pascam vos et parvulos vestros,* id est, necessaria victui dabo vobis ac soboli vestræ, si indigueritis. Verumtamen, quando Joseph hæc dixit, filii fratrum suorum erant viri perfectæ ætatis, ac alios genuerunt. Joseph quippe erat circiter quinquaginta sex annorum quando obiit pater suus, cum quo filii fratrum Joseph intraverunt Ægyptum, et habitaverunt in ea decem et septem annis ante ipsius Jacob decessum. Sed filii, quamvis adulti, vocantur parvuli comparatione parentum. Porro fratres Jacob post annos famis satis divites erant, nec indiguerunt sustentari a Joseph. Attamen ex sua liberalitate et caritate contulit eis multa frequenter.

Et habitavit in Ægypto cum omni domo, id est posteritate, *patris sui :* non tamen in terra Gessen, in qua fratres sui commorabantur, sed in urbe (ut reor) cum Pharaone, post quem summus erat in tota Ægypto : in qua tam ipse quam fratres ejus manebant. *Vixitque centum et decem annis.* Quo patet, quod octoginta annis vixit in principatu cum grandi prosperitate, quia triginta annorum fuit quando præpositus est Ægypto. *Et vidit filios Ephraim,* quem Jacob præposuit fratri suo quum junior esset illo, *usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir, filii Manassæ, nati sunt in genibus Joseph :* id est, post suam nativitatem positi sunt super genua proavi sui Joseph, ita quod ipse Joseph tenuit eos super genua sua, ut moris est senum, amplexari, fovere, et super genua ponere filios filiorum suorum ; sicque vidit filios Manassæ, etiam usque ad tertiam generationem, ipso Manasse incluso.

Quibus transactis, locutus est fratribus suis : non solum undecim viris illis, sed et soboli eorum ac filiis suis ; *Post mortem meam Deus visitabit vos* visitatione misericordiæ suæ, impendendo vobis beneficia sua ; *et ascendere vos,* id est posteros vestros, *faciet de terra ista ad terram quam juravit,* id est cum juramento promisit, *Abraham, Isaac et Jacob,* quod daret eam posteritati eorum. *Quumque adjurasset eos,* etc., ut ossa sua tunc secum portarent ad sepeliendum ea in terra Chanaan. Adjuravit autem eos, non ut ipsi quibus loquebatur, hoc facerent, quia morituri erant ante egressum Israel ex Ægypto ; sed ut posteris suis hoc ipsum committerent, sicque et posteros illos quodammodo adjuravit in patribus suis. *Mortuus est,* etc. *Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.* Filii etenim ejus, suum corpus dignissimum posuerunt in repositorio condecenti cum ingenti honore. Quumque filii Israel egrederentur Ægyptum, tulerunt ossa ipsius secum, et sepelierunt in Sichem, in terra sortis tribus Ephraim, ut in Josue scriptum est. Josue xxiv, 32.

Recitat Josephus, quod unusquisque ceterorum Patriarcharum fratrum Joseph, præcepit corpus suum statim post mortem suam portari et sepeliri in Hebron. Joseph vero ita non voluit fieri de corpore suo, sed illud tamdiu in Ægypto dimitti, quatenus per hoc recordarentur Ægyptii beneficiorum suorum diutius, sicque magis

Digitized by Google

benevoli essent filiis Israel inter ipsos manentibus. Voluerunt autem Joseph et fratres sui in terra promissionis sepeliri, quia patres eorum, Abraham, Isaac et Jacob, erant ibi sepulti, et quia noverunt mysteria Christi complenda ibidem. Patet quoque ex dictis, quod Joseph obiit ante fratres suos. Nam et magnates ac principes non solent vivere tamdiu, ut simplices et rustici quidam, quum scriptum sit : Omnis potentatus brevis est vita. Cujus una ratio esse potest, quod calidis ac fortibus cibis ac poculis utuntur assidue. De Levi autem fratre Joseph, constat quod vixit annis centum triginta septem, ut legitur in Exodo.

Præterea, juxta mysticum sensum, ex principio hujus capituli edocemur, quam pie et amorose habere se debent filii ac filiæ ad suos parentes morientes ac mortuos. Per condituram quoque corporum Jacob et Joseph, atque eorum honorabilem sepulturam, præfiguratæ sunt unctio corporis Christi et venerabilis sepelitio ejus, facta per Joseph decurionem et Nicodemum. Per quod etiam est ostensum, quod animas nostras condire jugiter ac ungere debemus per sanctas meditationes, puras affectiones, ceterosque virtutum actus ac habitus, ne vitiis fœteant et putrescant, sed bonus odor Christi sint ubique, et in sordido corpore constitutæ, quasi in loculis, suaviter fragrent coram Altissimo. Postremo, quemadmodum Patriarchæ præcordialiter cupiebant in terra sancta, propter Christi mysteria ibi complenda, sepeliri, detestantes manere in terra Ægypti; ita et nos ea quæ mundi sunt abhorreamus, ac totis præcordiis ad terram finalis ac beatissimæ promissionis acceleremus, ut effectu ac fructu incarnationis passionisque Christi, utpote beatifica omnipotentis superdignissimi Creatoris fruitione, æternaliter satiemur. Ad laudem, honorem, ac gloriam ejus, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Joann. XIX, 39-42.

II *Cor.* II, 15.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI GENESEOS

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN EXODUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

J*USTI sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.* Prov. VIII, 8.

Hæc sunt æternæ et increatæ Sapientiæ verba, in Proverbiorum libro scripta. Est enim Deus omnipotens in promissionibus suis fidelis, in verbis suis verax, in operibus justus, nihilo minus miserationes ejus super omnia opera ejus. Siquidem in hac vita *Ps.* CXLIV, 9. effectus misericordiæ ejus, clarius abundantiusque resplendent. In universis tamen operibus Dei, aliquid divinæ justitiæ et aliquid divinæ pietatis relucet. Propter quod dixit Psalmista : Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. Sed in quibusdam effe- *Ps.* XXIV, 10. ctibus Dei, magis manifestatur misericordia ejus, sicut in liberatione filiorum Israel ex Ægypto. In aliquibus autem ejus effectibus justitia sua magis ostenditur, quemadmodum in percussione et submersione Ægyptiorum. Itaque, dum omnes sermones Dei dicuntur justi, justitia extense accipitur, prout est virtus communis, et pro quadam condecentia ac rectitudine mentis, ita quod quælibet virtus, imo et pietas, quædam est justitia, in quantum rationalis creatura per eam ita se habet, ut debet, tenetur aut decet. Sicque pii sermones Dei, sunt justi; et promissiones ipsius gratiosæ ac misericordes, sunt justæ : quia non admiscetur eis aliquid falsitatis aut culpæ. Hinc Deus appellatur fidelis in suis promissionibus, quoniam vere eas adimplet, præsertim si sint *Ps.* CXLIV, absolute promissiones. 13. Quædam etenim promissiones divinæ sub conditione intelliguntur, videlicet nisi per peccata hominum obex ponatur, quemadmodum Deus multa promisit filiis Israel, dummodo scilicet per suos excessus non demererentur adimpletiones promissionum illarum.

Denique, quam vera sint omnia ista, patebit in expositione libri istius, in quo in primis describitur causa et modus liberationis filiorum Israel ex Ægypto : quam li- *Gen.* XVII, berationem Deus diu ante sanctis patriarchis, Abrahæ, Isaac, Jacob et Joseph prædixit 8; XXVI, 3; XXVIII, 13; atque promisit, sicut in Genesi patuit. Unde et Apostolus ad Hebræos ait : Fide Joseph XLVIII, 21. *Hebr.* XI, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. 22. Deinde in libro isto describitur, qualiter Deus per Moysen legem contulerit Israeliticæ *Exod.* XX, plebi in monte Sinai, et qualiter factum sit tabernaculum Deo jubente; quomodo etiam XXXV *et seq.* institutus sit Aaron primus sacerdos, pontifexque legalis. In quibus omnibus præsignata atque expressa sunt diversa præcepta et mysteria Ecclesiæ ac evangelicæ legis. Hinc Rabanus protestatur : In Pentateucho excellit Exodus, hoc est, inter libros Moysis eminet liber iste, in quo figuraliter exprimuntur pene omnia sacramenta seu sacra secre-

Digitized by Google

ta, quibus informatur Ecclesia. Nempe per corporalem Israelitarum de Ægypto egressum, præfiguratur spiritualis exitus noster de Ægypto, id est de caligine vitiorum et I Cor. x, 2. conversatione mundana. Per mare Rubrum, designatur Baptismus; per Ægyptiorum submersionem, interitus vitiorum, et item dejectio invisibilium hostium; per agnum paschalem, Christus et passio ejus : sicque de aliis multis, ut infra patebit.

Denique liber iste Græce vocatur ἔξοδος, quod Latine exitus interpretatur : quia in prima parte hujus voluminis tractatur præcipue de egressu Hebræorum ex terra Ægypti. Etenim ὁδός Græce, Latine via vocatur : hinc *hodœporium,* id est itinerarium seu necessarium quid in via, nominatur. Hebraice vero appellatur VEELLE SEMOTH, quod tantum valet ut istud, Hæc sunt nomina. Sic namque incipit liber iste. Consuetudo autem Hebræis est, libros ab eorum exordiis intitulare, quemadmodum sanctus evangelista Matthæus in Evangelii sui principio ait, Liber generationis Jesu Christi; quia videlicet a corporali Christi generatione Evangelium suum exorsus est. Sic et nos nomina personis imponimus a principiis suæ originis vel locorum, ut in historiis tangit Magister. (Petrus Comestor.)

Digitized by Google

ENARRATIO

IN EXODUM

HEBRAICE VEELLE SEMOTH

IN QUA DE MULTIPLICATIONE, AFFLICTIONE
ET EGRESSU AGITUR FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO, DE DECEM PLAGIS,
DE DECALOGO, DE ARCA FŒDERIS, TABERNACULO, ALTARI,
AC VESTIBUS AARON.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS PRIMI CAPITULI LIBRI EXODI : HÆC SUNT NOMINA FILIORUM ISRAEL.

MOYSES in libri hujus exordio continuat historiam nunc exponendam, historiæ libri præcedentis, videlicet Genesis. Circa quod in Scholastica historia ex verbis sancti Hieronymi dicitur : Historia Exodi non est alia ab historia Genesis, sed eadem continuata, quæ propter tollendum fastidium, in quinque partitiones, id est in quinque libros, divisa est. Contra quod objici posset, quod in Exodo multa narrantur, puta decem plagæ, divisio maris Rubri, submersio Ægyptiorum, de quibus in Genesi nihil habetur, et facta sunt diu post ea quæ in Genesi recitantur. Ad quod dici potest, quod dicitur historia eadem, quia de eodem est populo Hebræorum.

Itaque ait : *Hæc sunt nomina filiorum Israel,* hoc est ipsius Jacob, qui alio nomine vocatus est Israel, ut dictum est in Genesi, *qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob. Singuli cum domibus suis introierunt, Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon :* istos sex genuit Jacob ex Lia eodem ordine, quo hic exponuntur ; *et Benjamin,* quem genuit ex Rachele ; *Dan et Nephthali,* quos genuit ex Bala ancilla Rachelis ; *Gad et Aser,* quos ex Zelpha famula Liæ genuit, ut in Genesi habitum est. (Gen. XXIX, XXX.) Hi undecim intraverunt cum Jacob Ægyptum, singuli cum domibus suis, id est unusquisque eorum cum sobole sua, sicut in Genesi habetur. *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob,* id est eorum qui secundum carnem nati sunt ex Jacob, *septuaginta.* Aliqui textus habent, septuaginta quinque. Atque (ut refert Lyra) in Hebræo habetur, septuaginta. In Genesi quoque sic legitur : Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta. (Gen. XLVI, 27.) Quæ omnia qualiter verificentur et concordentur, diffuse est introductum in expositione capituli quadragesimi sexti Geneseos. Porro ex Jacob nati sunt immediate solum duodecim filii, et filia una. Quod ergo tam multi, sicut jam tactum est, dicuntur nati

Digitized by Google

Gen. xlvi, 26. ex femore ejus, intelligendum est simul, tam de illis quos genuit immediate, quam de nepotibus suis, videlicet filiis filiorum suorum, quos nepotes genuit mediate. A

Joseph autem in Ægypto erat: fuit enim et habitavit in Ægypto diu ante ingressum patris sui in eam, et diu post obitum ejus. Istud autem cum clausula subsequenti hic interponitur, ad continuandum dictis dicenda. Nam subditur : *Quo mortuo,* quum esset centum et decem annorum, *et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa,* id est, omnibus illis, qui cum Jacob introierunt Ægyptum, defunctis, non tamen posteritate illorum, quum subsequatur : *filii Israel creverunt* per generationem et augmentationem, *et quasi germinantes multiplicati sunt,* id est, instar seminum in terram projectorum, sive herbarum, aucti sunt numero ; *ac roborati nimis, impleverunt terram.* Nam unusquisque aliquid roboris addidit multitudini suæ plebis. Circa hoc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod mulieres Hebrææ in quolibet partu pariebant plures pueros sive proles, et aliquando quatuor proles, interdum usque ad sex. Propter quod dicitur, Quasi germinantes : quasi dicatur, Sicut ex uno grano multa grana nascuntur. Huic recitationi satis concordat, quod Rabbi Paulus scribit : Multiplicatio, inquiens, filiorum Israel tanta erat, quod assimilabatur terræ nascentium germinationi, quæ ex paucis granis multum affert fructum. Unde in Ezechiele Dominus loquitur Synagogæ : Multiplicatam quasi germen agri dedi te. Verumtamen istud apparentiam modicam habet, nec naturale fuisset, nec unquam antea legitur factum, nec necesse est dicere. Nam dato quod feminæ non genuerint uno partu nisi unicam prolem aut duas, nihilo minus littera ista verificatur. Nam homines tunc satis diu vixerunt ; et mulieres usque ad septuaginta aut octoginta annos fuerunt fecundæ, ita quod eadem uxor poterat successive parere quadraginta proles, aut circiter. Idem quoque vir poterat plures habere uxores, ut patuit. Ex quibus potuit multos gignere pueros, sicut et Gedeon legitur septuaginta filios habuisse. Judic. viii, 30.

(Ezech. xvi, 7.)

Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph. In Scholastica fertur historia, quod rex iste fuit octavus ab illo, sub quo Joseph præfuit in Ægypto, nec fuit rex iste de semine regis illius, cujus jam defecit successio. Hinc dilectio, quam posteri illius prioris regis habuerunt ad filios Israel, propter Joseph et beneficia ejus, defuit regi huic : ideo dicitur ignorasse Joseph, quoniam beneficia et historiam Joseph oblitus fuit, vel ob longitudinem temporis non audivit. *Et ait ad populum suum : Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est.* Non est putandum, quod absolute loquendo Israeliticus ille populus in Ægypto degens, fuerit major, fortior aut ditior toto populo Ægyptiorum ; sed comparando numerum ad numerum, fortiores fuerunt illi Hebræi Ægyptiis : idcirco si verbum regis verificari debet, oportet ut intelligatur per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid dicitur per excessum : per quem modum multæ propositiones in Genesi scriptæ sunt, ut quod Pharao dixit ad Joseph, Absque tuo imperio nullus movebit manum aut pedem in tota terra Ægypti. Non tamen oportet hæc verba impii regis illius a mendacio excusare. Ipse namque sic loquebatur, quatenus Ægyptios vehementius inflammaret contra Hebræos. Ex passione quoque invidiæ, quam contra Hebræos concepit, prosperitas eorumdem videbatur ei major quam fuit. Passiones namque, quando non reprimuntur per rationis judicium et virtutes morales, semper abducunt rationem a medio, et ejus pervertunt judicium tanto plus, quanto magis intensæ sunt in se ipsis. Gen. xli, 44.

Venite, sapienter, mihi consentiendo, et ea quæ dixero adimplendo, *opprimamus eum.* Rex iste iniquus, suam iniquam astutiam reputavit esse veram prudentiam. Habet autem vulpina versutia aliquid simile cum vera prudentia. Nam sicut veraciter prudens honestum sibi finem præfigit, et

Digitized by Google

juxta exigentiam finis illius bene disponit media sua ad finis illius adeptionem ; sic astutus et carnaliter prudens, præfigit sibi finem perversum, videlicet carnaliter delectari, impie prosperari, aut prævalere, aut aliquid tale, et juxta quod congruit ad obtinendum finem hujusmodi, apte disponit de mediis. *Ne forte multiplicetur* in sexu virili plus quam multiplicatus est ; *et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris :* hoc est, ne sponte se addat adversariis nostris, eosque juvet ad expugnandum nos. Ideo subditur : *expugnatisque nobis, egrediatur de terra,* id est, terram nostram libere exeat in damnum nostrum. Erant namque Hebræi subjecti Ægyptiis, et utiles eis erant in multis, puta in artificiis, atque (ut fertur) dabant regi annuatim magnum tributum. Et forsan rex iste aliquid percepit de spe, quam habuerunt Hebræi de sua liberatione ex Ægypto, et introductione in terram ipsis a Deo suo promissam : ideo videns eos sic multiplicari ac roborari, verebatur ne congregato exercitu per vim exirent.

Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus. Quidam dicunt quod isti magistri operum fuerunt Ægyptii : quod etiam asserit Lyra. Alii dicunt quod fuerunt Hebræi, et quod ipsis magistris operum præfecit quosdam Ægyptios, qui magistros illos operum Hebræos sollicitarent ad expletionem sui officii. Et hoc asserit Magister in historiis, et consonat Josepho, imo et textui infra, quo legitur :
Exod. v, 14. Præcepit Pharao præfectis operum, et exactoribus populi, dicens : Nequaquam ultra dabitis paleas populo. Itemque : Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis. Et certum est, quod illi sic flagellati, fuerunt Hebræi. Ideo istud tanquam verum tenendum est. Itaque rex Ægypti præfecit Hebræis magistros operum, ut ipsi magistri operum affligerent Hebræos oneribus, hoc est, ut laboriosa opera eis imponerent ex parte regis, quatenus ipsi Hebræi fatigati et fracti laboribus, tædio ac mœrore, non vacarent amplexibus. Sicque in illis operibus quærebat Pharao propriam utilitatem, et Hebræorum diminutionem, quam et principaliter intendebat. *Ædificaveruntque* Hebræi *urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Ramesses,* hoc est urbes ita vocatas. Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Urbes thesaurorum, quia tam fortes tunc factæ sunt illæ urbes, ac si ibi essent thesauri regis ponendi. Sed potius puto, quod S. Hieronymus transtulit sicut in Hebræo habetur, et quod dictio illa Hebraica, pro qua transtulit, Tabernaculorum, forte æquivoca sit ad designandum tabernacula ac thesauros. Nam et Josephus innuit, in Hebræo haberi, Urbes tabernaculorum.

Porro in Scholastica fertur historia, quod urbes illæ jam ante fuerunt urbes, sed non urbes tabernaculorum, erantque in extremitate Ægypti : ideo Pharao fecit eas muris vallari, ut poneret in eis armatos quasi in tabernaculis jugiter excubantes, ne ingredi quis posset aut egredi sine regis consensu. Vel dicuntur urbes tabernaculorum, præ multitudine habitaculorum ibi exsistentium, aut propter fortitudinem fortalitiorum ibidem factorum, in quibus milites regis erant ; sive ut aliqui dicunt, tabernaculorum, id est positionum, ubi videlicet fiscus regis reponeretur.

Porro Pharao est nomen commune regiæ dignitatis regum Ægypti, sicut apud Romanos quilibet imperator dicebatur Augustus. Ideo Rabanus in libro de Naturis rerum : Pharao, inquit, est nomen non hominis, sed honoris. Et Glossa : Omnes reges Ægyptiorum, Pharaones vocabantur, sicut et postea Ptolemæi vocati sunt ; et reges Persarum, Arsacidæ ; reges vero Romanorum, dicti sunt Cæsares vel Augusti, et præter hæc habuerunt propria nomina.

Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant, hoc est, quanto plus Hebræi opprimebantur ab Ægyptiis per labores, tanto Hebræi genuerunt sobolem abundantiorem. Quod quidam adscribunt miraculo. Unde et Rabbi

Paulus dicit hoc non fuisse secundum na- A turalem communemque cursum. Alii dicunt, quod experientia doceat, rusticanos et graviter laborantes gignere prolem copiosiorem, quam eos qui laute vivunt et otio vacant. *Oderantque filios Israel Ægyptii.* Josephus breviter tangit quatuor causas odii hujus, dicens : Oderunt Hebræos Ægyptii, propter virtutem ingenii, et laboris industriam, et affluentiam opum, et sobolis nobilitatem. Primo itaque oderant eos, quia Hebræi erant eis ingeniosiores. Secundo, quoniam erant eis in artificiis B subtiliores. Tertio, quoniam divites erant et ditiores vulgo Ægyptiorum. Quarto, quoniam elegantem et copiosam sobolem habuerunt. In Genesi quoque præhabitum est, quod Ægyptii abominabantur Hebræos (Gen. XLVI, 34.) propter disparem cultum, et tanquam alienos spreverunt eos. *Et affligebant* Ægyptii Hebræos, *illudentes* et invidentes *eis,* verbis, signis, et factis ; *atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur,* hoc C est per opera inhumaniter laboriosa, quæ materialiter fiebant ex terra lutosa atque lateribus, ex quibus ædificabant urbes tabernaculorum. Denique in Scholastica historia ex Josepho dicitur : Aliud opus non tam grave, quam servile, imposuit Pharao eis, ut scilicet lutum platearum et sordes vicorum cophinis exportarent, juxta illud in Psalmo, Manus ejus in cophinis servierunt (Ps. LXXX, 7.); atque ut fluvium, scilicet Nilum, per multas derivationes dividerent, quatenus terram Ægypti in locis plurimis irrigaret, D et circumdarent civitates fossatis, ne eas fluvius inundaret.

Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua. Pharao videns sibi non prodesse præinductam versutiam ad minorandum populum Hebræorum, excogitavit alium dolum, ut scilicet obstetrices Hebræorum obstetricando occiderent masculos Hebræorum, ut patet in textu. Porro hæ duæ obstetrices præerant ceteris obstetricibus Hebræorum, quibus duæ obstetrices nequaquam sufficiebant. Itaque his duabus, et per eas ceteris Hebræorum obstetricibus jussit, *præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, et tempus partus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum.* Atque, ut Magister in historiis addit, permisit eis ut mentirentur factum esse aborsum. Primo namque volebat rex propositum suum per fraudes occulte implere, ne de nimia crudelitate argueretur. *Si femina, reservate,* hoc est, si proles nata, fuerit femella, vivere eam permittite. Ægyptii quippe non timuerunt sibi imminere periculum ex multiplicatione feminarum Hebræarum, quia infirmus, non bellicosus, est sexus femineus ; ideo quoque voluerunt eas servari, ut earum fruerentur concubitu. Est et tertia causa, cur rex præcepit feminas reservari : quia videlicet feminæ Hebrææ in quibusdam artificiis erant subtiliores mulieribus Ægyptiorum; ideo rex voluit, ut in talibus artificiis sibi ac populo suo servirent, et ut possideret eas in ancillas. *Timuerunt autem obstetrices Deum.* Dicunt aliqui quod non solum servili, sed et filiali seu initiali timore Dominum timuerunt, ut infra tangetur. *Et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant,* hoc est vivere permiserunt, *mares,* id est infantulos sexus masculini ; nec etiam ceteris obstetricibus sibi subjectis commiserunt occidere masculos. Nec solum ex Dei timore, sed item ex naturali pietate et pia compassione abstinuerunt a tam crudelissima cæde, præsertim quum feminæ sint communiter ac naturaliter compassivæ ac molles. *Quibus ad se accersitis, rex ait.* Quum enim rex percepisset per quosdam Ægyptios æmulos Hebræorum, quod obstetrices non interfecerunt masculos, vocavit rex eas ad se, dicens : *Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros,* scilicet masculos, *servaretis ?* quasi dicat : Cur tam inobedientes mihi fuistis ? *Quæ responderunt : Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres,* id est, non sunt ita imperitæ in arte obste-

Digitized by Google

tricandi, ut Ægyptiæ feminæ. Ideo subditur: *Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas* nos et obstetrices nobis subjectæ, *pariunt,* ita quod una earum alteri suffragatur, vel juvant se ipsas. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus,* id est, earum pietatem ac timorem quo Deum timebant, et regem sceleratum offendere, seque periculo exponere maluerunt, quam tam dire peccare, remuneravit etiam in præsenti, ut paulo post diffusius exponetur. *Et crevit populus* Israel in sexu utroque, *confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos.* Hoc in Scholastica historia ita exponitur : Locupletavit eas, quum essent pauperes ; vel fecundavit, quum essent steriles. Qui autem dicunt eas timuisse Deum filiali, vel saltem initiali timore, exponunt sic : Ædificavit eis domos, hoc est, spiritualem opulentiam gratiæ in præsenti contulit eis, mansiones quoque in gloria æternali eis paravit. Qui vero dicunt eas timuisse Deum timore solum servili, exponunt quod Deus ædificavit eis domos, id est, temporalia bona tribuit eis.

Circa hoc quæritur, quali timore timuerunt Deum, et an peccaverunt mortaliter se mendaciter excusando timore mortis, et amore vitæ præsentis, et utrum finaliter sint salvatæ. Ad ista S. Hieronymus super Isaiam innuit responsionem, dicendo quod Deus ædificavit eis domos, hoc est virtutes pro quibus in cœlestibus requiescerent. Ex quo sequitur, quod filiali aut initiali timore formidaverint Dominum, et venialiter tantum peccaverint mentiendo, quia mendacium illud fuit officiosum, non perniciosum, aut contra fidei veritatem, nec contra religionis doctrinam : et ita habuerunt virtutes infusas, et salvatæ creduntur. Idem sentit B. Augustinus, qui ait, et habetur in Glossa : Aliud faciebant obstetrices parvulos conservando, aliud Pharaoni mentiendo. In conservando opus misericordiæ fuit, mendacio autem pro se utebantur, ne Pharao eis noceret. Quod potuit non ad laudem, sed ad veniam per-

A tinere : sicque earum mendacium exstitit veniale.

Porro S. Gregorius sentire videtur, quod demerito sui mendacii, privatæ sunt retributione felicitatis æternæ, et sola temporalia pro præmio sint sortitæ ; quia per domos intelligit temporalia bona : sicque earum mendacium fuisset mortale. Hinc ex Gregorio fertur in Glossa : Summo opere cavendum est mendacium, quamvis sit culpæ levioris, si quis mentiatur præstando beneficium. Sed quoniam scriptum est,
B Os quod mentitur, occidit animam, hoc *Sap. i, 11.*
quoque perfecti refugiunt, ita ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne noceant animæ suæ, dum prodesse cupiunt carni alienæ : quanquam hoc peccati genus facile relaxari credamus. Nam si quævis culpa sequenti pia operatione purgatur, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas comitatur? Multi vero ex obstetricum fallacia conantur asserere, hoc mendacii genus non esse peccatum, quia ædificavit eis Dominus
C domos : in qua recompensatione magis agnoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ potuit in æterna vita retribui, in terrenam compensationem pro culpa mendacii est mutata, ut in vita sua, quam mentiendo tueri voluerunt, reciperent bona quæ fecerunt, et ulterius quod exspectarent mercedis præmium, non haberent. Nam et si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo enim, conatæ sunt infan-
D tum protegere vitam ; mentiendo, suam.

Præterea, in his verbis videtur quædam contradictio insinuari. Si enim mendacium obstetricum fuit de facili relaxabile, faciliterque delebile, non videtur fuisse mortale ; et si non fuit mortale, non propter illud sunt mercede cœlesti privatæ : nisi forte voluerit dicere, quod fuit faciliter delebile comparative loquendo, et ex causa seu ratione suæ originis. Denique non sequitur, mentitæ sunt amore vitæ præsentis, ergo sic mentiendo peccaverunt mor-

Digitized by Google

taliter. Non enim omne peccatum exstat mortale, quod oritur ex formidine mortis, aut amore vitæ præsentis : ut si quis evaginato gladio, dicat alicui, Nisi protuleris mendacium jocosum aut officiosum, occidam te; et ille proferret tale mendacium, ne occideretur. Sed tunc est mortale, quod ex amore vitæ præsentis, aut mortis timore procedit, quando est contra præceptum aut caritatem. Tunc enim, et non aliter, vita præsens et amor ejus præferuntur caritati et vitæ æternæ, imo et Deo. Porro verba Gregorii quidam sic glossant : Si non essent mentitæ, Deus dedisset eis gratiam, per quam meruissent vitam æternam ; sed mendacium earum fuit impedimentum infusionis gratiæ gratum facientis. Adduntque isti, quod obstetrices nunquam gratiam habuerunt : quod incertum opinor. Nec verum censetur, quod solum veniale peccatum impedivit eas a gratiæ infusione. Tamen si mori maluissent, quam mentiri ne Deum offenderent, gratiam utique seu ejus incrementum promeruissent.

Est ergo dicendum, quod mendacium obstetricum fuit veniale peccatum. Unde quod dicitur Deus eis domos ædificasse, exponi potest de retributione temporali ac spirituali. Nam et temporalium sufficientiam, et gratiam ac virtutes contulit illis, pro earum caritate et pietate ad Israelitas, proque timore quo Deum extimuerunt. Creduntur quippe hæ obstetrices fuisse primo Ægyptiæ, sed Deo illuminante, acceperunt veri Dei notitiam. Et quamvis Pharao iste legatur ignorasse Joseph et ejus historiam, Israelitarumque Deum, non tamen est verisimile quin adhuc multi valde in Ægypto erant, qui ex revelatione aut conscriptione noverant inde loqui : inter quos forsitan erant et hæ obstetrices, quæ etiam inter Hebræos versando, aliquid discere potuerunt de vero Deo. Deinde per præfatam suam pietatem et compassionem, adeptæ creduntur gratiam tantam, quod ad cultum unius Dei conversæ sunt, ac promotæ in populo Hebræorum, sicut
Josue VI, 25. de Rahab legitur Josue sexto, et de Achior Ammonita in libro Judith. Nempe si Ra- Judith. XIV, 17, 18.
hab consecuta est a Domino tantam remunerationem in bonis vitæ præsentis, atque in spiritualibus donis, quoniam duos Hebræorum exploratores pie tractavit, et a mortis discrimine liberavit : quanto magis obstetrices istæ, quæ circa tam multos innocentes infantulos, et per consequens circa eorum parentes fuerunt tam piæ ac gratiosæ ? Quod autem per ædificationem domorum a Deo collatam obstetricibus illis, intelligi queant etiam facultates rei familiaris, seu bona terrena, testatur in libro de Locutionibus Augustinus.

Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens : Quidquid masculini sexus natum fuerit ex Hebræis, *in flumen,* id est in Nilum, qui per diversa loca divisus, currit hinc inde per varias partes Ægypti, *projicite ; quidquid feminini, reservate.* Itaque Pharao videns se non obtinere intentum per fraudes, et per persecutiones dolosas, in apertam persecutionem erupit. Erat autem projectio parvulorum in Nilum, minus horrenda, quam effusio sanguinis eorumdem : ideo magis præcepit rex ut mergerentur, quam ut ferro trucidarentur vel jugularentur. Quod vero legitur Pharao præcepisse istud omni populo suo, quidam de Ægyptiis interpretantur, ita quod illis jussit exsequi hoc mandatum, et inquirere diligenter, ubi, quando, et quid feminæ gignerent Hebræorum. Alii putant intelligendum de populo Israel, qui populus Pharaonis vocatur, quia sub ejus erat dominio. Unde et infra dicunt Hebræi ad Pharaonem : Cur ita agis contra populum Exod. V, 15.
tuum ? Hi itaque dicunt, quod Pharao sub pœna mortis et amissionis rerum omnium, jussit viris Hebræis submergere proprios parvulos.

Amplius, præter rationem superius introductam, assignat Josephus aliam causam, cur Pharao jussit masculos, non femellas, occidi : videlicet quoniam quidam sacerdos Ægyptiorum prædixit regi, eo tempore masculum in Israel nasciturum, qui regimen Ægypti humiliaret, et virtute

Digitized by Google

transcenderet universos. Istud quoque allegat Magister in historiis; imo S. Bernardus in sermone de Pascha circa epistolam sancti Joannis testatur, quod Herodes laborabat simili suspicione cum Pharaone : quoniam sicut Pharao præcepit universitatem parvulorum Israelitici germinis trucidari propter unum puerum sibi suspectum, ita Herodes parvulos Bethlehemitas. (tth. II,) Sicque in hoc Moyses fuit figura Christi.

Circa præhabita quæritur : An duæ præfatæ obstetrices Hebræorum, fuerunt natione Ægyptiæ, an Hebrææ. Quocirca recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod fuerunt ambæ Hebrææ, atque binomiæ, ita quod illa quæ in textu vocatur Sephora, fuit Jochabed filia Levi, et secunda Maria soror Moysis. Quod improbat Lyra : Primo, quoniam Jochabed illa jam mortua fuit, quum A dictum sit, quod Joseph et fratres ejus omnisque cognatio illa jam erant defuncti. Secundo, quoniam obstetrices illæ, excusando se coram rege, dixerunt : Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres. Per quod insinuari videtur, quod ipsæ non erant Hebrææ. Tertio, quoniam non est probabile, quod occultam interfectionem infantium Hebræorum commisit rex mulieribus Hebræis. His addi potest, quod Jochabed etsi adhuc vixisset, tamen præ nimia senectute inepta fuisset ad obstetricale offi- B cium ac generalem sollicitudinem obstetricum. Maria vero soror Moysis, fuit puella tam juvenis, quod tunc fuisset ad officium illud inepta. Vix etenim erat quindecim annorum. Josephus quoque ait, quod erant Ægyptiæ, et quod propter hoc rex putavit eas suam non transgredi jussionem.

ARTICULUS II

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM PRIMI CAPITULI.

SECUNDUM Origenem, sermo sacræ Scripturæ similis est semini in terram projecto, quod crescit in plurima grana ; et tanto fructuosius redditur, quanto ab agricola fuerit diligentius cultum, et quo terra pinguior uberiorque exstiterit. Sic una scriptura multipliciorem parit sensum, et tanto salubriores gignit sententias, quanto profundius consideratur, et (LXII, 6.) quo cor considerantis, sicut adipe et pinguedine, amplius adimpletur dono sapientiæ et spiritu intellectus. Ita est plane de hoc in Exodo. Quod, quantum ad superficiem litteræ, exstat perfacile ; sed spiritualiter ac mystice consideratum, sensus habet sublimes. Itaque per ingressum Jacob et undecim filiorum ejus cum eorum familiis in Ægyptum ut ibi reficerentur, mystice designatur, quod Dominus noster Jesus Christus per Jacob præfiguratus, in- C travit hunc mundum desiderio nostræ salutis, et cum ipso undecim Apostoli præelecti, quorum duodecimus fuit reprobus et iniquus, sicut de ipso asseruit Christus : Unus ex vobis diabolus est. (Joann. VI, 71.) Deinde Judæa relicta, Christus in Apostolis et per eos regna gentilium est ingressus.

Porro, per familias Patriarcharum, intelliguntur spirituales filii Apostolorum, quos sancti Apostoli assumpserunt in adjutorium, atque miserunt ad gentium conversionem. Per animas quoque septuaginta, D seu septuaginta quinque, intelliguntur septuaginta discipuli Christi, qui ante vixerunt juxta legem ac documenta quinque librorum Moysis. Per hoc quoque, quod Joseph tunc exstitit in Ægypto quando undecim Patriarchæ erant cum Jacob, datur intelligi, quod Paulus nondum conversus, adhuc inter mundanos conversabatur, quando

undecim Apostoli erant cum Christo, Juda A sublato. Verumtamen per hoc aptius designatur, quod Christus secundum suæ deitatis incircumscriptibilem majestatem fuit ubique terrarum, quando secundum suam humanitatem fuit et ambulavit cum Apostolis in loco determinato. Propter quod
Joann. I, 10. ait Evangelista de Christo: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Et nunc nondum cognoverat eum mundus, sed ut cognosceretur, venit per Apostolos ad mundanos. Christus equidem qui designatur per Jacob, significatur et per Joseph: quum B tanta sit perfectio et abundantia mysteriorum Christi, quod per unum, imo per plures non potest plenarie præfigurari.

Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa, filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt; ac roborati nimis, impleverunt terram. Sic Domino Jesu Christo crucifixo ac mortuo, sanctis quoque Apostolis ac primis discipulis in fide et pro fide Christi martyrizatis, Christiani qui sunt veri ac spirituales Israelitæ, ubique terrarum super arenam C sunt multiplicati, suisque hostibus tam invisibilibus quam visibilibus per fidem et patientiam, per caritatis fervorem, fortitudinisque constantiam ac virtutem prævaluerunt. Nam tempore persecutionum et tyrannorum magis excrevit Ecclesia, imo sæpissime in martyrizatione unius Sancti aut Sanctæ, omnipotens Deus tot et tanta peregit miracula, quod ad Christum convertebantur gentilium millia multa, quemadmodum Christus ante suam passionem
Luc. XXI, 15. promisit atque prædixit discipulis: Ego, D inquiens, dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Insuper, juxta tropologicum sensum, mortuo Joseph, hoc est, homine christiano per Christi cruciformem imitationem salubriter mortificato ac reformato, crescunt in eo filii Israel, hoc est sensus spirituales ac mystici virtuosique actus, et contemplationum ex-
II Cor. III, 18. cessus, ita ut revelata facie gloriam Domini speculetur, et membra corporis sui fructificent Deo, quoniam exhibentur arma justitiæ Regi æterno. Talisque homo oratione, prædicatione, exemplari quoque conversatione multos convertit, ac generat Domino.

Surrexit interea rex novus super Ægyptum, etc. Per novum regem illum, ingratum Christo et ejus ignarum, intelligitur unusquisque tyrannus, qui videns Christianos multiplicatos ac roboratos, tractat cum subditis suis, qualiter Christianos queat opprimere, et nomen Christi delere de terra, quoniam videt se sapientiæ Christianorum non posse resistere. Hoc primo fecerunt indurati pontifices Judæorum, persequendo atrociter primitivam Ecclesiam, deinde reges et principes paganorum, præsertim imperatores Romanorum atque Persarum. Primusque Nero generalem concitavit persecutionem in Christianos. Diocletianus vero et Maximianus ferventissime affectabant ac laborabant, universam plebem christifidelem ejusque memoriam et nomen Christi prorsus auferre de terra. *Præposuit itaque eis magistros operum,* etc. Hoc totum etiam quasi ad litteram impletum est in populo christiano. Quemadmodum enim Pharao præposuit filiis Israel magistros operum, ut affligerent eos oneribus, sic multi reges principesque pagani injunxerunt Christianis labores gravissimos, ut scilicet metalla effoderent, lutum et saxa portarent, ac tributa persolverent. Præterea, quanto plus opprimebantur fideles per martyria et labores, tanto amplius merito ac numero aucti sunt. Ideo oderunt eos Ægyptii, puta increduli, qui illuserunt et afflixerunt credentes in Christum, atque ad amaritudinem corporalium pœnarum perducebant vitam fidelium, per opera dura luti ac lateris, utpote per labores et servitutes gravissimas in rebus vilibus ac terrenis, quamvis sancti Christiani omnia talia propter Christum æquanimiter ferrent in spiritu.

Per reges demum Ægypti, qui noverant Joseph et beneficia ejus, nec filiis Israel molesti fuerunt, signantur principes chri-

Digitized by Google

stiani, sub quibus Ecclesia pacem temporis ac pectoris est sortita. Insuper, per regem Ægypti afflictorem Israelitarum, significatur diabolus, qui dum primitivam Ecclesiam vidisset quotidie mirabiliter multiplicari, omnique divinorum charismatum virtute ac gratia roborari et expoliri, dixit satellitibus suis : *Ecce populus filiorum Israel,* id est Christianorum, qui per fidei imitationem sunt filii Abrahæ, et per contemplationem divinorum digni sunt Israel appellari ; *multus, et fortior nobis est :* quia per opem Spiritus Sancti prævaluerunt dæmonibus, ejeceruntque eos ab obsessis, et de cordibus horum quos converterunt. Hinc ait Salvator discipulis :
x, 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici. *Venite, sapienter opprimamus eum,* id est pondere tentationum et impetu adversitatum : dæmones autem suam nequissimam calliditatem, sapientiam arbitrantur ; *ne forte multiplicetur* in personis et meritis ; *et si ingruerit contra nos bellum,* hoc est, si alii quoque adhuc infideles receperint fidem, seque opposuerint nobis, *addatur inimicis nostris,* id est, caritative ac pie se applicet illis recenter conversis ; *expugnatisque nobis, egrediatur de terra,* hoc est de exsilio suæ peregrinationis et corpore mortis, seu terrena et carnalia vitia omnino relinquat, et intret in regnum cœleste.

Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus. Isti magistri operum, sunt maligni spiritus, ad certa distincta vitia inclinantes, ac variis modis tentantes genus humanum. Quibus præcipit princeps tenebrarum, ut affligant fideles per terrores et somnia, per tentationes et tribulationes multiplices. Hinc quidam dæmonum vocantur spiritus fornicationis, alii spiritus superbiæ, alii spiritus invidiæ, alii iræ, aliique acediæ. *Ædificaveruntque*
LVIII, 13. *urbes tabernaculorum Pharaoni.* Hi etenim qui ad tempus credunt, et facta persecutione scandalizantur, ac tentatione vincuntur, ædificant urbes tabernaculorum Phara-

A oni, id est, congregationes faciunt pravas, in quibus regnat diabolus. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur.* Hoc impletur in his, qui radices cordis fixerunt in Deo, et timorati ac justi sunt : qui tanto ardentius atque instantius insistunt exercitiis virtuosis, et tentationibus renituntur, quanto acrius se tentari experiuntur, quemadmodum ad Hebræos hortatur Apostolus : Deponentes omne pon- *Hebr.* XII, 1, 2.
dus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis B certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum. *Oderantque filios Israel Ægyptii :* id est, dæmones multiplicabiliter odiunt Christianos, quos indesinenter conantur decipere. Nam et invidia *Sap.* II, 24.
diaboli, mors intravit in orbem terrarum. *Et affligebant, illudentes eis.* Utique invisibiles hostes per tentationes, distractiones, et varias phantasias ac persuasiones, quas ingerunt cordibus devotorum, valde affligunt eosdem, et frequenter eis illudunt, ita quod dum Deo cum sinceritate et C fervore intenderent, atque stabiliter inhærerent, vanis ac frivolis imaginationibus occupantur, etiam tempore orationis ac cultus divini. Propter quod oravit Propheta : Deus meus, in te confido, non erube- *Ps.* XXIV, 2, 3.
scam, neque irrideant me inimici mei. *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris.* Electi interdum graviter amaricantur, dum eis a dæmonibus carnalia vitia suggeruntur, vel dum in ea corruisse se gemunt. Opera quippe luti ac lateris, recte dicuntur im- D mundissimi actus luxuriæ, quæ maculat tanquam lutum ; et pravæ consuetudinis, quæ instar lateris, intenso propriæ voluntatis affectu induruit. Unde Psalmista decantat : Exaudivit Dominus preces meas, *Ps.* XXXIX, 3.
et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis. Itaque ad hæc inquinamenta et consuetudinem pravam conantur spiritus maligni inducere homines.

Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum. Per obstetrices Hebræorum, intelliguntur animæ timoratorum præsi-

Digitized by Google

1 Petr. II, 2. dentium, quæ subditos quasi modo genitos infantes lacte spiritualis doctrinæ reficiunt. Talibus animabus diabolus suggerit, ut mares parvulos perimant, femellas reservent : id est, spirituales humilesque errare sinant ac perire, nec eos hortentur, consolentur, corripiant ac castigent; feminas vero, id est carnales et molles, in suis permittant carnalitatibus, negligentiis, ac perversitatibus perdurare, et in talibus foveant eos. Huic tam impiæ suggestioni diaboli, non acquiescunt animæ prælatorum et doctorum Deum timentium. Quumque diabolus hoc ipsum eis improperat, dicunt : *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres,* id est, animæ Christifidelium, non sunt sicut animæ infidelium ac pravorum. *Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam,* hoc est, animæ veraciter christianæ, desuper illustratæ, ex unctione Spiritus Sancti agnoscunt, qualiter cogitationes et affectus in se omni hora nascentes, debeant dijudicare, discernere, dirigere, et mala cordis germina a se statim abjicere. Ideo *priusquam veniamus ad eas, pariunt,* id est, antequam informentur a nobis, ex illuminatione divina recte se habent, et fructum virtutis pariunt. Unde Joannes apostolus in prima sua Canonica talibus subditis scribit : Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio
1 Joann. II, 27.

A ejus docet vos de omnibus. Paulus quoque : Divites, inquit, facti estis in Deo, in omni verbo et scientia, ita ut non sit necesse nobis aliquid loqui. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus; et ædificavit eis domos:* id est, animabus talium prælatorum ac præsidentium, contulit Deus copiosissima munera gratiæ ac virtutum in vita præsenti, atque in cœlestibus mansionibus præparavit beatissimas sedes, ut non solum coronentur pro propriis meritis, sed item pro meritis omnium quos digne rexerunt. Sub talium autem regimine maxime crescit ac proficit populus christianus.
1 Cor. I,
1 Thess. I,

B *Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens : Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite; quidquid feminini, reservate.* Populus Pharaonis sunt dæmones, principi suo subjecti ; omnes quoque iniqui, hæretici, schismatici, infideles, quibus omnibus jubet ac suggerit diabolus, ut masculos in flumen projiciant, id est, vere catholicos, justos ac spirituales persequantur ac destruant, obruendo C eosdem inquietudine tribulationum, impetu tentationum, fluxu et abundantia vitiorum; feminas autem reservent, id est, eos in malis foveant et conservent, qui instar feminarum instabiles sunt, molles ac debiles ad resistendum tentamentis ac vitiis.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : EGRESSUS EST POST HÆC VIR DE DOMO LEVI.

CONSEQUENTER Moyses quasi de alio loquens, sui ipsius nativitatem, educationem, provectum, eventum et gesta describit. Sic quippe auctores Scripturæ, de se ipsis quasi de aliis frequenter loquuntur. *Egressus est post hæc vir de domo Levi, et accepit uxorem stirpis suæ.* Si quod ait, Post hæc, intelligatur de omnibus de D quibus facta est mentio in præcedenti capitulo, tunc egressus hujus viri, non potest intelligi de ejus nativitate ; neque quod ait, Accepit uxorem, accipi potest de sumptione mulieris illius in matrimonium : quoniam vir iste, diu natus fuit ante præfatum Pharaonis præceptum de submersione parvulorum ; similiter ante præce-

Digitized by Google

ptum illud duxit feminam illam conjugem. A Imo et ante illud præceptum genuit ex eadem Aaron et Mariam. Siquidem Aaron fuit triennio senior Moyse; et si ante nativitatem Aaron emanasset illud præceptum, Aaron fuisset submersus. Maria vero soror Moysis et Aaron, fuit per tempus notabile eis senior, ut in isto dicetur capitulo. Si itaque quod dicitur, Post hæc, intelligatur de omnibus illis, sic exponetur particula ista, Egressus est : id est, ad certum actum et determinatam prolificationem processit, atque de loco et actu orationis, ad locum B et actum generationis progressus est post hæc, quæ præcedenti narrantur capitulo, vir de domo Levi, id est de semine et familia Levi patriarchæ. Fuit namque vir iste Amram filius Caath filii Levi, ut infra patebit; et accepit uxorem stirpis suæ, id est, maritali affectu atque amplexu illam accessit, quæ uxor fuit etiam de progenie Levi. Fuit enim (ut infra habetur) Jochabed patruelis istius Amram. Porro si quod ait, Post hæc, referatur solum ad aliqua in præcedenti capitulo scripta, puta ad in- C gressum Jacob filiorumque ejus in Ægyptum, ad exsistentiam quoque diuturnam, quamvis non totalem, ipsius Joseph in Ægypto, sic egressus viri hujus accipi possit de nativitate ejus; et acceptio suæ uxoris, de acceptione in conjugem.

Quæ concepit et peperit filium, scilicet Moysen. Magister in historiis, aliique communiter ex Josepho referunt, quod post exitum præfati præcepti de parvulorum submersione, Amram iste ab uxore sua abstinuit, malens non generare, quam in- D fantulos mox necandos procreare. Et creditur Deum devote orasse, ut succurreret populo suo tam inhumane oppresso; tuncque in somno apparuit ei Dominus, admonens ut secure uxorem cognosceret, quia generaturus esset ex ea filium liberaturum filios Israel, de cujus filii ortu formidarent Ægyptii. De sacerdotio quoque Aaron filii sui prædixit ei. Quibus auditis, cognovit uxorem. *Et videns eum elegantem :* fuit equidem Moyses puer valde formosus et magnus; dicuntque aliqui, quod natus mox matri suæ arrisit; *abscondit* eum *tribus mensibus :* infra quos occulte aluit eum. Sed mirum videtur, qualiter potuit puerum tamdiu celare, quia ex uteri sui tumore patuit cunctis intuentibus quod concepit, similiter ex uteri sui depressione patuit eam jam peperisse; in partu quoque videtur instar parientium clamitasse, nec habuit testem, puerum natum esse submersum. Ad ista quidam respondent, quod quædam sunt feminæ ita dispositæ, quod earum imprægnatio parum apparet, et quod sine dolore vehementi parere solent. Et talem dicunt istam fuisse.

Quumque jam celare non posset diutius puerum adhuc viventem. Paulatim quippe res cœpit erumpere et patere. Aliqui quoque dicunt, quod ex præcepto regis, Ægyptii statutis diebus scrutabantur habitacula Hebræorum, an eis esset puer absconditus : quod ad minus semel fecerunt (ut dicitur) infra tres menses. *Sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice; posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei.* Fiscella scirpea est vasculum rotundum instar alveoli, factum de scirpis, id est de juncis. Quod linitum fuit bitumine et pice, ne aqua Nili illud intraret. Fecit quoque illud de juncis, qui sunt levis, aqueæ, aereæque naturæ, ut super aquas posset natare. Posuit etiam vasculum illud juxta ripam, in loco ubi solent crescere carices, quæ sunt herbæ acutæ, ut ensis, ita quod manum secant prementis. Unde locus ille vocatur carectum. Non enim posuit fiscellam illam remote a ripa, ne vi aquæ abduceretur longe a terra.

Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine. Exivit namque de palatio et civitate regali, quæ erat in situ altiori quam Nilus. Ideo dicitur descendisse ut in flumine lavaretur. Nec puto quod instar natantium voluerit se nudam lavare in aqua, sed pro refrigerio atque solatio pedes et partes eis vicinas. Et se-

Digitized by Google

cundum Josephum, lusit circa littus. Verumtamen consuetudines juxta diversitatem locorum et temporum ac hominum variantur. *Et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei,* id est, pedisequæ ejus juxta ripam Nili deambulabant. *Quæ quum vidisset fiscellam in papyrione,* id est in parte et loco Nili, in quo crescit papyrus, id est juncus sic appellatus, *misit unam e famulabus suis,* ut afferret sibi fiscellam. Ex quo constat, quod aqua non erat profunda usque ad locum illum. *Et allatam* fiscellam *aperiens* filia Pharaonis, *cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic* infans. Hoc enim faciliter conjicere potuit, quia patris sui cognovit præceptum de infantulis illis mergendis. *Cui soror pueri,* puta Maria, quæ jam juvencula erat : *Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit : Vade,* id est, fac ita. Circa quod quæri potest, cur filia regis non ordinavit, ut ille puerulus a muliere Ægyptia nutriretur. Cujus ratio paulo post exprimetur.

Perrexit puella, et vocavit matrem ejus, scilicet pueri, imo et suam, quam tamen adduxit quasi alienam, nec indicavit quod mater esset illius infantuli. *Ad quam locuta filia Pharaonis : Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi,* id est ad commodum atque solatium meum. *Ego dabo tibi mercedem tuam,* quam postulaveris a me, et quam te mereri putavero. Verumtamen mater Moysis in illo casu aliunde, videlicet jure naturali ac divino, tenebatur proprium nutrire infantem ; nec videtur in hoc mercedem meruisse humanam, nisi secundum æstimationem filiæ Pharaonis. *Suscepit mulier et nutrivit puerum ; adultumque,* utpote ablactatum et rationis capacem, *tradidit filiæ Pharaonis.* Non dicitur quod postulavit mercedem a filia Pharaonis pro pueri nutritione : forsitan tamen postulavit, ut minus putaretur mater infantuli ; et forsan non postulavit, sciens se matrem infantis, et volens complacere reginæ. *Quem illa adoptavit in*

A *locum filii.* Nam creditur tunc non habuisse alium filium. Ex quo innotescit etiam, quod ille infantulus erat miro modo pulcher, gratiosus, amabilis, in tantum quod pagana regis filia sic accendebatur amore pueruli. *Vocavitque nomen ejus Moyses, dicens : Quia de aqua tuli eum,* ideo voco eum hoc nomine. MOYS quippe in Ægyptio idiomate, dicitur aqua ; IS, salvatus : sicque Moyses interpretatur, salvatus de aqua.

Hanc de se ipso historiam Moyses multum breviter scripsit, quam Josephus plenius recitat, dicens :
B Metuens Amram ne captus incideret iram regis, propter occultationem videlicet Moysis, et ne simul cum puerulo deperiret, providentiamque Dei excluderet, quia videlicet audivit a Deo, quod puer ille esset liberaturus Israeliticum populum, præparavit vas rotundum, in quo infans spatiose jaceret. Itaque infantem ibi positum, et in flumine collocatum, Deo commisit. Thermuthis autem filia regis circa littus fluminis ludens, et
C vas illud conspiciens, jussit sibi afferri. In quo videns infantem, gavisa est valde propter magnitudinem et pulchritudinem pueri, præcepitque adduci mulierem Ægyptiam, quæ daret infanti mamillam. Quo renuente ubera mulieris Ægyptiæ, atque hoc idem in multis mulieribus Ægyptiis faciente, Maria adstans, dixit : Frustra, o regina, has mulieres ad nutrimentum vocas infantis, quæ nullam cognationem habent ad eum. Si autem aliquam Hebræarum adduci præceperis, puto quod ubera
D ejus accedet. Quod † tamen rationabiliter dictum credens regina, jussit adduci Hebræam. Sicque adducta matre pueruli, ubera ejus infans grate accepit ; commisitque filia regis mulieri Hebrææ, ut puerum cum omni diligentia enutriret. Talem etenim fecit Deus puerum illum, ut dignus haberetur educatione et cura etiam ab illis, qui timore ejus decreverunt interimere totum genus Hebræorum virorum.

Insuper Josephus refert : Filia Pharaonis adultum Moysen coram patre suo adduxit,

Digitized by Google

qui suam coronam imposuit capiti Moysis. Moyses vero videns in ea simulacrum sculptum, projecit eam cum indignatione in terram, ac fregit. Quod cernens quidam sacerdotum Heliopoleos valde commotus, videlicet ille scriba, qui prædixit unum de Hebræis nasciturum qui vastaret Ægyptum, dixit : Hic est puer quem ex oraculo deorum audivimus oppressurum Ægyptum. Statimque voluit irruere in Moysen, dicens : Occidatur, ut de cetero careamus timore. Porro filia regis totis viribus se objecit, et filium suum adoptivum defendit. Nam et unus sapientium adstans, dixit puerum hoc ex puerili ignorantia commisisse : quod ut certius fieret, fecit prunas ardentes afferri, et puero præsentari, qui more puerorum unam ori suo apposuit, et inde linguæ suæ extremitatem combussit, unde (ut ferunt Hebræi) impeditioris linguæ effectus est.

Denique, ut Josephus scribit, tantæ pulchritudinis exstitit Moyses, quod nullus erat tantæ severitatis, quin ejus delectabatur adspectu. Multi quoque dum eum per plateam cernerent ferri, postpositis occupationibus suis, festinabant post eum. Insuper narrat, et tangitur in Glossa, pleniusque in Scholastica habetur historia, quod Ægyptii perrecturi ad prælium contra Æthiopes, ex oraculo suorum deorum virum Hebræum, videlicet Moysen, præfecerunt exercitui suo. Itaque Moyses vallatus Ægyptiis, vicit Æthiopes. Quumque urbem Saba nomine, diutius obsideret, filia regis Æthiopum injectis oculis suis in Moysen, eum dilexit, atque ex condicto tradidit ei urbem, ut eam duceret conjugem ; duxitque eam, et hæc est uxor ejus Æthiopissa, propter quam Aaron et Maria contra eum jurgati leguntur, ut in Numeris scribitur, et Deo præstante exponetur ibidem. *Num.* XII, 1.

In diebus illis postquam creverat Moyses, egressus est ad fratres suos, id est Hebræos visitans in terra Gessen, qui fratres ejus dicuntur ex genere, dilexitque illos præcipue, tam naturali quam infusa dilectione, et frequenter condoluit eis in tantis eorum angustiis ; et forsan specialiter visitavit quosdam suos cognatos, qui fratres ejus fuerunt consanguinitate ; *viditque afflictionem eorum* oculo corporali, et mentis compassione, *et virum Ægyptium, percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Quumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Ægyptius ille fuit unus præpositorum, quos Pharao præfecit Hebræis ad sollicitandum opus eorum, quem Moyses vir fortis et bellicosus, secundum Josephum, interfecit. *Act.* VII, 24.

Circa quod quæritur, qua auctoritate hoc Moyses fecerit, et an sine peccato hoc egit. Ad quod aliqui responderunt, quod in hoc facto peccavit mortaliter, quia non fuit legitimus judex illius Ægyptii, manumque misit in messem alienam, et usurpatum commisit judicium, puniendo non sibi subjectum. Et isti nituntur auctoritate Augustini, dicentis : Moyses tunc nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec divinitus acceptam, nec humana societate ordinatam. Primo quoque de Civitate Dei testatur : Non licet privata potestate occidere hominem. Itemque ubi dictum est, Non occides : Hic, inquit, fiunt quædam exceptiones, videlicet sine divina auctoritate, aut data lege, vel expressa jussione. Unde in secunda secundæ, quæstione 60, loquitur Thomas : Augustinus in quæstionibus Exodi dicit, homicidium illud in se vitiosum fuisse, magnum tamen fertilitatis indicium exstitisse, puta virtutis qua liberaturus fuit populum Dei. Verumtamen si verba Augustini plene pensentur, non videtur sic absolute sensisse. Nam et in Glossa ex verbis Augustini inducitur : De hoc Moysis facto satis disputavimus in libro de Vita Patriarcharum, quem scripsimus contra Faustum, utrum Moyses laudabili indole illud fecit, quemadmodum terra ante productionem utilium seminum laudatur de fertilitate infructuosarum herbarum, an ipsum factum justificandum sit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat. Deinde subjungit : Et

tamen sicut Stephanus ait in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem : ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, ut scilicet facere illud auderet. Ex quibus Augustini verbis ostenditur quid senserit ipse. Hinc ait et Thomas : Dici potest quod Moyses occidit Ægyptium inspiratione divina. Vel sicut Ambrosius in libro de Officiis videtur innuere, Moyses fecit hoc defendendo Hebræum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ait namque Ambrosius : Qui a socio non repellit injuriam quando potest, tam est in culpa, ut ille qui injuriatur. Et ponit exemplum de Moyse. Reor itaque absolute tenendum, quod Moyses fecit hoc ex virtute, non ex vitiosa radice. Sicque ex revelatione divina cognovit se præordinatum a Deo in liberatorem populi sui.

Act. VII, 25.

Sed tunc rursus inquiritur, qua æquitate occidit Ægyptium pro sola percussione læsiva, non interfectiva, quam Ægyptius ille infligebat Hebræo. Videtur quidem in hoc modum excessisse justæ vindictæ, quum secundum legem talionis, par læsio fuerit rependenda, juxta illud : Vulnus pro vulnere, dentem pro dente, oculum pro oculo. Ad hoc Lyra respondet, recitando fabulam Judæorum, dicentium quod Hebræus ille habuit valde formosam uxorem, quam Ægyptius concupiscens, fecit Hebræum valde mane exire ad opus : quo egresso, rediit, et ejus conjugem constupravit ; quo cognito, increpavit eum Hebræus. Cui indignans Ægyptius, percussit eumdem. Quod quum Moyses ex relatione Hebræi novisset, occidit Ægyptium, non pro sola et simplici percussione illata Hebræo, sed et pro adulteratione suæ uxoris. Verumtamen contra hoc asserit Rabbi Paulus : Non est necessarium dicere, quod Moyses interficiendo Ægyptium, percussit ut judex, sed potius ut pars. Ex debito enim caritatis quilibet tenetur repellere injuriam a proximo, si potest. Et quia Moyses non poterat hoc facere per aliquam A percussionem, nisi Ægyptius moreretur : immineret enim periculum mortis Moysi, si Ægyptius de sua percussione conquereretur regi : idcirco oportuit ut Moyses eum occideret. Ideo non oportet ad hoc adulterium allegare Ægyptii, de quo nulla fit mentio in Scriptura. Hæc Rabbi Paulus. Cujus verba non videntur satis perita, quia (ut tactum est) communiter dicunt doctores, nulli licere alium judicare atque occidere, nisi constitutus sit ejus judex legitimus. Et quamvis pars communitatis ex B caritate teneatur a proximo suo injuriam pro posse repellere, non tamen sic, ut alium lædat aut puniat, nisi (ut dictum est) cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec licet privatæ personæ occidere injuriantem alteri, ne injurias ille conqueratur superiori contra privatam personam, et ex hoc privatæ personæ periculum mortis instet, quia non debet quisquam peccare propter vitandum malum pœnæ. Nec etiam Moysi imminebat necessario periculum mortis ex querela Ægyptii. Potuisset C enim vulnerato Ægyptio fugere, et fugiendo manum regis evadere, sicut et postea fecit.

Exod. XXI, 24 *et* 25.

Et egressus die altero, scilicet immediate sequente, ut ex sequentibus constat, *conspexit duos Hebræos rixantes* contra se invicem. Atque ut refert Lyra, secundum Hebræos, isti duo fuerunt Dathan et Abiron. Quod verum non arbitror, quoniam Dathan et Abiron fuerunt filii Eliab filii Ruben, et de majoribus Israelitici populi. Unde non apparet, quod viri tam propinqui et potentes, ita contra se invicem D contenderint, quod unus percusserit alterum. *Dixitque* Moyses *ei qui faciebat injuriam : Quare percutis proximum tuum?* Secundum Stephanum in Actis : Viri, fratres estis, id est proximi : ut quid nocetis alterutrum ? quasi dicat : In hoc injuste et contra caritatem, insipienterque agitis, quum sitis tam proximi, et aliunde satis afflicti : propter quod unus vestrum non debet alteri augere afflictionem. *Qui respondit : Quis te constituit principem aut*

Num. XVI, 1.

Act. VII, 26.

Digitized by Google

judicem super nos ? quasi dicat : Ideo non debes te intromittere de nostra correctione, quum nullam præsidentiam aut jurisdictionem super nos habeas. Iste Hebræus graviter multipliciterque peccavit. Primo, per ingratitudinem. Nempe ut in Actibus S. Stephanus protestatur, Moyses reconciliavit, id est, reconciliare intendit illos in pace, et caritative corripuit ambos, sicut ex verbis beati Stephani patuit; quamvis hic legatur, quod illum corripuit qui injuriam intulit : quia videlicet illum specialiter increpavit et acrius. Ille autem pro verbis caritatis et pacificationis ac piæ correptionis, retribuit Moysi verba invectionis ; et de præsumptione et usurpatione, imo et homicidio redarguit illum. Secundo, quia non solum princeps et judex, sed et quilibet proximus, potest et debet delinquentes caritative corripere. Tertio, quoniam temere judicavit. Moyses namque ex ordinatione divina et inspiratione superna habuit jam quamdam auctoritatem corripiendi et judicandi Hebræos. *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium ?* quasi dicat : Tu es violentus et homicida, idcirco emenda te ipsum.

[Act. vii, 26.]

Timuit Moyses. Contrarium videtur ex verbo Apostoli : Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. Responderi potest, quod naturali timore timuit mortis discrimen, non timore carnali aut mundano. *Et ait,* vel intra se cogitando, vel alicui sibi familiari loquendo : *Quomodo palam factum est verbum istud ?* id est, qualiter factum istud tam cito vulgatum est ? Ex hoc elicitur, quod Moyses commisit Hebræo, cujus injuriam vindicavit in Ægyptio, ne interfectionem Ægyptii propalaret, sed ille non tacuit. Denique in Scripturis verbum pro facto frequenter accipitur, sicut in Isaia : Hæc verba feci. Et quarto libro Regum : Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis. *Audivitque Pharao verbum hoc* *, quod scilicet Moyses occidisset Ægyptium. Et forsan impius ille Hebræus, per se aut per alium indicavit hoc regi. *Et quærebat occidere Moysen :* tum quia occiderat Ægyptium, regis præfectum super opera Hebræorum, quod rex reputavit in suam redundare injuriam ; tum quia multi suggerebant regi, Moysen esse de quo ex deorum suorum oraculo audierunt, quod liberaturus esset Hebræos, et humiliaturus Ægyptios.

[Hebr. xi, — Is. xlii, 16. — IV Reg. xx. — xxxix, — * sermonem hunc]

Qui fugiens de conspectu ejus. Hoc dupliciter explanatur. Primo, quod post prædicta venit ad regis præsentiam, et increpatus a rege, fugit de ejus conspectu. Dicunt enim Hebræi, quod Pharaone jubente, Moyses captus fuit et coram rege adductus, increpantique regi constanter respondit. Quumque spiculator ex regis præcepto voluisset Moysen decollare, percussus est cæcitate, quæ *acrisia* nuncupatur, qua aliquis non videt distincte quod cupit videre, quum tamen videat alia : qua angeli percusserant Sodomitas. Sicque Moyses miraculose evasit, Pharaone vidente : quem et Deus sic obstupefecit, quod nihil contra Moysen facere quivit. Huic recitationi favere videtur, quod ait Apostolus ad Hebræos : Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. Quocirca scribit Chrysostomus : Quod reliquit Ægyptum, fides fuit, non metus. Secundo exponitur sic : Qui fugiens de conspectu regis, id est, discedens ab Ægypto, ne amplius coram rege appareret. *Moratus est in terra Madian.* Madian quandoque est nomen regionis, interdum civitatis in terra illa, quæ sic vocatur ab uno filiorum Abrahæ ex Cetura, ut in historiis ait Magister. Fugitque Moyses per desertum, et ciborum inopiam virtute patientiæ vicit, ut Josephus dicit. *Et sedit juxta puteum.* Hoc fuit antequam fecit notabilem moram in Madian; seditque juxta puteum, quoniam illic solebant homines convenire atque divertere, quia et putei illis in locis sunt rari et cari.

[Hebr. xi, 27.]

Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ. Aliqui dicunt, quod iste fuit idolorum sacerdos. In Scholastica vero historia dicitur, quod sacerdos sumitur hic pro pri-

mate, quoniam primas antiquitus diceba- A
tur sacerdos. Cui concordat quod scribit Lyra : Secundum Hebræos, sacerdos hic accipitur pro majori aut magnate. An autem fuit sacerdos hoc modo civitatis unius Madian dictæ, an regionis illius, textus non exprimit ; potiusque videtur, quod civitatis illius. *Quæ venerunt ad hauriendam aquam* pro suis pecoribus ; *et impletis canalibus,* id est vasis seu lignis cavatis, in quæ fundebatur aqua hausta, *adaquare cupiebant greges patris sui.* Erat autem consuetudinis in terris illis, quod puellæ, etiam B
filiæ divitum et potentum, pecora custodiebant. Pecora namque erant præcipuæ illorum divitiæ. *Supervenere pastores, et ejecerunt eas,* id est, ab actu adaquationis incepto, eas impediverunt et repulerunt.
Gen. xxix, 3. Nam sicut in Genesi habetur, consuetudinem in Mesopotamia exstitisse, ut cuncti greges ad puteum congregarentur, et pariter potarentur ; sic et in Madian consuetum fuisse putatur : idcirco pastores indignabantur puellis, quod contra consuetudinem facere præsumpserunt. *Surrexitque* C
Moyses, et defensis puellis, adaquavit oves earum. Si Moyses solus venit in Madian, et sine adjutorio defendit illas puellas refrenando pastores, ostenditur vir valde robustus fuisse. Sed nonne peccavit, contra consuetudinem ibi agendo ? Dici potest, quod ex quadam bona curialitate hoc egit, deferendo virginibus, quas vidit indecenter tractari.

* *Raguel* *Quæ quum revertissent ad Jethro * patrem suum :* qui dicitur quatuor nomina habuisse, videlicet Jethro, Raguel, Cinæus, D
et Hobab : qui secundum Hebræos vocatus est Jethro, quod interpretatur adjiciens, quoniam unum capitulum addidit legi, hortando Moysen qualiter populum judicaret
Exod. xviii, 21. ac regeret per centuriones et decanos. Secundum Hebræos quoque aliquos, dictus est Hobab, id est diligens, quoniam dilexit legem, atque ad Judaismum fuit conversus. *Dixit ad eas : Cur velocius venistis solito ? Responderunt : Vir Ægyptius,* non tamen de semine Ægyptiorum, sed natus et demoratus in Ægypto, *liberavit nos de manu pastorum,* qui cœperunt nos impedire. *Insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus.* Quo constat, quod puellæ impleverunt canalia, Moyse adjuvante, qui in aula regia conversatus, scivit curialiter se ad puellas habere : nam et filiam regis ante jam habuit uxorem, juxta præhabita. *At ille : Ubi est ? inquit. Quare dimisistis hominem ? Vocate eum, ut comedat panem.* Puellæ forsan ex quadam verecundia dimiserunt Moysen, qui habuit valde honorabilem apparatum.

Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo, id est, inter cetera cum Jethro colloquia habita, firmiter dixit aut juramento firmavit habitare cum ipso. *Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem.* Mirum videri potest, quod Jethro vir tantus in terra sua, dedit filiam suam viro exsuli et in terra illa inopi, conjugem. Ad quod poterit responderi, quod consideravit elegantiam, amabilitatem, prudentiam, ceterasque Moysis sancti virtutes. Et forsan audivit ab eo vel aliis, qualis fuerat in Ægypto, et cur inde recesserit. *Quæ peperit ei filium, quem vocavit* Moyses *Gersam, dicens : Advena fui in terra aliena,* puta in Madian. Idcirco filium suum sic appellavit ; nam Gersam interpretatur advena. Est autem consuetudo Hebræis, imponere pueris suis nomina ab aliqua proprietate, eventu, aut actu. *Alterum vero peperit* Sephora, *quem vocavit Eliezer, dicens : Deus enim patris mei adjutor meus, et eripuit me de manu Pharaonis,* per fugam meam, vel miraculose, ut tactum est. Eliezer autem interpretatur, adjutorium Dei mei. Sicque in appellatione filii sui, recognovit beneficia sibi desuper contributa.

Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti, qui Moysen persequebatur, et præ ceteris regibus Ægypti dure nimis afflixit Hebræos. *Et ingemiscentes filii Israel propter opera* eis a rege injuncta, quæ et successor defuncti continuari voluit, *vociferati sunt,* Dei auxilium invocando, et suam calamitatem deflendo. *Ascenditque*

Digitized by Google

clamor eorum ad Deum ab operibus. Servierunt etenim regi, nec tamen mercedem tribuit eis. In quo commisit unum de quatuor vitiis clamantibus ad Deum. Dicitur quoque clamor Israelitarum ascendisse ad Deum, quia exauditus fuit ab eo. *Et audivit gemitum eorum,* id est, per modum audientis se habuit succurrendo; *ac recordatus est fœderis,* hoc est, memorem se esse ostendens, aut ostendere volens, quum tamen invariabilis sit Deus, in quem nec recordatio, nec oblivio cadit. Sed Scri- A ptura loquitur de Deo more humano, nostræ capacitati in hoc condescendens. Itaque recordatus est fœderis, *quod pepigerat,* id est inierat et firmaverat, *cum Abraham, Isaac et Jacob,* videlicet quod eorum posteros ex Ægypto reduceret, et terram Chanaan eis conferret, sicut in Genesi per plura capitula demonstratur. *Et respexit Dominus filios Israel* oculo pietatis, *et cognovit eos,* id est, eos ad se pertinere, ac sibi aliquo modo placere, testatus est.

ARTICULUS IV

SPIRITUALIS INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI SECUNDI.

E*GRESSUS est post hæc vir.* Per Moysen allegorice intelligitur Christus. Et sicut Moyses fuit infantulus elegans, sic
xliv, 3. Christus infans, fuit speciosus præ filiis hominum. Quemadmodum etiam parentes Moysis cum suo periculo absconderunt Moysen a tyrannide Pharaonis, sic beatissima
Matth. ii. ac Deifera Virgo et ejus minister S. Joseph, absconderunt puerum Jesum a persecutione scelerati Herodis. Quemadmodum etiam Moyses, quum diutius abscondi non potuisset a suis parentibus, expositus est in fiscella gurgiti fluminis; sic Dominus Jesus, quum in Judæa diutius propter Herodis furorem servari non posset, in Ægyptum vitiorum fluctibus plenam, delatus est. Deinde quum gloriosa Virgo Filium suum secum in secreto degentem, non posset detinere diutius, recessit ab ea Filius, volens Dei Patris implere mandatum, prædican-
t. iii, 13. do publice in omni Judæa; descenditque primitus in Jordanem, ut baptizaretur a beato Joanne. Sicque per fiscellam in qua Moyses est locatus, intelligi potest caro Christi, in qua ejus anima atque divinitas latuit. Porro per sororem, Moysen procul sequentem, et rei eventum considerantem, B designatur plebs Judaica, Christo secundum carnem propinqua, quæ eum familiarius sequebatur, observans quid ei accideret.

Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine. Per filiam Pharaonis, significatur Ecclesia ex gentibus congregata, et ex principibus regibusque terrenis progenita; vel diaboli filia, quantum ad pristina vitia sua. Propter quod dicitur ei : Audi, filia, et vide, et oblivi- Ps. xliv, 11.
scere populum tuum et domum patris tui. Quemadmodum itaque filia Pharaonis, descendens ad flumen ut lavaretur, reperit Moysen; sic plebs gentilis se ipsam humilians, atque ad fontem Baptismi pro sua purgatione accedens, invenit Christum, et consecuta est gratiam ejus. Quemadmodum autem filia Pharaonis miserabatur Moysis vagientis, sic Ecclesia ex gentibus constans, intime condolet Christo in universis quæ pro nostra salute sustinuit. Denique sicut filia Pharaonis amplexata est Moysen a suis relictum, sic Ecclesia devotissime apprehendit Dominum Jesum a Synagoga contemptum. Insuper sicut filia Pharaonis reddidit Moysen mulieri Hebrææ, matri videlicet ejus, nutriendum; ita Ecclesia ipsis

Digitized by Google

quoque Judæis, ex quibus natus est, rursus obtulit prædicavitque Christum. Quem et aliqui Judæi susceperunt per fidem, sicque Christum spiritualiter refecerunt, secundum quod ipse in Apocalypsi testatur (*Apoc.* III, 20.): Si quis aperuerit mihi, cœnabo cum illo, et ipse mecum. Refecerunt quoque eum in membris suis, de quibus fatetur (*Matth.* XXV, 40.): Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Amplius, sicut filia Pharaonis promisit mercedem mulieri Hebrææ Moysen educanti, sic Ecclesia multa contulit beneficia Synagogæ conversæ; imo ut Paulus scribit apostolus (*I Cor.* XVI, 1-3.), necessaria vitæ misit eidem. Synagoga quoque conversa, videns tanta gratiarum charismata Ecclesiæ condonata, admirata est, et gratias egit Deo, atque in fide est roborata, prout in Actibus docetur Apostolorum (*Act.* II, 42 *et seq.*; IV, 32 *et seq.*). Insuper, sicut mater Moysis adultum Moysen tradidit filiæ Pharaonis, sic Synagoga conversa, Dominum Jesum Christum sua prædicatione detulit ad gentiles. Sed quomodo Ecclesia adoptavit Christum in filium, sicut Pharaonis filia Moysen, nisi secundum quod Dominus ipse in Evangelio loquitur (*Matth.* XII, 50.), Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est? Ecclesia etenim pro magna et nobiliori sua parte, ab omni carnali concubitu abstinens, Filium Dei intra se spiritualiter concipit, parit, amplectitur; Christum quoque quasi in infantia constitutum, sinceriter contemplatur, ac materno affectu complectitur, quem tulit de aqua Baptismi.

In diebus illis postquam creverat Moyses, etc. Quemadmodum Moyses factus virilis ætatis, visitavit fratres suos Hebræos, Ægyptiumque injuriantem Hebræo, occidit ac sabulo texit; sic Christus per Moysen præfiguratus, quum jam esset ætatis virilis, in carne assumpta visitavit Judæos, prædicando et signa exhibendo eisdem; diabolum quoque illos graviter opprimentem, prorsus devicit et conculcavit. Propter quod beatissimus princeps Apostolorum ait de Christo (*Act.* X, 38.): Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. *Et egressus die altero, conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat injuriam : Quare percutis proximum tuum?* Sic et Christus post suam resurrectionem egressus de limbo patrum et monumento, vidit duos Hebræos contra se contendentes, videlicet eos qui crediderunt ex Judaismo, et eos qui in Judaica persliterunt perfidia, qui per allegationes Scripturarum invicem disputabant et contendebant de Jesu. Increduli autem injurias multas intulerunt credentibus, ut patet in Actibus. Ideo Christus redarguit perfidos illos, quibus per os protomartyris Stephani dixit: Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto (*Act.* VII, 51.). Illi vero Christi auctoritatem negantes, indignati dixerunt : Quis te constituit principem aut judicem super nos (*Ibid.* 27.)? Dixerunt enim : Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14.). *Num occidere me tu vis,* etc.? Imposuerunt enim Christo, quod per se et suos discipulos false docuerit eos, et quod ex ejus prædicatione immineret eis destructio. Collegerunt quippe pontifices et Pharisæi concilium (*Joan.* XI, 47, 48.), dicentes : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. *Timuit Moyses, et ait : Quomodo palam factum est verbum istud?* Sic et Christus naturali timore timuit mortem, ostendens in se humanæ naturæ veritatem. Signa quoque sua interdum occultari præcepit. *Audivitque Pharao verbum hoc, et quærebat occidere Moysen.* Sic et principes Judæorum cogitaverunt interficere Christum, eo quod tantis præfulsit miraculis, propter quæ merito credidissent in eum. *Qui fugiens de conspectu* Pharaonis, etc. Sic Salvator interdum fugit rabiem Judæorum, juxta illud Joannis : Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos (*Ibid.* 54.), sed abiit trans Jordanem in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. *Et sedit juxta puteum,* id est, fontem Baptismi constanter edocuit, et profunditati sapientiæ saluberrimæ indesinen-

Digitized by Google

ter adhæsit. Ad litteram quoque, fatigatus ex itinere, sedit juxta puteum. (iv, 6.)

Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, etc. Per has septem filias viri gentilis, intelliguntur universæ ecclesiæ gentium, quæ ex auditione prædicationis evangelicæ legis, venerunt per mentis conversionem ad hauriendam aquam doctrinæ salubris, fluentaque gratiæ ex sacramentis Christi, et maxime ex immensitate pietatis divinæ, sicut Isaias prædixit : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. (xii, 3.) *Et impletis canalibus, adaquare cupiebant greges patris sui :* hoc est, quum corda eorum fuissent impleta septemplici gratia Spiritus Sancti, optabant et alios gentiles nondum conversos illuminare, et donis Dei reficere, communicando eis charismata sibi donata, juxta illud principis Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (…tr. iv,) *Supervenere pastores, et ejecerunt eas.* Isti pastores fuerunt pontifices Judæorum, ac paganorum imperatores et principes infideles, qui persequendo Ecclesiam, conati sunt aliorum impedire conversionem ad Christum. *Surrexitque Moyses, et adaquavit oves earum.* Sic Christus supernaturaliter et gratiosissime subvenit suis fidelibus, et eorum subditos illustravit ac pavit, in tantum, quod Ecclesia tandem omnibus hostibus suis prævaluit, et reges ac principes crediderunt. *Quæ quum revertissent ad patrem suum, dixit ad eas : Cur velocius venistis solito ? Responderunt : Vir Ægyptius liberavit nos,* etc. Sic patriarchæ gentilium conversi, admirati sunt vehementer celerrimam gentium conversionem, inquirentesque causam a subditis, audierunt quod vir Ægyptius, Christus videlicet, qui in infantia sua septem circiter annis moratus est in Ægypto, eos adjuvit, redemit, refecit. *At ille : Ubi est ? inquit,* etc. Per hoc designatur, quod bonus prælatus increpat animas subditorum suorum relinquentium Christum, hortaturque eos, ut orando revocent Salvatorem ; et cum talibus dignatur Dominus habitare per gratiam. Porro, per nuptias Moysis cum filia Jethro, præfiguratur spirituale connubium Christi cum quacumque Ecclesia, seu persona particulari ex gentilitate exorta, ex qua generat filios duos, videlicet contemplativum et activum.

Tropologice per Moysen aquæ expositum, significatur quicumque fidelis, abundantia tribulationum atque tentationum vallatus, et vitæ hujus deplorans exsilium, quem suscipit filia regis, id est misericordia et gratia Salvatoris, adoptans illum sibi in filium, traditque illum Ecclesiæ educandum : qui quum creverit in virum virtutum, visitat proximos suos, quando rite præficitur ac digne præsidet aliis, et discordantes pacificat, dum reos redarguit. Per Hebræum vero, qui Moysi dixit, Quis te constituit principem et judicem super nos ? designantur perversi, ingratique subditi : qui dum caritative et juste corripiuntur et corriguntur, ægre ferunt, verba pungitiva, contumeliosa, criminatoriaque respondent, in tantum quod suam correctionem quasi interfectionem existiment. (Sensus tropologicus.)

ARTICULUS V

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : MOYSES AUTEM PASCEBAT OVES JETHRO.

CONSEQUENTER describitur qualiter Deus apparuit, prædixit, et commisit Moysi, ut educeret populum Israel ex Ægypto. *Moyses autem pascebat oves Jethro cognati,* id est soceri *sui, sacerdotis Madian,* qui curam gregum suorum commi-

Digitized by Google

A serat Moysi, cujus fidelitatem atque prudentiam fuit satis expertus. In isto quoque monstratur humilitas Moysis, qui quum antea fuerit tantus vir, non recusavit illud officium. Et puto, quod ideo illud libenter assumpsit atque exercuit, quatenus sequestratus ab idololatris Madianitis, aptius Deo vacaret in campis et locis eremi solus, et etiam quoniam Jacob patriarcha et filii ejus, ovium erant pastores. *Quumque minasset gregem ad interiora,* id est remotiora loca *deserti,* quærendo uberes alimonias ovium, *venit ad montem Dei Horeb,* id est montem Sinai, cujus pes dicitur Horeb, et vertex Sinai : de quo aliqui dicunt, quod dicitur hic mons Dei, propter eventum futurum, quoniam Deus in eo erat legem daturus. Verumtamen, quando Moyses scripsit hæc, fuit lex data, dicebaturque mons Dei propter eventum præteritum. Porro in Scholastica historia ex Josepho fertur : Mons ille ad pasturas fuit egregius, herbis abundans, quia pastores illuc ascendere non præsumebant, tum quia excelsus fuit, tum quia fama erat Deum habitare in eo. Et juxta hoc dicebatur mons Dei, non tantum propter futurum eventum, sed propter legem in eo datam.

Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ista apparitio Dei, fuit per creaturam subjectam, quia in angelo et per angelum apparebat et loquebatur Dominus Deus. Sicque angelus in Dei persona loquens et apparens, Dominus appellatur et Deus, in quantum Dei personam repræsentavit. In hac quoque visione non apparuit angelus Moysi in forma sensibili et humana, aut visibiliter in propria persona. Unde nec Moyses scivit angelum esse juxta rubum vel in igne quem vidit, quando primo ipsum ignem conspexit. Sed sicut angelus interdum apparet in forma humana, ita apparuit nunc in specie ignis, quemadmodum et Apostolis apparuit Spiritus Sanctus in igneis linguis. *Act. ii, 3.*

Quod si quæratur, cur Dominus apparuit in specie ignis : respondent quidam, quod ideo, quoniam populus Israel fuit ad idololatriam pronus : idcirco apparebat in flamma, quæ non potest imagine figurari. Sed ultimum verbum hoc, falsum et contra experientiam esse videtur. Flamma quippe ascendendo, paulatim ad formam angularem pertingit, et sic potest depingi ac figurari ; magisque terminatur proprio termino in se ipso, quam aer aut aqua. Aptius ergo dicendum, quod ideo, quoniam juxta divinum Dionysium, proprietates actionesque Dei, per proprietates et actiones ignis præcipue designantur. Unde et Deus ignis B vocatur, dicente Apostolo : Etenim Deus noster ignis consumens est. *Hebr. xii, 29.* Quod ex Deuteronomio sumptum est, quo habetur : Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. *Deut. iv, 24.* Quemadmodum enim ignis consumit ac devorat et inflammat, sic Deus consumit peccata, accenditque corda. In igne quoque sunt splendor et calor, per quæ lux sapientiæ et fervor caritatis notantur. Rursus, quia per ignem quæcumque grandis afflictio designatur, apparuit Dominus in igne, ad insinuandum C magnitudinem afflictionis Israelitarum. Sed cur apparebat in rubo ? Ad hoc respondetur in Glossa : Dicunt Hebræi, ideo Deum apparuisse in rubo, ne possent sibi inde occasionem idololatriæ sumere. Ex ligno etenim rubi non potest idolum fieri. Apparuit autem Dominus in flamma ignis, de medio rubi, id est de rubo forinsecus, præsertim de medio rubi inter extrema ipsius.

Et videbat quod rubus arderet, id est, igne opertus esset absque sua læsione. Ideo subditur, *et non combureretur :* quia non D viriditas rubi, nec ejus substantia lædebatur, nec flos. Per quod Deus omnipotentiam suam monstravit, ac mystice designavit, quod tribulatio Hebræorum in Ægypto, non fuit eos penitus consumptura, sed occasio magnificæ liberationis eorumdem. Circa hoc dicit Gregorius : Deus ignem rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit : quod tunc solum agitur, quum aliquid magnum ex conjunctione significatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, ostendit

Digitized by Google

quod Moyses fieret doctor populi, qui et A legis flammam perciperet, et peccati spinam non vitaret; vel quod ex Israelitico populo nasceretur, qui similitudinem carnis et peccati spinam assumeret, et substantiam humanitatis inconsumptam, in flamma deitatis servaret.

Circa præhabita scribit Rabbi Paulus : Non videtur necessarium dicere, quod idem angelus quandoque in persona Domini loquebatur, et ideo Dominus nominatur. Nam secundum seriem litteræ, prout etiam verba plane sonant, potest dici, quod ille qui B apparuit in flamma et forma ignis, erat angelus apparens ad excitandum mentem Moysis, ut cernens miraculum, attenderet ad audiendam vocem ac verba divina. Sed quum sequitur, *Dixit ergo Moyses : Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum,* etc.; et postea, *Ego sum Deus patris tui,* etc. : hæc verba et sequentia intelligi possunt a Deo dicta, ut sonant. Hæc Paulus. Cujus verba omnino imperita viden- C tur. In littera namque et serie ejus non dicitur, Apparuit ei angelus in flamma ignis, sed, Apparuit ei Dominus, etc., et tamen non ipse Dominus in propria persona, sed angelus ibi apparuit. Nec verior ratio dari potest, cur angelus ille, Dominus appelletur, nisi quia in ejus persona loquebatur, sicut sanctus ait Gregorius, et communiter dicunt doctores. Deinde quod dicit, verba prætacta intelligi posse dicta a Domino, stare non potest, ita ut intelligantur immediate a Deo prolata. Nam D tales vocales locutiones non proferuntur immediate a Deo, sed per creaturam subjectam, ut super Genesim loquitur Augustinus. Denique, quum in textu dictum est, Apparuit ei Dominus in flamma ignis; et paulo post sub eodem contextu subjungitur, Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait, etc. Quo constat quod utrumque de eodem Domino asseratur, nec ex serie litteræ aliud insinuetur. Rursus, secundum expositores super illud Lucæ, Vox de cœlo facta est, dicens, Hic est Filius meus dilectus : vox illa ab angelo est formata in aere in Dei Patris persona : quemadmodum et dum in Joanne Christus legitur dixisse, Pater, clarifica filium tuum; venit vox, dicens, Et clarificavi, et iterum clarificabo : qua audita, asseruit turba tonitruum factum esse. Alii autem dicebant : Angelus ei locutus est. Et hoc verum fuit.

Luc. III, 22; IX, 35.

Joann. XII, 28, 29.

Vocavit itaque Dominus *eum,* Moysen, *de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses.* Repetitio nominis, signum fuit dilectionis, et excitatio advertentiæ diligentioris, indicium quoque seriositatis et magnitudinis dicendorum. *Qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc.* Hoc propter spiritualem et mysticam rationem Dominus dixit, sicut et Christus post resurrectionem suam, ad beatissimam Mariam Magdalenam locutus est : Noli me tangere. Cur ergo Dominus dixit ad Moysen, Ne appropies huc, nisi ad innuendum, quod nemo accedere debet ad Deum, nec perscrutari divina, nisi cum reverentia magna? quum et Salomon protestetur, Qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Cujus præcepti causa subjungitur : *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Idcirco propter reverentiam loci sancti, imo ob Dei honorem, hoc jussum est Moysi. Sed unde et qualiter locus ille exstitit terra sancta? Dicendum, quod inde et ideo, quia fuit electus et deputatus a Deo, ut in eo contingerent sacra mysteria ac multa divina, utpote apparitio ista divina, et collocutio sancta, multaque alia, scilicet datio legis, et quæ fiebant in ea.

Ibid. XX, 17.

Prov. XXV, 27.

Et ait : Ego sum Deus patris tui, qui Amram vocatus est. Ex quo constat, quod pater Moysis fuit vir justus, in tantum, quod Deus universorum fuit specialiter Deus viri illius per dilectionem et cultum præcipuum. Ideo quoque Deus vocavit se Deum patris Moysis, ut in spe et amore Dei magis accenderetur, patrisque sui meritis se crederet adjuvari. Hinc ait Glossa interlinea-

ris : Merita parentum bonorum sæpe filiis subvenerunt. *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Deus æternus, verus, atque omnipotens, universorum Deus est jure creationis et gubernationis ac incessabilis conservationis, omniumque hominum Deus est per providentiam et judiciariam potestatem, imo per prædestinationem æternam, et dilectionem præcipuam, et item per specialem illorum devotionem ad Deum, atque assiduum Dei cultum, ferventissimumque amorem. Præterea, sicut sanctus Papa Sylvester disseruit, Deus voluit specialiter horum trium Patriarcharum Deus vocari, et sub eorum nominibus invocari, ad insinuandum superbeatissimæ Trinitatis mysterium in unitate divinæ essentiæ. Hac demum auctoritate utitur in Evangelio Christus contra perfidiam Sadducæorum, dicentium animas hominum esse mortales : quarum immortalitatem probat Salvator per hoc, quod Deus dixit se esse Deum Abrahæ, Isaac, et Jacob. Non autem est Deus mortuorum, sed vivorum. (Matth. XXII, 32.)

Abscondit Moyses faciem suam, hoc est, vultum declinavit in terram : quod faciendo, creditur Deum adorasse. Sic et in Evangelio recitantur sanctæ mulieres, quæ ad Christi venerunt sepulcrum, angelis visis, vultum suum declinasse in terram. (Luc. XXIV, 5.) Vel abscondit faciem suam, eam quasi velando, seu manus suas faciei suæ ac oculis superponendo. Cujus subjungitur ratio : *Non enim audebat adspicere contra Deum,* id est, ignem in quo apparuit Dominus, non audebat intueri, nec visum dirigere ex opposito versus locum, in quo Dominus apparebat, non principaliter ex terribilitate dignitateve ignis aut loci, sed ex consideratione majestatis divinæ, ibidem in creatura subjecta, seu in angelo apparentis. Item ex consideratione propriæ indignitatis et fragilitatis, sicut et publicanus in Evangelio legitur nec oculos ausus fuisse in cœlum levare, (Ibid. XVIII, 13.) ex consideratione suorum excessuum. Nempe quum opposita juxta se posita, clarius innotescant : quanto fragilis homo excellentiam Dei altius contemplatur ac experitur, tanto propriam defectuositatem clarius intuetur, profundiusque se ipsum humiliat ; nec ad intuendum incircumscriptibilem illam superexcellentiam Dei se audet indecenter ingerere, sed suum moderatur intuitum. Hinc scriptum est in Job : Ecce excelsus Deus in fortitudine, et nullus ei similis in legislatoribus. (Job xxx… 22.) Et subditur ibi sequenti capitulo : Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. (Ibid. xxx… 24.)

Cui, videlicet Moysi, *ait Dominus: Vidi* oculo pietatis et quasi compassionis et miserationis, *afflictionem populi mei,* utpote Hebræorum, qui erant specialiter populus Dei præ ceteris per electionem, juxta illud Deuteronomii, Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram ; (Deut. vi…) *in Ægypto, et clamorem ejus audivi,* id est, preces quibus me invocant, jam implere decrevi ; vel clamorem, id est ululatum et gemitum quos emittunt ; *propter duritiam eorum qui præsunt operibus,* id est propter angustias et labores quibus premuntur. *Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Deus incircumscriptibilis et immensus, in propria persona nequaquam descendit, aut locum mutat ; sed dicitur descendere per effectum, in quantum de novo succurrit, punit, aut aliquid facit. Unde oravit Psalmista : Domine, inclina cœlos tuos, et descende. (Ps. cxl…) Et Isaias : Utinam, inquit, dirumperes cœlos, et descenderes. (Is. lxi…) *Et educam eos de terra illa,* scilicet ex Ægypto, *in terram bonam et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle,* id est, omni genere victualium abundat, *ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi,* hoc est ad terram Chanaan seu promissionis, in qua hinc inde in diversis locis et urbibus habitaverunt sex gentes, quæ exprimuntur in littera ; septima vero tacetur hoc loco, et alibi sæpe, scilicet Gergesæi, qui tamen in Deuteronomio et Josue libro exprimuntur. (Deut. vii, 1. Josue xx…) Cur autem tam raro

Digitized by Google

nominantur, causa est secundum Hebræos, quia non restiterunt filiis Israel ingredientibus terram promissionis, ut aliæ gentes; sed recesserunt de terra illa ex timore ante introitum Israelitarum in eam.

Clamor ergo filiorum Israel venit ad me ; vidique afflictionem eorum qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, id est, mente paratus esto ad exsecutionem præcepti mei, *mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto?* quasi dicat : Insufficiens sum ad tantum opus, quum nec potestas prævalendi Pharaoni, nec facundia coram eo loquendi, exsistant in me. *Qui dixit ei : Ego* cui nihil difficile est, et cui nullus resistere valet, *ero tecum* per gratiam adjutricem, et dando tibi omne, quo indigebis, auxilium.

Et hoc habebis signum quod miserim te. Hoc Hebræi ad præcedentia referunt, ut sit sensus : Miraculum istud quod vidisti in rubo ardente nec læso, erit tibi signum quod vere te mitto : idcirco ex consideratione insufficientiæ tuæ noli diffidere, sed ex intuitu assistentiæ meæ confide. Catholici autem expositores referunt istud ad verba sequentia, eritque sensus : Quod subditur, habebis pro signo legationis meæ tibi injunctæ. *Quum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum,* id est, in monte hoc Horeb seu Sinai, offeres Deo corporales spiritualesque hostias, per quod agnosces te missum esse a me. Fuit quoque istud impletum, quando post egressum Hebræorum ex Ægypto, obtulit Moyses in hoc monte sacrificium laudis, gratiarum actionem, et orationem, et quædam etiam legalia sacrificia Deo, ut infra patebit : sicque immolatio illa fuit signum memorativum præteriti, in quantum fuit indicium, quod Deo jubente atque auxiliante, Moyses filios Israel perducturus erat usque ad terram promissionis. Horum autem utrumque prædixerat Moysi Deus. Verumtamen immolatio illa non fuit res in se miraculosa, sed signum fuit ex institutione et ordinatione divina, quemadmodum iris signum est fœderis inter Deum et terram, juxta illud in Genesi : Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis mei ; *Gen.* IX, 13. quum tamen arcus seu iris, sit naturalis effectus. Verumtamen prænuntiatio immolationis illius, tanquam futuri contingentis, fuit quid miraculosum seu super naturam, quemadmodum quod Christus prædixit duobus Apostolis : Ecce *Marc.* XIV, 13. introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans; et quod Samuel prædixit Sauli quorumdam occursum, sibi in hoc et illo loco futurum.

Præterea duas præinductas expositiones reprobat Rabbi Paulus : et primam primo per hoc, quod Moyses non petivit tale signum. Secundo, quoniam sequeretur quod Moyses fuisset modicæ fidei, si ei datum fuisset hujusmodi signum, et ita peccasset in hoc, quum tamen nil tale referatur de eo hoc loco. Verum hæ duæ objectiones nullius exstant valoris. Deus namque multa impendit dona et signa non petentibus, quemadmodum per Samuelem legitur prædixisse Sauli aliqua signa, ex *I Reg.* X, 1-7. quorum eventu Saul cognosceret vera esse, quæ ei prænuntiavit Samuel. Similiter in Luca angelus legitur dixisse pastoribus : Et hoc vobis signum : Invenietis infantem *Luc.* II, 12. pannis involutum, etc. Et tamen pastores non petiverunt hoc signum super his quæ audierunt, nec dubitaverunt de veritate angelicæ denuntiationis. Per quod patet secundi solutio. Signa quippe hujusmodi, non semper dantur propter incredulitatem aut diffidentiam eorum quibus donantur, sed dantur interdum pro consolatione et majori confortatione illorum, imo et propter aliorum ædificationem, quemadmodum Dominus contulit Noe signum fœderis sui, arcum, ut tactum est. Sic quoque contulit Moysi signum istud. Denique, non oportet Moysen hoc loco excusare a culpa, et veniali incredulitatis motu : quem constat diu postea, quando majoris erat perfectio-

nis, per incredulitatem peccasse mortaliter ad aquam Contradictionis, ubi Dominus dixit ad eum ac Aaron : Quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos, etc. Unde fertur in Psalmo : Absorpti sunt, juncti petræ judices eorum, id est, Moyses et Aaron judices Judæorum spiritualiter sunt absorpti per culpam incredulitatis, juncti petræ, id est juxta petram, de qua dixerunt : Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere ? Per Isaiam quoque Dominus contestatur populo Judæorum : Interpretes tui prævaricati sunt in me. Ubi, secundum expositores, per interpretes intelliguntur Moyses et Aaron, qui verba Dei populo exposuerunt. Infra quoque patebit, quod Moyses in collocutione ista cum Deo, peccavit, ita quod Deus iratus fuit in eum, ut sequenti habetur capitulo.

Num. xx, 12. *Ps.* CXL, 6. *Num.* xx, 10. *Is.* XLIII, 27. *Exod.* IV, 14.

Deinde reprobat expositionem secundam : et primo probat, quod immolatio facta in monte illo, non potuit esse signum præteriti, quia tunc omnibus per experientiam patuit, quod Deus fuit cum Moyse in eductione filiorum Israel. Ad quod respondetur, quod pari ratione sequeretur, nullum esse signum memorativum præteriti, quoniam re jam præterita et peracta, omnibus, quantum est ex natura rei, constat, rem illam esse præteritam et peractam. Nihilo minus dicitur signum præteriti, quia valet ad remedium, rememorationem et majorem certificationem præteriti. Amplius, quod immolatio illa non fuit signum futuri, videlicet introductionis Israeliticæ plebis in terram promissionis, probat ex hoc, quia (ut ait) Deus non fecit aliquam mentionem de introductione populi ad terram promissionis. Sed istud est evidenter falsum, et contra textum. Jam enim in isto capitulo Dominus dixit ad Moysen : Descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, etc. Itaque dicit verba illa, Hoc habebis signum, esse referenda ad inhabilitatem Moysis ad hoc, ut educeret filios Israel. Quod rursus stare non potest : Primo, quia in textu apertissime Dominus ait, Hoc habebis signum quod miserim te, etc. Non dicit, Hoc habebis signum quod inhabilis seu insufficiens sis ex te ipso ad tantum opus. Secundo, quoniam tam Moysi quam cunctis constabat insufficientia illa.

Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi, Quod est nomen ejus, videlicet Dei ? *quid dicam eis ? Dixit Dominus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Ista responsio Dei, profunditate et subtilitate sententiæ plena est. Asserit etenim quod nomen suum sit, Esse, vel, Qui est, ad insinuandum quod ei soli competat esse, cum omnimoda plenitudine et infinita nobilitate atque absoluta perfectione essendi, ita quod comparatione increati divinique esse, omne esse creatum est magis non esse, quam esse : sicut et lux et sapientia creata, est quasi caligo et insipientia respectu lucis et sapientiæ increatæ et infinitæ. Iterum protestatus est Deus, quod Esse sit proprium nomen suum, quoniam Esse est actualissimum et formalissimum ; et tanquam pelagus quoddam immensum, includit in se omnem perfectionem et nobilitatem. Propter quod maxime competit Deo, qui est purus incircumscriptusque actus, et forma omnia formans. Hinc sanctus Job loquitur Deo : Quis potest facere mundum de immundo ? Nonne tu qui solus es ? Et rursus : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest. Jeremias quoque fatetur : Qui creavit omnia, ipse est, et Israel sceptrum hereditatis ejus. De hoc in libro de Divinis nominibus profundissime scribit D. Dionysius. Hilarius quoque : Esse, inquit, non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis generis proprietas. Porro octavo de Civitate Dei, videtur Augustinus sentire, quod Plato per interpretem didicit libros Moysis ; præsertim quia quod Dominus ad Moysen ait, Ego sum qui sum ; Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos ;

Job XIV, 4. *Ibid.* XXIII, 13. *Jer.* LI, 19.

Digitized by Google

Plato vehementer tenuit, et diligentissime A
commendavit.

De hoc nomine Dei, loquitur Thomas in prima parte Summæ suæ, quæstione 13 : Hoc nomen, Qui est, est maxime proprium Deo : Primo, propter suam significationem. Significat enim non aliquam formam, sed ipsum esse. Solus autem Deus est suum esse. Secundo, propter suam communitatem. Alia enim nomina, sunt vel minus communia, aut minus absoluta ; sicque quodammodo determinant et informant
ipsum esse : ideo minus proprie nominant B
Deum, quum Deus sit simplicissimum ac separatissimum esse. Tertio, propter suam consignificationem. Designat etenim esse, ut in præsenti. Deus autem æterna præsentia invariabiliter est in se ipso. Itaque, Qui est, est magis proprium nomen Dei, quam hoc nomen, Deus, quantum ad id a quo nomen imponitur, et item quantum ad significationem et consignificationem ; sed quantum ad id cui nomen imponitur, hoc nomen, Deus, est magis proprium no-
men ejus, quia impositum est ad signi- C
ficandum essentiam Dei, propter quod est nomen magis incommunicabile, quam hoc nomen, Qui est. Sicque adhuc magis proprium Dei nomen est τετραγράμματον, quod impositum est ad significandum divinam essentiam ut incommunicabilem, atque ut sic liceat fari, ut singularem. Bonum vero, est maxime proprium nomen Dei, secundum quod est causa rerum. Esse quippe, intelligitur ante rationem causæ. Hinc tertio capitulo de Divinis nominibus S. Dio-
nysius ait, quod nominatio Boni, sit om- D
nium divinarum processionum manifestativa. Hæc Thomas.

Verumtamen Nicolaus de Lyra, et Rabbi Paulus concorditer dicunt, quod Hebraica veritas non habet, Ego sum qui sum, et, Qui est, misit me ; sed, Ero qui ero, et, Qui erit, misit me. Porro in hoc isti duo discordant, quia secundum Lyram, per utramque litteram idem significatur, videlicet necessitas, æternitas, et invariabilitas esse ipsius Dei ; sed secundum Rabbi Paulum, istud dici non potest, quoniam verbum hoc, Ero, designat successionem vel progressionem a non esse, vel a præsenti aut præterito esse in futurum. Insuper dicit Paulus iste, quod translatio Hieronymi in hoc passu manifeste deviat ab Hebraica veritate : quod male sonat. Tertio dicit, quod per verba ista, Ero qui ero, Deus non ostendit Moysi aliquod novum nomen divinum, sed quod non erat ei necessarium quærere novum nomen, quia sufficiebat ei nomen istud, Deus patrum vestrorum, etc. Quarto dicit, quod iste sit sensus horum verborum, Ero qui ero, id est, Ego qui ero tecum, ero cum filiis Israel.

Circa hæc dico, S. Hieronymum in hoc loco vere atque fideliter transtulisse, etsi non secundum formam verborum, tamen secundum intentionem et verum intellectum Scripturæ. Quemadmodum quod apud
Michæam habetur, Et tu Bethlehem Ephra- *Mich.* v, 2.
ta, parvulus es in millibus Juda ; Matthæus
evangelista in evangelio suo sic allegat, Tu *Matth.* II, 6.
Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ubi videtur contrarietas in forma verborum, et tamen in sensu et intentione concordia est, sicut super Matthæum expositum est. Itaque, sicut asserit Lyra, per utramque litteram idem significatur. Quamvis enim verba præsentis temporis, magis proprie conveniant Deo, quam verba temporis præteriti ac futuri, quantum ad hoc quod aliquid principaliter et quasi stabiliter, non succedenter designant; non tamen, quantum ad hoc quod designant illud temporaliter aut subita certa differentia temporis, quum nullum tempus conveniat proprie Deo, tanquam mensura ipsius : sed in Scripturis frequenter enuntiantur de Deo verba cujuslibet differentiæ temporis, ad innuendum quod Deus omni tempori coexsistit, et omne tempus sua æternitate complectitur et transcendit, prout super primum Sententiarum scribunt doctores. Hinc æternitas Dei aliquando designatur per verba trium differentiarum temporis simul expressa et
sumpta, juxta illud Apocalypsis : Gratia *Apoc.* I, 4.

Digitized by Google

vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est. Quemadmodum ergo hoc verbum, Sum, et Est, adscribitur Deo, in quantum designat æternam et incommutabilem præsentiam esse divini, absque connotatione præsentis temporalitatis; ita hoc verbum, Ero, et Erit, adscribitur Deo, in quantum designat esse æternum, quod nunquam poterit terminari, deficere, aut finiri modo quocumque; ut sit sensus : Ero qui ero, id est, æternaliter idem manebo. Et ita nulla successio designatur in esse divino, sicut nec quum loquitur per Prophetam : Ero illorum Dominus in perpetuum. (Cf. *Sap.* III, 8.)

Illa quoque expositio, Ero qui ero, id est, Ero cum eis qui ero tecum, est impropria et extorta ; imo secundum eam, Deus magis apte dixisset, Adero qui adero, id est, adero eis qui adero tibi. Denique dicere, quod per verba illa, Ero qui ero, Deus non ostendit Moysi novum nomen divinum, est evidenter contra tenorem ac seriem textus. Non enim solum dixit Deus, Ero qui ero; sed addidit, Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Per quod apertissime datur intelligi, quod Deus protulit verba illa, ostendendo Moysi nomen novum divinum. Josephus quoque ait : Deus dixit Moysi appellationem suam, quam homines prius non audierunt, nec mihi fas est dicere. Multa alia scribit Paulus iste circa hæc, quæ implicare videntur; sed brevitati studens, pertranseo.

Dixitque iterum Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, videlicet *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos.* Moyses audito nomine illo antea inaudito, videlicet, Ego sum qui sum, et, Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos; præ admiratione et contemplationis vigore, quasi stupidus siluit : ideo Dominus protulit ei nomen facilius, quod etiam a filiis Israel capi celerius potuit, majorem quoque spem et devotionem eis imprimere quivit, dicens : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, etc. *Hoc nomen* A *mihi est in æternum,* id est, per hoc complexum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, volo incessabiliter et usque in finem mundi exprimi, nominari, laudari, et invocari, propter causam præhabitam; *et hoc memoriale meum in generationem et generationem,* id est, idem complexum universos fideles inducet ad recordationem et memoriam mei usque in finem mundi, secundum quod nomen est memoriale et recordativum rei designatæ per ipsum. Sic quoque in verbis his insinuatur nobis inæstimabilis caritas, pietas atque dignatio Dei ad suos electos, eo quod ipse Dominus majestatis immensæ, creator et rex universorum, dignatur tam peculiariter ac familiariter Deus hominum nuncupari.

B

Vade in Ægyptum, *congrega* ibi *seniores Israel,* id est aliquos seniores et majores Israelitici populi; *et dices ad eos : Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens : Visitans visitavi vos,* id est, visitare vos pie jam tam certe decrevi atque prænuntio, quasi jam fecissem hoc ipsum. Solet autem Deus sic loqui de futuro per modum præteriti, propter certitudinem veritatis verborum suorum. Vel, Visitavi, id est, visitare vos cœpi apparendo loquendoque Moysi, et dirigendo eum ad vos. Et sumitur visitatio nunc in bono, videlicet pro gratiosa subventione, sicut in Psalmo : Visita nos in salutari tuo. (*Ps.* CV, 4.) Et in Luca : Visitavit nos Oriens ex alto. (*Luc.* I, 78.) Frequenter autem sumitur visitatio in malo, puta pro punitione, secundum quod per Sophoniam Dominus contestatur : Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur. (*Sophon.* I, 9.) *Et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto ; et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, et in terram fluentem lacte et melle. Et audient vocem tuam,* id est, credent et acquiescent tibi, quoniam seniores illi noverunt promissiones Dei sanctis Patriarchis, Abrahæ, Isaac et Jacob, factas de liberatione posteritatis eorum ex Ægypto,

C D

Digitized by Google

et introductione in terram promissionis. Tempus quoque a Deo præfixum, jam esse impletum viderunt ex numero generationum et annorum decursu. Dixerat namque
v, 16. Deus ad Abraham : Generatione quarta revertentur huc.

Ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Ægypti, et dicetis ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, id est, Deus noster præcepit nobis ire ad locum certum ; *ibimus viam trium dierum in solitudinem* juxta præceptum Dei, id est, petimus ut hoc placeat tibi ; *ut immolemus Domino Deo nostro.* Istud fuit verum; non tamen voluit Deus, ut Moyses prima facie exprimeret Pharaoni suum propositum : quo patet, quod aliquando liceat veritatem caute celare. Hinc voluit Deus, ut Moyses et seniores proponerent Pharaoni petitionem istam rationabilem et non gravem, ex qua videbatur quod essent celeriter redituri. Sed cur Dominus jussit ut peterent licentiam eundi viam trium dierum, et non pauciorum, nec plurium ? Ad hoc sunt multæ mysticæ rationes, ut patebit sequenti articulo. Porro, ad litteram dici potest, quod ideo, quia infra tres dies poterant se tantum ab Ægyptiis elongare, quod eis non instabat periculum a plebe Ægypti. Nec petierunt dies plures, ne nimis multum petendo, videretur Pharao aliqualiter excusabilis de repulsa petitionis eorum, et de inobedientia sua ad Deum. *Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis* de sua tellure, *nisi per manum validam,* id est, nisi quasi compulsus per plagas horribiles. *Extendamque manum meam,* id est, potentiam meam evidenter ostendam, atque in actus justitiæ eam procedere faciam ; *et percutiam Ægyptum,* videlicet terram, terræ nascentia, homines et jumenta Ægypti ; *in cunctis mirabilibus meis,* non absolute in cunctis mirabilibus et supernaturalibus plagis, sed in cunctis mirabilibus de quibus subjungitur, *quæ facturus sum in medio eorum. Post hæc dimittet vos.* Nam post ultimam plagam, quæ fuit percussio primogenito-

A rum, fuerunt rex et Ægyptii ita perterriti, quod rogaverunt et quasi compellebant Hebræos exire, dicentes : Omnes moriemur.

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, id est, Hebræos faciam acceptos, amabiles ac venerabiles ipsis Ægyptiis, movendo corda Ægyptiorum, ut bene sic afficiantur Hebræis tanquam summi Dei cultoribus, propter quos tanta peregit Deus. Deo etenim omnipotenti immenso est proprium, voluntates et mentes homi-
B num ad libitum immutare, afficere, et quocumque ei placuerit, vertere. *Et quum egrediemini* Ægyptum, *non exibitis vacui.* Sub persona Moysis, loquitur Deus ad totum populum Moysi committendum. *Sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua.* Ponitur hic singulare pro plurali, ut sit sensus : Mulieres Hebrææ petent a feminis Ægyptiis sibi vicinis ac hospitantibus se, *vasa argentea et aurea, ac vestes :* imo et alia quædam jocalia atque clenodia pretiosa, quæ postea obtulerunt filii Israel in ædi-
C ficationem tabernaculi et sacerdotalium ornamentorum, ut infra patebit. *Ponetisque ea * super filios vestros et filias,* ut portent ea super humeros suos ; *et spoliabitis Ægyptum,* id est, has Ægyptiorum divitias auferetis ab eis per modum prædantium. Non tamen fuit spoliatio proprie dicta, sed justa sublatio, quoniam omnium rerum Dominus et Creator præcepit sic fieri. Ipse enim potest justissime bona terrena quibusdam, præsertim indignis, auferre, aliisque conferre. Hebræi quoque diu ac la-
D boriose servierunt Ægyptiis, et maximam passi erant injuriam ab eisdem, præsertim in submersione infantium : ideo Deus justissimus judex, rectissime fecit eis hanc recompensationem. Dicunt Hebræi, quod mulieres illæ Hebrææ petierunt sibi talia ab Ægyptiis dari : sed verius creditur, quod postulaverunt sibi hæc mutuari ; nec ab egredientibus Hebræis ea repetierunt, vel quia putabant eos mox redituros, vel præ nimia occupatione in sepelitione mortuorum suorum.

* eas

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI SENSU EJUSDEM CAPITULI TERTII.

* soceri

MOYSES *pascebat oves Jethro cognati* * *sui*. Per Moysen intelligitur pastor et prælatus fidelis, qui filiam Jethro soceri sui duxit uxorem, id est, Ecclesiæ sibi commissæ, filiæ Christi, est sponsus, et eam caritatis ulnis amplectitur et fecundat. Sicque oves Christi pascit scientia et doctrina, oratione atque exemplo, fama et ecclesiasticis sacramentis. Christus quoque dici potest sacerdos Madian, id est gentilitatis conversæ. *Quumque minasset gregem ad interiora deserti,* hoc est, fideles sibi commissos perduxerit ad secretiora cœlestis mysterii, exponendo eis arcana et spiritualia documenta de lege Christi, quantum ipsi capere queunt, et eis expedit dici, *venit ad montem Dei Horeb,* hoc est ad cacumen et apicem ecclesiasticæ theoriæ, quoniam subditos suos tam efficaciter instruendo, meretur valde illuminari a Domino, cui nil gratius potest offerri, quam ut oves suæ salubriter gubernentur. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis rubi.* Per rubum apte signatur humanitas Salvatoris, cujus caritas ferventissima, qua tradidit se pro nobis, est flamma ignis in qua Deus apparet. Quia qui Christi caritatem rite perpendit, ad contemplationis altitudinem elevatur, et superbenedictæ Trinitatis pietatem et gratiam circa genus humanum, imo et altitudinem consilii ejus super nostra redemptione, fideliter speculatur. Et ita potissime illuminari meretur, quia tumultibus et inquietudinibus societatis humanæ et sæcularium rerum se abstrahit, et solitarium petit locum, in quo solus soli vacet Altissimo. *Videbat quod rubus arderet, et non combureretur.* Humanitas etenim Filii Dei, inflammatissima erat igne Spiritus Sancti, qui innocue ac superdulcissime arsit in ea. Quod fidelis admirans, pergit, id est disponit se, ad videndum tam sublime mysterium, qualiter scilicet humana natura ab increato Verbo assumpta, manet in tali unione ab ardore Solis justitiæ inconsumpta, atque in naturalibus viribus suis ac proprietatibus salva et integra. Quod revera grande et impenetrabile exstat mysterium.

Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : Ne appropies huc. Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Sic deitas summa in Christo habitans, videns fidelem contemplatorem ad considerandum mirabilia legis divinæ ac fidei christianæ accedere, vocat eum, interius inspirando eidem, ne supra virium suarum mensuram præsumat divina scrutari secreta, juxta quod scriptum est : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. (Eccli. 3. 22.) Jubet quoque Dominus homini tali auferre calceamenta de pedibus suis, hoc est, actiones carnales et opera prava, excusationesque frivolas auferre a cordis sui affectibus, qui sunt animæ pedes. Non enim aptus est contemplari divina, nisi qui abjicit a suis desideriis hujuscemodi calceamenta, quæ multi pessime induunt et assumunt, qui ex aliorum perversitatibus se excusant. Locus vero in quo stat contemplator et fidelis prælatus, est sancta Ecclesia. *Abscondit Moyses faciem suam.* Sic dum homo sublimiter illustratur a Deo, in tantum miratur et obstupescit ex inspecta altitudine Creatoris, quod se ipsum in totius humilitatis abyssum demergit.

Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. Considerat etenim pius Dominus, qualiter veraciter Christiani a visibilibus ac invisibilibus hostibus, ab acie vitiorum, ab impedimentis virtutum multipliciter acriterque affliguntur ; et quasi compatiens eis, consolationem impendit, promittens quod cito perducentur ad regnum cœlorum. Tunc Moyses mittitur ad Pharaonem, ut populum Dei educat de tenebris vitiorum, quando ex divina commissione is qui præsidet aliis, opponit se fortiter pro defensione gregis sui, diabolicam crudelitatem atque versutiam orationibus ac virtuosis exercitiis reprimendo, et vasa ejus ei auferendo, per hoc quod iniquos trahit ad viam salutis. Verumtamen ad hæc peragenda, humiliter recognoscit se præsidens, nequaquam viribus suis sufficere : ideo Dominus consolatur et roborat eum, dicendo : *Ego ero tecum. Et hoc habebis signum quod miserim te : Quum eduxeris populum meum de Ægypto,* hoc est, ex vitiosa et tenebrosa conversatione converteris eos ad lucem gratiæ et splendorem virtutum, *immolabis Deo super montem istum,* id est, super altare et in Ecclesia offeres Deo sacrificium gratiarum actionis et laudis, et Eucharistiæ sacramentum, omnem fructum tuæ prædicationis et sancti laboris Deo totis præcordiis adscribendo.

Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos, hoc est, Christianos meo regimini informationive creditos accedam, dicamque eis, quod Deus Apostolorum injunxit mihi, ut prædicem eis verbum salutis. *Si dixerint mihi, Quod est nomen ejus? quid dicam eis?* hoc est, si petierint aliqualiter edoceri ac scire quid sit Deus (quia nil potest amari ac timeri et venerari, nisi aliquatenus cognitum), quid dicturus sum ipsis? *Dixit Dominus : Ego sum qui sum. Sic dices : Qui est, misit me ad vos.* Sic plane, sic debet prælatus et prædicator instruere populum, exponendo ei, qualiter ipse Dominus Deus noster, sit ipsum esse purum, incircumscriptum, et A separatum, in se ipso incommutabiliter æternaliterque subsistens, in quo vere, et sine omni mensura ac termino, est infinita perfectio, immensa dulcedo, sapientia, beatitudo, et quidquid excogitari potest pertinere ad nobilitatem, eminentiamque essendi, hoc est, superpurissima bonitas, omnipotens virtus, interminata voluptas, pulchritudo illimitata, sempiterna libertas. Propter quod Deus est præ universis et singulis creaturis incomparabiliter amabilis, desiderandus, metuendus, colendus, et contemplandus ; B et quidquid ab ipso est aversivum, est cum infinito horrore ac nausea respuendum. Sic ergo instruendus ac inflammandus est populus ad Dei contemplationem, amorem, cultum, ac filialem timorem. Quod si homines rudes et idiotæ capere ista nequiverint, sufficiat ut eis dicatur : *Deus patrum vestrorum,* Deus Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, et omnium electorum, *misit me ad vos.*

Vade, congrega seniores Israel, et dices ad eos : Deus patrum vestrorum apparuit C *mihi, dicens : Visitans visitavi vos.* Istud committit Deus superioribus prælatis, qui præsunt aliis multis pastoribus. Illis ergo superioribus Deus jubet, ut seniores Israel, id est inferiores prælatos ac sacerdotes, prædicatoresque congregent, id est, ad celebrationem synodi et salubris concilii convocent, insinuando eisdem qualiter Deus omnipotens paratus sit eis succurrere ad hoc, quod se ipsos ac subditos suos digne reforment, gubernent, salvificent : quoniam Deus vidit omnia quæ eis in Ægypto, D id est in hoc sæculo nequam, contigerunt, et qualiter ibi a diabolo, mundo et carne decepti et victi sint sæpe, in tantum quod crudelissimo suæ salutis adversario servierunt.

Ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Ægypti, id est ad principem hujus mundi, dicens : *Dominus Deus Hebræorum vocavit nos,* hoc est, diabolo te oppones, insultabis et dices : Deus nobis præcepit, ut te relicto, accedamus ad thronum gratiæ ejus, et per mentis conversionem ap-

Digitized by Google

plicemus nos, adhæreamusque ei. *Ibimus viam trium dierum in solitudinem,* id est, per tres partes Pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, satisfactio, tendemus ad mentis tranquillitatem a strepitu mundi et inquietudine vitiorum; *ut immolemus Domino Deo nostro* nos ipsos in holocaustum, mancipando nos totos cultui ejus. Insuper, via trium dierum, est exercitatio mentis in fide, spe et caritate, per quam ad salutis pertingitur finem. Rursus, via trium dierum, est servitus Deo exhibita in adolescentia, in juventute et senectute. Iterum, via trium dierum, est observantia legis naturalis, legis evangelicæ, et legis positivæ seu statutorum Ecclesiæ : quas omnes observare tenemur, unusquisque juxta exigentiam suæ vocationis. Adhuc autem, via trium dierum, est lumen naturæ, lumen gratiæ, lumenque gloriæ. Item status incipientium, proficientium, et perfectorum. *Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam.* Princeps etenim tenebrarum et ejus satellites, non cessant eos qui volunt se emendare, acriter impugnare : imo tanto validius, quanto hi qui ei servierant, fortius se convertunt ad viam salutis. Ideo necessaria est valde gratiosa subventio Dei, qui manum suam extendat, percutiatque Ægyptum in cunctis mirabilibus suis, et variis modis faciat suos prævalere electos, et machinamenta dæmonum prorsus evacuet, eosque contribulet per virtuosa exercitia conversorum, quorum humilitate, caritate, patientia, perseverantia et profectu ac prævalentia, dæmones exuruntur. Hæc etenim dona virtutum, et varii effectus gratiæ, ac triumphi fidelium contra aereas potestates, sunt vere mirabilia Dei, quæ Deus operatur in suis, videntibus impiis illis : sicque dimittit diabolus eos, qui sibi sic renituntur ac prævalent.

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis. Hoc impletur quotidie, quando Altissimo disponente, servi Dei et vere religiosi, qui mundum et ea quæ mundi sunt deserunt, inveniunt gratiam coram mundanis hominibus, eleemosynas quoque et beneficia quædam sortiuntur ab illis. *Postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua vasa argentea et aurea ac vestes.* Hoc spiritualiter adimpletur, dum animæ christianæ ex dictis philosophorum et poetarum ac rhetorum accipiunt aliqua utilia documenta, et eloquentiæ flores, naturalemque sapientiam, per quæ omnia adjuvantur ad intelligendum et exponendum Scripturas, ad fidei defensionem, ad ædificationem Ecclesiæ. Nam et Paulus in suis epistolis allegat nonnulla hujusmodi dicta. Hæc quoque ponunt fideles super filios suos ac filias, id est, cordibus discipulorum et subditorum ac posterorum suorum imprimunt ea ; spoliantque Ægyptum, dum illorum dogmatibus in evangelica lege utuntur.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : RESPONDENS MOYSES, AIT : NON CREDENT MIHI.

MOYSES prudenter considerans magnitudinem legationis, quam sibi proposuit et injunxit Dominus, diu se excusavit, insufficientiam suam allegans, etiam quodammodo importune. Idcirco nunc recitatur qualiter Deus roboravit eum per miracula et promissa. Si autem objiciatur, quia præhabitum est quod Moyses ex revelatione cognovit se electum a Deo, ad hoc quod liberaret filios Israel, etiam antequam fugit a facie Pharaonis, ergo se excusare non debuit, aut de veritate divinæ

revelationis dubitare: dicendum, quod viri virtutum nunc actioni unius virtutis, nunc actioni virtutis alterius sunt intenti; diversas quoque habent considerationes, et secundum hoc diversimode judicant etiam de eodem, quemadmodum Paulus uno in
v, 9. loco: Non sum, inquit, dignus vocari apo-
, 13. stolus; et tamen alibi sæpe se vocat apo-
1, 1. stolum. Sic et David scivit se unctum et electum in regem, et tamen quandoque desperavit se posse evadere manus Saulis,
xx, 3. atque ad Jonatham lacrimans dixit: Ego et mors uno tantum gradu dividimur. Sic viri virtuosi quandoque insistunt actibus et considerationibus humilitatis, sicque reputant se ineptos et indignos ad ardua; quandoque vero insistunt considerationibus et actibus magnanimitatis, et ita ex confidentia divini subsidii offerunt se paratos ad magna. Una etenim virtus alteri cedit, et circa eamdem materiam humilitas magnanimitasque versantur. Sic ergo nunc Moyses se excusat, propriam insufficientiam humiliter pensans, non tamen de veritate revelationis divinæ ambigens per considerationem supernaturalium auxiliorum Omnipotentis.

Nunc itaque dicitur: *Respondens Moyses, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam* auribus cordis, acquiescendo verbis meis, *sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Præcedenti capitulo Dominus
Id. III, ait ad Moysen, Audient vocem tuam: quomodo ergo Moyses nunc affirmat, Neque audient vocem meam? Sed hoc faciliter concordatur, quoniam Dominus dixit illud de senioribus, qui promissiones patribus suis factas noverunt; Moyses vero nunc loquitur de plebe communi, in qua multi erant ad credendum difficiles. Vel Moyses protulit verba hæc non simpliciter affirmando, sed probabiliter conjiciendo. Est enim frequens talis modus loquendi.

Dixit ergo ad eum: Quid est hoc *quod tenes in manu tua?* Interrogatio non semper ex ignorantia venit, sicut nec ista. Sed ideo Dominus quod scivit quæsivit, ut ex responsione Moysis proportionate præcipe-A ret ei. *Respondit: Virga* est. Fuit namque virga seu baculus pastoralis. *Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses;* quia coluber ille fuit serpens magnus atque terribilis, et (ut Josephus scribit) erat draco repens, convolutus spiris ingentibus, et tanquam contra persequentes suum caput sævissimum movens: et ita ex naturali timore, concepto ex naturali consideratione et imaginatione serpentis, Moyses fugere cœpit, quasi lædi posset a colubro, B non attendens actualiter satis præsentiam Dei, ex qua debuit esse securus. Et venit hoc ex subreptione et fragilitate humana, ideo excusabile fuit. *Dixitque Dominus: Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit; et versus* * *est in virgam.* Et in hoc commendatur obedientia Moysis, quod bestiam illam tam abominabilem, Deo jubente, mox apprehendit. Istud miraculum excessit naturalem cursum, causalitatem et ordinem rerum: quia tam subito virgam in serpentem C mutari, atque serpentem in virgam, per naturalium applicationem causarum fieri nequit, prout de hoc infra circa opera magorum Pharaonis, magis dicetur. *Ut credant, inquit,* tibi, *quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob:* id est, ad hoc ipse Deus fecit et demonstravit signum hoc Moysi, quatenus Moyse illud coram filiis Israel faciente, ipsi crederent Deum vere ipsi Moysi apparuisse, eumque misisse ad eos.

* versaque

D *Dixitque Dominus rursum* ad Moysen: *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam quum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis,* id est, retraxit eam tam leprosam, quod præ magnitudine lepræ fuit candens et alba ut nix. Albor quippe Lev. XIII, 3
lucens in superficie cutis, argumentum est et seq.
lepræ, ut in Levitico scriptum est. *Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum:* id est, Dominus dixit ad Moysen, ut manum suam rursus in suo poneret sinu. *Retraxit,* id est, iterum traxit eam in gremium,

Digitized by Google

et protulit iterum, inde retrahendo eamdem; *et erat similis carni reliquæ:* utpote sanata a lepra, quum tamen lepra, præsertim tam ingens, sit naturaliter incurabilis morbus.

Si non crediderint filii Israel *tibi, inquit* Dominus, *neque audierint sermonem signi prioris,* id est, non acquieverint verbis quibus probabis te missum a me, per exhibitionem præfati miraculi, utpote mutationis virgæ in colubrum. In quo tamen signo totali duo continebantur prodigia : unum erat, tam repentina conversio virgæ in aspidem ; alterum, æque repentina conversio serpentis in virgam. *Credent verbo signi sequentis,* id est assertioni tuæ, qua probabis te missum a me, faciendo hoc signum secundum. In quo itidem duo continebantur miracula : unum, tam supernaturalis inductio lepræ ; aliud, tam supernaturalis curatio ejus.

Quod si nec duobus quidem his signis crediderint. Si Dominus noverat, et vere jam dixerat, eos credituros duobus signis prædictis, cur nunc conditionaliter addit, Quod si nec duobus? Dici potest, quod multi Israelitarum credituri erant illis duobus signis; sed propter quosdam ad credendum duriores, Dominus addidit hæc de tertio signo, vel ex superabundanti hoc fecit, et item propter mysticas rationes infra tangendas, atque ut Moysen plenius consolaretur ac roboraret. *Neque audierint vocem tuam ; sume aquam fluminis,* id est, aliquid aquæ hauri ex Nilo, *et effunde eam super aridam ; et quidquid hauseris de flumine*, vertetur in sanguinem.* Josephus vero dicit, quod Deo jubente, Moyses sumpsit aquam de proximo sibi loco, et fudit in terram, quæ mox in sanguinem vertebatur, quod fuit grande prodigium. An tamen per magicam artem et diabolicam opem fieri hoc quiverit, infra discutietur in septimi expositione capituli.

* *fluvio*

Præterea si quæratur, cur Dominus fecit ac demonstravit, imo et facere jussit Moysi tria hæc signa : ad hoc aliqui dicunt, quod signum factum in virga, correspon-A det statui Hebræorum, quantum ad eorum introitum in Ægyptum, et quoad mansionem eorum ibidem sub dominio Joseph, quod significatur per virgam. Hoc dominium fuit quasi conculcatum in terra, quando post mortem Joseph, tam ejus posteritas quam reliqui filii Israel, compulsi sunt servire Ægyptiis in duris vilibusque operibus; sicque dominium illud fuit quasi versum in colubrum, utpote in serpentinam adversitatem mutatum. Tandem vero educti sunt Hebræi a servitute Ægypti, quod si-B gnificavit apprehensio serpentis cum cauda ; atque ad regiam dignitatem in terra promissionis promoti, quod præfiguravit conversio serpentis in virgam. Porro signum factum in manu Moysis, designavit statum Hebræorum, quo esse cœperunt sub cura ducatuque Moysis : quo tempore eorum calamitas fuit aucta, quia tunc ab Ægyptiis gravius premebantur, quod infectio manus Moysis per lepram signavit. Sed paulo post per manum Moysis sunt educti, quod curatio manus illius monstravit. Ter-C tium autem signum factum in flumine, designavit statum Judæorum in Ægypto, quando eorum infantuli mergebantur in Nilo, quod conversio aquæ in sanguinem prætendebat ; quæ etiam innuebat, quod Deus vindicaret sanguinem infantulorum illorum in Ægyptiis per plagas, et submersionem eorum in mari Rubro.

Ait Moyses : Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, id est a tempore evoluto, vel ut quidam exponunt, a pueritia mea, vel nativitatis meæ exor-D dio ; *et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum.* Quasi dicat : Ab hac hora qua mecum loqui cœpisti, aucta est infacundia mea : tum quoniam comparatione eloquentiæ tuæ, mea loquela amplius sordet et deficit; tum quia ex hac apparitione et allocutione divina, ex signis quoque jam visis, multum in me ipso debilitata est mea natura et complexio alterata, et virtus obriguit, ita ut vocem formare vix queam : quemadmodum ex talibus supernaturalibus et insoli-

Digitized by Google

tis visionibus, allocutionibus et portentis, A
solet humana debilitari et alterari ac vereri
fragilitas : propter quod Prophetæ in talibus corruerunt in terram. Isaias quoque
3,4. dixit : Corrui, quum viderem. Emarcuit cor meum ; tenebræ obstupefecerunt me.
1,17. Joannes quoque in Apocalypsi : Quum vidissem, inquit, eum, cecidi ad pedes ejus quasi mortuus. Sic et Daniel dixit ad an-
x,16, gelum : Quomodo poterit servus tuus loqui cum domino meo ? Nihil enim in me remansit virium. Sed et halitus meus intercluditur, et in visione tua dissolutæ sunt B
compages meæ. Itaque Moyses adhuc a tanto se excusavit officio propter ineloquentiam suam. Qui enim regibus loqui debent, præsertim extranei, et pro arduis causis, indigent voce tubali, quum et remote soleant stare a rege.

Circa hæc quæritur, an Moyses habuit impeditam aut balbutientem loquelam. Ad hoc Origenes respondet : Quamdiu Moyses fuit in Ægypto, et erudiebatur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce, nec tardus in lingua, nec profitebatur C
se esse ineloquentem. Ubi autem cœpit audire vocem Dei, et eloquia divina suscipere, tunc sensit exilem et gracilem esse vocem suam, tardamque et impeditam esse suam intellexit linguam. Tunc pronuntiavit se mutum, quum cœpit agnoscere ve-
1,2. rum illud Verbum quod erat in principio apud Deum. Quemadmodum homo imperitus et infacundus, comparatione brutorum eloquens esse videtur ; si autem eloquentibus atque doctissimis hominibus comparetur, ineloquens et mutus esse vi- D
detur. At si quis contempletur Verbum divinum, sapientiamque divinam perspiciat, quantumcumque sit eruditus, multo plus apud Deum se profitebitur animal mutum, quam apud nos sunt pecudes. Huic Origenis opinioni favere videtur, quod S. Ste-
vii,22. phanus testatur : Eruditus est, inquiens, Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et operibus suis. Alii dicunt, quod postquam misit prunam ardentem in os suum, ut recitatum est supra, læsa est extremitas suæ linguæ, et defectum incurrit loquelæ. Ceteri asserunt, quod ex naturali dispositione habuit parvam, tardam, ac gracilem vocem ; Aaron vero tubalem ac promptam. Quamvis autem in verbis Origenis quædam vera et subtilia continentur, verumtamen non creditur, quod Moyses absolute loquendo, fuerit eloquens aut incomparabilis eloquentiæ. Sic enim fuisset eloquentior Aaron fratre suo, nec indiguisset ejus ad loquendum auxilio, nec dedisset ei Deus ipsum Aaron ad loquendum pro ipso Moyse ad regem Ægypti ac filios Israel : cujus oppositum infra habetur. Porro verba beatissimi Stephani intelliguntur, quod erat potens et prudens, efficaxque in verbis.

Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus est surdum et mutum, videntem et cæcum ? Nonne ego ? Quasi dicat : Ego universorum creator ac dominus, qui omnem rerum naturam, ordinemque institui, et loquelam hominibus præstiti, possum facillime tuum implere defectum, et infacundo eloquentiam dare. Nam et ego instar fabricantis, ex semine humano compegi, formavi, et edidi tam eos qui in naturalibus sunt perfecti, quam eos qui monstruosi seu in naturalibus defectuosi exsistunt, ut surdi, cæci, et muti. Opus quippe causarum naturalium et secundarum, est opus primæ causæ, quæ plus influit quam quæcumque causa secunda. Unde et sanctus Job loquitur Deo :
Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut ca- *Job* x,10,11.
seum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me ; ossibus et nervis compegisti me. Verumtamen monstruositas non habet proprie causam efficientem, sed magis deficientem, loquendo quantum ad causas naturales ; nec est intenta, sed contingit per accidens ex indispositione materiæ. Natura vero facit melius id quod potest, ut docet Philosophus. Verum per respectum ad Omnipotentis providentiam, cuncta et singula perfectissime complectentem, nihil est casuale, aut improvisum, aut absque certa et legitima ratione proveniens. Pro-

Digitized by Google

Joann. IX, 1-3. pter quod de cæco a nativitate disseruit Christus, quod ideo natus est cæcus, ut manifestarentur in eo opera Dei. Hinc loquitur Augustinus : Quidam Deum veteris Testamenti, et ejus Scripturas seu vetus Testamentum calumniantur, quoniam dixit Deus, quod fecit mutum. Quid ergo dicent de Christo, qui apertissime protestatur, Ibid. 39. Ego veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant ? Quis autem nisi ignarus, crediderit aliquid secundum corporalia vitia talia posse accidere homini, quod nolit Deus ? Sed eum totum juste velle, ambigit nemo. Hæc Augustinus. Itaque surdos, mutos, et cæcos ac similes monstruosos fecit Deus, quantum ad id quod substantialiter et perfectionaliter sunt : quia et corpora eorum, quantum ad materiam primam, creavit, et ea per causas secundas formavit, animasque creando infudit. Monstruositas vero, quæ non est nisi privatio, non aliquid positivum, non sine dispositione divina accidit eis ex rationabilibus causis Deo notis.

Hebræi (ut fertur) aliter hæc exponunt, quia (ut tactum est in expositione capituli Exod. II, 11, 12. secundi) asserunt Moysen captum et Pharaoni adductum, quia occidit Ægyptium, tunc quoque imperterrite respondisse Moysen regi. Itaque sensus esset: Quis fecit os hominis ? id est, quis fecit te coram Pharaone respondere constanter in tali articulo ? Aut quis fabricatus est surdum et mutum? id est, quis fecit Pharaonem tunc instar surdi mutique stupidum? Videntem et cæcum? id est, quis fecit spiculatorem, cui rex jussit te decollare, sic cæcum per acrisiam, quod te videre nequivit, quum tamen alia cerneret ? Sicque evasisti regis manum, ita quod te insequi et revocare nequivit. Quasi dicat : Ego qui mirabilia illa feci in te, possum tibi nunc dare facundiam, et quidquid adjutorii voluero. Circa hæc Rabbi Paulus scribit: Non videtur rationabile ut Moyses dubitasset, quod Deus posset supplere defectum suum. Fateor verum hoc esse, nec legi aliquem dicentem hoc. Tamen Rabbi Paulus videtur hoc introducere in reprehensionem Nicolai de Lyra. Præfatis etenim verbis Paulus præmittit : In quarto capitulo ubi dicitur in postilla, Dixit Dominus ad eum. Attamen Lyra non dicit verba illa in sua postilla, sed rationabiliter scribit, quod Dominus protulit verba illa præhabita, Quis fecit os hominis, etc., ad ostendendum, quod posset supplere defectum Moysis allegatum. Ex hoc non sequitur, quod Moyses dubitaverit inde; sed potuit dubitare, an et qualiter vellet Dominus defectum suæ loquelæ supplere. Itaque verba doctorum et expositorum non sunt captiose sumenda, nec reprobanda, quando rationabiliter queunt salvari.

Perge igitur, et ego ero in ore tuo, id est, defectum naturæ tuæ supplebo per gratiam; *doceboque te quid loquaris.* Magna et gratiosa promissio. Sic et Salvator suis promisit discipulis : Ego dabo vobis Luc. XXI, 15. os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *At ille,* videlicet Moyses : *Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es.* Hoc in Glossa exponitur sic: Humiliter se excusat Moyses, petens aliquem digniorem se mitti. Quidam exponunt de Aaron, ita quod Moyses per verba hæc intendebat orare, ut Deus associaret sibi in adjutorem fratrem suum Aaron, qui senior atque facundior Moyse fuit. Huicque expositioni videntur verba illa consonare sequentia : *Iratus Dominus in Moysen, ait : Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit.* Hanc explanationem sequitur Lyra. Quocirca scribit Rabbi Paulus : Quidam Hebræorum, et specialiter Rabbi Moyses, aliter exponunt hunc passum, dicentes quod Moyses non fuit introducturus populum in terram promissionis, prout in prima revelatione ei facta dictum fuit. Credidit quoque, quod alius fuit a Deo mittendus in redemptionem finalem. Idcirco petebat ut alter illorum mittendorum mitteretur, quorum utrumque digniorem se æstimabat.

Circa istud dicendum videtur, quod in prima revelatione Moysi facta, quæ supra

Digitized by Google

descripta est, non continetur in textu, quod A Moyses non fuit populum Israel introducturus in terram promissionis, ut patet textum legentibus; imo frequenter locutus est Dominus Moysi, quasi introducturo populum illam in terram, sicut et populo ex Ægypto educto, frequenter denuntiavit per Moysen, quod introduceret eos in terram promissionis. Quod tamen impletum non fuit, quia demeruerunt induci : et promissiones hujusmodi sub conditione intelligendæ fuerunt, videlicet nisi peccando redderent se indignos divinarum adimpletione B promissionum. Porro, quod Deus interdum locutus sit Moysi, quod introduceret filios Israel in terram eis promissam, constat ex
xii, hoc quod infra Dominus ait ad ipsum : Tu autem vade, et duc populum istum de quo locutus sum tibi. Infra quoque habetur
xiii, alio loco, quod locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Vade, ascende de loco isto tu et populus tuus in terram quam juravi Abraham, Isaac et Jacob. Itemque, Mittam præcursorem tuum angelum, et ejiciam Chananæum et Amorrhæum et He- C thæum, et intrabis in terram fluentem lacte et melle. Præterea, quod Moyses non esset introducturus filios Israel in terram promissam, videtur ei tunc primo dictum, quum ad aquas Contradictionis incredulus exstitit Domino, qui tunc dixit ad eum et Aaron : Quia non credidistis mihi, etc., non introducetis hos populos, etc.

xx, Attamen verba hæc Moysis, Obsecro, Domine, mitte quem missurus es, secundum quod sonant, videntur satis apte posse exponi de eo, qui fuit ad plenam redem- D ptionem Hebræorum mittendus, ita quod Moyses audiens Deum fari de eductione Israel ex Ægypto, oculum mentis direxit ad liberationem finalem, sive ad Christi missionem. Quemadmodum in Evangelio per istud complexum, Propheta qui venturus est in mundum, intelligitur Christus; ita in veteri Testamento per verba hæc, Veniat qui mittendus est, et, Mitte quem missurus es, Christus solet insinuari. Sed huic expositioni non videtur consonare quod subditur, Iratus Dominus in Moysen. Siquidem propter illam petitionem non fuisset, ut apparet, ei iratus : nisi forte dicatur, quod quantum ad hoc, Moyses inordinate oravit, quod voluit fieri pro tunc, quod diu postea fuit agendum; vel quia nimis importune se excusavit, atque pusillanimis aliqualiter fuit in acceptando legationem sibi injunctam, fuitque ejus peccatum veniale.

Ecce ipse Aaron *egredietur in occursum tuum :* quia (ut infra describitur) ex revelatione divina Aaron exivit ex Ægypto in occursum Moysis fratris sui; *vidensque te, lætabitur corde,* id est valde intense, tum ex spirituali affectu, et quia pro magnis et prosperis causis sciet te advenisse. *Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus,* id est, dic ei quid debeat loqui ex mea commissione. *Et ego ero in ore tuo, et in ore illius,* id est, linguas vestras dirigam ad loquendum. Nempe ut in Proverbiis legitur : Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est gubernare linguam. Prov. xvi, 9.
Propter quod oravit Apostolus : Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. Ephes. vi, 19. Et sancta Esther Dominum exoravit : Da in ore meo sermonem bene sonantem. Esth. xiv, 13. *Et ostendam vobis quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum,* id est, ex parte tui et juxta tuam informationem loquetur filiis Israel, quæcumque præcepero aut commisero eis. *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent,* id est, a me per te ipsum accipies divina præcepta ac documenta, quæ docebis et ipsum Aaron. *Virgam quoque hanc* pastoralem, quam consuevisti ferre in manibus tuis pro ovium directione, *sume in manu tua,* id est, tecum porta : et forsitan Moyses habuit eam in manu, quando Dominus protulit verba ista; *in qua facturus es signa.* Etenim virga illa fuit causa materialis seu materia, in qua factum est istud primum miraculum, puta conversio ejus in serpentem, et rursus serpentis in virgam. Per virgam quoque quasi per instrumentum, facta est conversio aquæ in

Digitized by Google

sanguinem, atque divisio maris Rubri : quia ut infra narratur, Deo jubente Moyses percussit fluvium, similiter mare Rubrum cum virga. (Exod. vii, 17; xiv, 21.)

Abiit Moyses, id est, completa allocutione et apparitione præfata, disparenteque angelo, recessit Moyses a monte Sinai, *et reversus est ad Jethro socerum suum.* Forsitan reduxit et oves secum, aut sub aliorum manu pastorum eas reliquit. Forte enim habuit aliquos sibi subjectos pastores in intermediis locis; nam montem Sinai solus accessisse censetur. *Dixitque ei : Vadam et revertar ad fratres,* id est cognatos et proximos *meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant.* Non dubitavit Moyses, quin Aaron et ceteri sibi propinqui adhuc viverent in Ægypto; sed (ut putatur) noluit ex humilitate socero suo revelare, qualiter Dominus ei apparuit, arduamque legationem injunxit : sicut nec Saul, adhuc bonus et humilis, indicavit patri suo Cis, quemadmodum Samuel unxit eum in regem. (I Reg. x, 16.) Ideo Moyses excogitavit aliam causam sui reditus in Ægyptum, quæ tamen exstitit vera, quia ad hoc quoque illuc revertebatur, ut videret an viverent, id est sani et bene dispositi essent.

Cui ait Jethro : Vade in pace pectoris et temporis, ut mente tranquillus sis, nec ab extra turberis. Per quæ verba dedit Jethro licentiam Moysi, ut pergeret in Ægyptum. Nam sine ejus consensu saltem optato, atque licentia saltem petita, noluit Moyses in Ægyptum reverti, præsertim quum esset gener illius, voluitque uxorem et liberos secum deducere. Quod si objiciatur, quia obedire oportet Deo magis quam hominibus, (Act. v, 29.) ergo suscepta jussione divina, non debuit ab homine licentiam postulare, præsertim quia et Jacob patriarcha rediit a Mesopotamia ex jussione divina, non petita a Laban licentia : respondetur, quod jussio illa divina non exclusit humilem postulationem licentiæ ab homine superiore. Tamen si Jethro renuisset Moysen licentiare, non ob hoc omisisset divini executionem mandati. Porro Jacob non petivit a Laban licentiam, (Gen. xxxi, 3, 20.) quia jam vidit illum esse aversum a se, et timuit injurias pati ab ipso ; Jethro autem fuit vir magnæ prudentiæ, unde et consensit cito Moysi ut rediret : non quod libenter separabatur ab eo, aut quod modice eum dilexit, sed quia postulatio Moysis rationabilis fuit, nec voluit Jethro propria commoda præferre utilitatibus honestisque causis Moysis generi sui. Denique, quamvis Moyses istam historiam descripsit tam breviter, est tamen probabile, quod ipse et Jethro latius contulerunt de ista materia, tandemque Jethro locutus sit, Vade in pace.

Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian. Quum enim Moyses faceret adhuc aliquantulam moram in terra Madian, locutus est ei Dominus verba sequentia : *Vade* de terra hac, *et revertere in Ægyptum. Mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam,* id est qui te nitebantur occidere, scilicet Pharao, et consensores seu complices ejus. *Tulit ergo Moyses uxorem, et filios suos.* Quare hoc fecit, quum sciret se non diu moraturum in Ægypto? Dici potest, quod putavit se cum filiis Israel infra breve tempus terram Chanaan ingressurum ad habitandum ibidem. Ideo duxit eos secum, et forte uxor sua desideravit pergere secum, ut moris est feminarum; itemque quoniam mariti et conjugis, ac sobolis eorumdem, debet contubernium esse unum. *Et imposuit eos super asinum.* Circa hoc refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod iste est asinus qui portavit ligna quando Abraham perrexit ad Isaac immolandum, quodque super eumdem asinum equitabit Messias in suo adventu, juxta illud Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi, sedens super asinam, etc.; (Zach. ix, 9.) sicque asinus ille tam fortis, super se vehere potuit tantum onus, videlicet matrem cum filiis duobus. Sed assertio ista tam fatua est, ut sit reprobatione indigna. Neque enim naturaliter poterat asinus ille vivere ita diu. Messias quoque jam venit, nec usus est ad equitandum asino illo; nec asinus Abrahæ portando ligna pro combustione corporis Isaac,

Digitized by Google

meruit, hoc agendo, talem ac tantam vitæ prolongationem. Idcirco, si asinus Moysis ferre non potuit super se onus uxoris duorumque filiorum : dicendum, quod ponitur hic singulare pro plurali, intelligendo nomine asini, asinos. *Reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.*

Dixitque ei Dominus, videlicet Moysi, *revertenti in Ægyptum : Vide ut omnia ostenta,* id est opera miraculosa ostentu dignissima, *quæ posui in manu tua,* id est, quæ per tuum ministerium perpetrare decrevi, *facias coram Pharaone,* id est coram ejus præsentia, vel evidenter ita, ut ea percipiat, imo et sentiat. *Ego indurabo,* id est indurari permittam, *cor ejus.* Dicitur enim Deus facere quod fieri sinit, præsertim quando oppositum fieri non valet, nec res illa vitari potest, nisi Deo agente. Itaque Deus est causa indurationis et obstinationis, non directe influendo malitiam, aut culpam causando, sed indirecte et quasi per accidens, in quantum justo judicio gratiam subtrahit aut non confert : quemadmodum sol recedendo ab hemisphærio nostro, est causa frigoris et corruptionis ; et nauta per suam absentiam, est causa periclitationis navigantium. Etenim Dei solius est, mentem vitiosam ad pœnitentiam emollire, convertere, et salvare. Juxta hunc modum loquendi Psalmista loquitur Deo : Declinasti semitas nostras a via tua. Isaias quoque dicit de Deo : Quare nos errare fecisti a viis tuis, indurasti corda nostra, ne timeremus te ? Sed et in Ezechiele Dominus protestatur : Propheta quum erraverit, ego Dominus decepi Prophetam illum. Per quem loquendi modum innuitur, quod sine ope et gratia Dei, nil boni habemus aut possumus. *Et non dimittet populum* per multas vices. Tandem vero plagis, terroribusque devictus, fecit populum egredi festinanter.

Dicesque ad eum, scilicet Pharaonem : *Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus, Israel.* Hic loquitur Deus de toto populo Hebræorum, quasi de homine uno, ut sit sensus : Israeliticus populus carior A mihi est ceteris gentibus, et majora beneficia ei impendo : quemadmodum parentes filios multos habentes, primogenitum communiter plus amant et ditant. Sic in Jeremia Dominus ait : Ephraim primogenitus meus. (*Jer.* XXXI, 9.) Porro in Glossa habetur : Filius meus primogenitus Israel, quia in Patriarchis primus electus est ad cultum unius Dei : hoc est, idcirco populus Hebræorum primogenitus meus est, quoniam ceteris ad idololatriam declinantibus, patres eorum primi vocati sunt ad cultum unius B Dei. Ideo quoque populus ille primogenitus Dei vocatur, quia ex eo incarnatus ac natus est Unigenitus Patris, primogenitus omnis creaturæ, ut ad Romanos docetur. (*Rom.* VIII, 29, et *Coloss.* I, 15.) *Dixi tibi,* id est, tibi, o Pharao, per Moysen jussi : *Dimitte filium meum,* id est, populum Hebræorum mihi instar filii carum permitte egredi de Ægypto, *ut serviat mihi* servitute latriæ, et sacrificet in deserto ; *et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Qualiter hoc sit impletum, infra describi- C tur. In ultima etenim plaga, primogenita Ægyptiorum sunt occisa, a primogenito Pharaonis, etc. Porro ultima illa plaga fuit principalis et gravior ceteris, ideo tanquam præcipuam prænuntiari eam Pharaoni Dominus Deus jussit. Et quamvis infra non legatur in textu, quando aut ubi Moyses dixerit hæc verba Pharaoni, tamen quia hic scribitur Dominum istud Moysi commisisse, credendum est quod ita explevit.

Quumque esset in itinere in diversorio, id est in hospitio ad quod divertit, ad D Ægyptum pergendo : unde Septuaginta transtulerunt, Et factum est in via ad refectionem ; *occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum.* Secundum Augustinum, istud potest exponi tam de Moyse, eo quod unum filiorum suorum dimisit incircumcisum contra præceptum Domini in Genesi scriptum, ubi dicitur, Infans octo dierum circumcidetur ; (*Gen.* XVII, 12.) quam de filio illo incircumciso, ut per hoc insinuaretur, quam districte servanda sint Dei præcepta. Verumtamen ex circumstantia litteræ videtur

istud de Moyse intelligendum, non de ejus filio, qui secundum Augustinum tunc fuit infantulus : propter quod non apparet, quod puero illi nondum adulto Deus imputasset ad culpam personalem pœna sensibili puniendam, quod circumcisus non fuit.

Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui. Per hæc verba innuitur, quod Sephora cognovit, cur angelus Moysi in forma visibili humana occurrens, voluerit eum occidere: quod vel ex revelatione angeli, vel ex Moysis informatione cognovit. Idcirco, ne suus occideretur maritus, circumcidit mox filium suum. Vel, quum esset gentilis, more gentilium putavit, angelum effusione sanguinis posse placari. Ex quibus putatur, quod femina illa gentilis voluit unum filiorum suorum tenere in ritu gentilitatis suæ. Alterum vero juxta legem divinam Moyses circumcidit. Fuit quoque culpabilis, quod quum esset caput mulieris, permisit eam tenere in suo ritu unum ex pueris illis. *Tetigitque pedes ejus,* id est, sanguis de parte corporis circumcisi emanans, cecidit super pedes pueri circumcisi vel matris ejus, aut etiam Moysis, cui mater puerum circumcisum forsitan præsentavit ad intuendam læsionem infantuli. Vel, ut aliqui putant, quia ad pedes Moysis projecit abscisum filii sui præputium, cui sensui videtur consonare quod subditur : *Et ait* Sephora : *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quasi dicat: An ideo te sumpsi in sponsum, aut idcirco videor te in sponsum sumpsisse, ut propter te et ritum tuum, aut propter liberationem tuam de manu angeli comminantis, effunderem sanguinem filii mei? Et ita Sephora protulit hæc quasi indignans suo marito, quia multum condoluit puero circumciso ; atque (ut in Scholastica historia tangitur) reputavit scelus esse, sic proprii filii sanguinem fundere. Sed mirum si indignabatur, aut illud esse peccatum arbitrabatur, quum angelum Dei visibiliter coram se cerneret. Hinc in Glossa insinuatur : Sanguis tetigit pedes angeli, cui Sephora fortassis ostendit puerum circumcisum, ut placaretur. Deinde angelo quasi blandiens, dixit : Sponsus sanguinum tu mihi es, id est, sicut Moysi carnaliter nupsi, ita nunc quodammodo tibi effusione sanguinis filii mei.

Et dimisit eum, postquam dixerat ei, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem. Totus hic passus sua brevitate valde obscurus est, ut etiam asserit Augustinus. Unde et clausula ista, juxta præhabita multipliciter explanatur. Magister namque in historia sic exponit : Angelus dimisit Moysen. Unde Hebræus habet : Relaxavit eum angelus, quem (scilicet Moysen) prius usque ad mortem arctavit. In Glossa exponitur sic : Sephora irata et indignans ex causa prætacta, dimisit Moysen, rediens ad Jethro suum parentem cum puero circumciso. Quidam tamen dicunt, quod dimisit puerum circumcisum : quod non videtur, quoniam infra fertur, quod Jethro venit ad Moysen in desertum, adducens secum uxorem et filios ejus. (*Exod.* XVIII. 5.) Ideo magis apparet, quod Sephora cum ambobus filiis suis et asino ad proprium rediit patrem : quod etiam creditur Moysi placuisse. Imo, ut tetigit Augustinus, aliqui putaverunt angelum propter hoc Moysen terruisse, ne ad impedimentum ministerii sibi impositi, duceret secum uxorem atque puerulos. Verumtamen Rabbi Paulus objicit præinductis, videlicet quod uxor Moysis non dimisit Moysen, præsertim quasi indignans : nam infra habetur præallegato loco, quod Jethro tulit uxorem Moysis quam remiserat. (*Ibid.* 2.) Ex quo apparet, quod uxor non dimisit Moysen, sed econtra. Ad quod ex dictis patet solutio. Siquidem potuit esse, quod quamvis mulier ex causa præhabita fuit indignans, tamen Moyses vir mitissimus eam placavit, reditumque persuasit, propter quod eam scribitur remisisse.

Circa hæc in Scholastica recitatur historia : Hinc aliqui dicunt morem circumcidendi petrinis cultellis habuisse principium, vel a Josue in Galgalis. Tamen (*Josue.* v. 2.)

Digitized by Google

ubi nos habemus, petram, Hebræus habet, aciem; et acutissimam aciem vocat novaculam. Unde et Judæi novaculis circumcidunt. Fabulantur tamen quidam Hebræi, usque ad David circumcisionem factam cum petra; sed quia in dejiciendo Goliath, ferrum loricæ et galeæ cessit lapidi jacto, quasi dans ei locum, deinceps lapis cessit ferro in circumcisione. Hæc ibi. Lyra quoque testatur, pro Acutissima petra, apud Hebræos dici aciem sive novaculam.

Dixit autem Dominus ad Aaron. Probabile est, quod per angelum sensibiliter apparentem locutus sit ista Deus ad Aaron in Ægypto, et forte idem angelus qui apparuit Moysi, ejus quoque fratri apparuit, vel per inspirationem et visionem in somno locutus est Dominus ista ad Aaron. Hinc primo Regum ait Dominus Heli de Aaron descendenti : Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, quum essent in Ægypto? *Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei :* perrexit enim tamdiu, donec reperit Moysen, invenitque eum in monte Sinai; *et osculatus est eum,* etc. *Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel :* quos primo collegerunt tanquam prudentiores, quatenus eis rationabiliter informatis atque credentibus, ceteri Israelitæ facilius crederent ac parerent.

Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen; et fecit signa coram populo. Ex his videtur, quod Moyses per se ipsum exposuit senioribus suam

A legationem : quibus credentibus, convocaverunt Moyses et Aaron et seniores plebem communem totam, vel potius pro magna parte : quibus collectis, exposuit ipse Aaron, tanquam magis tubalis in voce et eloquens, universa quæ Deus præcepit Moysi dicere illis. Porro, quod dictum est, Et fecit signa coram populo, melius intelligitur de Moyse quam de Aaron. Moyses etenim non per Aaron, sed per se, Deo agente, exhibuit signa hæc; Aaron vero ea non fecit, nisi aliquo modo dispositive, et

B excitans Moysen ad signa agenda. Signa autem quæ fecit, fuerunt conversio virgæ in colubrum, atque conversio colubri in virgam; infectioque manus Moysis per lepram, et ejusdem curatio. Seniores demum crediderunt Moysi, ante ostensionem signorum istorum, ut in expositione tertii capituli patuit, et aliqui tenent. Josephus tamen sentit, quod non crediderunt Moysi, nisi signis ab eo coram ipsis peractis. Vulgus vero credidit visis signis. Ideo subditur : *Exod.* III, 16-18.

Et credidit populus. Audieruntque, tam

C illi qui ibi fuerunt, quam ceteri Hebræi hinc inde dispersi, *quod visitasset Dominus filios Israel,* utpote eos. Nam loquitur hæc scriptura de eisdem, quasi de aliis. Visitavit autem Dominus eos, mittendo Moysen ad liberationem eorum, et faciendo signa præfata in testimonium veritatis. *Et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt,* hoc est, prostrati gratias Deo egerunt, exorantes eumdem, ut sua promissa impleret in eis.

ARTICULUS VIII

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI.

PER hoc quod dixit Moyses ad Dominum, Non credent mihi, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus : præfiguratum est, quod gentilitas non credidit evangelicæ

D prædicationi, nisi per signa, miracula, portentaque maxima. Porro, per hoc quod Moyses virgam suam, Deo jubente, projecit in terram, et in colubrum est conver-

Digitized by Google

sa : signatur, quod Christus suam judiciariam potestatem humiliavit usque ad infima, in tantum, quod ipse omnium judex ac dominus, dignatus est ab hominibus impiis, tanquam a colubris, judicari ac condemnari. Sed virga hæc ad pristinam rediit suæ celsitudinis speciem, quando post passionem suam glorificatus est Christus, ita quod dixit, *Matth.* XXVIII, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : quod per apprehensionem caudæ serpentis est præmonstratum. Hinc in Actibus princeps ait *Act.* X, 42. Apostolorum : Præcepit nobis Deus testificari, quia Christus constitutus est judex vivorum et mortuorum. Per fugam demum Moysis a facie colubri, intelligi potest fuga *Marc.* XIV, 50. Apostolorum, quando captus et apprehensus est Jesus ut judicaretur.

Insuper, per manum Moysis factam leprosam, quum missa fuisset in sinum ipsius, significatum est, quod Christi humanitas tempore passionis instar leprosi apparuit, juxta quod ab Isaia fuit prædictum : *Is.* LIII, 4. Reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Moyses quippe figura est Christi. Sicque manus Moysis humanam Christi designat naturam, quæ fuit quasi manus et instrumentum suæ divinitatis. Per missionem vero manus Moysis in sinum ipsius, exprimitur mysterium humanitatis, quo factum est, ut per passionis acerbitatem et ignominiam videretur quasi lepra perfusa. Per hoc autem quod Moyses manum suam retraxit, et retractam reperit sanam : notatur, quod Christo resurgente a mortuis, quando corpus suum a sepulcro, animamque a limbo retraxit, humanitas ejus ad pristinam, imo ad multo majorem rediit venustatem, secundum quod ipse passione instante oravit : *Joann.* XVII, 5. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum. Et : *Ibid.* 1. Pater, clarifica filium tuum. Amplius, per aquam, populi designantur; per conversionem aquæ in sanguinem, conversio infidelium ad fidem incarnationis passionisque Christi : ita quod quidquid Moyses hausit de fluvio, in sanguinem vertebatur, hoc est, quidquid Salvator de populo tumultuantium sæcularium hominum elegit, et sibi assumpsit, ad fidem crucis et sanguinis ejus exstat conversum.

Per ineloquentiam Moysis, accipi potest simplicitas stili evangelicæ legis. Eos autem qui infacundi sunt, et spiritualiter muti, surdi ac cæci, Christus per gratiam Spiritus Sancti facit facundos ad eloquendum verba Dei, atque paratos ad audiendum quidquid pertinet ad salutem. Sed et visum eorum internum clarificat ad contemplandum. Per Aaron vero facundum, signatur chorus Apostolorum, quem Spiritus Sanctus eloquentissimum fecit, et eumdem Christo in adjutorium prædicationis concessit. Qui chorus Apostolorum occurrit Christo in monte, hoc est in sublimitate virtutum, et in exordio primitivæ Ecclesiæ. Posuitque Christus verba Dei in ore ipsorum, qui ex parte Christi prædicaverunt primo Judæis, deinde gentilibus, atque per signa eis collata, converterunt ex utrisque millia multa. Quemadmodum etiam Moyses rediit ad Jethro suum cognatum, antequam descendit in Ægyptum ; sic Christus antequam per Apostolos prædicavit evangelium suum gentilibus, prædicavit illud per se ipsum Judæis, suis secundum carnem cognatis. Quumque gentiles cognovissent se visitari a Deo per ejus Apostolos, gavisi sunt valde, et proni adoraverunt, sicut in Actibus Apostolorum copiose docetur. Postremo, quid per Sephoram Moysis conjugem, ejusque filios designetur, præhabitum est.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : POST HÆC INGRESSI SUNT MOYSES ET AARON.

NUNC describitur, qualiter Moyses exsecutus sit legationem sibi commissam quantum ad regem Ægypti. *Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron* palatium regis, *et dixerunt Pharaoni*. Aaron autem fuit dux verbi, et Moyses introivit ut principalis. Porro supra Dominus dixit ad Moysen : Ingredieris tu et seniores Israel ad regem Ægypti : idcirco credendum videtur, quod hac vice seniores Israel intraverunt cum Moyse et Aaron ad Pharaonem, nec ex humano timore hoc dimiserunt, ut dicunt Judæi. Moyses tamen et Aaron, tanquam principales præ illis, nunc exprimuntur. Et dixerunt Pharaoni : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. At ille respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel?* id est, qualis aut quantæ auctoritatis est Dominus Deus vester, de quo mihi loquimini, ut ei obediam? quasi dicat : Non est tantæ auctoritatis. Ideo subjungitur : *Nescio Dominum, et Israel,* id est Israeliticum populum, *non dimittam.* [Exod. III, 18]

Circa hoc quæritur, qualiter Pharao dicere potuit, Nescio Dominum, quum Deum esse, naturaliter sit insertum menti humanæ, secundum Damascenum primo libro : imo secundum Anselmum in Monologio, Deum esse, est per se notum. Ad hoc quidam respondent, quod quamvis Deum esse sit per se notum, in quantum mens humana Deum esse cogitat id, quod æstimat in entibus maximum, vel sub ratione summi boni, tamen sub hac determinatione, quod fuerit Deus populi Israel per fidem et cultum, non est per se notum. Unde et alii dicunt, quod quamvis per se notum, vel saltem demonstrabile sit, Deum esse, non A tamen quod sit omnium rector, provisor ac judex, secundum quod fides docet. Sed contra solutionem hanc objici potest, quod utique Pharao et populus ejus sciverunt Hebræos colere Deum specialem, quem ipsi non coluerunt, atque habere circumcisionem et specialem ritum colendi, sicque aliquo modo cognoverunt Dominum Hebræorum. Ad istud arbitror respondendum, quod Pharao dixit hæc verba ex mera et cruda superbia, et tanquam summi Dei providentiam negans, ut sit sensus : B Nescio Dominum, id est, non curo de eo, nec ejus dominium recognosco. Sic quippe et Ezechiel loquitur Pharaoni temporis sui : Audi, Pharao, draco magne, qui dicis : Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. [Ezech. XXIX, 3.] Denique in quibusdam ratio tam densissime excæcatur, quod naturalis notitia exsistendi Deum, aufertur a corde ipsorum, juxta quod scriptum est : Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. [Ps. XIII, 1; LII, 1.] Et in Judith libro Holofernes ait ad Achior : Ostendam tibi quod non sit Deus, nisi Nabuchodonosor. [Judith VI, 2.] C Augustinus quoque libro de Civitate Dei, refert de quodam philosopho, qui contendebat non esse Deum.

Dixeruntque Moyses et Aaron : *Deus Hebræorum,* qui ratione et jure creationis, et universalis gubernationis atque provisionis, est Deus universorum; tunc vero exstitit speciali modo Deus Hebræorum, utpote Judæorum ex Heber oriundorum ; *vocavit nos* per inspirationem internam, et per Moysis hujus denuntiationem, per angelum quoque qui locutus est Moysi, *ut eamus* D *viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis aut gladius,* id est interfectio pestilentialis, aut persecutio

Digitized by Google

hostium, si inobedientes Deo fuerimus in isto præcepto. Sed videtur istud fuisse confictum mendacium. Deus enim in veritate præcepit, ut egrederentur Ægyptum ad habitandum in terra Chanaan, quatenus ibi servirent sibi, non ut immolarent ei in eremo expleto trium dierum itinere, ut pestem gladiumve evaderent. Neque post iter trium dierum sacrificaverunt Domino in deserto.

Ad istud in Scholastica historia breviter respondetur : In his verbis nec duplicitas, nec contrarietas fuit. Eo enim forsitan ordine, et ea via qua dictum est, populus ille fuisset eductus, si a Pharaone fuisset statim dimissus. Fundatur quoque responsio ista in verbis Augustini, dicentis : Quæritur, quomodo populo dicatur, quod mandavit Dominus ejecturum se eos de Ægypto in terram Chanaan ; Pharaoni autem dicatur, quod trium dierum itinere exire vellent in desertum immolare Deo ex ejus mandato. Sed intelligendum est, quamvis Deus sciret quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primo dictum esse a Deo quod fieret primo, si ille dimitteret populum : ut enim sic fierent omnia, sicut sequens scriptura testatur, Pharaonis et servorum ejus contumacia meruit. Ad aliud quoque, quod tactum est, Strabus respondet : Tertia mansione postquam Hebræi transierunt mare Rubrum, venerunt Etham, qui locus etiam dictus est Mara, propter aquas amaras quæ fuerunt ibidem : quibus dulcoratis, sacrificium laudis solverunt. Vel iter trium dierum, id est trium mensium. Tertio etenim mense venerunt in montem Sinai, ubi legem acceperunt, tabernaculum erexerunt, et sacrificaverunt. Quemadmodum etenim dies interdum pro anno accipitur, juxta illud in Ezechiele, Diem pro anno dedi tibi; ita sumitur nunc pro mense. Verumtamen istud superius aliter solutum est. Quamvis enim Deus ab exordio legationis Moysis intenderit populum illum de Ægypto in terram promissionis deducere, prima tamen fronte non insinuavit hoc Pharaoni, ne Pharao videretur aliquam justam habere persuasionem ad non consentiendum præcepto Dei, petitionique Moysis, sed primo proposuit aliquid parvi, quod tamen exstitit verum, nec exclusit majora.

(Ezech. IV, 6.)

Ait ad eos rex Ægypti : Quare, o *Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis?* id est, cur vestra persuasione inducitis populum Hebræorum ad cessandum ab operibus, eis a me injunctis ? Refert Josephus, quod Moyses commemoravit tunc Pharaoni, quanta fecit Ægyptiis oppressis ab Æthiopibus, et pericula ac labores quos pro Ægyptiis toleravit, et quæ vidit in monte Sinai ei narravit. Quem rex deridens, servum suum fugitivum vocavit eum, et pro seditione excitanda dixit eum redisse. *Ite ad onera vestra,* hoc est, ad exercendum labores quos Hebræis indixi. Circa hoc aliqui dicunt, quod Pharao injunxit Moysi et Aaron ac senioribus ceteris, laborare cum ceteris reliquis Hebræis. Sed inferiores tanto plus laboraverunt, ut seniores superiores essent supportati.

Dixitque Pharao satellitibus et consiliariis suis : *Multus est populus terræ,* id est, Hebræi in terra Gessen morantes, multiplicati sunt valde : *videtis quod turba succreverit,* id est, multitudo eorum aucta sit nimis, non solum in feminis, sed item in viris. Ex quo elicitur, quod præceptum regis de Hebræorum infantulis submergendis, non diu duravit ; sed ob suam excessivam et inhumanam crudelitatem, revocatum fuit a rege de suorum consilio, imo potius Deo sic ordinante : alias viri inter Hebræos pene jam defecissent. *Quanto magis* augebuntur, *si dederitis,* vos exactores operum, *eis requiem ab operibus?* quia tunc magis vacarent carnalitati atque amplexibus. Tamen (ut dictum est supra) afflictio operum non impedivit multiplicationem eorum. *Præcepit ergo* Pharao *in die illo præfectis operum,* qui præfecti erant Hebræi, ut habitum est, *et exactoribus populi,* qui erant Ægyptii, et præfectis præfatis exigebant impletionem injuncti

Digitized by Google

laboris commissi Hebræis, *dicens : Nequaquam ultra dabitis paleas populo,* quæ paleæ miscebantur cum luto, *ad conficiendos lateres, sicut prius :* ut ex eis fierent lateres fortiores, quibus ad ædificandum utebantur pro saxis Ægyptii, quia (secundum Glossam) ibi lapides non abundant. In Scholastica vero historia dicitur, Pro penuria lignorum in Ægypto lateres coquebantur. *Sed ipsi* Hebræi *vadant* hinc inde per campos, *et colligant stipulas.* Quas paulo ante vocavit paleas, vocat nunc stipulas : idcirco per paleas intelligitur omne quod remanet, bladis excussis. *Et mensuram laterum quam prius faciebant,* antequam scilicet Moyses venit ad me, *imponetis super eos,* id est, præcipietis ut jam de cetero faciant omni die tot lateres, quot fecerunt, quando paleæ eis dabantur ; *nec minuetis quidquam. Vacant enim,* id est, non satis dure gravantur operibus, *et idcirco vociferantur, dicentes : Eamus et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus,* etc., id est verbis quæ Moyses finxit, dicens se missum a Deo. Hoc Pharao suspicabatur.

Dispersusque est populus Hebræorum *per universam terram Ægypti ad colligendum paleas.* Magister in historiis dicit : Opprimebantur Hebræi nocte paleas colligendo, et de die lateres faciendo. Et per noctem intelligit forte, quod valde tarde de sero, et valde mane paleas collegerunt. *Præfecti quoque,* id est magistri *operum instabant,* id est, instanter et importune admonuerunt Hebræos, *dicentes : Complete opus vestrum quotidie, ut facere solebatis prius quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel,* puta præfati præfecti Hebræi, *ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum, sicut prius, nec heri, nec hodie?* id est, cur non facitis, ab Hebræis quibus præestis, quotidie fieri tot lateres, quot fecerunt, quando paleæ eis dabantur ? *Veneruntque præpositi filiorum Israel,* id est præfecti

A jam dicti, *et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes : Cur ita agis contra servos tuos ?* id est, cur tam dure nos opprimis, et impossibilia præcipis ? *En famuli tui flagellis cædimur* ab exactoribus tuis, *et injuste agitur contra populum tuum,* id est Hebræos tibi subjectos. *Videbantque præpositi filiorum Israel, se in malo,* id est, in angustia magna viderunt se positos, et cum gravi mœrore se invicem adspexerunt, *eo quod diceretur eis* a Pharaone, *Non minuetur quidquam de lateribus per* B *singulos dies,* id est, non relaxabo præceptum meum de gravitate operum vobis injunctorum.

Occurreruntque Moysi et Aaron, qui adstabant ex adverso, egredientes a Pharaone, id est, præfecti operum egredientes a rege, occurrerunt Moysi et Aaron stantibus ex adverso, seu in aliquo intermedio loco præstolantes ibidem reditum præfectorum, ut scirent Pharaonis responsum. *Et dixerunt* præfecti *ad eos : Videat Dominus et judicet,* id est, per debi- C tam ultionem ostendat se videre quam male fecistis nobis ; *quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone,* id est, aspernabiles et odiosos fecistis nos regi, ita quod nostram ferre non valet præsentiam, sicut ægre fertur præsentia ejus, qui fœtentem habet odorem ; *et præbuistis ei gladium ut occideret nos,* id est, per verba vestra inflammastis eum adversus nos, ita quod usque ad mortem nos opprimit. Ita dixerunt præfecti ex impatientia et infidelitate. Nam et verbis Moysis qui- D bus paulo ante crediderunt, jam discredebant, eo quod non viderunt se celeriter liberatos, sed dire præ solito pressos. *Reversusque Moyses ad Dominum.* Quo rediit ad incircumscriptibilem Deum ubique præsentem, nisi forsitan intra se, ad habitantem in corde suo, vel ad secretum aliquem locum orationis ? Itaque reversus, id est, mente se convertens ad Dominum, *ait : Domine, cur afflixisti,* id est, ab Ægyptiis sic affligi et contristari permisisti, *populum istum* Hebræum ? *Quare misisti*

Digitized by Google

me? etc. Quasi dicat : Admiror de isto, et quibusdam videtur quod inaniter, imo et nocive advenerim. Secundum Augustinum, ista non sunt verba contumaciæ aut indignationis, sed inquisitionis et occultæ orationis.

ARTICULUS X

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI QUINTI INTELLECTU.

MOYSES et Aaron senioresque Israel, designant universos Christi vicarios, doctores et prælatos Ecclesiæ, qui verbo et opere instruunt plebem. Hi Christo jubente dicunt Pharaoni, hoc est diabolo, cuilibetque tyranno, aut hæresiarchæ, vel seductori, ut populum Christi dimittat, id est, pervertere et a sua salute impedire desistat. Hoc, inquam, dicunt Pharaoni, contra vitia prædicando, impios increpando, seductoribus resistendo, atque quam vile ac miserum sit diabolo ministrare et jugo vitiorum subjici declarando, quatenus populus christianus sacrificet Deo in deserto, id est, Altissimo offerat semetipsum, sacrificium quoque laudis, eleemosynas, decimas, oblationes, Hostiamque altaris in vera devotione, per recessum mentis ab omni sæculari tumultu, et carnali affectu, quatenus in solitudine, id est mentis abstractione et vacatione, qua soli intenditur Creatori, sacrificet obsequaturque Deo.

Præterea ad præfatam vicariorum Christi admonitionem, respondent designati per Pharaonem : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus,* etc.? *Nescio Dominum, et Israel non dimittam.* Tales equidem etsi verbis dicant se recognoscere Deum, attamen factis negant : et quamvis eum agnoscant informi notitia, non tamen cognitione formata et affectiva, approbativaque boni, idcirco nec Deo obediunt, nec aliorum cessant impedire salutem, et ea quæ fidei sanctæ contrariantur, docere ac operari præsumunt. Omnes quoque superbi ac impii, propriam voluntatem præferendo, imo et superponendo voluntati divinæ, ipso facto effantur, Nescio Dominum : quia Deum creatorem suum non recognoscunt per veram subjectionem, sed illud Job dicunt effectu : Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? [Job xxi, 15] De quibus ait Scriptura : Ipsi fuerunt rebelles lumini. [Ibid. xxiv, 13] Verumtamen hæc ipsa eorum cruda elatio, improba quoque rebellio, non cedent eis in bonum, sed velint nolint, tandem saltem per tormenta coacti, Dominum recognoscent, quemadmodum per Jeremiam et Ezechielem Deus de talibus sæpissime dixit : Et scietis quia ego Dominus. Et Psalmista : Imple, inquit, facies eorum ignominia; et cognoscant quia nomen tibi Dominus. [Ps. lxxxii, 17, 19] Sic et Pharao qui nunc ait, Nescio Dominum, postea flagellis attritus, locutus est : Orate Dominum pro me.

Præterea, etsi designati per Pharaonem, renuant plebem christianam dimittere ad vivendum et sacrificandum catholice, nihilo minus egredi debet plebs Christi ab illorum jugo atque obsequio. Nec enim valent quempiam detinere invitum; sed unusquisque libere se potest ad suum convertere Salvatorem. Sic ergo, ut tactum est, *sacrificemus Deo,* ei soli vacando, *ne accidat nobis pestis aut gladius,* hoc est, ne aliquem scandalizemus, aut scandalizemur ab aliquo, et ne spiritualiter jugulemur ab hoste antiquo. Quid autem designetur per iter trium dierum, expressum est.

Ait ad eos rex Ægypti : Quare sollicitatis populum ab operibus suis? Sic unusquisque animarum seductor tam invisibi-

Digitized by Google

lis, quam visibilis hostis, respondet Christi vicariis, quoniam ægerrime fert, quod aliquis nititur ei subjectos a pristinis revocare operibus et a servitute peccati, et subdere obsequio Christi. Ideo præcipit sibi subjectis : *Ite ad onera vestra,* hoc est, pristina, quæ vobis suggessi, vitia exercete. In quibus est frequenter labor gravis et miser. Propter quod impii in libro Sapientiæ fatentur : Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. Denique, sicut Pharao tunc gravius afflixit filios Israel, quando volebant egredi terram ejus, ac Deo sacrificare in eremo : sic diabolus et adjutores ipsius, tunc acrius tentant fideles, quando suam volunt corrigere vitam, et Deo offerre se ipsos ; imo toto conatu satagit eos tunc gravare adversis, ut tædio fracti, a salubri resipiscant proposito, quemadmodum de quibusdam instabilibus ac pusillis loquitur Christus, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

Insuper, quemadmodum exactores Pharaonis flagellaverunt præfectos Hebræorum, quia Hebræi non impleverunt opus a Pharaone injunctum ; sic dæmones principis tenebrarum satellites, gravius sæpe impugnant atque affligunt devotos Christi vicarios, qui subditos suos a diaboli retrahunt servitute, in tantum quod tales vicarii quandoque tentationi succumbunt, et in vitia corruunt carnis, incipiuntque Pharaoni servire, et ab impugnationum suarum cupiunt relevari molestia. Tunc quoque quodammodo indignantur his, a quibus ad viam virtutum erant inducti, in quantum fuerunt eis ruinæ gravioris occasio ; feruntque ægre quod exsecrabiles facti sunt amatoribus et magnatibus sæculi hujus, ita quod eorum odor illis fœtere videtur. Tunc majores et perfectiores viri a quibus erant conversi, clamant ad Dominum, et ejus implorant auxilium, ut suæ subveniat plebi, et seductis ac victis auxiliari dignetur.

Postremo, per hoc quod Moyses Aaronque tam patienter tulerunt injustam invectionem, reprehensionemque Hebræorum, ipsis dicentium, Videat Dominus et judicet, imo et pro suis reprehensoribus ingratisque subditis oraverunt : sic prælati interdum parcere, et disciplinam suspendere debent a subditis suis reis, dum eos conspiciunt aliunde dire afflictos, tentatos, ac passionatos, ne calamum quassatum aut fumigans linum penitus conterant et exstinguant, nisi forte ex tali pietate et dilatione periclitetur bonum commune, aut fidei veritas patiatur jacturam. Tunc quippe per disciplinæ rigorem compescere debent perversos. *Is.* XLII, 3.

Itaque egrediamur Ægyptum, id est vitiorum caliginem et inquietudinem sæcularium negotiorum, relinquamus mundum animo et affectu, sicut hortatur S. Joannes apostolus : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Nec impatienter feramus, si odit nos mundus, si mundanis ac passionatis displicemus hominibus, quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Quid horribilius dici potest? Idcirco ait et Paulus : An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Hinc ait Salvator discipulis : Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit. Verumtamen quantum in nobis est, studeamus universis in Deo placere, exempla virtutum præbere, nemini ullam dare offensionem.

I *Joann.* II, 15. *Ps.* LII, 6. *Galat.* I, 10. *Joann.* XV, 18.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : DIXIT DOMINUS AD MOYSEN.

MODO describitur qualiter Deus Moysen A vehementer afflictum confortavit et consolatus est, dicens : *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni,* hoc est, quibus plagis eum et terram ac populum ejus percutiam. *Per manum enim fortem dimittet eos,* hoc est, mediantibus magnis prodigiis permittet exire Hebræos, *et in manu robusta,* id est per plagas ei potenter infligendas, *ejiciet illos,* id est velociter exire compellet, *de terra sua.* Percussis namque primogenitis Ægyptiorum ita fuerunt perterriti, quod dixerunt : Omnes moriemur. B Ideo non permiserunt Hebræos aliquam facere moram in terra Ægypti, ut infra describitur. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente,* hoc est, qui eis apparendo, ostendi eisdem me esse Deum omnipotentem. Gen. xvii, 1. Unde in Genesi legitur : Dixit Dominus ad Abraham : Ego sum Dominus Deus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus. Ibid. xxviii, 3. Alibi quoque Isaac ait ad Jacob : Deus meus omnipotens benedicat tibi. Similiter C alio loco Dominus ad Jacob locutus est : Ibid. xlvi, 3. Ego sum fortissimus Deus patris tui. Sed quum Dominus etiam apparuerit Noe atque Melchisedech, imo et Adæ ac aliis quibusdam Patriarchis in lege naturæ, ut creditur, cur de his tribus solum nunc facit mentionem ad Moysen ? Ad hoc breviter Glossa respondet, quod Deus mentionem facit antiquæ promissionis, tanquam eam in proximo completurus. Itaque respondendum, quod ideo mentionem facit horum trium Patriarcharum, quoniam ipsi specia- D liter patres Hebræorum vocantur, eisque specialiter ac frequenter Deus promisit, quod posteritati eorum terram Chanaan condonaret.

Et nomen meum Adonai, quod secundum Glossam, interpretatur generaliter Dominus, *non indicavi eis,* supple, tam clare, ut tibi. Circa quod fertur in Glossa : Non indicavi eis sicut tibi. Per successiones enim ætatum crevit divinæ cognitionis augmentum. Apparuit Deus Abrahæ, locutus est facie ad faciem cum Moyse. David ait : Super senes intellexi. Apostoli Dei Filium Ps. cxviii, 100. præsentem viderunt, et quidquid volebant, interrogabant. Quibus et dictum est : Multi reges et Prophetæ voluerunt videre, quæ Matth. xiii, 17. vos videtis, et non viderunt. Hæc Glossa. Porro in Scholastica fertur historia : Nomen meum Adonai non indicavi eis, id est fortitudinem et potentiam meam, ad quas pertinet nomen istud, sed pietatem et sapientiam meam, ad quas pertinet Eli, et Eloi. Sed huic dicto objici potest, quod dictum est, Deum dixisse ad Abraham, Ego sum Dominus Deus omnipotens, atque ad Jacob, Ego sum fortissimus Deus. Quod Isaac sciens : Deus, inquit, omnipotens benedicat tibi. Apostolus quoque in epistola ad Romanos de Abraham protestatur, quod non hæsitavit diffidentia, sed confortatus Rom. iv, 20, 21. est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. Itemque : Arbitrans, Hebr. xi, 19. scilicet ipse Abraham, quia a mortuis suscitare potens est Deus. Rursus fortitudinem et omnipotentiam suam Deus monstravit Abrahæ et Isaac facto, dando eis supernaturalem fecunditatem. Sed et cognoverunt hi Patriarchæ Deum cuncta creasse, sicque omnipotentiam ejus noverunt, sed et pietatem sapientiamque ipsius.

Insuper circa locum hunc scribit Lyra : Aliqui dicunt, quod hoc nomen Adonai significat generale dominium. Et quamvis patribus præcedentibus Moysen, Deus os-

Digitized by Google

tendit se Dominum totius creaturæ, non tamen ita perfecte, ut Moysi. Contra quod objicit Lyra, quoniam per inundationem diluvii, et conversionem uxoris Lot in statuam salis, in combustione quoque Pentapolis, imo et in mundi creatione, Deus ostendit generale dominium suum. Et talia fecit, qualia et per Moysen egit. Et omnia illa fuerunt Abrahæ notificata. Hæc autem objectio non est fortis. Nam sicut omnia illa ante Moysen facta, fuerunt Abrahæ patefacta, ita et Moysi. Et ultra illa fecit Deus per Moysen multa et præclara prodigia, multo copiosius, quam unquam ante per aliquem hominem unum. Sicque sublimius atque splendidius manifestavit Deus Moysi generale dominium suum ac robur immensum, quam præcedentibus Patriarchis, non solum per miraculosos effectus, sed per illuminationes supernas et apparitiones, ac allocutiones angelicas, quas per annos quadraginta ad libitum habuit.

[...]agram[...] [...]m et Je[...] [...]h idem [...]ificant.

Insuper scribit Lyra : Adonai non ponitur hic in Hebræo, sed nomen Dei tetragrammaton, vel Jehovah. Quod quum reputetur ab Hebræis tantæ sanctitatis, ut nominari non debeat, nisi a summo sacerdote, et solum in benedictionibus fiendis in templo, ideo loco ejus pronuntiatur hoc nomen Adonai : velut si apud nos hoc nomen Deus, non esset nominabile ob suam sanctitatem; et ubicumque scriptum est, loco ejus pronuntiaretur Dominus. Porro hoc nomen tetragrammaton, secundum Rabbi Moysen, significat divinam essentiam, prout in se ipsa consistit, circumscripto omni respectu ad alia : idcirco est nomen incommunicabile, solique Deo appropriatum, designans veritatem divinæ essentiæ in se. Hoc præsupposito, aliqui dicunt quod Deus apparens patribus præcedentibus Moysen, non nominavit se eis sub hoc nomine Jehovah. Sed hoc falsum videtur, quoniam in Genesi ubi Dominus
[...]n. xv, 7. ait ad Abraham, Ego sum Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, in Hebræo loco hujus nominis Dominus, habetur nomen Domini tetragrammaton : idcirco dicendum, quod hoc nomen tetragrammaton, Deus indicavit hic Moysi, non solum quantum ad vocem, sed etiam quantum ad significatum : quod est proprie indicare. Et hoc primo indicavit Moysi, quando dixit : Ego sum qui sum ; quia per hoc *Exod.* III, 14.
nomen significatur necessitas, stabilitas, et plenitudo esse divini, ut dictum est in expositione capituli tertii. Secundo ostendit Moysi nomen istud, quando in raptu vidit clare divinam essentiam, secundum quod in Numeris legitur : Clare et non per *Num.* XII, 8.
ænigmata videt Deum. Neutro autem horum modorum legitur Deus patribus ante Moysen nomen suum tetragrammaton indicasse, sed usus est nomine, vel potius significato nominis, importante respectum ad creaturam. Unde et in Genesi, quando loquendo ad Abraham, usus est nomine suo tetragrammaton, non expressit proprium significatum, sed magis per nomen importans respectum ad creaturam determinavit, dicendo : Ego Dominus qui eduxi *Gen.* XV, 7.
te de Ur Chaldæorum. Nulli quoque illorum ostendit essentiam suam clare, ut Moysi.

Sed contra hæc scribit Rabbi Paulus, et primo reprobat prætactas rationes quas Lyra pro sua expositione inducit, et contra primam earum sic arguit : Indicare nomen secundum vocem tantum, et non secundum significatum, modicæ aut nullius est utilitatis, quum nomina ad significandum ordinentur. Sicque patres ante Moysen inutiliter cognovissent hoc nomen Jehovah. Contra secundam rationem argumentatur, quia dum Deus locutus est Moysi, Apparui Abrahæ, Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, Moyses nondum vidit divinam essentiam. Hinc Rabbi Paulus circa hæc aliter sentit, in primis allegans Thomam, dicentem : Ad hoc Deus concedit homini miracula facere, ut per ea probet supernaturalem veritatem, quam docet. Deinde addit, quod quamvis ante Moysis tempora fecit supernaturalia aliqua, ut est tactum, nunquam tamen fuit concessum alicui antiquorum facere miracula, ut ver-

Digitized by Google

bis ipsius crederetur, ut concessum est A Moysi, cui datum est istud, ut ejus legationi ac legislationi crederetur. Lex enim per Moysen data, fuit miraculis confirmanda. Deo autem secundum significationem hujus nominis Jehovah, principaliter convenit miracula facere, in quantum omnipotentia fundatur in puritate et plenitudine infinita esse divini. Hinc Moysi, non patribus ante eum, concessum est miracula facere. Sicque intelligendum est quod dicitur, Nomen meum Adonai non indicavi eis, videlicet dando eis miracula facere, B sicut tibi.

Insuper Rabbi Paulus affirmat convenienter dici posse, quod nomen Jehovah non fuit patribus ante Moysen revelatum; atque ad id quod contra hoc objicit Lyra, utpote in Genesi scriptum esse nomen tetragrammaton, ubi habemus, Ego Dominus qui eduxi te, etc., respondet, argumentum istud esse invalidum. Nam illa sunt verba Moysis, describentis ea quæ transierunt inter Deum et Abraham : qui Moyses Deum cognovit sub hoc nomine tetragrammaton, C ideo eum sic nominavit. Hæc Rabbi Paulus; qui circa hunc passum multa scribit contra Lyram, quæ quicumque intelligens satis faciliter perpendere valet, non esse idonee introducta; sed prolixitatem vitans, pertranseo. Verumtamen circa id quod asserit Lyra, Deum manifestasse Moysi hoc nomen Jehovah, dum dixit ad eum, Ego sum qui sum, et quod Patriarchis præcedentibus Moysen, non indicavit hoc nomen secundum significatum, sed secundum vocem, non videtur posse salvari. Non enim D videtur Abraham, et ei consimiles viri contemplativi sublimiter illuminati, ignorasse, quod Deus sit ipsum purum, incommutabile, infinitum, ac necessarium esse, in se pure consistens, et quod esse sic sumptum, sit proprium nomen Dei, præsertim quum et naturalis ratio dictet hoc, et quidam puri philosophi hoc noverunt. Sanctus quoque Job id novisse videtur, dicendo ad Dominum : Quis potest facere *Job* XIV, 4. mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Et rursus : Deus *Job* XII. solus est.

Omnibus ergo pensatis, videtur littera ista sic exponenda : Nomen meum Adonai, hoc est universale dominium meum et omnipotentiam meam, seu nomen meum Jehovah, quod nude et pure designat divinam essentiam, non indicavi Abrahæ et Isaac et Jacob tam copiose et evidenter, ut tibi. Vel, non indicavi eorum alicui nomen istud Jehovah : si tamen verum est quod Rabbi Paulus insinuat, dicens, quod Moysi primo sit revelatum hoc nomen.

Dicit etiam Rabbi Paulus, Nomen istud Jehovah, nunquam pronuntiatur ab Hebræis, prout in littera jacet ac scribitur, sed ubique loco ejus pronuntiant hoc nomen Adonai. Nec nomen illud tetragrammaton transferibile est : ideo translatores tam Chaldæi quam Latini, et etiam Arabici, loco illius transtulerunt Dominum, quod est translatio nominis hujus Adonai, non autem proprie nominis hujus tetragrammaton. Ideo dicit Rabbi Paulus, quod nomen istud Jehovah tantum significat, atque impositum est ex institutione divina, non humana : alias nomen hoc, seu ejus significatio, innotuisset saltem scientibus linguam Hebræam : cujus oppositum constat ex hoc, quod nec Moyses, nec filii Israel cognoverunt hoc nomen ante ipsius revelationem.

Pepigique fœdus cum eis, id est, ipsis promisi, pactumque inii, *ut darem illis,* hoc est posteritati eorum, *terram Chanaan, terram peregrinationis eorum in qua fuerunt advenæ. Ego audivi gemitum filiorum Israel,* id est, ad succurrendum nunc consideravi, et preces eorum cum gemitu fusas, jam exaudire decrevi ; *quo Ægyptii oppresserunt eos; et recordatus sum pacti mei,* etc., id est, per modum reminiscentis me habeo, per effectum nunc demonstrando, quod intendo et implere jam volo promissionem præfatam. *Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum,* hoc est de terra Ægypti, in qua demorati ac tribulati estis quasi in carcere. Porro er-

Digitized by Google

gastulum proprie dicitur locus, in quo rei ad opera facienda relegabantur. *Et eruam vos de servitute, ac redimam vos in brachio extento,* id est per evidentem et efficacem potentiam. Loquitur autem Deus de se ipso metaphorice, quasi de homine qui brachium suum extendit ad subveniendum. *Et judiciis magnis,* id est per miracula, hoc est miraculosos effectus punitivos, ex divina justitia magnifice infligendos Ægyptiis. *Et assumam vos mihi in populum,* id est, ad gloriam meam faciam vos devotos majestatis meæ cultores; *et ero vester Deus* per specialem provisionem et gratiam. Hoc impletum est, quando in monte Sinai acceperunt legem a Deo, ubi et Deus desponsavit sibi Synagogam, prout in Ezechiele fatetur, quando et filii Israel locuti sunt : Omnia quæ præcepit nobis Dominus Deus noster, faciemus, et erimus obedientes. *Et scietis* per experientiam beneficiorum meorum, et per mirabilia pro vestra liberatione patranda, *quia ego sum Dominus Deus vester,* qui mea potestate ac providentia vobis misericorditer dominor, et opem exhibeo : nam omnium Deus, dicitur specialiter Deus eorum, quibus specialia gratiæ dona confert ; *qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, et induxerim* vos *in terram super quam levavi manum meam,* id est, in qua potentiam declarare decrevi, dando vobis potenter eamdem, *ut darem eam Abraham, Isaac et Jacob ; daboque illam vobis possidendam,* etc., si tamen vos ipsi non posueritis obicem. Non enim ingressi sunt eam propter murmurationes, perversitates, et diffidentias suas.

Narravit ergo Moyses omnia, id est, præfata Dei promissa consolatoria exposuit, *filiis Israel. Qui non acquieverunt ei,* id est, verbis ejus non crediderunt sinceriter, nec consolationem acceperunt ex eis, *propter angustiam spiritus et opus durissimum,* id est ob nimiam suam afflictionem in corde et corpore. Erant enim pleni mœrore et anxietate in anima. Exterioribus quoque laboribus inhumaniter premebantur. Hujusmodi autem excessivæ passiones et afflictiones actum rationis impediunt, præsertim in imperfectis, quales fuerunt hi vulgares in populo Israel. Aliqui tamen seniores et meliores in eis, Moysi crediderunt. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua. Respondit Moyses : Ecce filii Israel non me audiunt* auribus cordis, id est, non obtemperant mihi ; *et quomodo audiet* me *Pharao ?* quasi dicat, Multo minus acquiescet sermonibus meis. Hoc Moyses dixit, non contra Dominum proterviendo aut inobediendo, sed se humiliter excusando, et difficultatem negotii allegando. In talibus quippe, ubi alicui quid jubetur, quod ad ejus excellentiam pertinet, non est contra perfectionem obedientiæ, difficultatem et excusationem inducere. *Præsertim quum incircumcisus sim labiis,* id est ineptus ad loquendum coram rege, sicut expositum est.

Circa quod Lyra scribit : Incircumcisus labiis proprie dicitur, qui verbis superfluis utitur : quod non est credendum de Moyse ; sed large accipiendo, trahitur ad quemcumque defectum eloquentiæ designandum : sicque dicitur de Moyse, ex vocis suæ gracilitate. (*Exod.* IV, 10.) Contra hoc scribit Rabbi Paulus : Incircumcisus labiis magis proprie videtur dicendus, qui habet in labiis aliquod corporale impedimentum, quo prolatio litterarum quæ labiis proferuntur, impeditur. Unde supra conquerebatur Moyses de impedimento loquelæ ex parte oris et linguæ, nunc autem addit, ex parte labiorum : ut ita ostenderet, quod organa corporea, quibus verba exprimuntur, erant in eo inepta ad loquendum. De vocis autem gracilitate non fit mentio ulla in littera, nec oportet hoc fingere, præsertim quum Moyses in ultima sua senectute legatur omnibus filiis Israel simul locutus, ut in Deuteronomio patet (*Deut.* XXXIII, 1) : quod cum vocis tenuitate esse non potuit.

Ad ista respondeo, quod in Scripturis incircumcisio magis adscribitur corporali-

Digitized by Google

bus membris et organis, propter spiritualem, quam ob corporalem defectum. Et hoc in libris Prophetarum frequenter in-
Jer. vi, 10. nuitur, in quibus incircumcisæ dicuntur aures Israelitarum. In Actis quoque S. Ste-
Act. vii, 51. phanus loquitur ad Judæos : Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto. Porro, quod Moyses gracilem linguam habuerit, supra ex doctoribus catholicis et Hebræis probatum est. Ideo non est hoc reputandum fictitium. Denique, quod Rabbi Paulus asserit in Scriptura mentionem non fieri de hoc quod Moyses fuerit gracilis ac tenuis vocis, falsum censetur, saltem secundum antiquam translationem. Nam Septuaginta interpretes transtulerunt : Ecce ego gracili voce sum. Qua translatione utens Augustinus, disseruit : Non videtur se excusare de vocis gracilitate tantum propter multitudinem populi, sed etiam propter unum hominem, scilicet Pharaonem. Sed mirum si tam gracilis exstitit vocis, quod nec ab uno potuit audiri. An forte regius
* proxime fastus non permittebat cum de proximo* loqui ? Siquidem qui coram regibus habent loqui, a remote stare et loqui solent. Hæc Augustinus. Postremo, quod objicitur, Moysen per se esse locutum filiis Israel in senio suo, faciliter solvitur. Nam et qui gracilem habent vocem, interdum sibi vim faciunt ad loquendum quid altius. Poteratque gratia supplere defectum naturæ ad loquendum in Moyse, quod et Aaron jam defuncto, rationabiliter creditur factum.

Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israel, et ad Pharaonem regem Ægypti, id est, præcepit eis aliquid, quod pertinebat ad Hebræos ac regem Ægypti, videlicet *ut educerent filios Israel de terra Ægypti*. Per quod docemur, quod Dei voluntas sit, ut qui præsident aliis, non cito neque faciliter ab illorum, quamvis duri exsistant, exhortatione et informatione desistant ; sed eamdem sæpius repetendo, tandem verba salutis cordi illorum inculcent, sicut
II Tim. iv, 2. ad Timotheum scribit Apostolus : Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia.

Deinceps Moyses sui ipsius ac fratris sui prosapiam diligenter describit, ne in persona legislatoris Hebræorum quis erret. *Isti sunt principes domorum per familias suas*, id est, hi qui statim nominabuntur, sunt patres et capita tribuum ex se progenitarum in cognationibus suis. *Filii Ruben primogeniti Israelis*, id est Jacob patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel, fue- Gen. xxxv,
runt *Enoch et Phallu, Esron et Charmi*. 26.
Quamvis enim Ruben fuit primus et generalis pater omnium a se descendentium, tamen quatuor filii ejus fuerunt principales, unusquisque eorum inter natos ex semine suo. Deinde in littera exprimuntur filii Simeonis, quorum unusquisque exstitit princeps et caput prosapiæ ex se ortæ.

Et hæc nomina filiorum Levi patriarchæ *per cognationes suas, Gerson et Caath et Merari*. Ex quibus natæ sunt tres familiæ Levitarum, videlicet Gersonitæ, Caathitæ et Meraritæ, ut infra, præsertim in libro Numerorum, copiose describitur. *Anni au-* Num. iii,
tem vitæ Levi fuerunt centum triginta et 17 et seq.
septem. Et ita vixit decem annis minus quam Jacob. *Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam*, id est neptem ex patruo, ut plenius secundo capitulo exstat expositum. *Quæ peperit ei Aaron, et Moysen, et Mariam*. Quæ quamvis ultimo loco nunc ponatur propter sexum inferiorem, tamen ante Aaron et Moysen fuit nata. *Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Naasson, quæ peperit ei Nadab, et Abiu et Eleazar et Ithamar*. Circa hoc scribit Lyra : Elisabeth filia Aminadab, fuit de tribu regia, quoniam propter dignitatem sacerdotalem tribus regia et sacerdotalis fuerunt commixtæ. Circa quod dico, quod tempore illius connubii, nec regia dignitas data fuit, aut inerat tribui Judæ, de qua fuit Aminadab, nec sacerdotalis dignitas fuit collata tribui Levi, de qua exstitit
Aaron. Et quamvis Jacob prophetaverat Gen. xlix,
regiam dignitatem tribui Judæ præstan- 8-10.

dam, tamen sacerdotii eminentiam tribui Levi esse donandam, prophetatum non fuit, neque innotuit. Ideo dictum illud non videtur idoneum, nisi forsan quis dicat, Deo disponente sic factum esse, quoniam Deus præcognovit duabus tribubus illis præfatas dignitates fore contribuendas, quæ ambæ in Christo sunt counitæ. *At vero Eleazar filius Aaron, accepit uxorem de filiabus Phutiel :* quem Hebræi dicunt fuisse Jethro, ut refert Lyra : quod verum non reor; sed Eleazar accepit uxorem ante egressum ex Ægypto : nam usque ad tempus illud non videtur habuisse notitiam Jethro illius.

Hi, scilicet præfati tres filii Levi, *sunt principes tribuum Leviticarum per familias suas. Iste est Aaron et Moyses, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas,* etc. Interdum in textu Aaron exprimitur ante Moysen dum combinantur, interdum econtra. Dicique potest, quod Moyses aliquando exprimit Aaron ante se, quoniam senior eo fuit, et in summum pontificem præelectus, atque in eloquentia præcellebat; quandoque vero prænominat se, quoniam absolute principalior fuit et legislator, quem et Aaron ipse suum dominum appellavit. *Iste est Moyses et Aaron,* etc. Sicut Magister in historiis tangit, et Glossa ex Strabo allegat, Esdras ex suo addidit verbum istud, qui omnem bibliothecam Judæorum post Babylonicam captivitatem recuperavit, cunctis libris a Nabuchodonosor succensis; vel Moyses de se ipso, tanquam de alio loquitur : quod verius puto.

Præterea mystica intelligentia hujus capituli ex præhabitis satis videtur patere. Moraliter vero ex isto capitulo instruimur, qualiter Deus omnipotens, pius, justus ac sapiens, suos permittit electos in vita hac ab impiis graviter ac multipliciter tribulari, finaliter tamen eos non deserit; imo et in ipsis eorum tribulationibus multipliciter consolatur eosdem per prædicatores atque prælatos, per angelicam inspirationem et consolationem divinam, denuntians eis, quod in terram cœlestis Jerusalem, in regionem civium supernorum, ab Ægypto (id est hoc sæculo nequam) perducturus sit eos : quod quidam in afflictionibus positi non advertunt. Ideo in omni hujusmodi adversitate sint in Domino immobiliter confidentes, atque in persecutionibus gloriantes, certi quod Deus suos non deserit, et per adversa misericordissime providet ipsis, veniam gratiamque largitur, et felicitatem accelerat. Rursus docemur ex dictis, exemplo sancti Moysis, humilitatem amplecti, et omnem detestari ambitionem; nostram quoque insufficientiam et defectuositatem in donis naturæ ac gratiæ, ex sincero corde humiliter, imo et sæpius allegare, ut ex promotione, etiam dum non quæsita offertur, sic evadamus. Quod, proh dolor! multi non advertentes, præcipitant semetipsos, proni ad regimen aliorum, qui nec se ipsos regere queunt nec regunt.

Præterea circa textum inquiritur, cur Moyses præfatas tres tribus, videlicet Ruben, Simeon et Levi, easque dumtaxat, hoc loco describit. Et respondendum, quod ideo, ut designet ducatum Israeliticæ plebis non esse commissum alicui viro ex primogenito Jacob nato, neque alicui nato ex secundogenito ejus, scilicet Simeone, sed ex tertiogenito ejus, puta ex Levi : ideo ultra tribum Levi non descendit ad alias tribus. In Glossa quoque habetur : Non primam aut secundam, sed tertiam tribum elegit Deus in sacerdotium et ducatum : quia in nomine sanctæ ac summæ Trinitatis consecrati sunt sacerdotes, ut fidem Trinitatis in se conservare, et alios studeant edocere, et quoniam numero impare gaudet Deus. Rursus, secundum Strabum, Amram interpretatur pater excelsus, per quem significatur Christus. Jochabed vero interpretatur gratia Dei, per quam significatur Ecclesia. Ex Christo igitur et Ecclesia nascitur Moyses, id est lex spiritualis, et Aaron, id est sacerdotium verum. Amplius circa illud, Accepit Aaron uxorem Elisabeth, ait Glossa : De tribu Juda fuit uxor

Digitized by Google

Aaron. Nondum enim præceptum erat, ut unusquisque de tribu sua conjugem duceret. Ideo autem hæ tribus, puta Levitica A et regalis, tunc matrimonio jungebantur, ut intelligeretur Christus ex eis futurus, qui est rex et summus sacerdos. Hebr.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : ET LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : EGO DOMINUS.

EXCELLENTIA et efficacia, quas Deus contulit Moysi in verbis et signis ac aliis supernaturalibus donis, in præsenti describuntur capitulo. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus.* Quasi dicat : Quam verum est, quod ego solus sum omnium Dominator omnipotens, qui solo jussu omnia possum, tam securus et constans esse debes in his, quæ tibi dico ac jubeo, et certus de veritate verborum meorum. Ideo subditur : *Loquere ad Pharaonem regem Ægypti omnia quæ loquor tibi,* ita ut prorsus non timeas eum. *Et ait Moyses : En incircumcisus labiis sum. Quomodo audiet me Pharao?* id est, qualiter acquiescet verbis meis? Non ex diffidentia, sed ex humilitate ait hoc Moyses, non obstante quod jam ante dixerit ei Exod. IV, 16. Deus, quod loqueretur Aaron pro eo. Et forsan nunc rursus allegavit insufficientiam suæ loquelæ, quoniam Dominus dixit ad eum, Loquere ad Pharaonem; et non addidit, Per Aaron loquere ei. Hinc Dominus pandit ac subdit modum, qualiter audiret Pharao Moysen.

Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te deum Pharaonis, id est, quasdam divinas excellentias tibi do super eum, ita ut instar Dei possis ei præcipere, comminari, nocere et subvenire. Sicque per participationem quamdam dici poteris deus ipsius. Nam quamvis sit unus solus verus Deus substantialiter, tamen participative sunt plures dii, in quantum aliquid divinarum proprietatum et excellentiarum ac potestatum participant in judiciaria pote- B state, sapientia, sanctitate, præsidentia, signis, virtutibus atque miraculis. Propter quod scriptum est : Non est similis tui in Psal. diis, Domine. Et : Quoniam dii fortes ter- Psal. ræ vehementer elevati sunt. Itemque : Ego Psal. dixi, dii estis. Circa quod ait in Evangelio Christus : Illos dixit deos, ad quos sermo Joan. X, 35. Dei factus est. *Et Aaron frater tuus erit propheta tuus,* id est, quæ ventura sunt, ex mea revelatione ei denuntiabis, et ipse ex parte tui illa loquetur, sicque per modum prophetæ habebit se ad te. Nam ille C vocatur propheta, cui Deus contingentia futura revelat, et ille ex parte Dei illa prædicit. Unde Dominus hoc loco non ait, Aaron erit propheta; sed, Erit propheta tuus : sicut nec Moysi dixerat absolute, Constitui te deum, sed addidit, Pharaonis. Sicque in verbis istis servavit Deus metaphoram, quoniam juxta analogiam seu proportionem qua constituit Moysen deum Pharaonis, constituit et ipsum Aaron prophetam Moysis. Nam soli vero Deo proprie competit habere Prophetam, quoniam futurorum D pure contingentium certa præcognitio ponitur propria Deo, nec competit aliis, nisi in quantum revelatur ipsis a Domino. Propter quod loquitur Isaias : Quæ ventura Is. XLI, 23. sunt, annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos.

Circa hæc scribit Lyra : In Hebræo habetur Elohim, quod est pluralis numeri, et significat deos. Ideo translatio nostra magis propria esset, si ita haberet, Constitui te deos Pharaonis : quod non apparet. Non enim proprie diceretur singulari personæ

Digitized by Google

pluraliter, Constitui te deos. In expositione quoque primi capituli Genesis, ex Scholastica historia allegavi super illud, In principio creavit Deus cœlum et terram, Hebræus habet Elohim, quod tam singulare quam plurale est : idcirco tenendum, quod Hieronymus proprie transtulit in hoc loco singulariter, Constitui te deum Pharaonis. Satis tamen credendum, quod Elohim in Hebræo communius atque frequentius sumitur pluraliter quam singulariter. Amplius Magister in historiis ait, Constitui te deum Pharaonis, id est potentem in Pharaone et in terra ejus facere signa ad modum Dei. Et Aaron frater tuus erit propheta, id est prælocutor tuus. Non tamen fuit Moyses nec Aaron propheta. Circa quod dico, quod quamvis ex hoc loco non sequatur, Aaron fuisse prophetam, aliunde tamen probatur, quod propheticas revelationes a Deo l. xv, sortitus sit, quum et Maria soror ejus prophetissa infra vocetur. Et supra legitur, v, 27. qualiter Deus apparuit atque locutus sit Aaron in Ægypto. Infra tamen hoc clarius innotescet. Id quoque pensandum, quod etiam in novo Testamento propheta interdum dicatur, qui verba divina interpretatur, eloquitur, seu exponit, ut dum ad xiv, Corinthios scribit Apostolus : Prophetæ duo aut tres dicant. Potestis enim per singulos prophetare.

Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor ejus, videlicet Pharaonis, gratiam emollientem cordis duritiam non infundendo ei, exigente justitia mea. *Et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti,* id est miracula, meam potentiam et verborum meorum veritatem monstrantia, quæ signa ostensione et admiratione sunt digna. Vel per signa, intelliguntur minora prodigia ; per ostenta autem, majora. Circa quod loquitur Augustinus, quod Deus bene utitur cordibus malis, quia ad hoc permisit Pharaonem sceleratum sic indurari, ut ea occasione fierent in Ægypto plura et præclariora miracula, per quæ Deus suam

A omnipotentiam declaravit, et suos electos ædificavit, convertit, omnesque homines in admirationem divinæ majestatis induxit. *Et non audiet vos. Immittamque manum meam super Ægyptum,* id est, per effectus potentiæ meæ castigabo Ægyptios, *et educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima,* id est per gloriosissima signa, justo judicio Ægyptiis infligenda ac nocitura. *Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando* B *locuti sunt ad Pharaonem.* Et ita ex parte ætatis patet idoneitas eorumdem ad tantum officium.

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quum dixerit vobis Pharao, ostendite signa, id est opera mira, et tanta ac talia, ut dignum sit quod credamus vos esse missos a Deo, quem dicitis esse summum Deum, *dices* tu, o Moyses, *ad Aaron : Tolle virgam tuam,* id est, in manu accipe, vel acceptam ex manu ejice, *et projice coram Pharaone, et vertetur in colubrum.* Cur C Moyses virgam non projecit ? Respondent quidam, quod ideo, ne Ægyptii dicerent eum magicis artibus facere signum hoc. Nempe quum diu absens fuerit ab Ægypto, poterant suspicari Ægyptii, quod in terra aliena magicas didicerit artes : quod de Aaron suspicari nequibant, quia a juventute fuerat commoratus inter Ægyptios, sine quorum voluntate ac scitu non valuit artes illas addiscere. Hæc ratio non videtur magni vigoris. Primo, quoniam infra Moyses legitur per se ipsum quædam signa D cum virga fecisse. Secundo, quoniam Aaron potuisset occulte artes didicisse præfatas. Tertio, quia Ægyptii poterant suspicari, quod Moyses instruxisset seorsum ipsum Aaron magicas artes. Aptius igitur arbitror responderi, quod Aaron virgam projecit, quoniam Deus hoc jussit, sicut in textu evidenter exprimitur. Et cur Deus hoc jussit, quis novit ? Tamen ex circumstantia litteræ conjici potest, quod ideo, ut ordo mediationis ipsius Aaron inter Moysen et Pharaonem, superioritas quoque

Digitized by Google

Moysis in hoc commendaretur. Jam enim dixerat Deus ad Moysen : Constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Ideo Moyses quasi superior, et quasi quidam deus Pharaonis, per intermedium fratrem suum jussit virgam projici, et eadem ratione Deus Moysi præcepit sic facere.

Præterea advertendum, quod virga hæc interdum dicitur virga Dei, quia in ea Deus potentiam suam monstravit, miraculoseque egit. Aliquando appellatur virga Moysis, quia eam habebat quum Dominus in monte Sinai ei apparuit, et secum detulit eam. Nunc vero vocatur virga Aaron, quia ipse gestavit, projecitque eam.

Ingressi itaque Moyses et Aaron, et forte quidam ex senioribus Israel cum eis, *ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quod qualiter factum sit, subditur : *Tulitque Aaron,* id est, in terram projecit, *virgam coram Pharaone,* quum dixisset, Ostendite signa, aut aliquid simile protulisset, *et* coram *servis ejus; quæ versa est in colubrum :* et hoc miraculose, puta repente, sine naturalium applicatione agentium, per omnipotentiam Dei. *Vocavit autem Pharao sapientes,* id est eos qui in scientia Ægyptiorum erant instructi, vel philosophos, qui ante Pythagoram vocabant se sapientes : quod Pythagoras reputans esse præsumptuosum, interrogatus a quodam an sapiens esset, respondit se esse philosophum, id est sapientiæ amatorem. Quæ responsio tantum placuit studentibus sapientiæ naturali, quod omnes de cetero vocabant se philosophos, non sapientes, prout in libro de Civitate Dei recitat Augustinus. *Et maleficos,* id est necromanticos, et dæmoniacis artibus auxiliisque intentos ; *et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas,* id est invocationes seu adjurationes diabolicas, quibus intenti erant Ægyptii, *et arcana quædam,* id est per quasdam occultas maneries aut virtutes, quæ communem plebem latebant, ut infra magis tangetur, *similiter,* projiciendo virgas suas seu baculos, qui in Alcorano impii Mahometi vocantur hastilia. Hinc subditur : *Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Qualiter factum sit hoc, jam inquiretur.

Sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Hoc dupliciter exponitur. Primo, quod coluber in quem virga Aaron fuit conversa, devoravit dracones seu serpentes, in quos versæ fuerunt vere aut apparenter virgæ magorum. Et si fuerunt versæ realiter in dracones, tunc coluber ille realiter devoravit dracones illos. Si autem apparenter dumtaxat, tunc coluber ille devoravit apparenter dracones, et realiter virgas. Juxta hanc expositionem, devoratio illa facta est, antequam coluber Aaron in virgæ naturam mutatus atque reversus est. Et ita intelligit Josephus, dicens quod draco Aaron insiliit in illos, donec devoravit universos. Sed cur Scriptura ait, Devoravit virga, et non potius, Devoravit coluber Aaron virgas seu dracones illorum, præsertim quum devorare non proprie competat virgæ, sed magis serpenti ? Ad hoc B. Augustinus respondet : Si dictum esset, Absorbuit draco, id est coluber Aaron, virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron absorbuisse, non phantastica figmenta magorum, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod videbantur et non erant. Sed quia dixit Scriptura, Absorbuit virga Aaron virgas illorum, draco Aaron potuit absorbere virgas magorum, non virga Aaron. Sed eo nomine vocata est res, ex qua versa est, non nomine rei in quam versa est, quia in eam rem, scilicet virgam, etiam reversa est : ideo hoc vocari debuit, quod principaliter erat. Itaque draco seu coluber Aaron vocatur virga, quamvis tempore devorationis illius non erat virga, quia primo exstitit virga, et rursus in speciem virgæ mutatus est. Hanc expositionem sequuntur Catholici.

Secundo exponitur ab Hebræis, quod post reditionem colubri Aaron in virgam, ipsa virga Aaron devoravit dracones magorum miraculose divina virtute, loquendo metaphorice de devoratione, eo modo quo lo-

Digitized by Google

quitur Isaias : Sicut devorat stipulam lingua ignis et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit. Sicque divina potestate in virgam illam fuissent conversi dracones, quoniam Deus potest unum corpus in aliud convertere ; vel virga illa per omnipotentiam Dei consumpsisset, et quasi in nihilum redegisset dracones magorum, quemadmodum calor solis dissolvit naturaliter glaciem, et consumit humorem.

Prima autem expositio, aptior reputatur. Si enim Hebræi litteræ volunt inniti, dicendo quod non coluber, sed virga devoravit, quia in textu habetur, Devoravit virga Aaron, consequens est ut dicant, dracones magorum redisse et rursus esse mutatos in virgas, quia in textu asseritur : Devoravit virga Aaron virgas eorum. Insuper videtur verbum istud sic posse intelligi : Devoravit virga Aaron virgas eorum, id est, mirabilia facta per virgam Aaron, prævaluerunt signis factis vere seu apparenter per virgas magorum. Et si iste non est sensus litteralis, hoc tamen ad minus significatum est per devorationem præfatam. Denique devoratio virgarum seu draconum a virga seu colubro Aaron, fuit speciale prodigium.

Circa præhabita quæritur, quid sit catholice sentiendum de facto magorum Pharaonis, an scilicet virgæ eorum conversæ fuerint in dracones. Et videtur quod non, quia tam repentina virgarum in dracones conversio, non videtur per naturam, neque per magicam artem possibilis. Miracula quoque Dei debent differre a miris magorum effectibus. Quod si conversio illa fuit per naturam aut magicam artem vere possibilis et peracta, ergo conversio virgæ Aaron in serpentem, non fuit sufficiens signum quo Moysi et Aaron crederetur; nec Pharao videretur peccasse non credendo, nec obtemperando propter signum illud. Oppositum probatur ex textu, in quo simpliciter affirmatur, quod virgæ magorum versæ sunt in dracones. Ad hæc dissolvenda est triplex responsio. Nam aliqui dicunt, quod virgæ magorum non fuerunt vera-

A citer in dracones conversæ, sed apparenter et ludificatorie tantum, ita quod ibi non erant dracones realiter, sed præstigialiter solum. Hinc Strabus et Magister in historiis dicunt : Magi diabolicis figmentis spectantium oculos deludebant, ut res in sua natura manentes, aliud viderentur. Huic autem responsioni videtur favere, quod jam ex Augustino est allegatum : Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron virgas eorum, intelligeretur verus draco Aaron absorbuisse, non phantastica figmenta, sed

B virgas. Hoc enim poterat absorbere quod erant, non quod videbantur et non erant. Secunda responsio est, quod virgæ magorum vere convertebantur in dracones, per applicationes virium ac seminum naturalium rerum, quæ maligni spiritus celerrime colligere, adducere, applicareque poterant, et ita repente transmutare virgarum materiam, ut in dracones converterentur. Hanc quoque responsionem Strabus et auctor Scholasticæ historiæ tangunt, dicendo : Dum per incantationem dæmonum

C malefici aliquid operari conantur, dæmones ipsi per mundum discurrunt, et subito semina rerum, de quibus hoc agitur, afferunt ; sicque ex illis, Deo permittente, nova quædam producunt. Ista item responsio in verbis Augustini fundatur, dicentis : Insunt corporeis rebus per omnia mundi elementa quædam occultæ seminariæ rationes, quibus quum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis ac finibus. Et qui faciunt hæc, non dicuntur animalium creatores, sicut

D nec agricolæ, segetum. Quod autem hi faciunt visibiliter, hoc angeli boni vel mali invisibiliter. Solus autem Deus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. Hæc vero responsio quibusdam non placet. Nam dicunt, quod licet ex virgis possunt generari serpentes per naturalium applicationem virtutum ac seminum, hoc tamen non fieret tam repente, sed per intermedias transmutationes et per moram notabilem. Ideo dicunt quod dæmones celerrime et imperceptibiliter

subtraxerunt virgas a magis projectas, et loco earum supposuerunt dracones aliunde invisibiliter allatos, vel ibi de novo generatos, per hoc quod supposuerunt materiam de propinquo dispositam ad inductionem formarum serpentium. Textum autem solvunt, dicendo quod consuetudo Scripturæ est, aliquid recitare sicut ab omnibus reputatum est, et sicut apparuit quando fiebat, secundum quod super Matthæum scribit S. Hieronymus.

Præterea ut sciatur, quæ harum responsionum verior probabiliorque putetur, advertendum in primis quod in prima parte Summæ suæ, quæstione 110, scribit S. Thomas, dicendo : Secundum divinum Dionysium capitulo 7 de Divinis nominibus, Deus conjungit infimum superioris ordinis cum supremo ordinis inferioris. Hinc angeli tam boni quam mali ratione suæ spiritualis naturæ, dignitatis ac potestatis, agere possunt in corporalem naturam, quantum ad motum localem. Porro ad rationem miraculi non sufficit, quod aliquid fiat præter ordinem naturæ particularis : alioqui qui projicit lapidem sursum, perpetraret miraculum; sed oportet ut fiat præter ordinem totius naturæ creatæ : sicque Deo proprium est miracula facere, juxta illud, Benedictus Dominus Deus Israel, (*Ps.* LXXI, 18.) qui facit mirabilia solus. Verumtamen homines sancti et angeli gloriosi dicuntur patrare miracula, in quantum propter eorum preces et vota Deus efficit ea, aut quia ministerium exhibent in operatione miraculi. His verbis addit Thomas : Dæmones aliqua agere possunt ex naturali industria per occulta rerum semina, quorum nos ignoramus virtutem, sicut fecerunt per magos Pharaonis. Unde talia, quamvis sint miracula, quantum ad nos, non tamen simpliciter, quia in naturali potestate est creaturæ quidquid efficiunt. Ex his constat, quid de conversione virgarum magorum Pharaonis senserit Thomas, utpote quod in dracones vere conversæ sunt per modum prætactum.

Insuper in eadem parte Summæ suæ, quæstione 114, ait : Dicuntur dæmones miracula facere posse, quoniam per occulta rerum semina, aut simili modo aliqua efficere possunt, quæ facultatem et considerationem humanam transcendunt. Quæ autem naturali virtute fieri nequeunt, non faciunt vere, sed apparenter dumtaxat, videlicet decipiendo sensus humanos, aliquas formas seu similitudines imprimendo exterioribus sensibus, aut phantasiam et sensum communem interius immutando, ex qua immutatione refluunt species rerum ad sensus exteriores : et ita videtur homini quod sentiat, quod non sentit. Denique sicut diabolus potest ex aere corpus formare atque assumere, sic potest aliis rebus corporeis quamcumque formam et figuram circumponere, ita ut corpus humanum videatur in figuram bestialem conversum : quam conversionem non potest diabolus vere efficere. Unde octavodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Nec ulla ratione crediderim, dæmonum potestate et arte in bestialia posse lineamenta et membra converti corpus humanum. De hac autem materia, et quid sit proprie miraculum, de diversitate quoque ac gradibus miraculorum, et qualiter dæmonum ope, magorum opera fiant, qualiter etiam dæmones valeant imaginativam vim, exterioresque sensus hominum immutare ac fallere, valde magistraliter atque subtiliter scribit sanctus Doctor in prima parte Summæ suæ, et super secundum Sententiarum, distinctione 7 ; itemque in Summa contra gentiles libro tertio.

Itaque verius reor, quod virgæ magorum Pharaonis fuerunt vere in dracones conversæ, et quod magi, ut infra habetur, vere converterunt aquam in sanguinem, ranasque produxerunt. Primo, quoniam hoc magis consonat textui veritatis, videlicet sacræ huic historiæ, quæ absolute ac apertissime protestatur et asserit, quod virgæ illæ in dracones sint versæ, etc. Secundo, quoniam doctores egregii, super secundum Sententiarum, distinctione 7, communiter dicunt hoc, et ipse Magister in textu ibi-

Digitized by Google

dem idem affirmat. Tertio, quoniam effectus illi non transcendunt virtutes naturalium seminum et causarum, ac angelorum sive bonorum sive malorum. Quarto, quia beatissimus Augustinus tertio libro de Trinitate per diversa capitula, hoc ipsum contestatur atque declarat: Video, inquit, quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet mirabilia ista etiam magicis artibus fiant. Nam et magi Pharaonis, serpentes et alia quædam fecerunt aerearum potestatum auxilio. Nam et dæmones nihil possunt, nisi data eis desuper potestate, quæ datur eis ad fallendum fallaces, sicut data est eis in ipsos Ægyptios et in magos, ut in eorum spirituum seductione viderentur admirandi a quibus fiebant, a Dei veritate damnandi; vel ad monendum fideles, ne tale aliquid facere pro magno reputent; vel ad exercendam, manifestandamque justorum patientiam. Nec ideo putandum est, transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo hæc datur potestas. Nec mali angeli illi dicendi sunt creatores, quia magi famulo Dei Moysi resistentes, ranas et serpentes fecerunt per illos. Omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in corporeis hujus mundi elementis latent: alias non nascerentur plerumque ex terra, quæ in ea seminata non sunt.

Sed nunc restat objectio illa solvenda quæ tacta est, quia apparet quod per magicam artem et dæmonum operationem non potuerint virgæ magorum tam repente in dracones converti. Quam objectionem Nicolaus de Lyra sic ponderat, quod ob eam negat virgas fuisse in dracones conversas. Verum ex verbis Augustini tertio de Trinitate, habetur solutio. Ait equidem ibi: Angeli ex sua subtilitate et agilitate semina rerum nobis occultiora noverunt, et ea per congruas temperationes latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Multi etiam homines noverunt, ex

A quibus herbis aut carnibus, vel quarumlibet rerum succis et humoribus, sic vel sic positis, obrutis, contritis aut commixtis, quæ animalia soleant nasci. Quid igitur mirum, si quemadmodum potest cognoscere quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vermes aut muscæ nascantur, sic angeli mali in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde ranæ serpentesque nascantur, et hæc per certas ac eis notas temperationum opportunitates seu convenientias, occultis motibus adhibeant B et procurent? Quod si quis celeritates incrementorum forte miratur, quod animalia illa tam cito sunt facta, attendat quemadmodum ista pro modulo facultatis humanæ ab hominibus procurentur. Sed hæc ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto desunt sensuum subtilitates, et corporum mobilitates in membris terrenis. Hinc quanto facilius est angelis, et malis, intimas causas ab elementis contrahere, tanto mirabiliores exsistunt celeritates in talibus eorum operibus.

C His quoque Augustini verbis addenda sunt, quæ in Summa contra gentiles libro tertio scribit Thomas: Considerandum est, inquiens, quod dum angeli vel dæmones adhibent res naturales ad determinatos effectus, utuntur eis ut instrumentis, sicut medicus utitur herbis ad curandum. Ex instrumento autem procedit non solum effectus suæ virtuti correspondens, sed etiam effectus ultra propriam virtutem, in quantum agit virtute principalis agentis. Serra namque et securis non possent facere le- D ctum, nisi in quantum agunt ut motæ ab arte ad talem effectum. Nec calor naturalis posset generare carnem, nisi virtute animæ vegetabilis, quæ utitur eo ut instrumento. Conveniens ergo est, quod ex ipsis naturalibus proveniant aliqui altiores effectus, ex hoc quod spirituales substantiæ eis utuntur, ut instrumentis. Sicque, quamvis tales effectus non sint absolute miracula, quia ex naturalibus causis proveniunt, mirabiles tamen nobis redduntur dupliciter: Uno modo ex hoc, quod per

Digitized by Google

spirituales substantias tales causæ modo nobis insolito applicantur ad certos effectus. Unde et ingeniosorum artificum opera mirabilia his videntur, qui non percipiunt qualiter illi operantur. Alio modo ex hoc, quod causæ naturales appositæ ad aliquos effectus producendos, aliquid sortiuntur virtutis ex hoc, quod sunt instrumenta spiritualium substantiarum, et hoc magis accedit ad rationem miraculi.

Ex his patet plena objectionis prætactæ solutio. Ad id autem quod objectum est, opera Dei debere distingui a factis magorum, et quod conversio virgæ Aaron in serpentem, non fuisset sufficiens argumentum suæ legationis, quod esset a Deo, patet responsio ex verbis Thomæ super secundum Sententiarum, distinctione 7, asserentis : Signa facta per bonos, distingui possunt ab his quæ fiunt per malos, tripliciter. Primo, ex efficacia virtutis agentis : quoniam signa facta per bonos, fiunt virtute divina, et in his ad quæ se virtus activa naturæ nullo modo extendit ; quæ dæmones nequaquam facere possunt, nisi in præstigiis tantum, quæ diu durare non valent. Secundo, ex utilitate, quoniam signa facta per bonos, sunt de rebus utilibus, ut in curationibus infirmitatum ; signa autem facta per malos, sunt de rebus nocivis aut vanis, ut quod volant in aere, vel membra hominum efficiunt stupida. Et hanc differentiam assignat S. Petrus in Itinerario S. Clementis. Tertia differentia est, quantum ad finem : quoniam signa bonorum, ordinantur ad ædificationem fidei et morum bonorum ; signa autem malorum, sunt in manifestum nocumentum fidei, bonorumque morum. Differunt quoque in modo agendi, quoniam boni faciunt ea per invocationem Dei pie ac reverenter ; sed mali quibusdam deliramentis, incantationibus, abusionibusque utuntur.

Denique, quod Strabus et Magister in historiis dicunt virgas magorum non realiter, sed ludificatorie versas in dracones, non dicunt assertive, sed opinative vel inquisitive. Nam disjunctive loquuntur, dicendo A quod factum sit illud vel per illusionem sensuum, vel per virtutes naturalium rerum. Similiter intelligendum est quod loquitur Augustinus de figmentis illis phantasticis. Insuper dici potest, quod conversio virgarum magorum in dracones, non sit facta tam subito ut apparebat. Quum enim versa fuisset virga Aaron in serpentem, videntes dæmones Pharaonem vocare maleficos suos ad similia perpetranda, potuerunt mox in virgis magorum facere alterationes et dispositiones notabiles, ad conver- B tendum eas in dracones. Et fuit notabile tempus inter illam vocationem, et virgarum projectionem. Hæc circa præsentem passum tam prolixe induxi, quoniam ad sequentium capitulorum expositionem, intelligentiamque proficiunt.

Postremo, ex dictis potest dari solutio, qualiter multa per magicam artem, sic et sic fieri vel potius apparere potuerunt : sicut quod legitur in Itinerario B. Clementis, quod Simon Magus similitudinem vultus sui impressit Faustiniano patri S. Cle- C mentis, ita quod solus beatissimus Petrus apostolus in hoc falli nequivit. Similiter in Vitis Patrum narratur de quodam, cujus uxor videbatur conversa in equam : adduxit eam ad sanctissimum virum Macarium, qui solus vidit in femina illa formam humanam. Nam et Fratribus eremitis videbatur quod esset equa. Interdum quoque apparet hominibus, quod gallus trahat maximam trabem, quum non trahat nisi festucam aut stramen. Denique, de sanctis viris leguntur mira, quæ nequaquam fa- D cta sunt magica arte, sed divina virtute : sicut quod S. Fronto episcopus apud Petragoricas celebrans, quum redisset ad se, dixit se sanctam Martham sepelivisse. Beatus quoque Ambrosius in Mediolano celebrans, atque in Missa obdormiens, excitatus a clericis, dixit se obsequium præbuisse funeri sanctissimi præsulis Martini. Præterea B. Augustinus octavodecimo de Civitate Dei velle videtur, quod homine dormiente et vivo manente, phantasticum ejus velut incorporatum in alicujus animalis aut hominis

Digitized by Google

effigie, apparet quandoque sensibus alienis. Unde et de sancto patre Bernardo legitur, quod interdum quando infirmus corporaliter in infirmaria jacebat, videbatur ire per chorum in Matutinis, et monachos intueri, somnolentosque suscitare.

Circa hæc scribit Richardus de Mediavilla, super primum Sententiarum, distinctione 37 : Dici potest, quod in veritate nec corpus, nec anima Ambrosii interfuit sepulturæ sancti Martini, sed forte angelus in specie Ambrosii apparens. Quod dum fieret, videbatur Ambrosio soporato, quod interesset illi sepulturæ. Nec est putandum, quod phantasticum hominis realiter exeat de homine dormiente; sed quandoque contingit, quod homo somniat se esse præsentem alieno conspectui : et quando hoc somniat, tunc spiritus in specie illius hominis apparet illi, in cujus conspectu ille dormiens somniat se esse præsentem. Verum de hac materia scribit B. Augustinus diffuse de Civitate Dei libro octavodecimo, capitulis 17 et 18, in quibus de quibusdam transformationibus et apparitionibus satis miranda refert.

Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, id est, verbis et signis Moysis ac Aaron non obtemperavit, *sicut præceperat Dominus* Pharaoni per Moysen, ut obtemperaret. Cur autem hac vice non acquievit, dici potest, quia reputavit facta magorum ac deorum suorum in hoc signo esse parificata, quod Deus Israel per Aaron fecit; vel quia signum istud magicis artibus adscripsit. Potius tamen, quia non reputavit signum istud tale ac tantum, ut propter ipsum dignum duceret dimittere Israelitas.

Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum est cor Pharaonis, et non vult dimittere populum Hebræorum. *Vade ad eum mane :* quatenus, dum adhuc jejunus et sobrius est, aptior sit ad considerandum quæ dices ad eum, et inexcusabilior, si non obtemperaverit ; *ecce* enim *egredietur ad aquas :* forte ad deambulandum pro sanitate circa fluenta Nili ; *et stabis in occursum ejus super ripam fluminis,* id est, in ripa Nili stabis intrepidus ad occurrendum regi ; *et virgam quæ conversa est in draconem,* id est virgam tuam, quæ fuit versa in colubrum, et in naturam rediit virgæ, *tolles in manu tua. Dicesque ad eum : Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto, et usque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies* per evidentiam facti, et per experientiam pœnæ tibi nunc infligendæ, *quod sim Dominus,* id est Dominus universorum per universalem auctoritatem et potestatem plenariam, qua et his qui meum dominium recognoscere nolunt, ad libitum infero pœnas, et eos vinco ac mihi subjicio. *Ecce percutiam virga quæ in manu mea est, aquam fluminis,* id est, ego Dominus jubebo fluvium percuti cum hac virga, quæ in mea est potestate : vel ego Moyses ex parte Dei præcipiam, ut Aaron cum hac virga percutiat flumen ; *et vertetur in sanguinem.* Hoc loco ponitur singulare pro plurali, quia non solum in sanguinem versus est unus fluvius Nili, per diversa loca Ægypti currentis, sed multi aut omnes fluvii ejus, ut paulo post habetur in textu.

Pisces quoque qui sunt in fluvio, id est diversis fluviis, *morientur :* quia in sanguine non poterunt vivere diu. Sicque Deus punivit Ægyptios in eorum substantiis et animalibus. Nec hoc fuit contra Dei justitiam, quod propter peccata hominum innoxia bruta occidit, quum propter homines facta sint irrationalia universa : idcirco utendum est eis secundum exigentiam finis institutionis eorum, hoc est secundum merita ac demerita hominum, prout super Genesim plenius dictum est. *Et computrescent aquæ,* id est, corrumpentur. Vel sensus est, quod etiam sanguis in quem conversa est aqua, in se ipso computruit. *Et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.* Si tota aqua Nili fuit versa in sanguinem, quomodo Ægyptii biberunt aquam fluminis? Est itaque sensus : Affligentur

Digitized by Google

Ægyptii bibentes aquam fluminis, id est, quum tentaverint bibere de fluvio converso ex aqua in sanguinem : quia sanguis ille fuit Ægyptiis non solum rubei coloris, sed et amari saporis, quod Ægyptii ignorabant quousque de illo gustare cœperunt; atque ut Josephus loquitur, intulit eis gemitus et dolores, Hebræis vero fuit dulcis atque potabilis.

Dixit quoque Dominus ad Moysen. Istud fuit quando Moyses stetit in præsentia Pharaonis : idcirco allocutio ista fuit forsitan solum interior sine visibili apparitione et exteriore allocutione angelica. Poterat tamen angelus apparere et loqui Moysi in præsentia aliorum, absque scitu, adspectu, ac auditione illorum. *Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam,* id est, virgam quam semel projecisti in terram, ut converteretur in colubrum, sume de manu mea, *et extende manum tuam,* id est, manum tuam eleva, *super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos, et paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem.* Aaron una elevatione manus suæ in aere super aquas Ægypti, designavit quod omnipotentia Dei per suum obsequium operatura esset in aquis illis supernaturalem earum conversionem in cruorem. *Et sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis.*

Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus. Et elevans Aaron *virgam, percussit,* id est, cum virga sua tetigit, *aquam fluminis* circa quod stetit, *coram Pharaone et servis ejus.* Sicque tangendo unum flumen, designavit quod virtus divina spiritualiter tangeret cuncta flumina Ægypti modo præfato. *Quæ versa est in sanguinem. Et pisces qui erant in flumine, mortui sunt.* Et eadem hora ceteræ aquæ Ægypti in sanguinem sunt conversæ in instanti : quoniam virtus divina, quum sit infinita, instantanee operatur dum vult. Denique sicut in libro Sapientiæ
Sap. xi, 17. scriptum est, Per quæ quis peccat, per hæc et punitur : ideo juste puniti sunt Ægyptii in ista conversione aquarum, qui tam graviter peccaverunt, submergendo in eis infantulos Hebræorum. *Computruitque fluvius;* non unus dumtaxat, sed omnes fluvii in Ægypto sic versi, quoniam grandis fœtor inde erupit, qui et de cadaveribus piscium partim poterat exhalare, sicque fœtore illo cruciabantur Ægyptii. Et quoniam vita animalium præsertim in sanguine est, recte per sanguinem sunt puniti, qui infantium vitam exstinxerunt in aqua. Cur autem Aaron, et non Moyses, aquam percussit, eadem ratio assignatur, quæ de hoc quod virgam projecit. *Et fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Etiam in vasis ligneis atque in lapideis, in quibus haustæ fuerunt aquæ, et in eisdem vasis seu urnis vertebantur in sanguinem.

Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis : hoc est, per magicas artes et diabolicas opes, per applicationem occultam naturalium causarum, verterunt aquam in sanguinem, sicut de conversione virgarum in dracones præhabitum est. Quæritur, unde habuerunt hanc aquam, præsertim si omnes Ægypti aquæ in sanguinem sunt conversæ. Circa hoc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod non omnes aquæ Ægypti erant in sanguinem versæ, sed solum aquæ Nili, et quæ fluebant ex Nilo, non autem fontes. Contra quod objicitur, quia jam dictum est, quod Moyses dixit ad Aaron : Extende manum tuam super aquas Ægypti. Ex quo apparet, quod omnis aqua Ægypti fuit in sanguinem versa. Rursus paulo post dicitur : Foderunt omnes Ægyptii per circuitum fluminis, aquam ut biberent : quod non fecissent, si habuissent fontes aquarum potabiles. Doctores autem catholici dicunt communiter, quod aqua fuit magis allata ex terra Gessen, ubi habitabant Hebræi, et quod plaga ista non exstitit ibi. Contra quod objicitur, quia secundum Josephum, etiam plaga hæc fuit ibi. Imo nisi et in terra Gessen fuisset, non fuissent Ægyptii habitantes ibidem, pariter cum Hebræis hac plaga percussi. Verumtamen Josephus non dicit hoc evidenter. Hinc Lyra proba-

Digitized by Google

bilius reputat, quod ministerio dæmonum A fuit ab extra Ægyptum, magis allata. Asserit quoque, quod fluvius fuit in terra Gessen Hebræis potabilis, quoniam statim revertebatur ad aquæ naturam, quando Hebræi hauserunt ex eo. Verumtamen Josephus dicit, quod fluvius fuit Hebræis potabilis, quamvis mutatus. Magister quoque in historiis dicit : Videtur quod alibi quam in Nilo, aqua fuerit in Ægypto. Per quod innuere perhibetur, quod aqua fuit ex Ægypti fontibus non conversis deducta ad magos, ut dicunt Hebræi. Augustinus B vero sentit aquam terræ Gessen, in qua manebant Hebræi, non fuisse versam in sanguinem. Ad objectum autem dici posset, quod omnes Ægyptii longe a fontibus habitantes, foderunt pro aqua, ut dictum est.

Et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, etc. *Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor* suum *etiam hac vice :* præsertim quia malefici sui videbantur comparati Moysi et Aaron in hoc signo. *Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis, aquam ut biberent,* hoc est, ad hoc ut aquam potui aptam invenirent, foderunt puteos profunde in terra. Verumtamen secundum Josephum, non aquam, sed sanguinem repererunt. *Non enim poterant bibere aquam fluminis,* hoc est de cruore qui fuit in loco, in quo antea fuit aqua. *Impletique sunt septem dies postquam percussit Dominus fluvium :* id est, septem diebus duravit hæc plaga, scilicet sanguis in omni terra Ægypti, in qua omnes fluvii erant in sanguinem versi. Unus tamen fluvius fuit specialiter percussus a Deo, per virgam et obsequium Aaron. Evolutisque septem diebus, redierunt aquæ ad suam naturam. Circa quod Josephus scribit, quod Pharao timens et hæsitans ex hac plaga, licentiavit Hebræos ad exeundum ; sed sublata plaga, revocavit sententiam suam. Hæc autem conversio aquarum in sanguinem, fuit non primum signum, sed prima plaga Ægypto inflicta.

ARTICULUS XIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI SENSU.

D*IXITQUE Dominus ad Moysen : Ecce* C *constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Sic et Deus multos electorum suorum tantis gratiarum charismatibus adimplevit, ut quasi dii inter ceteros haberentur : quales præsertim erant Apostoli, quorum quasi quidam Prophetæ erant coadjutores eorum, et expositores Scripturarum evangelicæ legis. Denique quosdam Deus sic quodammodo deificavit per sola dona gratiæ gratum facientis, hoc est per virtutes infusas et septem dona Spiritus Sancti : quales fuerunt D omnes viri perfecti heroici ac divini, qui aliorum prælati aut judices non fuerunt, nec dona gratiæ gratis datæ, per quæ dicitur homo speciali modo divinus, sortiti sunt. Alios Deus quodammodo deificavit per sola dona gratiæ gratis datæ : quales fuerunt et sunt magni prælati ac judices, quamvis iniqui, qui Dei vicarii sunt, et in Scripturis dii vocantur, juxta quod infra habetur : Diis non detrahes. Et, Servus applicabitur ad deos. Alios Deus sic exaltavit per utraque dona. Potest quoque per Moysen, Christus intelligi ; per Pharaonem, principes sæculares perfidi et iniqui, ac dæmones ; per Aaron, quicumque vicarius Christi, specialiter beatissimus Petrus. Christus ergo suos misit vicarios ad principes

Exod. xxii, 28 ; xxi, 6 ; xxii, 8.

Digitized by Google

sæculares, eorumque subditos, convertendos, atque ad principes tenebrarum ejiciendos ac refrenandos; et ne principes isti aliorum impedirent conversionem ad fidem, et ne obsisterent spirituali eorum exitui de vitiis ac tenebris sæculi hujus nequissimi, et de servitute peccati, ac jugo diaboli. Quod dum præfati principes impedire satagerent, innumerabilia etiam millia Christianorum atrocissime occidendo, Deus electos suos eduxit per judicia maxima, hoc est per præclarissima signa atque miracula, et frequenter per plagas horribiles, quibus tyrannos ac induratos punivit. Quæ omnia in passionibus beatissimorum martyrum utriusque sexus, multoties copiosissime gesta sunt, ita quod Ægyptii per evidentiam experientiamque noverunt, quod Christus sit omnium Dominus: quia conversi per talia, salubriter hoc noverunt; obstinati vero, in sua damnatione experti sunt hoc.

Dixit Dominus: Quum dixerit Pharao, Ostendite signa, etc. Sic Apostoli ac ceteri Salvatoris discipuli coram principibus et magnatibus hujus mundi innumerabilia peregerunt miracula. *Tolle virgam et projice eam coram Pharaone.* Per virgam intelligitur judiciaria Christi potestas, juxta illud: Virga directionis, virga regni tui. (*Ps.* XLIV, 7.) Quæ in terram projecta est, dum Verbum caro factum, dignatum est ab hominibus judicari, ut homines ab æterna reprobatione salvaret. Quod autem virga Aaron in colubrum est conversa, designat quod Dei Filius incarnatus, factus est dæmonibus et reprobis universis judex terribilis, quia positus est in ruinam et resurrectionem multorum. (*Luc.* II, 34.) Qui per Osee prædixit: Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne! (*Osee* XIII, 14.) Rursus, per virgam Moysis intelligitur evangelica lex, de qua prædixit Propheta: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. (*Ps.* CIX, 2.) Quæ lex in terram projecta est, quando in cordibus hominum est diffusa; et in colubrum est conversa, dum per eam dæmones et peccata interierunt. Potest item per virgam crux Christi intelligi, quæ superavit potestates aereas. Devoravit quoque præfata virga Moysis, virgas magorum Pharaonis, seu dracones eorum: quia potestas et lex Christi, prædicatioque evangelicæ legis, ac vera Dei miracula, prævaluerunt in sæculo omni potestati diabolicæ ac humanæ, omni etiam sapientiæ philosophorum, et falsis et fictis signis et virtutibus hypocritarum ac perfidorum. Propter quod ait Apostolus: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, (II *Cor.* X, 5, 6.) et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Denique, per signa magorum Pharaonis, datur intelligi, quod impii agunt quædam apparenter similia operibus electorum: quod tempore Antichristi potissimum fiet.

Hæc dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: Ecce percutiam virga quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem; pisces morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis, etc. Per aquas fluviosque Ægypti, exprimuntur scientiæ poetarum, eloquia rhetorum, doctrinæ philosophorum, et omnis vana sapientia idololatrarum ac perfidorum: quæ per virgam Moysis sunt in sanguinem versæ, dum per sapientiam Verbi æterni et Evangelii theoriam, sunt reprobatæ et falsæ inventæ. Propter quod illi qui talibus scientiis reficiebantur, sunt valde afflicti, videntes se superari; foderuntque per circuitum fluminis, quoniam undique quæsierunt quid contra legis evangelicæ doctrinam objicerent. Sed non nisi sanguinem invenerunt: quia quo profundius scrutabantur quod supernaturali divinæ veritati opponerent, eo plus vitiis sunt repleti, et spirituali interitu obruti. Computruitque omnis eorum inanis scientia, sicut Isaias locutus est: Sapientia tua et scientia tua decepit te. (*Is.* XLVII, 10.) Et Paulus: Stultam, inquit, fecit Deus sapientiam hujus mundi. (I *Cor.* I, 20.)

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN : INGREDERE AD PHARAONEM.

TRES plagæ, quibus consequenter Ægyptii sunt percussi, describuntur in isto capitulo. *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis,* id est, Ægyptios habitantes in diversis partibus regni tui, affligam per ranas. *Et ebulliet fluvius ranas,* id est, in maxima multitudine ex se emittet ranas diversarum specierum. Quocirca asserit Strabus : Tria sunt genera ranarum. Unum fluviale et vocale. Alterum minimum, quod calamites dicitur : quod si in os canis projiciatur, canis (ut dicitur) mox obmutescet. Tertium maximum, quod rubeta vocatur, et venenosum ac pessimum est. Itaque, sicut Ægyptii peccaverunt per aquas, demergendo in eis Hebræorum infantes, ita adhuc per aquas puniti sunt, hoc est per ranas in aquis genitas et ex eis ebullientes. Ebullierunt quippe non solum ex fluvio uno, sed ex omnibus fluviis, rivis, paludibusque Ægypti, ut infra in textu habetur. *Quæ ascendent et ingredientur domum tuam,* etc. ; *et ad te et ad populum tuum,* etc. Et, ut fertur, Hebræi dicunt, quod ranæ intraverunt ora dormientium Ægyptiorum, et aures eorum. Inveniebantur quoque in cibis, potibus ac lectis eorum, ut in textu satis ostenditur.

Dixitque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Extende manum tuam super fluvios, ac super rivos et paludes, et educ, etc., id est, educendas demonstra, vel ministerialiter educ ranas de aquis. Non dicitur hic, quod Aaron levavit virgam, sed manum super aquas Ægypti. Aliqui tamen putant, quod virgam levavit, quamvis scriptum non sit, quia ex præcedentibus sequi videtur. Eadem demum ratione jussit Dominus fieri signum hoc per manum Aaron, non Moysis, qua, ut in præcedenti articulo patuit, jussit per manum Aaron fieri primum signum. *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter,* etc., non quantum ad modum agendi, nec eadem virtute, sed quantum ad terminum actionis : quoniam ranas produxerunt, sicut in textu subjungitur, sed non reverenter ac pie, aut divina virtute.

Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum, ut auferat ranas a me et a populo meo ; et dimittam populum, etc. Nam et in cibis ac poculis ranæ sæpius, secundum Josephum, inveniebantur. Pharao necessitate, timore, ac tædio victus, animositatem suam paulisper deposuit, vocans Moysen et Aaron, quos abjecit et sprevit ; et modo loquendi eorum conformat se, Deum Hebræorum Dominum vocans, secundum quod Moyses et Aaron eum vocabant. Denique plaga ista fuit diuturnior atque molestior quam præcedens. Nam ex ranarum adspectu, crocitatione, fœditate, fœtore, monstruositate affligebantur Ægyptii, et nauseam conceperunt ex ranis, præsertim quoniam cibos et potus ac lectos eorum infecerant, nec permittebant eos quiescere. Hinc Pharao Moysen Aaronque vocavit, ac flagitavit pro deletione ranarum magis, quam pro cessatione primæ plagæ. Nam et aquæ penuria minus afflictiva fuit

Digitized by Google

regis ac divitum, qui alia pretiosaque pocula ad bibendum habebant. *Dixitque Moyses ad Pharaonem : Constitue mihi* tempus *quando deprecer pro te,* etc., *ut abigantur ranæ a te, et a domo tua,* etc., *et tantum in flumine remaneant.* Moyses tanquam carissimus ac familiarissimus Deo, sciens sibi dictum a Domino, Constitui te deum Pharaonis, secure ita locutus est Pharaoni, quoniam certificatus fuit a Deo, quod exaudiretur ab eo in istis plagis ad libitum. Ideo quoque dixit Moyses Pharaoni istam electionem, ut Pharao sciret, quod non fortuito casu, nec magica arte, sed Moysis oratione ranæ essent deletæ. *Qui respondit : Cras* ores pro hac re. Quare non dixit, Statim in hac hora, sed distulit tantæ afflictionis remotionem in crastinum? Respondetur, quod fortassis aliqualiter confidebat, quod plaga illa interim per se cessaret, sicut præcedens. *At ille,* scilicet Moyses : *Juxta verbum tuum, inquit, faciam, ut scias* per experientiam, *quoniam non est sicut Dominus Deus noster,* id est, quod nullus sit verus atque omnipotens Deus, nisi Dominus Deus noster, cui dii tui resistere nequeunt, nec te nec ceteros suos cultores defendere valent. *Et recedent ranæ a te,* etc., *et tantum in flumine remanebunt,* id est, ultra non exibunt ranæ de fluviis ad affligendum te ac tuos.

Et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni, id est, ferventer rogavit Altissimum, ut ranas auferret, secundum quod Moyses Pharaoni promisit seu firmiter dixit. *Fecitque Dominus juxta verbum Moysis, et mortuæ sunt ranæ,* etc. *Congregaveruntque eas in immensos aggeres,* id est, Ægyptii ranas jam mortuas in maximos cumulos collegerunt, *et computruit terra,* id est, corrupta est et infecta ex cadaveribus fœtoribusque ranarum. Sed et fœtor noxius valde, secundum Josephum, exhalabat de aquis, in quibus ranæ aliquæ putrescebant. Justissime autem per tot et tantas plagas, afflixit Omnipotens Pharaonem et populum ejus : per plagas, in-

A quam, ex terra, aqua, et aere provenientes; quia Ægyptii tam injuste, dire, ac multipliciter afflixerunt Hebræos in elementis præfatis, in vilibus quoque operibus, sicut præhabitum est.

Videns autem Pharao quod data esset requies, id est, quod tribulatio, inquietudo, crocitatio ranarum cessasset per misericordiam Dei, *ingravavit cor suum,* id est, propria libertate auxit cordis sui duritiam et impietatem, deprimendo deorsum ; *et non audivit eos, sicut præceperat*
B *Dominus,* id est, Moysi et Aaron non obtemperavit, nec sponsionem eis factam de Hebræorum dimissione implevit, putans sibi non imminere alias durioresque plagas, sicque pietate et patientia Dei abusus est. Hinc asserit Glossa : Ex isto apparet, non ideo tantum obduratum esse Pharaonem, quia incantatores sui fecerunt similia operibus Dei per Moysen et Aaron factis, sed et ex ipsa patientia Dei parcente : quæ secundum diversitatem cordium humanorum, quibusdam utilis est ad pœ-
C nitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, et ad perseverandum in malo; in se ipsa tamen nequaquam inutilis est. Unde ait Apostolus : Ignoras quia patientia Rom. ii Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam thesaurizas tibi iram.

Tertia plaga subjungitur : *Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron : Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ, et sint scinifes in universa terra Ægypti.* Per corporalem contactum virgæ ad pulverem, significatur virtualis
D ille contactus, quo omnipotens virtus Creatoris tetigit pulverem, ipsum supernaturaliter convertendo in scinifes, sicut subjungitur : *Fecitque* * *ita,* etc. *Et facti sunt* * [illegible] *scinifes in hominibus et in jumentis, et omnis pulvis terræ versus est in scinifes per universam terram Ægypti.* Porro scinifes, secundum Origenem, sunt muscæ tam parvæ, ut videri non queant, nisi a visu acuto, et tamen acutissime pungunt, et perforant pellem cui insederint. Quæ dicuntur factæ in hominibus et jumentis,

Digitized by Google

quia super eos abundantissime descenderunt. Et dum abigebantur, mox redierunt. Erantque innumerabiles valde. Siquidem totus pulvis terræ in scinifes est conversus. Quod tamen per modum hyperbolicæ locutionis potest intelligi, ad innuendum quod valde magna pars pulveris ita in muscas illas mutata est in instanti. Dicitur autem in Glossa ex Origene : Hoc animal, scilicet scinifes, pennis suspenditur per aera volitans, ita subtile et minutum, ut oculi visum nisi acute videntis effugiat ; corpus tamen cui insederit, acerbissimo terebrat stimulo, ut quem volantem videre quis nequit, sentiat stimulantem. Circa hoc ait Lyra : Hebræi et Josephus dicunt, quod erant pediculi, qui in tanta multitudine super homines bestiasque creverunt, imo ex interioribus ebullierunt, quod nullo medicamine eis poterat subveniri.

Quæritur, an plagam istam prædixit ac comminatus est Deus Pharaoni, ut ceteras. Et ex textu videtur, quod non. Cujus causam quidam assignant, dicendo quod Pharao ob suam obstinationem dignus fuit percussione absque prævia comminatione. Quod quamvis sit verum, tamen si illa fuisset causa, etiam plagæ sequentes fuissent ei inflictæ sine præavisatione. Posset autem aliquis opinari, quod hæc tertia plaga fuit illata Ægyptiis cum prævia comminatione, quamvis Scriptura non exprimat hoc, quia ex præcedentibus et subsequentibus satis insinuatur. Si autem non fuit hæc plaga Pharaoni prænuntiata, dici potest, quod Deus utroque modo Pharaonem admonuit, ut cor ejus emolliretur, videlicet quasdam plagas ei et suis infligendo sine præadmonitione. Nam et ultimas duas ita inflixit, ut infra habetur, et quasdam cum præavisatione. Hanc quoque plagam Deus non solum hominibus, sed etiam eorum immisit jumentis, quatenus non solum in sua persona, sed etiam in rebus et possessionibus ac jumentis suis affligerentur.

Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent scinifes, id est, similia facere nitebantur per suas incantationes, extendendo manus suas cum virgis, ut fertur in Glossa. Ex quo apparentia oritur, quod viderunt qualiter Aaron fecit, scinifes producendo. *Et non potuerunt* educere scinifes. Quare non potuerunt hoc per subsidia dæmonum, naturalesque causas, quum majora potuerint, nec istud excedat naturalium vires causarum, magis quam productio draconum atque ranarum, aut conversio aquarum in sanguinem ? Ad hoc beatus Augustinus tertio de Trinitate respondet : Ex ineffabili, inquiens, Creatoris potentatu fit, ut quod possent angeli mali si permitterentur, ideo non possunt, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerunt facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia major erat dominatio prohibentis Dei per Spiritum Sanctum. Quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes : Digitus Dei est hic. Hæc Augustinus. Sed tunc quæritur, cur potius Deus prohibuit spiritus malignos ab isto effectu, quam a factis majoribus jam præfatis. Dicunt quidam, quod ideo, ut malefici amplius confunderentur, quod quamminimas muscas nequibant producere. Hinc dicere sunt compulsi, *Digitus Dei est hic,* id est, potestas nos impediens ab hoc effectu, demonstrat nobis omnipotentiam et excellentiam Dei, nostras artes viresque refrenantis, sicut digitus rem quamcumque ostendit. Augustinus vero aliam causam assignat, cur Deus fecit magos deficere in tertio signo, non in primo neque secundo. Nam ait : Commendatur nobis Trinitas, et quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu Sancto philosophati sunt, quamvis de Patre et Filio non tacuerunt. Hinc Magister in historiis dicit : Philosophi habuerunt notitiam Patris et Filii, non tamen Spiritus Sancti.

August. in Exodum, quæst. xxv.

Circa hoc quæri posset, qualiter istud verum sit, et an trinitas vel saltem dualitas Personarum, videlicet deitas et con-

Digitized by Google

substantialitas Patris ac Filii, per rationem valeat naturalem cognosci, et utrum philosophis quibusdam innotuit. Et videtur, quod imo, quoniam decimo de Civitate Dei, capitulo 23, loquitur Augustinus : Plotinus Platonicus disputans de tribus principalibus substantiis, ponit Deum patrem et mentem paternam seu intellectum paternum, per quos Patrem et Filium videtur insinuare. Trismegistus quoque in libro de Verbo perfecto, aperte effatur de Patre æterno, et unico ejus Filio. Insuper dixit : Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem. Denique Augustinus decimo de Civitate Dei apertissime refert : Porphyrius divinis oraculis dicit esse expressum, principia posse purgare. Quæ autem dicit principia tanquam Platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem, et Deum Filium, quem appellat paternum intellectum aut mentem paternam, et medium horum : quem medium quem alium dicat, nisi Spiritum Sanctum, non intelligo. Amplius, septimo Confessionum dicit se in libris Platonicorum sub aliis verbis invenisse, quod in exordio sui Evangelii ait evangelista Joannes : In principio erat Verbum, etc. Ad ista Thomas in prima parte Summæ suæ, quæstione 32, satis aperte respondet, dicendo : Deus per naturalem rationem cognosci non potest, nisi ex creaturis, prout causa cognoscitur per effectum. Quum ergo trium Personarum sit una potentia creativa, seu una virtus agendi, et actio indivisa ad extra, ex creaturis cognosci non possunt, nisi quæ ad essentiæ pertinent unitatem. Ideo trinitas Personarum per naturalem rationem non patuit. Platonici autem per verbum Dei intellexerunt, vel idealem rationem in Deo, vel mentem quamdam a summo Deo immediate creatam, in qua omnium rerum species relucerent, et mentem illam ob præcipuam suam cum Deo similitudinem, vocabant Prolem seu Filium Dei. De hac materia alibi plenius scripsi, idcirco pertranseo.

Præterea, sicut recitat Lyra, Hebræi dicunt magos defecisse in tertio signo, quoniam dæmones quorum auxilio magi utuntur, non habent potestatem super aliquod corpus quod minus est hordei grano. Quod reprobat Lyra : quia quod habet potestatem super majus, habet potestatem super minus, sed non econverso. Circa hoc asserit Rabbi Paulus : Hebræi dicentes quod dæmones non habent potestatem super aliquod corpus minus grano hordei seu lenticulæ, intelligunt hoc de corpore animalis : quorum ratio est, quia quum in corpore animalis requirantur multa organa corporaliter distincta, ad diversa opera sensus et motus exercenda, major potentia activa requiritur ad formandum unum animal in quantitate modica aut minima, quam in quantitate ad hoc competenti : sicut major potestas seu ars scriptoris requiritur ad scribendum litteram tam parvam, ut totum psalterium contineatur in folio uno, quam ad scribendum illud in foliis multis : ideo ratio postillatoris, videlicet Lyræ, contra Hebræos inducta, non est sufficiens, nisi addatur quod dæmones non producunt aliquam formam, nisi applicando activa passivis. Ex quo sequitur, quod quum movere possint ad magna animalia producenda, movere etiam valent ad producendum animalia parva ac minima.

Insuper circa illud, Digitus Dei est, asserit Rabbi Paulus : Per hoc confessi sunt magi virtutem divinam, non tamen sic, quod crediderunt quod Adonai seu Dominus, quem profitebantur Moyses et Aaron, esset Deus seu omnium Dominus. Quamvis enim omnes crederent aliquam primam et supremam causam, ex hoc tamen non sequitur, quod ille Adonai cujus nuntium dixit se Moyses esse, esset illa superior causa. Istud non videtur idonee dictum. Sapientes namque atque philosophi Pharaonis et Ægyptiorum, inter Hebræos quotidie conversantes, faciliter scire valebant, quod Hebræi colerent eum, quem vocabant universorum principium, primamque causam. Nam et Moyses dixit ante hæc verba ad Pharaonem : Juxta verbum tuum fa-

Digitized by Google

ciam, ut scias quod non est sicut Dominus A Deus noster, sicut in isto capitulo patuit modo: per quæ verba evidenter significavit, summum et verum Deum, esse Deum ac Dominum Hebræorum.

Præterea Rabbi Paulus scribit, quod tres primæ plagæ non attigerunt ad mollificationem cordis Pharaonis, nec in toto, neque in parte. Cujus contrarium ex hoc probatur, quod Pharao qui antea dixerat, Nescio Dominum, et Israel non dimittam, in secunda plaga magnitudinem cordis sui parumper depressit. Siquidem Moysen Aa- B ronque vocavit, et dixit : Orate Dominum, ut auferat ranas a me, etc. Ranis vero ablatis, rursus intumuit ac induravit cor suum. Ideo Origenes et Glossa affirmant, quod per verbera aliqualiter emendatus, petiit pro se orari. At vero quod post verba illa, Digitus Dei est hic, in textu subjungitur, *Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos,* Rabbi Paulus exponit, quod Pharao non audivit maleficos profitentes divinam esse virtutem. Cui expositioni obsistit, quod post verba illa, Non C audivit eos, mox subditur, *sicut præceperat Dominus.* Non enim præceperat Dominus Pharaoni, ut audiret maleficos. Ideo sensus est, quod non audivit eos, utpote Moysen et Aaron, de quibus paulo ante eadem verba sunt scripta. Porro † sicut Nicolaus de Lyra fatetur, quod intentio Pharaonis et magorum ejus ad hoc tendere videtur, ut Moyses crederetur magicis artibus facere quod agebat. Quod non apparet, quoniam Pharao visis plagis sibi ac suis inflictis, frequenter petiit, Dominum D pro se rogari ut plagas auferret: per quod confitebatur plagas illas a Domino Deo Hebræorum inductas; nec negavit digitum Dei esse, quod magi sui dixerunt digitum esse Dei : non tamen voluit subdi Deo, quia de ejus providentia, gubernatione, et omnipotentia non sensit fideliter : quemadmodum Syri et alii multi gentiles, imo et decem tribus idololatræ, cognoverunt quod populus Judæ serviret Deo altissimo, non tamen voluerunt eidem obedire ac obsequi.

(… vi, 3 ; … Reg. … 33.)

Præterea dicit Lyra, quod post tertiam plagam et prolationem verborum illorum, Digitus Dei est hic, magi non cessaverunt resistere Moysi, et adsistere Pharaoni. Quod reprobat Rabbi Paulus, affirmans quod in tertia plaga omnino victi fuerunt, et præ verecundia vel horrore non comparuerunt. Cui obviat quod sequenti habetur capitulo : Non poterant malefici stare coram Moyse, propter vulnera quæ erant in eis. (*Exod.* IX, 11.) Et hoc fuit Moyse stante coram Pharaone. Ergo et magi tunc adstabant contra Moysen Pharaoni. Quamvis autem non legantur post tertiam plagam conati facere similia operibus Moysis aut Aaron, attamen restiterunt eis, ut poterant. Principales autem inter hos magos, fuerunt Jannes et Mambres, quemadmodum ad Timotheum scribit Apostolus : Sicut Jannes et Mambres restiterunt Moysi, etc. (II *Tim.* III, 8.) In Alcorano sceleratissimi Mahometi habetur, quod magi ad Deum Israel fuerunt conversi, statim post primum signum, devoratis eorum draconibus a virga seu colubro Aaron seu Moysis: quod est apertissime contra textum.

Deinde quarta describitur plaga. *Dixitque Dominus ad Moysen : Consurge diluculo, et sta coram Pharaone,* hoc est, in ripa circa fluvium Nili obvia ei. *Egredietur enim ad aquas,* id est ad deambulandum super littus fluvii decurrentis prope mansionem ipsius, vel pro sanitate, vel ut aliqui opinantur, causa idololatriæ, ut scilicet fluvium tanquam Deum coleret, quoniam tam utilis erat Ægyptiis, irrigando et fecundando terram eorum, vel quoniam taurus quem colebant Ægyptii, interdum apparuit super aquas. *Et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te et in servos tuos,* etc., *omne genus muscarum ; et implebuntur omnes domus Ægyptiorum muscis diversi generis,* id est muscis diversarum specierum, quarum nonnullæ fuerant venenosæ. Pro Muscis diversi generis, Septuaginta transtulerunt Cynomyiam, id est muscam caninam quæ acri-

Digitized by Google

ter pupugit vel punxit. Verum (ut recitat A Lyra) in Hebræo habetur, Mittam in te commixtionem. Et dicunt Hebræi ac Josephus, quod per istam commixtionem non intelligitur multitudo muscarum, sed multitudo animalium diversorum generum, quæ terribilia erant adspectu, atque nociva morsu, quæ de suis exeuntia cavernis, necabant homines et jumenta. Denique duæ hæ plagæ quibus affligebantur Ægyptii ab istis scinifum et diversarum muscarum punctionibus, inquietudinibus, tædiosisque sonis, correspondent impietatibus B Ægyptiorum, quas exercuerunt in Hebræos, impellendo, trudendo, pungendo, et cum cachinno subsannando eosdem.

Faciamque mirabile in die illa in terra * *Gessen, in qua populus meus est,* id est, grande miraculum faciam in illa parte Ægypti, *ut non sint ibi muscæ.* Istud secundum Augustinum etiam de præcedentibus plagis est intelligendum, quod scilicet non fuerunt in terra Gessen, in qua morabantur Hebræi. Sed quia in terra illa etiam multi Ægyptii habitabant (unde et infra C Dominus legitur Hebræorum mulieribus præcepisse, ut mutuarent vasa pretiosa ab Ægyptiis sibi vicinis), alii dicunt, quod plagæ istæ fuerunt et in terra Gessen; non tamen affligebantur ab eis Hebræi, sed soli Ægyptii. Propter quod subditur : *Ponamque divisionem inter populum meum, et populum tuum,* hoc est inter Hebræos et Ægyptios, ita quod bestiolæ istæ non transgredientur terminum eis mea jussione præfixum. *Cras erit signum istud.*

* *mirabilem in die illa terram*

Exod. XI, 2.

Fecitque Dominus ita. Et venit musca D *gravissima,* id est multitudo muscarum tædiosissima sono, punctione, atque adspectu molesta, *in omnem terram Ægypti. Corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis,* id est deformata, habitatoresque terræ Ægypti læsi et inquinati sunt a muscis præfatis. *Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait illis : Ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses : Non potest ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorum,* id est animalia quædam quæ Ægyptii abominabiliter colunt, videlicet ovem, bovem et taurum, *immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactaverimus ea quæ Ægyptii colunt, coram eis, lapidibus nos obruent :* quia reputarent sibi ac diis suis injurias maximas fieri in tali mactatione. Circa hoc loquitur Strabus : Ægyptii ovem adorabant propter Jovem Ammonem, id est Jovem in specie ovis seu arietis, nam et cum capite arietino depingebatur; bovem quoque seu taurum, qui consecratus exstitit Api seu Apidi in specie tauri. Et vaccam colebant pro Iside. Apis autem erat maximum numen apud Ægyptios. *Dixitque Pharao : Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto,* etc. Hoc dixit vel ficte, vel ex intentione propter angustiam plagæ. *Rogate pro me. Et ait Moyses : Egressus a te, orabo Dominum, et recedet musca a Pharaone,* etc. Oravitque Moyses Dominum, et recessit plaga illa omnino. Quo viso, rursus induratus est Pharao.

Circa hæc in Scholastica fertur historia: Pro his duabus plagis dicit Josephus, quod innumerabilis multitudo pediculorum in Ægyptiis pullulavit ex interioribus ebulliens, quos nec lavacris nec medicamentorum unguentis exterminare valebant. Credibile quippe est, Ægyptios fuisse percussos multis plagis, præter decem plagas famosas et principales.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI OCTAVI SENSU.

DIXIT *Dominus ad Moysen,* etc. Secunda Ægyptiorum plaga fuit ebullitio ranarum copiosissima. Per Ægyptum, ut patuit, sæculum nequam exprimitur; per ranas autem designantur deceptores verbosi, præsertim loquaces et inverecundi hæretici, qui instar ranarum semper eumdem deformem et falsum emittunt sonum perfidorum verborum, quidquid eis dicatur, et quantumcumque eorum reprobentur errores. Rursus, per ranas designantur hypocritæ et vitiosi doctores, qui intus pleni sunt omni spurcitia, et inefficacia resonant verba : quæ coram Deo turpiter sonant, quia quod docent et prædicant, non adimplent. Universi demum, qui veritati fidei christianæ atque ecclesiasticæ unitati improbis et pertinacibus oblatrant clamoribus, recte designantur per ranas. Hi omnes plagant et lædunt eos, qui carni ac mundo inhærent. De quibus in prima
n. iv, Joannis Canonica habetur : Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Hi sunt subditi Pharaonis, id est vitiosis præsidentibus subjecti et conformati in vitiis, quoniam qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Sed quomodo Aaron Deo jubente producit has ranas, nisi quoniam (teste Scriptura) Deus
xxiv, propter peccata populi facit regnare hypocritam, et in furore suo dat reprobis et perversis talem, qualem merentur, rectorem? Quemadmodum ait per Isaiam : Da-
i, 4. bo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Quemadmodum autem Pharao petiit ranas auferri a se, sic frequenter perversi prælati, principesque iniqui D proprioruin subditorum rebellium importunitatem, inquietudinem, obstrepentesque clamores ferre non valentes, precantur

A liberari ab illis. Quod si ipsi qui præsunt, propriam emendaverint vitam, experiuntur mores subditorum suorum in melius commutari : quia secundum judicem populi, sic et ministri ejus.

Insuper, per tertiam plagam Ægypti, hoc est per scinifes, designantur versuti et callidi, ac duplices corde, et mendaciter blandientes : qui tunc gravius nocent et pungunt, dum magis prætendunt favorem ac famulatum. De quibus loquitur Jeremias : Sagitta vulnerans lingua eorum. *Jer.* IX, 8.
B In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Talium insidiæ sunt ita latentes, ut prius sentiantur, quam prævideantur; et vix ab oculatissimis viris queunt perpendi. Ideo recte ait Scriptura : Simulatores et callidi provocant iram Dei. *Job* XXXVI, 13.
Et rursus : Qui sophistice loquitur, odibilis est. Et : Homo qui blandis fictisque sermonibus decipit proximum suum, maledicetur. *Eccli.* XXXVII, 23. *Prov.* XXIX, 5.
Tales sunt et detestandi bilingues. Contra quos Ecclesiasticus asserit : Susurro et bilinguis, maledictus; multos enim tur- *Eccli.* XXVIII, 15.
C bavit, pacem habentes. Et alibi : Denotatio pessima super bilinguem. *Ibid.* V, 17.
Hi omnes vicissitudinem sortientur, et qua mensura metiuntur, eis remetietur. *Matth.* VII, 2.
Nam et impietates eorum redundabunt in eos, quum in Ecclesiaste scriptum sit : Qui fodit foveam, incidit in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. *Eccle.* X, 8.
Alibi quoque : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniet illusio. *Eccli.* XXVII, 30.
Rursus, per scinifes significantur logicorum et sophistarum argumentationes D curiosæ, et superfluæ concertationes. Sed et pulvis terræ in scinifes vertitur, dum homines intimorati ac leves, præinductis vanitatibus atque versutiis student.

Digitized by Google

A Præterea, per muscas diversarum specierum, rite intelliguntur carnalia vitia, ac variæ species gulæ, et item luxuriæ, quibus Ægyptii, id est mundani et falsi nominis religiosi ac clerici, mente et corpore inquinantur, vitam suam abbreviant, et diversimode periclitantur, tandemque in profundissima Acherontis labuntur; et
Apoc. xviii, 7. quantum glorificaverunt se, in deliciisque fuerunt, tantum de tormento ac luctu recipiunt in æternum. Sed in terra Gessen, videlicet inter eos qui veri sunt Israelitæ, religiosi et contemplativi, non invenitur hæc plaga.

Præterea, abominationes Ægyptiorum Hebræi offerunt Deo, quoniam temporalia et terrena, quibus avari et vitiosi tanquam idolis serviunt, et plus quam vero Deo adhærent, ipsi ad spiritualia ordinant, atque pauperibus largiuntur; et de mammona iniquitatis, vitam sibi mercantur æternam; et quæ receperunt de manu Domini, immolant ei. Iterum, abominationes Ægyptiorum sunt mundi contemptus, religionis ingressus, paupertas spontanea, conversatio pœnitentialis, sancta simplicitas, profunda humilitas, inimicorum dilectio, beneficentia malefacientibus facta, omnium adversitatum et injuriarum tranquilla perpessio: quæ omnia a carnalibus et superbis hominibus, quasi abominabilia reputantur aut evitantur; sed electi Dei et veraciter virtuosi, hæc amplectuntur et offerunt Deo, cui omne bonum adscribunt, et ad ejus honorem ac gloriam bona ista exercent: quæ etiam in diversis locis religionis, mansionibusque secretis liberius exhibent, expeditiusque observant, ne ab Ægyptiis lapidibus obruantur, hoc est, ne verbis detractoriis et mundanis tumultibus, asperisque injuriis infestentur, atque a Dei obsequio retrahantur, et pectoris pace priventur.

Postremo circa istud, *Egredietur ad aquas,* scribit Lyra: Forsan Pharao credidit, quod sicut aqua purgat fæces corporales, ita et mentales. Ad quod argumentum est, quoniam Sarraceni terram Ægypti nunc inhabitantes, talibus ablutionibus ad emendationem peccatorum utuntur: et forte tenent hoc ex ritu antiquo Ægyptiorum. Contra hoc ultimum verbum, quod scilicet Sarraceni tenent hoc, etc.: quod tamen Lyra non scribit affirmando, sed dubitando, quia adjungit, forte; multa scribit Rabbi Paulus, inter cetera dicens, quod Sarraceni præcipiuntur a Mahometo custodire legem Mosaicam et Evangelium, ut in Alcorano expresse habetur. Ideo simulando observationem Mosaicæ legis, se circumcidunt, non tamen octavo die, sed post la- B psum cujuscumque temporis indifferenter; simulando quoque observationem Evangelii, utuntur quibusdam ablutionibus seu baptismis.

Circa hæc dico, quod impius ac perfidissimus Mahometus finxit se esse prophetam et nuntium Dei, specialiter missum Sarracenis, sicut Moysen dixit specialiter missum Hebræis, et Christum Christianis. Iterum dixit, quod sicut Deus Moysi Testamentum et Christo Evangelium, sic sibi Alcoranum dedit, sicque dixit sibi a Deo C missam ac datam specialem legem, ut eam proponeret Sarracenis. Ideo nullibi præcipit in Alcorano, ut Sarraceni absolute aut in toto observent legem Moysis et Evangelium Christi. Aliqua tamen ex lege et Evangelio præcipit eis servanda, et tamen in Alcorano nullam facit mentionem de observanda circumcisione a Sarracenis, nec præcipit eis servare sacramentum Baptismi, imo omnia sacramenta evangelicæ legis abjecit. Verum est tamen, quod in Alcorano suo affirmat legem suam in nullo D discrepare a lege Moysis et Evangelio Christi. Quod tamen omnino falsissimum est, sicut hoc clarissime et copiosissime demonstravi in tractatu quem contra Alcoranum composui. Insuper dico, quod Sarraceni observant circumcisionem non indifferenter post cujuscumque temporis lapsum, sed regulariter circumcidunt filios suos quum tredecim annorum exstiterint, quia tot annorum fuerat Ismael, de quo natos se dicunt, quando circumcisus est, ut in Genesi continetur. Hoc autem cum Rabbi Gen. xvii, 25.

Digitized by Google

Paulo concedo, quod Sarraceni Ægyptii ritum suarum ablutionum potius habent ex traditione sui pseudoprophetæ, quam ex A antiqua consuetudine Ægyptiorum. Nam in omni terra et regione qua degunt, ablutiones tales observant.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : DIXIT AUTEM DOMINUS AD MOYSEN : INGREDERE AD PHARAONEM.

TRES plagæ sequentes, videlicet quinta, B sexta et septima, in isto describuntur capitulo. *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem,* etc. *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum,* etc. *Ecce manus mea erit super agros tuos, super equos et asinos et camelos et oves et boves,* id est, potestas mea agris et jumentis tuis inferet læsionem et destructionem. Unde quasi expositorie subditur : *pestis valde gravis.* Quæ autem fuerit pestis hæc, in littera non narratur in speciali; sed aliqui putant quod solo Dei imperio facta C fuit corruptio ista jumentis et herbis agrorum, quia nec Moyses nec Aaron legitur in hac plaga aliquod exhibuisse obsequium. Verumtamen tales effectus solet Deus magis per angelica ministeria, quam per se ipsum immediate producere. Aliqui vero dicunt, quod ex corruptione aeris infecta fuerunt pascua, et ex consequenti jumenta ex pascuis ipsis vescentia. *Et faciet Dominus mirabile,* id est miram divisionem et distinctionem, *inter possessiones Israel, et possessiones Ægyptiorum :* ita *ut nihil* D *omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel :* quia nec pascua, nec jumenta Hebræorum læsa fuerunt hac plaga. Et dicunt nonnulli, quod in eisdem agris seu campis corrupta fuerunt animalia Ægyptiorum, non Hebræorum : alias non videtur probabile, quod Ægyptii permiserunt jumenta Hebræorum ire et pasci in eisdem campis cum animalibus suis. Ideo dicunt, quod infectio illa seu pestis non fuit in locis et pascuis ac jumentis ad Hebræos spectantibus : quod verius reor.

Constituitque Dominus tempus, dicens per Moysen ad Pharaonem : *Cras faciet,* id est implebit, *Dominus verbum istud in terra* Ægypti. Circa hoc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod Moyses fecit lineam in pariete, dicens : Cras sole hanc lineam attingente, fiet hæc plaga : et hoc, ad insinuandum certitudinem divinæ providentiæ. *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Istud quidam exponunt de animalibus quæ fuerunt in domibus; quia de animalibus quæ fuerunt in agris et campis, paulo post dicitur quod grandine perierunt. Alii hoc exponunt de animalibus quæ fuerunt in agris et campis : quod magis consonat litteræ, sicut nunc patuit. De quibus autem animalibus verificetur, quod grandine perierunt, statim discutietur. *Et misit Pharao ad videndum,* an nihil obiisset de pecoribus Hebræorum, ut exploraret an verba Moysis essent impleta. Si quæratur, cur non misit similiter ad videndum de plaga præcedenti, in qua etiam Moyses de hujusmodi divisione prædixit : respondetur, quod propter molestiam muscarum in aere copiosissime volitantium, nuntii non potuissent expedite ire per terram. Vel forte Pharao magis reputavit hanc plagam, quæ sibi exstitit tam nociva. Denique, quia Ægyptii non solum afflixerunt Hebræos, sed et jumenta eorum, imponendo utrisque grandes labores ac onera deportanda, idcirco Ægyptii juste puniti sunt

Digitized by Google

in morte jumentorum suorum, correspondítque pœna culpæ.

Deinde describitur sexta plaga. *Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Tollite plenas manus cineris,* id est, unusquisque vestrum impleat manum suam cineribus, *de camino, et adspergat illum Moyses in cœlum coram Pharaone; sitque pulvis super omnem terram Ægypti.* Circa hæc quæri plurima possunt. Primo, cur Dominus fecit præcedens miraculum et flagellum, quo occisa sunt Ægyptiorum jumenta, sine ministerio Moysis et Aaron, et non istud, quo puniti sunt homines et jumenta. Secundo, cur Dominus jussit tam Moysi quam Aaron implere manus cineribus; et item, cur cineribus de camino. Tertio, cur solus Moyses jussus est pulverem spargere. Quarto, cur adjecit, Et sit pulvis super omnem terram Ægypti, quasi ante non fuerit ibi pulvis.

Rom. XI, 34. Ad ista quis dicere posset, Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Verumtamen conjiciendo et opinando, potest aliqualis dari responsio: dicendo ad primum, quod Dominus fecit quædam signa per Aaron, propter causam supra inductam; quædam per Moysen, ad ostendendum ejus principalitatem in ista legatione. Nam et ea quæ Aaron egit, ex Moysis imperio fecit, ita quod Dominus dixit ad Moysen: Dic ad Aaron, Extende manum; vel, Tolle virgam, aut aliquid simile. Aliqua vero signa fecit Dominus per se, ad ostendendum, quod ipse nullius eget obsequio. Ad secundum dici potest, quod utrisque jussit Dominus manus implere cineribus, ad declarandum commune et sociale ac concors eorum obsequium. Ad tertium, quod soli Moysi, tanquam principali, jussit spargere cinerem. Nam et sparsio ista est facta sursum in cœlum: ideo Moysi competebat, qui constitutus est mediator quoad pertinentia ad Deum. Ad quartum, quod pulvis de quo nunc sermo, de terra consurgens, circa eam volitabat in aere: et forte fuerat infectivus et inflictivus plagæ, quæ statim narrabitur. Cur autem est sumptus cinis de camino? Dici potest, quod plaga ista correspondebat iniquitati Ægyptiorum, qua oppresserunt filios Israel, imponendo eis decoctionem laterum in fornace ardente.

Erunt enim in hominibus et jumentis ulcera et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti, in qua morabantur Ægyptii; non tamen in mansionibus Hebræorum. Itaque in vesicis Ægyptiorum fuit interior læsio, scilicet calefactio pungens, ex qua primo ulcera nascebantur, deinde ruptis vesicis facta sunt vulnera in eisdem. Et hoc justo Dei judicio, quia in filiis Israel ex magnitudine oppressionum, dolorum, laborum, angustiarumque fuit multiplex læsio viscerum interiorum ex persecutione Ægyptiorum. *Nec poterant malefici stare coram Moyse propter vulnera* quæ in illis erant.* Unde elicitur, quod plaga ista acrius eos torsit, quia quum ante dixissent, Digitus Dei est hic, utpote cognoscentes plagas istas esse a summo Deo, non tamen cessaverunt a sua malitia. * ulcera

Exod. VIII, 19.

Sequitur septima plaga. *Dixit quoque Dominus ad Moysen: Mane consurge et sta coram Pharaone, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi; quia in hac vice,* id est, nisi dimiseris eos in hoc tempore, *mittam omnes plagas meas super cor tuum,* id est super te totum, ita quod intus et extra affligeris, et cordis tui penetralia perforabuntur dolore. Per cor autem, tanquam per partem principalem, totus homo accipitur. Nam et Philosophus ait, quod homo est maxime suus intellectus. Nec sine causa dixit, Super cor tuum, sed ad insinuandum penetrativam hujus plagæ severitatem. Denique, quia nunc dicitur, Omnes plagas meas, quidam exponunt istud non solum de hac plaga, sed simul de ea et plagis sequentibus. Potest tamen exponi de sola hac plaga totali, quæ plures partiales plagas in se comprehendebat, quemadmodum nunc patebit. Frequenter etiam ponitur numerus pluralis pro singulari, et econverso. Omne quoque interdum accipitur pro perfecto aut toto. Et sic

Digitized by Google

nunc accipi potest, Omnes, id est perfectas et totales has plagas, quia in hac plaga multa fuerunt afflictiva atque nociva. *Et super servos tuos et super populum tuum,* id est ceteros Ægyptios qui tibi consenserunt et cooperati sunt, affligendo Hebræos ; *ut scias quod non sit similis mei in omni terra,* id est, quod nullus sit mihi æqualis in potestate et in omni perfectione. Istud fuit una causa inductionis plagarum istarum. Aliæ quoque fuerunt causæ earum, ut scilicet per eas filii Israel instruerentur et redimerentur. Itemque, ut toti mundo tam præsentibus quam futuris innotesceret excellentia Dei, sicque converterentur ad eum.

Hinc subditur : *Idcirco autem posui te,* id est creavi te in regno et loco hoc collocavi, *ut ostendam in te fortitudinem meam,* id est, omnipotentiam meam electis salubriter manifestem per effectus potentiæ atque justitiæ meæ in te : imo et cunctis hominibus, etiam reprobis, pandam virtutem ac providentiam meam ad eorum commonitionem, ut inexcusabiles inveniantur. Ideo subditur : *et narretur nomen meum in omni terra,* id est, cunctis hominibus prædicetur majestas mea, et fama excellentiæ meæ. Hunc passum al-
ix,17. legat ad Romanos Apostolus, dicens : Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra. Verumtamen Deus vo-
i.ii,4. luntate antecedente vult omnes homines fieri salvos, atque ob æternam beatitudinem obtinendam condidit universos. Sed ipse tam bonus et sapiens est, quod malos et reprobos non crearet, nisi sciret et posset ex eorum malitia elicere multa bona. Sicque ex Pharaonis malitia elicuit Deus bona prætacta, quemadmodum ex ferocia tyrannorum et persecutorum Ecclesiæ, elicuit martyrum glorificationem, fidei corroborationem, fidelium ædificationem, conversionemque plurimorum. Porro voluntate consequente, ut loquitur Damascenus, vult Deus reprobos et præscitos damnari, considerata simul cum eis eorum malitia : sicque asseritur eos creasse, ut justitiam et fortitudinem suam demonstraret in eis. Universa equidem fecit, ut sua in eis perfectio demonstraretur. Ideo sicut in electis voluit relucere suam misericordiam, ita in reprobis suam justitiam. Propterea ad Romanos scribit Apostolus : Annon habet po- Rom. ix,
testatem figulus luti ex eadem massa fa- 21-23.
cere quidem unum vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.

Circa hæc scribit Lyra : Deus non indiget malitia hominum ad declarationem fortitudinis suæ, quia per multas alias vias potest eam monstrare ; sed mala permittit, ut bona eliciat. Idcirco ly *ut,* tenetur consecutive, non causaliter, quum dicitur : Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. Sed contra hoc ultimum, scilicet quod ly *ut,* tenetur consecutive, non causaliter, arguit Rabbi Paulus, assumens verba Thomæ dicentis : Divina providentia non solum disponit qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine : inter quas causas, actus humani sunt causæ quorumdam effectuum. Sicque in talibus homines aliqua agunt, ut per suos actus impleantur quidam effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Ideo tales intermedii actus, rationem habent causalitatis respectu effectus a Deo dispositi. Unde in præsenti materia, quoniam Deus ex proposito suæ voluntatis disposuit, quod per malitiam Pharaonis a Deo toleratam et permissam, sua potentia, justitia et longanimitas hominibus declarentur ; hujusmodi malitia sic a Deo permissa, habet rationem causalitatis respectu hujuscemodi declarationis a Deo intentæ : ideo ly *ut,* in hoc loco tenetur causaliter, ut etiam patet ex Glossa.

Circa hæc verba Rabbi Pauli dico, quod verba S. Thomæ secundum ipsius Thomæ

Digitized by Google

intentionem, vere atque catholice sunt inducta. Siquidem Doctor sanctus introducit verba illa in secunda secundæ, quæstione 85, solvendo hanc quæstionem, an conveniens sit orare. Et declarat, quod imo, non obstante immobilitate providentiæ Dei, quia videlicet Deus prævidit ac præordinavit se daturum gratiam ac salutem hominibus per orationes et quosdam actus eorum. Hinc Thomas asserit ibi : Orandum est, non ut Deum flectamus, aut divinam dispositionem mutemus, sed ut orando id impetremus, quod Deus per orationem statuit dare aut facere. Itaque constat quod intentio Thomæ est, loqui de actibus bonis, non vitiosis, quod scilicet habeant rationem causalitatis directe respectu effectuum a Deo dispositorum. Et ita Rabbi Paulus non recte applicare videtur verba Thomæ ad probandum propositum suum, utpote quod in ordine divinæ providentiæ, obstinatio aut malitia Pharaonis habeat rationem causalitatis respectu manifestationis fortitudinis Dei. Nempe si ita esset, sequi videretur quod malitia Pharaonis fuisset a Deo intenta, atque quod Deus esset non solum permissiva, sed et effectiva seu directa causa illius malitiæ, quia Deus hoc intendit et efficit, per quod sua providentia directe causaliterque impletur. Nec Glossa videtur esse pro Rabbi Paulo, quoniam Glossa introducit verba Augustini dicentis : Novit Dominus bene uti malis, non tamen humanam naturam ad malitiam creat. Ex quibus verbis probatur, quod demonstratio fortitudinis Dei per Pharaonis malitiam, consecutive magis quam causaliter se habeat ad Pharaonis creationem et obstinationem.

Ecce pluam cras hac ipsa hora, non eadem numero, quum hora sit de numero successivorum, sed eadem in specie, *grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est, usque in præsens,* id est nunquam hucusque : quod fuit valde mirabile. Ægyptus namque est versus meridiem in parte australi, in qua calor plus viget : idcirco raro fit ibi grando et in modica quantitate, quum ex grandi frigore grando gignatur. Tunc autem fuit ibi grando tantæ magnitudinis ac multitudinis, quod nec in partibus borealibus seu aquilonalibus sic fieri solet, quum tamen ibidem frigus magis abundet. *Mitte ergo jam nunc,* etc. Deus in ira sua non continet misericordiam suam, sed rigori justitiæ miscet dulcorem clementiæ. Ideo admonuit Pharaonem, et in eo ejus ministros ac populum, ut servos suos ac pecora non permitterent esse in agro die quo grando erat casura. *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos,* id est, servi Pharaonis ac ceteri Ægyptii, ad quos comminatio Dei facta per Moysen venit, et qui crediderunt, ac servili timore et formidine timuerunt eam implendam, non permiserunt servos suos et pecora esse in agris. *Qui autem neglexit sermonem Domini,* id est, verba Dei prolata per Moysen sprevit, nec credidit, *dimisit servos suos et jumenta in agris.* Interdum enim servi et pecora quædam die ac nocte manserunt in campis et pascuis tempore ad hoc apto.

Ps. LXXVI, 10.

Et dixit Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti, etc. *Extenditque Moyses virgam in cœlum* aereum, erigendo manum cum virga versus cœlum ; *et Dominus dedit tonitrua et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram.* Quæ tria supernaturaliter generabantur in aere. Sicque plaga ista continuit in se plures plagas particulares, et fuit terribilis nimis, imo tanto terribilior, quanto inconsuetior in Ægypto. Tonitrua quoque afflixerunt ac terruerunt auditum, fulgura visum ; grandines tactum, sed et visum atque auditum. *Pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando et ignis,* utpote fulgur assiduum valde terrificum, *mixta pariter ferebantur :* sicque plaga intolerabilior fuit. *Et percussit grando cuncta quæ fuerunt in agris ab homine usque ad jumentum* inclusive, quia tam

Digitized by Google

homines quam jumenta in agris occidit. A *Cunctamque herbam agri percussit grando,* gramina et terræ nascentia destruendo, *et omne lignum regionis Ægypti confregit.* Quidam scribit, quod dura videlicet ligna, non fuerunt fracta. Cujus oppositum dicit hæc littera, nisi forsan dicatur, quod arbores in superioribus suis partibus, quæ tenuiores sunt, fractæ fuerunt, non autem in stipite.

Misitque Pharao, et vocavit Moysen et Aaron, dicens : Peccavi etiam nunc. Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei et B *grando :* per quæ intellexit et fulgurum cessationem ; *ut dimittam vos, et nequaquam ultra hic maneatis.* Hæc Pharaonis confessio non venit ex vera pœnitentia seu contritione, sed ex quadam coactione et servili timore. *Ait Moyses : Quum egressus fuero de urbe* ista, in qua nunc tecum sum, *extendam palmas meas ad Dominum,* id est, mentem cum manibus elevabo ad Deum, ipsum rogando pro cessatione plagæ istius. Dicuntur autem manus levari ad Dominum, in quantum ex interna de- C votione extenduntur in cœlum, in quo Deus specialiter esse et habitare perhibetur, in quantum ibidem clarius se ostendit et evidentius operatur, quum tamen ipse proprie illocalis, intemporalisque sit, utpote simplicissimus et prorsus incircumscriptus. *Et cessabunt tonitrua, et grando non erit,* id est diutius non durabit ; *ut scias quia Domini est terra,* id est, (xiii, 1.) quod Deus noster jure creationis et gubernationis sit Dominus terræ, et omnium quæ in ea sunt, ita quod dii tui te et cul- D tores suos ceteros nequeunt adjuvare. Pharao pluraliter dixit, Orate ; sed Moyses tanquam principalis, singulariter respondit, Extendam, etc. Et quia hæc grando supernaturaliter producebatur divina virtute, cujus et ostensiva fuit, ideo recte vocavit eam Pharao grandinem Dei. Præterea quæri potest, qualiter servi Pharaonis, durante hac plaga, poterant sine læsione ire ad Moysen. Ad quod quis dicere posset, quod omni qua poterant arte et munitione se texerant. Aut forte ideo plaga non tetigit eos, quia ad Moysen ibant pro misericordia impetranda. *Novi autem quod tu et servi tui necdum timeatis Dominum Deum* filiali aut saltem initiali timore, sed solum servili : quod non est absolute et proprie Deum timere, sed aliqualiter tantum, quum scriptum sit : Qui timet Deum, nihil negligit. (*Eccle.* vii, 19.) Et item : Beati omnes qui timent Dominum. (*Ps.* cxxvii, 1.) Interdum tamen dicit Scriptura serviliter timentes timere Deum, ut dum quarto Regum de Samaritanis asseritur : Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, et nihilo minus idolis suis servientes. (IV *Reg.* xvii, 41.)

Linum ergo et hordeum læsum est, id est destructum grandine atque fulguribus : nempe quæ grandinis læsionem evaserant, fulgure cæsa sunt ; *eo quod hordeum esset virens,* id est in tantum excrevit, quod rursus post læsionem non poterat fructuose renasci, seu crescere, *et linum jam folliculos germinaret,* id est, non poterat utiliter denuo crescere, quia folliculi erant corrupti. *Triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant,* id est nondum viruerant, nec prodierant in spicam, quoniam tardius nascebantur; aut si parum excreverant, et extremitas læsa est, quod renascebatur validum fuit. Porro far est genus grani grossius frumento, ut Magister in historiis ait. Unde secundum Lyram, in Hebræo habetur, spelta. Potius tamen reor, quod nomen illud Hebræum ad utrumque æquivocum sit.

Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum, orando devote in loco quieto et corde jam quietato, unde in tumultu Pharaonico noluit pro hac causa orare ; *et cessaverunt tonitrua et grando,* et etiam fulgura, *nec ultra stillavit pluvia super terram.* Ex hoc elicitur, quod in hac plaga fuit etiam pluvia valde impetuosa, terræ nascentibus nociva, Ægyptiisque terrorem incutiens, quia in terra illa rarissime pluit ; et pluvia ibidem est fecundationi terræ obstaculo, quia naturale est terræ illi ex Nili inundatione ir-

Digitized by Google

rigari et fecundari. Solet autem pluvia tonitrua comitari, juxta illud : Fulgura in pluviam fecit, id est terminavit. *Videns autem Pharao quod cessaverunt* hæc mala, *auxit peccatum*. In quo admiranda obstinatio ejus patet.

Ps. cxxxiv, 7.

Circa hæc quæritur, qualiter in hac plaga septima dicantur jumenta in agris occisa, quum tamen in isto capitulo dictum sit, quod in quinta plaga mortua sint omnia animantia Ægyptiorum. Respondetur, quod in quinta plaga occisa sunt jumenta quæ tunc erant in campis, sed in domibus multa manserunt, quæ vel omnia vel partim in septima plaga in agris perempta sunt. Denique in Scholastica historia tangitur, quod et credibile satis est, utpote quod plagæ istæ non contigerunt sine multo temporis intervallo, in quo poterant Ægyptii jumenta aliunde acquirere. Imo in glossa Scholasticæ historiæ fertur, quod forte per quinquennium, vel eo amplius duraverunt successive hæ plagæ. Verumtamen potius arbitror, quod infra unum annum fuerunt inductæ : fuerunt enim quodammodo continuatæ, prout ex textu videtur elici posse. Communiter enim, descripta cessatione plagarum, subjungitur : *Et induratum est cor ejus et servorum illius* Pharaonis, *et non dimisit populum, sicut præceperat Dominus per manum Moysis*. Per quod datur intelligi, quod licentiam quam ante cessationem plagarum dedit aut dare promisit, plagis sopitis, mox revocavit, aut prorsus petitam negavit. Et sic post aliquantulum tempus Moyses suam legationem continuando, ex Dei imperio ad Pharaonem pro eadem rediit causa, et aliam plagam prædixit, quæ et statim infligebatur.

Postremo, hæc septima plaga fuit partim ex aqua, quia grando et pluvia erant in ea ; partim ex igne, quia ignis et grando commixtim ferebantur in aere ; partim quoque ex aere, propter tonitrua quæ erant soni in aere facti, cum ingenti collisione commotioneque aeris. Est quippe tonitruum, exstinctio ignis in nube, secundum Philosophum. Quod tamen per prædicationem causalem verificatur, quia ex ipsa exstinctione vaporis ignei in nube sonus producitur, qui est tonitruum. Fuerunt autem in plaga hac nubes copiosæ, ac de se supernaturaliter productæ in aere per ministeria angelorum. Correspondet quoque hæc plaga culpæ Ægyptiorum, qua Hebræos multipliciter afflixerunt in decoctione laterum per aquam et ignis incendium, et in collectionibus palearum per terram et aerem.

ARTICULUS XVII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI NONI INTELLECTU.

PER plagas in isto capitulo descriptas edocemur, quod Deus quantum in se est, multipliciter per prodigia ac flagella, per prospera et adversa, exhortatur et provocat homines etiam reprobos et perversos, ad vitam salubrem, et ad divinorum recognitionem beneficiorum ac mirabilium suorum effectuum. Et quo homines diutius obtemperare abnuerint, eo acrius flagellari merentur. Porro per devastationem agrorum Ægyptiorum, spiritualiter denotatur, quod corda rebellium et pravorum, omni virtutum virore, omni gratiæ pulchritudine ob suas privantur perversitates, imo et in naturalibus vulnerantur atque fœdantur. Per interfectionem autem pecorum designatur, quod motus passionum et concupiscentiæ bestiales moriun-

tur in impiis : non quod in eis esse desi- A stunt; sed dum per rationis censuram et per actiones virtutum non refrenantur, mortalia vitia fiunt. Sicque in se ipsis sunt mortui motus, quoniam vita gratiæ carent et sua occidunt subjecta, quemadmodum in Apocalypsi fertur ad quemdam: Nomen habes quod vivas, sed mortuus es. Præterea, Ægyptii merito in suorum interitu pecorum sunt puniti, quia et animalia miserrima coluerunt, atque in similitudinibus jumentorum suos venerati sunt deos, ut dictum est. Ideo per quæ pecca- B verunt, per ea puniti sunt.

Apoc. III, 1.
Sap. XII, 24.
Ibid. 23.

Per sextam vero plagam, puta per ulcera, vesicas turgentes, incensiones viscerum internorum et vulnera, designatur, quod dum iniqui emendari dedignantur per exterioris ablationem substantiæ, merentur in propriis personis atque corporibus tangi, lædi et cruciari. Per ulcera quoque specialiter significatur pravarum cogitationum collectio, ad impia facta inclinans, seque erigens, et per signa demonstrans. Ulcus namque causatur ex C aggregatione humorum peccantium, ob quorum abundantiam gignitur tumor. Per vesicas turgentes, intelliguntur interiores indispositiones culpabiles ac pœnales, quæ ex gula, præsertim ex immoderantia potus, nascuntur; per vulnera aperta, opera vitiosa ; per incensiones viscerum, inflammationes iræ, impatientiæ, indignationis. Omnibus vitiis istis permittit sanctus et justus Deus sauciari ac perire iniquos, quorum omnia interiora sunt inordinata, et sibimetipsis frequenter sunt gra- D ves : quia ut loquitur Isaias, Iniqui sunt quasi mare fervens, quod quiescere non potest.

Isa. LVII, 20.

Amplius, per hoc quod Deus ante inflictionem septimæ plagæ, tam terribiliter dixit, In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, etc., insinuatur quod Deus in se ipso invariabiliter dulcis, bonus et pius, per nimiam enormitatem et recidivationem frequentem, præsertim per rebellionem et obstinatam malitiam impiorum, quodammodo amaricatur et exacerbatur, dum per modum commoti se habens, amarissimas et abundantissimas punitiones infligit. Unde per istam terrificam comminationem et plagam hanc septimam, plura flagella in se comprehendentem, possunt intelligi signa, finale ac generale judicium præcessura. Imo ad litteram tunc erunt, ut legitur, tonitrua, fulgura, grandines, tempestates, imbres, et variæ impressiones copiosius ac terribilius, quam in Ægypto acciderant. Specialiter vero, per tonitrua accipiuntur clamorosæ et inordinatissimæ voces ac prædicationes hæreticorum et perfidorum ac schismaticorum, qui instar canum contra catholicæ fidei veritatem atque ecclesiasticam unitatem impudenter vociferantur ac perstrepunt, et argumenta sua quasi tonitrua magnipendunt; per fulgura quoque discurrentia, designantur reales et ignitæ persecutiones, quas undique contra Catholicos spargunt, et velocissime currere faciunt. Nam et materiali igne invadunt sacra loca atque fideles. Præsumunt etiam sententias excommunicationis quasi fulgura contra fideles emittere. Porro, per grandinem intelliguntur mortes amaræ, quas pro fide et justitia justis et fidelibus inferunt, sicut Salvator prædixit : Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. His plagis ac vitiis permittit iniquos Dominus lædi, spiritualiterque occidi. Quemadmodum etiam occisi sunt homines et jumenta non congregata in domum, ita qui in Ecclesia Christi non sunt fide et caritate uniti, dispereunt. Et si aliqua agunt bona ex genere, non tamen meritoria exstant, quia Christo incorporati non sunt, nec sunt viva Ecclesiæ membra.

Joann. XVI, 2.

Postremo per hoc, quod magi et sapientes Pharaonis gravius læsi sunt sexta plaga, hoc innuit, quod in populo christiano multi sunt ingeniosi et humano studio eruditi, qui tamen juxta scientiam et doctrinam suam non conversantur, quales et in veteri Testamento Scribæ et Pharisæi

Digitized by Google

fuerunt : ideo illi acrius relinquuntur et condemnantur a Deo. Scienti enim bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Jacob. IV, 17. A Propter quod asserit Christus : Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis. Luc. XII, 47.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : ET DIXIT DOMINUS AD MOYSEN : INGREDERE AD PHARAONEM.

OCTAVA et nona plagæ hic describuntur. *Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem. Ego enim induravi cor ejus et servorum illius,* hoc est indurari permisi. Et quo ego benignior sum removendo cito ab eo plagas illatas, eo obstinatior redditur, utpote mea longanimitate et patientia prorsus abutens. Et quia sic induratus fuit, necesse fuit ut frequenter admoneretur. *Ut faciam signa mea hæc in eo,* etc. Qualiter intelligendum sit hoc, constat ex dictis in præcedenti articulo super illud, Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, etc. Exod. IX, 16. Circa hoc loquitur Augustinus : Hæc ita sonant, quasi Deus indigeat alicujus malitia ad ostendendum potentiam suam, seu rigorem justitiæ. Sed sic intelligendum est, quasi Dominus diceret : Ego patiens fui circa eum et servos ipsius, ne eos delerem, et hoc ordine superveniant signa mea in eos. Quia enim obstinatior fiebat malus animus ex patientia mea, dictum est, Induravi cor ejus.

Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Usquequo non vis subjici mihi? Dimitte populum meum, etc. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos,* hoc est copiosissimam multitudinem locustarum in terram Ægypti, *quæ operiet superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat :* id est, tot et tantæ erunt locustæ in terra tua, ut juxta hyperbolicum modum loquendi, terra dicatur B et videatur totaliter locustis operta ; *sed comedatur* a locustis *quod residuum fuit grandini,* hoc est quod grando non destruxit in toto, prout dictum est præcedenti capitulo. Exod. IX, 32. *Corrodet enim omnia ligna quæ germinant,* id est fructum producunt, *in agris* aut hortis, id est, fructum arborum devorabunt. *Et implebunt domos tuas et servorum tuorum et omnium Ægyptiorum :* sicque et ipsos Ægyptios molestaverunt ; *quantam non viderunt patres tui,* id est, tanta erit copia locustarum, C quod nullus patrum tuorum vidit tam multas. Locusta, secundum Strabum, quoniam longiora habet retro crura, vocatur locusta, quasi longa hasta. Est tamen bestiola brevis et modica. *Avertitque se* Moyses *et egressus est a Pharaone.* Forsan ex zelo justitiæ indignabatur obstinatissimæ voluntati impii regis, ideoque recessit ab eo. Vel vidit per certa indicia, quod Pharao noluit obtemperare.

Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum : Usquequo patiemur hoc scandalum? D hoc est, quamdiu sustinebimus has confusibiles plagas, per quas non solum affligimur, sed etiam diffamamur tanquam victi et infortunati ac miseri? *Dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem. Qui,* scilicet Pharao, *dixit eis : Ite, sacrificate Deo vestro. Quinam sunt, qui ituri sunt* in desertum viam trium dierum? *Ait Moyses : Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum*

Digitized by Google

ovibus et armentis, id est pecorum multitudinibus. *Est enim solennitas Domini Dei nostri :* idcirco oportet nos omnes adesse. Cur ita locutus sit Moyses, et qualiter hæc verba a mendacio excusentur, patet partim ex præinductis. Deus quippe in monte Sinai prædixerat Moysi, quod post egressum de Ægypto, immolaturus esset ei in monte illo: et diem in quo id erat implendum, vocat nunc Moyses Dei solennitatem, in qua Deus voluit omnes adesse Hebræos. Vel solennitatem Dei appellat, celebrem ejus venerationem, per sacrificia illa.

Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos et parvulos vestros. Aspernatorie atque ironice, imo et negative ac invidialiter dixit hoc, tanquam dicat : Sicut ego non dimittam vos ac filios vestros, sic Dominus non sit vobiscum. Et quamvis Moyses non solum expresserat parvulos, sed etiam senes et filios ac filias, oves atque armenta, Pharao tamen non repetit nisi parvulos, hoc est infantulos, sciens quod parentes invitissime desererent suos infantes; vel quia ex nominatione parvulorum, magis suspicabatur fallaciam : nam et infantium præsentiam in sacrificio minus necessariam reputavit. Ideo subdit : *Cui dubium est quod pessime cogitetis?* quasi dicat : Certum est cunctis hæc audientibus, quod nos decipere vultis, nec reverti intenditis, aut etiam repugnare et insidiari nobis disponitis. Quæ omnia Pharao pessima judicavit. Hinc primo libri hujus capitulo fertur dixisse: Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terra. (*Exod.* I, 9.) *Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino :* quoniam certum est, quod uxores vestras ac sobolem non relinquetis in terra. *Hoc enim et ipsi petistis.* Forsitan Pharao æstimavit, quod Moyses et Aaron non intenderent petere exeundi et sacrificandi licentiam, nisi pro viris dumtaxat. Non tamen oportet eum in verbis his a mendacio excusare. *Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis :* hoc est, quum Moyses et Aaron non fuissent contenti de ista Pharaonis licentia, tam ipse rex quam ejus ministri contra Moysen et Aaron indignabantur, et rege jubente, ministri cum ira et aspernatione fecerunt eos exire.

Dixit autem Dominus ad Moysen, quum fuisset ejectus, die eodem vel sequente : *Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam,* hoc est, ad hoc ut ego faciam multitudinem locustarum venire. Superius dictum est, quod Moyses jussus est manum extendere versus cœlum, quoniam fuit in his quæ sunt ad Deum ; (*Exod.* IX, 22, et VIII, 17.) Aaron vero super terram, quia in his quæ erant ad populum, fuerat medius constitutus. Cur ergo nunc præcipit Dominus Moysi, ut manum super terram extendat? Ad hoc Augustinus respondet : Dictum est Moysi, Extende manum tuam in cœlum, nec unquam hoc dictum est Aaron. Quod ergo nunc dicitur Moysi, Extende manum tuam super terram, hoc credo significare, quod is qui potest quod majus est, possit quoque quod minus est, non econverso : quod verum est in potestatibus subordinatis, in quantum hujusmodi. *Extendit Moyses virgam super terram Ægypti.* Per hoc constat, quod manum simul cum virga super terram levavit, in signum quod Dominus terram fuerat percussurus. Dominus autem, cujus dignatio est immensa in suis electis, quamvis per se ipsum omnia possit, in aliquibus tamen vult homines habere quasi cooperatores. Propter quod ait Apostolus : Dei adjutores sumus. (I *Cor.* III, 9.) *Et Dominus induxit ventum urentem,* id est valde calidum : et forsan fuit ventus australis, qui et naturaliter calidus est, sed tunc ultra solitum calidus fuit et siccus ; *tota die illa* qua Moyses manum levavit. Quod intelligitur de die artificiali, qui est pars diei naturalis. Nam subditur, *et nocte.* Fuitque ventus ille dispositivus ad generationem et multiplicationem locustarum.

Et mane facto, ventus urens levavit locustas de superficie terræ in qua erant natæ, ita quod volare cœperunt. Ideo subditur : *quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum :* ex quo videtur, quod etiam alibi natæ, illuc venerunt ; *innumerabiles, quales ante tempus illud non fuerunt in terra Ægypti* aut etiam alibi, *nec postea futuræ sunt.* Hoc prophetico spiritu Moyses protulit, quia nec aliter scire id poterat, maxime quod nec postea tot essent locustæ simul venturæ in terra. Quod si intelligatur de tota terra habitabili, potest habere instantiam ex eo quod in Joele habetur : Audite hoc, habitatores terræ, si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum ? Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit ærugo. In quibus verbis capitur *si,* pro *non.* Ad hoc breviter dici potest, quod Joel non loquitur de multitudine locustarum, sicut nunc Moyses, sed de successiva illa devoratione. Hieronymus quoque super Joelem, per erucam, locustam, et bruchum intelligit diversas gentes ad litteram, quæ vastarunt Hebræos. Et idem dicit sentire Judæos, ut plenius scripsi ibidem. Alii dicunt, quod plaga locustarum, de qua nunc sermo, fuit gravior intensive, quam plaga de qua loquitur Joel, quam dicunt fuisse ista majorem extensive seu diuturnitate. *Devorata est ergo herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit.* Nomine pomi solet in Scripturis quicumque arborum fructus significari. Et ita nunc accipi potest.

Joel I, 2, 4.

Quamobrem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum, ejus præcepta toties contemnendo, et ejus beneficiis exsistendo ingratus ; *et in vos,* quos indignanter ejeci, et contumeliose affatus sum, et contempsi ; *sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me* et a populo meo *mortem istam,* id est plagam istam, duram ut morti similis videatur : et

A aliquos læsit forsitan usque ad mortem. *Egressusque Moyses oravit Dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente :* fuitque ventus ille frigidus et debilitativus locustarum, sicut ventus australis calidus eas fortificavit; *vehementissimum; et arreptam locustam,* hoc est totam earum multitudinem, *projecit in mare Rubrum* impetu suo tam valido et acuto.

Sequitur plaga nona. *Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum* cum virga tua. In hac plaga non
B legitur Deus præavisasse Pharaonem per Moysen ob nimiam ejus duritiam. *Et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum in cœlum, et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat,* id est, nullus Ægyptiorum vidit proximum suum. Quo constat, quod triduo duravit illa caligo. Porro tenebræ, quum non sint proprie aliquid positivum, sed privatio luminis tan-
C tum, proprie non valent palpari : idcirco per hoc quod dicuntur potuisse palpari, hyperbolice designatur magnitudo earum. Vel, per palpabilitatem tenebrarum insinuatur, quod aer qui in Ægypto naturaliter clarus est ac subtilis, fuit tunc taliter ingrossatus, vaporibusque repletus, quod quivit palpari. Erant quoque tenebræ illæ horribiles, incutiendo terrorem Ægyptiis ; atque ut dicitur, apparitiones imaginariæ terribiles in triduo illo fiebant Ægyptiis : imo ut in Scholastica fertur historia, multi
D Ægyptiorum coacti sunt tunc mirabiliter ac miserabiliter mori. Recitat etiam Lyra, quod secundum Hebræos, tunc moriebantur et quidam increduli ac perversi ex filiis Israel, qui noluerunt exire Ægyptum. Unde et Deus tunc induxit caliginem etiam ob hoc, ne Ægyptii hoc cognoscerent, et inter se dicerent, Ita percussi sunt Hebræi, sicut et nos, et mortem Hebræorum diis propriis adscripsissent.

Ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat tempore opportuno. Hinc

Digitized by Google

Damascenus et doctores catholici dicunt communiter, quod signum istud tam admirabile fuit per hoc, quod omnipotente Creatore jubente, sol radios suos subtraxit, seu non effudit super terram habitationis Ægyptiorum ; sed super terram mansionis Hebræorum, solito modo lumen effudit. Verumtamen indensatio aeris, et vaporum grossities, poterant ad obscurationem illam Ægyptiis factam, cooperari. Dicendum quoque, quod nec stellæ, neque planetæ aliquid luminis influxerunt terræ Ægyptiorum infra triduum illud.

Verumtamen Rabbi Paulus circa hæc aliter sentit, dicens quod aer fuit tunc tam vehementer ingrossatus, quod diaphaneitatem suam amisit, nec luminis capax erat. Quod probat dupliciter : Primo, nam aliter potuissent Ægyptii se videre per lampades et lucernas. Secundo, quoniam infra tres dies nemo se movit de loco in quo erat, ut in textu habetur. Ideo dicit quod sol consueto modo lumen effudit, sed aer qui circa Ægyptios fuit, non erat capax illius. Verum ut tactum est, istud non consonat dictis catholicorum doctorum, nec apparentiam habet. Si enim aer fuisset sic ingrossatus, quod nullus Ægyptiorum potuisset locum mutare, tunc aer suam amisisset mollitiem, et durior fuisset spissiorque quam aqua, nec aliquis Ægyptiorum infra triduum illud fuisset usus cibo aut potu. Glossa etiam dicit super illud, Nec movit se, etc. : Non quod penitus non moveretur, sed quia de loco ad locum migrare non poterant. Hinc verior reputatur expositio catholicorum doctorum. Secunda quoque ratio Rabbi Pauli soluta est, quoniam falsum supponit. Ad primam vero rationem ejus respondetur, quod indispositio, humefactio aut turbulentia aeris, aut simile aliquid, accensionem luminarium poterat impedire : quod et divina virtute fieri poterat. Nam et in adventu tenebrarum illarum, ignes Ægyptiorum videntur exstincti, vel vi illuminativa privati. Nec incredibile, Deum abstulisse tunc vim illuminandi terrenis luminaribus Ægyptiorum, qui cœlestibus luminaribus abstulit solitam influentiam luminis super Ægyptios.

A

Vocavitque Pharao Moysen et Aaron. Quæritur, qualiter eos vocavit et quando. Nam infra triduum illud, nullus Ægyptiorum poterat ire ad eos. Ad hoc communiter respondetur, quod post triduum illud, luce reversa, vocavit eos timore majoris plagæ futuræ, sicut et post primogenitorum percussionem compulit Hebræos exire timore propriæ mortis et populi sui. Unde infra non habetur, quod rogavit hanc plagam tenebrarum auferri. Nec mirum quod duriorem timuit plagam, nisi dimitteret populum, quia jam toties fuit expertus novam et duriorem sibi plagam inflictam, eo quod præcedenti plaga sublata, non dimiserat eos. *Et dixit eis : Ite, sacrificate Domino.* Pharao verberibus eruditus, et aliqualiter humiliatus, eum didicit Dominum appellare, de quo ante dixit, Nescio Dominum. *Exod.* v, 2.
Oves tantum vestræ et armenta remaneant in Ægypto. Hoc addidit Pharao, quia timuit quod non redirent. Vel si non redirent, obtineret saltem jumenta ipsorum. *Parvuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses : Hostias quoque et holocausta dabis nobis,* hoc est, permittes ut animalia nostra, ex quibus sacrificia offeremus, ducamus nobiscum. *Cuncti greges* pecorum nostrorum *pergent nobiscum,* etc. ; *præsertim quum ignoremus quid immolari debeat, donec ad ipsum locum* sacrificii *perveniamus.* Hoc ideo protulit Moyses, quoniam Deus non expresserat ei in speciali, quid, quantum, et quoties fieret ei immolatio ab Hebræis. Verumtamen istud non fuit totalis principalisque causa, quod cuncta pecora irent cum eis, sed quod non fuerant redituri. Non tamen mentitus est Moyses, sed unam causam expressit, aliam tacuit, ut Pharao nullam excusationem suæ obstinationis haberet.

B

C

D

Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Moysen tanquam ad principalem. Tamen quod dixit ad eum, intendebat etiam

Digitized by Google

ad Aaron dirigi. *Cave ne ultra videas faciem meam,* hoc est, ne amplius appareas coram me, ita ut videam te, nisi a tuo resipiscas proposito. *Quocumque die apparueris mihi, morieris,* hoc est, occidi te faciam. Hoc solita temeritate et præsumptione protulit Pharao, quasi Deus qui tot et tanta miracula per Moysen fecerat, non potuerit eum coram Pharaone positum, liberare a morte. *Respondit Moyses : Ita fiet ut locutus es. Non videbo ultra faciem tuam* in hac vita. Verumtamen infra legitur, quod vocatis Moyse et Aaron Pharao dixit : Ite, egredimini de terra mea. Sed hoc fuit in nocte, et forte per internuntios. Vel intentio Moysis fuit, quod ultra non videret Pharaonem, proprio motu eundo ad ipsum.

Exod. XII, 31.

Sensus spiritualis.

Postremo, densissimarum harum plaga tenebrarum, apertissime correspondet admirabili excæcationi Pharaonis et Ægyptiorum internæ et vitiosæ, qui post tot et tanta prodigia, in sua manserunt perfidia atque malitia. At vero juxta intelligentiam spiritualem, per locustas recte accipiuntur simulatores, et callidi adulatores, et seductores magistri. Etenim Salomone testante, locusta quamvis regem non habeat, tamen per turmas egreditur universa. Sic

Prov. XXX, 27.

A præfati, qui etsi Christum non imitantur, tamen forinsecus quamdam ordinationem et honestatem simulant et assumunt. Et sicut locusta specialiter fructibus frugibusque nociva est, et quod superfuit grandini, devoravit ; ita præfati miro et miserabili modo nocivi sunt proximis suis, eos per detractiones, simulationes, adulationes, et falsas informationes inficiendo atque fallendo, in tantum, quod hi qui graves tentationes adversitatum, tanquam grandinum ictus vicerunt et evaserunt, per B talium blandimenta et susurrationes ac suggestiones pestiferas, corrumpantur, bonorumque operum fructibus spolientur. Porro per densissimas atque palpabiles tenebras, designantur eorum qui vitiosis consuetudinibus pressi sunt, detestabiles et apertissimæ excæcationes interiores ; qui nullam increpationem suscipiunt, nulli informationi acquiescunt, nulla compunctione emolliuntur, nec a sua pravitate flectuntur, imo in via perditionis quasi immobiliter stant, infeliciter obdurati, super C quos puteus clausit os suum. Impii namque quum in profundum venerint peccatorum, contemnunt. Pro quibus jugiter est orandum, quia a solo cœlesti omnipotentique Medico possunt curari.

Ps. LXVIII, 16. *Prov.* XVIII, 3.

ARTICULUS XIX

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ET DIXIT DOMINUS AD MOYSEN.

JUSTUS et pius Deus, in omni opere suo misericordiam justitiamque contemperat. Sic et nunc inflicturus Ægyptiis decimam plagam præhabitis graviorem, primo præavisat Ægyptios. *Et dixit Dominus ad Moysen.* Ista allocutio facta est Moysi antequam a Pharaone recessit, sicut ex sequentibus innotescet : imo et facta videtur Moysi coram Pharaone adhuc stante, per illuminationem internam, vel angelicam D apparitionem, soli Moysi demonstratam. Interdum quippe revelationes propheticæ et illuminationes divinæ, factæ sunt viris sanctis in aliorum præsentia, aut etiam coram iniquis hominibus. Unde, ut legitur libro quarto Regum, facta est prophetalis revelatio Eliseo coram tribus regibus cum exercitibus suis, quorum unus exstitit justus, videlicet Josaphat, alii duo injusti, utputa Joram rex Israel, et rex

IV *Reg.* III, 15-19.

Digitized by Google

Edom. Secundo quoque Paralipomenon legitur, quemadmodum ipso Josaphat et habitatoribus Jerusalem in templo stantibus, factus est spiritus Domini super Jahaziel, et prophetavit.

Sequitur : *Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum,* hoc est Ægyptios. Plaga hæc, fuit interfectio primogenitorum in hominibus et jumentis : quæ quamvis non tetigit immediate Pharaonis et omnium Ægyptiorum personas, tetigit eos tamen mediate, quia redundavit in eos, et afflictiva fuit eorum; *et post hæc dimittet vos* cum sobole atque pecoribus vestris, *et exire compellet* timore propriæ occisionis. Non autem sic compulit, quod filii Israel exierunt invite ; sed compulit, id est, importune ac festinanter excitavit seu provocavit ad exeundum : quod et Hebræi libenter fecerunt. *Dices ergo omni plebi* Hebræorum, *ut postulet vir ab amico suo,* id est, ut viri Hebræi postulent ab Ægyptiis sibi amicabilibus, *et mulier a vicina sua,* hoc est mulier Hebræa ab Ægyptiis feminis juxta se commorantibus, *vasa argentea et aurea;* et etiam vestem plurimam, seu multiplicia vestimenta, ut sequenti habetur capitulo. *Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis,* id est, corda Ægyptiorum inclinabit ad hoc, ut bene afficiantur circa Hebræos, et faveant atque accommodent eis vasa ac vestes. Hic variatur modus loquendi de prima persona in tertiam. Nempe quum dixisset Dominus ad Moysen in prima persona, Adhuc una plaga tangam Pharaonem ; nunc in tertia persona adjicitur, Dabit autem Dominus gratiam. Itaque angelus qui verba illa in prima persona protulit, quasi loquens in Dei persona, ista verba in tertia persona locutus est in propria persona de Deo, sicut de alio.

Circa hæc quæritur, qualiter quidam Ægyptii erant amici fautoresque Hebræorum. Quocirca loquitur Augustinus : In terra Gessen quidam Ægyptii cohabitaverunt Hebræis, ad quos merito Hebræorum potuerunt illa divina beneficia pervenire, ita ut et Hebræos diligerent, et eis faciliter commodarent quod petebant. Nec tamen Deus judicavit illos Ægyptios, ita alienos fuisse ab injuriis et contritionibus Hebræorum, ut damnum istud non paterentur, qui aliis plagis percussi non erant. In his verbis asserit Augustinus, Ægyptios illos in terra Gessen morantes, non fuisse novem plagis præinductis percussos, ideoque dilexisse Hebræos. Hinc et in Glossa asseritur : Ægyptii qui habitabant in terra Gessen cum Hebræis, novem plagis percussi non erant. Ista tamen non videntur consonare prædictis. Et quidam alii ac Josephus aliter sentiunt. Nec potest negari, quin decima plaga percussi sint, quæ facta est ante Hebræorum egressum. Cur ergo non aliis plagis minoribus? Nihilo minus verisimile est, et satis credibile, quod quidam Hebræi cum quibusdam Ægyptiis quamdam amicitiam habuerunt, et propter præhabita signa multi Ægyptii Hebræis vicini, conceperunt reverentiam et affectionem ad eos. Et tales forsan minus afflicti fuerunt plagis præfatis quam ceteri. Nam et sequenti habetur capitulo, quod innumerabile vulgus Ægyptiorum per signa ista conversum, exivit pariter cum Hebræis. In Scholastica quoque fertur historia : Quidam Ægyptiorum timentes Ægyptum perituram, egressi sunt, ut Cecrops, qui ingressus Græciam, condidit urbem quam vocavit Acten, quæ postea dicta est Athenæ.

Denique non obstante quod per Moysen facta sunt signa hæc, quibus Ægyptus destructa est, tamen Ægyptii videntes tot supernaturalia per Moysen fieri, habuerunt eum pro viro eximio, sicut subjungitur : *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis et omni populo* Ægyptiorum. Nec dubium, quin et coram Hebræis. Pharao autem elatione cæcatus, ultimo dixit ad eum, Cave ne ultra videas faciem meam, etc., ut patuit in fine præcedentis capituli.

Et ait Pharaoni et ejus ministris, insinuando eis revelationem sibi factam a Deo : *Hæc dicit Dominus : Media nocte ingre-*

Digitized by Google

diar Ægyptum : quod intelligitur de nocte A
Exod. xii, 29. illa secunda, in qua primogenita sunt occisa, quæ fuit post aliquos dies post hæc, ut ex sequenti capitulo elucescit. Ingressus est autem Dominus Ægyptum, non per suæ deitatis motum aut mutationem, sed per justitiæ suæ effectum. Nam subditur : *et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis* inclusive, *qui sedet in solio ejus,* hoc est, jus hereditarium regnandi habet pro patre suo; vel, jam constitutus fuit in principatu a patre suo : quod tamen non videtur, B
quia in textu ubique Pharao iste insinuatur regnasse usque ad suam submersionem ; *usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam :* hoc est a supremo usque ad infimum inclusive ; *et omnia primogenita jumentorum* morientur, prout sequenti recitatur capitulo. *Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.* Ululabant namque, flebant, et clamitabant Ægyptii, tam ex dolore plagæ inflictæ, quam ex timore plagæ gravioris infligendæ. Verum- C
Luc. xxi, 26. tamen instante fine sæculi, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione eorum quæ supervenient universo orbi, erit ubique terrarum incomparabilis dolor, timor, angustia. Moyses vero nunc loquitur de speciali Ægyptiorum calamitate atque clamore, non de universali generis humani ærumna. *Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus :* hoc est, tanta quies atque securitas erunt in Hebræis et eorum pecoribus, quod nec canis, qui ex facili latrat occasione, la- D
tratum emittet. Per quem modum loquendi designatur præcipua pax Hebræorum. Et potest hoc verbum per modum hyperbolicæ locutionis intelligi. *Ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel,* hoc est, quam miraculose ostendat pietatem suam circa Israelitas, et rigorem justitiæ circa Ægyptios. *Descendentque omnes servi tui isti ad me.* Hoc Moyses dixit de se ipso : nam subditur, *et adorabunt me* adoratione duliæ, id est roga-

bunt. Unde aliqui habent, Orabunt. *Dicentes : Egredere tu et omnis populus qui subjectus est tibi,* hoc est tota plebs Israelitica. *Post hæc egrediemur* Ægyptum. Vel sensus est, quod servi Pharaonis descendentes in terram Gessen, adorabunt Deum Israel, quem ex tantis prodigiis aliqualiter cognoverunt, ut ipse Dominus Deus Hebræorum cum populo suo ab Ægypto discederet, ne amplius plagaret Ægyptios. Moyses quippe post hæc rediit ad terram Gessen, et eo exsistente ibidem, primogenita sunt percussa. Quo facto, servi Pharaonis venerunt illuc, ut infra habetur.

Et exivit a Pharaone iratus nimis. Moyses quamvis esset mitissimus, tamen ex Num. xii, 3.
zelo justitiæ fuit multum iratus secundum rationis dictamen, tam inauditam impii regis obdurationem, ingratitudinem, rebellionem, et comminationem detestans atque admirans, imo et juste puniri saltem in vita hac cupiens. *Dixit autem Dominus ad Moysen : Non audiet* auribus cordis vos *Pharao,* donec rursus tangatur, *ut multa signa fiant in terra Ægypti.* Quod ex Pharaonis obstinatione consecutum est, non directe causaliter, sed concomitanter. Certumque est, quod Pharao non ob hoc non audivit Moysen, quatenus signa multiplicarentur, quia non intendebat, neque optabat hoc. Porro post hæc facta est percussio primogenitorum, divisio maris Rubri, submersio Ægyptiorum. *Moyses autem et Aaron fecerunt* ministerialiter, non efficienter et principaliter, *omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone,* hoc est præfata signa quæ fuerunt ostensione et admiratione dignissima. Nec solum fuit miranda signorum illorum productio, sed et eorum, saltem aliquorum, cessatio, ut ex præhabitis constat.

Juxta intelligentiam spiritualem docemur ex isto capitulo, quod Deo resistere Sensus spiritualis.
non est consultum, sicut et Christus locutus est Paulo : Durum est tibi contra sti- Act. ix, 5.
mulum calcitrare. Idcirco qui Dei sentit percussionem, protinus se emendet, ne durioribus plagis afficiatur, attendens quod

Digitized by Google

xxxviii, 2. scriptum est : Amove a me plagas tuas. Et A causa ibidem subjicitur : A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus. Quid Exod. iii, autem per vasa aurea atque argentea Ægyptiorum, et mutuationem eorum signetur, in expositione tertii capituli patuit. *Fuit* autem *Moyses vir magnus valde coram servis Pharaonis.* Sic et quilibet nostrum studeat esse spiritualiter magnus, hoc est valde Cor. ii, virtuosus ac sapiens, ita ut sit bonus odor Christi in omni loco, et sæcularibus exemplaris exsistat. Est itaque magnus valde, qui est profunde humilis, perfecte patiens, fractus, et sibimet mortuus, vivens ac fervens in Domino.

Hæc dicit Dominus : Media nocte ingrediar Ægyptum, et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum. Hoc spiritualiter agitur, dum Deus corda hominum visitat gratiose, quando adhuc sunt in profunda vitiorum caligine, perimitque in eis universa peccata mortalia, illos ad veram contritionem instigans. Tunc plane generatur incomparabilis dolor, clamorque cordis, id est interna ac fervens devotio inter eos, qui in tenebris sæculi, quasi in Ægypto, fuerunt. Contritio namque est maximus dolor, quia de malo culpæ et summi boni offensa atque amissione, oportet maxime dolere, quemadmodum et necesse est summum bonum incomparabiliter semper diligere. Qui vero sic visitantur et illustrantur a Domino, sua perpendunt peccata, et intime deflent ea. *Apud filios Israel non mutiet canis :* id est, in cordibus contemplativorum abundabit pax pectoris, nec iræ ceterarumque passionum erit tumultus in eis, sed vita secreta, quemadmodum in Isaia Dominus protestatur : Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium ; Is. xxxii, 17, 18.
et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. *Ut sciatis quanto miraculo,* etc. Ex his equidem claret, quantum inter carnales et spirituales, inter sæculares et vere religiosos, inter passionatos et contemplativos distet ac differat, et quam diversimode Dominus operetur in eis.

Descendentque omnes servi tui isti ad me, etc. Dum enim iniqui ita præveniuntur et compunguntur a Spiritu Sancto, humiliant se, atque in mentis humiliatione accedunt ad thronum gratiæ Dei, *dicentes : Egredere tu.* Quia ex consideratione Hebr. iv, 16.
suorum excessuum, divina visitatione se fatentur indignos, cum sancto Petro dicentes : Exi a me, quia homo peccator sum, Luc. v, 8.
Domine. Verumtamen non volunt relinqui a Domino, sed peculiari ejus consolatione ac præsentia suavi reputant se indignissimos esse, et quasi indecens eis apparet, quod Dominus tam misericordissime agit cum eis. *Et omnis populus qui subjectus est tibi,* egredietur a nostra oppressione. Nempe iniqui qui justos premunt ac persequuntur, quum sic convertuntur, dimittunt justos egredi liberos, et venerantur eosdem, imo eorum obsequio indignos se arbitrantur. *Et exivit a Pharaone iratus nimis.* Sic et justi contra perversorum duritiam interdum zelo justitiæ irascuntur, et cupiunt eos in hac vita castigari a Domino, ne pereant in æternum. Verumtamen zelus hujusmodi esse debet secundum scientiam, hoc est discretione condiri, ut memor sit homo propriæ fragilitatis, nec immoderate fervescat : imo pro eorum oret salute quibus irascitur.

Digitized by Google

ARTICULUS XX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN.

ANTEQUAM Moyses decimæ plagæ in præcedenti capitulo comminatæ inflictionem describat, nunc quædam interserit de institutione et ritu Paschæ, hoc est tam festi quam agni paschalis, quod ad litteram Deus instituit, in commemorationem liberationis Hebræorum ex Ægypto. Spiritualiter vero per illud apertissime designavit generalem mundi redemptionem, per Christi passionem effectam. *Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti.* Istud creditur eis dixisse, quum a Pharaone redissent ad suos in terram B Gessen, post nonæ plagæ inflictionem, ut præcedenti tangebatur articulo. *Mensis iste, vobis principium mensium,* supple, exsistens, *primus erit in mensibus anni :* id est, Hoc præcipio, ut vos Hebræi computationem anni incipiatis a mense isto, tanquam a primo anni mense, et propter beneficia quæ vobis in isto mense exhibeo, de Ægyptia servitute et aliis malis vos liberando, multaque bona præstando, ut consequenter dicetur. Alii vero populi ab aliis mensibus inchoant annum. Nam C Christiani morem Romanorum sequendo, a Januario annum incipiunt, Arabes vero post æstivale solstitium.

Per hunc mensem Glossa et Rabanus, ac alii multi Catholici Aprilem intelligunt, qui secundum eos, appellatur Nisan apud Hebræos. Et dicitur Aprilis quasi aperilis, quia in eo terra aperitur ad producendum virgulta, flores, ac herbas. Porro Lyra hoc reprobat, dicens, per hunc mensem qui est primus apud Hebræos, intelligi Martium : quia secundum omnes, September D est septimus mensis apud Hebræos. September autem non est septimus ab Aprili, sed a Martio. Quod argumentum facili- A ter solveretur, dicendo quod computatio illa ab Aprili et Martio usque Septembrem, potest fieri per inclusionem aut exclusionem extremi vel extremorum, et ita September erit septimus ab Aprili. Quemadmodum transfigurationem Christi quam scribit Lucas factam post octo dies, Matthæus refert factam post sex dies : quod prætacto modo ab expositoribus concordatur. Luc. IX, 28. Matth. XVII, 1.

Denique Magister in historiis de hac re magistralius ac resolutius scribit, dicendo : Mensis iste erit vobis primus in mensibus anni, hic est Aprilis, id est lunatio aprilis, quæ sæpe in Martio inchoat : qui mensis ab Hebræis dicitur Nisan. Voluit quippe Dominus Hebræos a ceteris nationibus differre in temporis computatione, sicut in religione et circumcisionis charactere. Romani autem ex traditione Numæ Pompilii, primum mensem ponunt Januarium, quia tunc sol incipit ascendere post solstitium hiemale. Sed congruentius videtur fieri ab Hebræis in Martio. In Aprili ergo cærimoniali differunt a nobis (quia videlicet ille est in Martio); in temporali nobiscum conveniunt. Hæc Magister ibidem.

Denique de hac materia scribit Rabbi Paulus prolixe, inter cetera dicens : Mensis apud Hebræos Nisan vocatus, proprie loquendo, non est Aprilis noster, nec Martius. Quum enim ipsi computent menses per lunationes, raro contingit, quod prima dies lunationis concurrat cum prima Martii die, sed communiter venit in diebus primum Martii diem sequentibus : ideo mensis Nisan frequenter concurrit cum Aprili secundum aliquam sui partem. Unde opinio catholicorum doctorum dicentium Aprilem esse primum mensem apud He-

Digitized by Google

bræos, vera est, secundum sanum intellectum, scilicet ut frequenter, et ut in pluribus mensis Aprilis concurrit cum primo mense apud Hebræos secundum aliquam sui partem.

Circa hoc dico, verum esse quod noster Aprilis aut Martius non est præcise mensis ille, quem Hebræi nominant Nisan, ut ex dictis elicitur.

Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus, qui est primus inter menses anni secundum vos, *tollat unusquisque agnum per familias et domos suas :* hoc est, quilibet paterfamilias seu principalis in domo sua atque familia, sumat de grege agnum. *Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum,* id est, si habitantes in una domo, non sint tot, ut queant paschalem comedere agnum. Dicitur autem in Scholastica historia : Aiunt quidam, quod decem capita seu homines erant in esu agni unius. *Assumet vicinum suum, qui conjunctus est domui ejus, juxta numerum animarum quæ sufficere possint ad esum agni,* hoc est, tot homines Hebræos sibi vicinos, assumet ad manducandum secum agnum illum, ut simul cum illis valeat agnum paschalem comedere. Unde in tali casu poterant duarum domorum personæ conjungi ad edendum unum agnum paschalem. *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus,* id est unius anni, vel potius infra vel non ultra unius anni ætatem : poterat enim assumi et offerri ab octava suæ nativitatis die, et non ante, usque ad consummationem sui primi anni, non postea ; masculus, quia non poterat esse agna ; absque macula, id est non monstruosa fœditate deformis. Itaque macula non sumitur hic pro varietate colorum in pelle seu vellere, sicut in Genesi, ubi pecora diversorum colorum, maculosa dicuntur ; sed pro monstruositate, de qua macula in Levitico legitur, Si cæcum fuerit, si fractum, aut impetiginem habens. Perfectiora etenim Deo sunt offerenda, juxta illud Malachiæ : (*Gen.* xxx, *Lev.* xxii,)

Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino. (*Malach.* I, 14.) *Juxta quem ritum tolletis et hœdum,* videlicet decima die mensis istius, *et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus.* Ad quam etiam diem agnus fuit servandus.

Præterea quidam dixerunt, hoc loco duplicem oblationem juberi a Domino. Unam agni, quem dixerunt decima die offerri in qualibet domo. Aliam hœdi, quem dicebant quartadecima die immolari a toto Israelitico populo simul collecto, non seorsum in domibus singulorum : quia in textu subjungitur, Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Sed hujus oppositum probatur ex textu, quia post pauca adjicitur : Sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum ; et edent carnes nocte illa assas igni ; caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis ; nec remanebit ex eo quidquam usque mane. Certum est quod universi Hebræi in domibus suis non poterant vesci carnibus hœdi unius, nec de ejus sanguine poterat tanta linitio fieri, nec fuit periculum quod de carnibus unius hœdi posset tot manducantibus aliquid superesse.

Itaque, sicut Lyra et Rabbi Paulus testantur, Translatio nostra hoc loco discrepat ab Hebraica veritate in verbis : quia pro his verbis, Juxta quem ritum tolletis hœdum, in Hebræo habetur, De arietibus vel de capris accipietis illum, videlicet agnum. Unde dictio Hebraica ibi pro agno posita, quandoque pro hœdo accipitur, et ita non sumpsit eam Hieronymus. Idcirco non fuit duplex oblatio, sed una, quæ fieri debuit de agno, si bono modo posset haberi ; alioquin de hœdo fieri poterat. His concordat quod Septuaginta transtulerunt, Ab agnis et hœdis accipietis illud : quasi diceretur, Id quod offeretur, erit agnus aut hœdus. Sicque quod habet translatio nostra, Juxta quem ritum accipietis et hœdum, intelligendum est in casu, quo

Digitized by Google

agnus haberi nequibat. Verumtamen Rabbi Paulus his contradicit, et dicit : Immolatio paschalis, secundum doctores Hebræos, de agno debebat fieri, et non de hœdo : quod congruit tam litterali causæ sacrificii hujus, quam etiam figurali. Primum patet, quia secundum Rabbi Moysen Gerundensem et alios, præcipiebatur agnus occidi in primo mense, quoniam signum Arietis est tunc in potissimo suo statu, quum sol tunc in eodem sit signo communiter. Et quia Ægyptii arietem venerabantur, volebat Dominus per occisionem agni B ostendere, quod etiam in diis Ægyptiorum faceret ultionem : quæ ratio non haberet locum in hœdo. Secundum patet, quoniam Christus significatur per agnum, non per hœdum; imo ipse per hœdos significat reprobos apud Matthæum loquens : Hœdos statuet a sinistris. *Matth.* xxv, 33.

Circa hæc dico, quod duæ rationes istæ, ad probandum propositum sunt invalidæ. Dominus enim in sacrificiorum institutione ac jussione, respectum non habuit ad signa zodiaci vel luminaria cœli. Ægyptii C quoque non solum colebant arietem seu potius Jovem in forma arietis, sed etiam hircos, quia in similitudine hirci apparuerunt eis interdum diaboli, ut et Lyra hic refert. Insuper Christus interdum in Scripturis veteris Testamenti designatur per hircum, quemadmodum in Levitico patet de hirco, qui portavit omnes iniquitates filiorum Israel in desertum : per quod passio Christi extra portam crucifixi, et ibi peccata mundi tollentis, evidenter signata est. Idem patet de hirco, cujus sors D exiit Domino. Imo et per capream figuratur, juxta illud in Canticis : Fuge, dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum. Nec obstat, quod per hircum reprobi aliquando exprimantur, sicut per leonem quandoque intelligitur Christus, quandoque diabolus : Christus, ob suam fortitudinem ac regiam dignitatem, juxta illud in Apocalypsi, Vicit leo de tribu Juda; diabolus, ob suam ferocitatem, principe Apostolorum hortante, Adversarius A vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Imo et reprobi nonnunquam designantur per oves, secundum illud Psalmi : Sicut oves in inferno positi sunt. Siquidem per eamdem rem, secundum diversas suas proprietates, designantur diversa.

Lev. xvi, 22. *Hebr.* xiii, 12. *Joann.* i, 29. *Lev.* xvi, 7-9. *Cant.* viii, 14. *Apoc.* v, 5. I *Petr.* v, 8. *Ps.* xlviii, 15.

Præterea, dato quod aliqui doctores Hebræi sint opinati, quod immolatio paschalis non nisi de agno fieri debuit, nihilo minus multi solennes et antiqui Hebræorum doctores dixerunt oppositum. Unde circa præinductam litteram Septuaginta interpretum, Ab agnis et hœdis accipietis illud, loquitur Augustinus : Conantur Judæi asserere, etiam hœdum accipiendum ad celebrandum Pascha, tanquam si diceretur, Ab agnis agnum sumi oportet, vel ab hœdis hœdum, si illud desit. In Scholastica quoque historia dicitur : Decima die mensis hujus tollet domus quælibet agnum, vel si non poterit agnum, saltem hœdum. Sed et Lyra refert doctores Hebræorum ita sentire. Denique, si de solo agno fieri poterat illa oblatio, translatio Hieronymi quam Ecclesia approbat, esset falsa, suffecissetque dicere in Hebræo, De arietibus accipietis illum, nec addi oportuisset, Vel de capris, nisi propter mysticam quamdam significationem, ex qua argumentum sumi non potest ad litteram, ut Augustinus testatur.

Præterea quæritur, cur in littera de agno non dicitur, quod servandus erat usque ad quartamdecimam diem, quemadmodum hoc de hœdo exprimitur. Deinde, cur utrumque animal jubetur per quatuor dies ante suam immolationem accipi et servari. Respondetur ad primum, quod ex quo una fuit oblatio illa paschalis de agno aut hœdo, idcirco quod de reservatione hœdi exprimitur, de agno intelligi datur. Ad aliud respondetur, quod ideo, ne Hebræi tunc diversimode occupati, se disponendo ad exitum ab Ægypto, obliviscerentur accipere agnum vel hœdum in die immolationis. Et item, ut infra illud quatriduum diligenter perpenderent, an aliqua macula

esset in hœdo immolationis, et item an in A agno. Alia autem est ratio spiritualis, quæ infra tangetur. Et quoniam causæ prætactæ præaccipiendi agnum vel hœdum per quatuor dies, postea cessaverunt : dicunt Hebræi, quod præacceptio illa non obligabat nec servabatur in posterum, quando ex consuetudine facilius attenderetur, an agnus vel hœdus immolatitius esset.

Sequitur : *Immolabitque eum* hœdum aut agnum *universa multitudo filiorum Israel,* id est, unusquisque paterfamilias aut quælibet persona capitalis de multi- B tudine Israelitarum, offeret in domo sua. Quod dictum est, casu prætacto excepto : sicque quod ait, Universa multitudo, divisim, non collectim, accipitur ; et per agnum seu hœdum, agni aut hirci pluraliter intelliguntur. *Ad vesperam* quartadecima die mensis præfati, seu luna quartadecima, quando die sequenti valde mane egressuri erant Ægyptum. Fuit equidem immolatio illa, dispositio ad egressum, atque ad liberationem a percussione, qua angelus primogenita Ægyptiorum occidit. C Et fiebat ad vesperam, quam Judæi a septima hora incipiebant, pertinuitque ad diem sequentem secundum computationem eorum. *Et sument de sanguine ejus,* videlicet agni aut hœdi oblati (communiter tamen exstitit agnus), *ac ponent super utrumque postem,* id est, ambos januæ postes tingent sanguine illo, *et in superliminaribus domorum,* id est, etiam superliminaria domorum sic tingent, *in quibus* domibus *comedent illum,* utpote agnum aut hœdum oblatum atque assatum ; fie- D batque tinctio illa cum fasciculo hyssopi. Porro postes sunt ligna, inter quæ clauditur janua secundum longitudinem suam. Et superliminare vocatur, lignum seu limen superius, scilicet lignum transversaliter positum supra postes. Sicque in qualibet domo habitationis hominum, non brutorum, fiebat linitio illa cum sanguine, propter causam quæ infra in textu exprimitur.

Et edent carnes nocte illa assas igni. Agnum namque seu hœdum oblatum in vespera, jussit Dominus paulo post igne assari, ad innuendum et recolendum, quod igne diuturnæ et maximæ tribulationis in Ægypto assati erant ; et quoniam præparatio illa carnium, per assationem expeditius fieri potuit. Eadem etenim nocte Ægyptii erant ad eos venturi, ut eos egredi cogerent. *Et azymos panes,* qui etiam celerius præparantur ex aquæ et farinæ commixtione. Jussi etenim sunt agnum illum comedere, tanquam mox egressuri. Idcirco omnia paraverunt, prout velocius fieri valuit. *Cum lactucis agrestibus :* quæ sunt herbæ multum amaræ, quas cum carnibus edere jubebantur, ad reminiscendum amarissimæ afflictionis, quam in Ægypto erant perpessi. *Non comedetis ex eo crudum quid,* id est semicoctum ex festinatione. Nam et in Hebræo, ut fertur, semicoctum habetur. Voluit quippe Dominus cultores suos differre ab idololatris, qui aliqua idolis immolata, solebant comedere semicocta. Vel ad litteram, noluit Dominus, ut in tantum festinarent coquendo, quod semicoctum quid comederent, quum hoc corruptivum sit vitæ. *Nec coctum aqua,* id est, nihil de carnibus illis erit bullitum, vel quia idololatræ sic agebant, vel quoniam tardior est præparatio talis ; *sed assum tantum igni.*

Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. In Hebræo, secundum Lyram, non habetur, Vorabitis. Propter quod, secundum Hebræos, sensus est, quod caput cum pedibus, intestinisque agni primo lotis, erant assanda simul cum corpore agni, non seorsum, nec separatim : idcirco apparet quod translator adjunxit, Vorabitis, quia subjungitur, *nec remanebit ex eo quidquam usque mane,* id est, totum in ipsa nocte edetis, non tamen ossa, sed quidquid de carnibus eis adhæserit : ad insinuandum, quod valde mane fuerant exituri, nec tempus habituri ad manducandum, quia Ægyptii non sinebant eos aliquam facere moram. Ideo quoque dixit, Vorabitis, quoniam stando festinanter edebant. *Si quid residuum fuerit* comestioni,

Digitized by Google

igne comburetis, hoc est, taliter consumi facietis per ignem, ut nihil remaneat. Quamvis autem præceperit Dominus, ut tot assumerentur ad comedendum, quod agnum comedere totum possent, in hoc tamen poterat error excusabilis intervenire, ita quod non poterant tantum comedere, sicut putabant se comesturos. Nec voluit Deus ut se ultra vires aut gulose replerent, ideo addidit istud.

Sic autem comedetis illum, scilicet agnum aut hœdum assatum : *Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter.* Quorum omnium causa subjungitur : *est enim Phase.* Quid autem designat Phase, subjungitur : *id est transitus Domini,* quod translator apposuit. Hoc est, agnus iste paschalis seu manducatio ejus, vel paschalis ista celebritas, transitus Domini appellatur, vel transitum ejus designat : quia in illa hora filii Israel, Deo jubente, de Ægypto egressi sunt; præcipienteque Domino, angelus ejus pertransivit Ægyptios, primogenita occidendo, templa quoque et idola evertendo. Itaque, quoniam paschalis ille agnus et esus sic transitus Dei fuit, ideo filii Israel jussi sunt agnum comedere, tanquam mox transituri, et sicut vere parati ad emigrandum velociter. Ad quod pertinet esse accinctum, calceatum, baculoque provisum.

Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus inclusive, id est tam primogenita hominum, quam pecorum ; *et in cunctis diis Ægypti faciam judicia,* id est, Ægyptiorum deos seu idola justo judicio destruam. Ista peregit Dominus, cujus magnitudinis non est finis, non in propria persona eundo aut locum mutando, vel ista per se immediate exsequendo, sed per angelum atque per suæ justitiæ operationem. Quocirca habetur in Glossa : Ferunt Hebræi, quod omnia idola Ægypti confracta sunt nocte illa, templa quoque vel terræ motu vel Nili inundatione. Recitat etiam Lyra : Dicunt Hebræi, quod nocte illa omnia idola Ægyptiorum lignea fuerunt subito putrefacta, et omnia metallina resoluta ac fusa in terram, omnia quoque lapidea comminuta, in idololatriæ detestationem, et in signum quod solus Hebræorum Deus fuit adorandus. Idcirco adjungit : *Ego Dominus.* Quasi dicat : Ego solus omnipotens sum, in cujus manu cuncta sunt posita, quem solum decet latriæ cultus, tanquam summum et incomparabilem Dominum, qui ait per Isaiam : Ego Dominus, hoc est nomen *Is. xlii.* meum. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.

Consequenter panditur causa linitionis postium ac superliminarium cum sanguine agni oblati. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis,* id est, linitio illa cum sanguine in domibus habitationum vestrarum, erit vobis in liberationem de manu angeli primogenita occidentis. Ideo subditur : *et videbo sanguinem,* id est, tinctionem illam cum sanguine, gratam habebo, in quantum ex mea jussione a vobis peracta est, et redemptionem mundi per sanguinem Christi significat : distinctivumque signum fuit inter Hebræos atque Ægyptios, quos voluit Dominus hoc signo foris distingui, quemadmodum intus distinguebantur per fidem et religionem ab invicem ; *et transibo vos,* id est, domos vestras pertransibo, nullum in eis percutiendo. Ideo subditur : *nec erit in vobis plaga disperdens,* id est percussio primogenita occidens, *quando percussero terram Ægypti,* hoc est primogenita Ægyptiorum.

Habebitis autem hunc diem vestræ egressionis de Ægypto, et liberationis a morte primitivorum, *in monumentum,* id est in jugi memoria, non obliviscendo beneficiorum tantorum ; *et celebrabitis eam solennem Domino in generationibus vestris,* id est, tam vos quam posteri vestri omni anno festivum agetis hunc diem, in commemorationem beneficiorum vobis in eo desuper præstitorum, ut datori eorum sitis grati ; *cultu sempiterno,* id est perpetue,

Digitized by Google

statu veteris Testamenti durante. Circa hoc loquitur Augustinus : Diligenter scrutandum est, quomodo Scriptura soleat appellare æternum, quoniam nefas habet hoc prætermittere aut mutare. Aliud enim est, quum præcipitur quamdiu aliquid fiat, sicut præceptum est, ut arca septies circuiret Jericho muros. (evi, 4.) Aliud, quum aliquid præcipitur sic observari, ut nullus terminus præfigatur. Aut ergo sic appellavit scriptura ista, æternum, ut filii Israel illud non auderent prætermittere sponte ; aut quia æternum est, quod per illam celebritatem paschalem significatur. Hinc alii sic exponunt, Cultu sempiterno, id est absque certa temporis determinatione : quia paschalis solennitas, quantum ad id quod significabatur per eam, perfectius observatur in evangelica, quam in Mosaica lege, quantum lux et veritas transcendit figuram et umbram. Nam omnia in figura tunc contingebant. (x, 11.)

Porro, ut Rabbi Paulus affirmat, in Hebræo habetur, In sæculum. Unde sensus in Hebraico proprius iste est : Celebrabitis diem hanc solennem in sæculum. Sæculum autem apud Hebræos, sicut et apud nos, ponitur pro quolibet spatio temporis determinantis durationem vitæ alicujus. Unde et in Scripturis duratio totius temporis vitæ præsentis, sæculum nuncupatur. Et duratio vitæ futuræ, dicitur aliud sæculum per se. Sicque intelligitur illud, Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et in sæculum. (xl, 14.) Et illud in Symbolo : Et vitam venturi sæculi. Hinc antiqui Hebræi totum tempus durationis Mosaicæ legis, unum sæculum vocant, et tempus Messiæ aliud sæculum, propter distinctionem eorum quæ in utroque sæculo ad spiritualem pertinent vitam. Unde quum in præceptis hujusmodi, præsertim cærimonialibus, additur, Et in sæculum : intelligendum est de toto tempore durationis Mosaicæ legis, quæ est usque ad aliud sæculum, scilicet usque ad tempus Messiæ et durationis legis ipsius. Et iste est modus respondendi proprius Hebræis, quum de evacuatione cærimonialium agitur : qui modus loquendi de duplici sæculo, communiter tenetur etiam a Talmudistis in variis locis. Hæc Rabbi Paulus.

Septem diebus azyma comedetis, id est panes non fermentatos. Et incipiebantur dies illi ab hora immolationis agni paschalis, quem cum talibus panibus edere tenebantur. *A * die primo non erit fermentatum in domibus vestris :* hoc est, a præfato quartodecimo die mensis Nisan, non erit in domibus Hebræorum panis fermentatus, neque fermentum, ita quod ante horam vespertinam in qua agnus offerebatur, tollendum fuit ab eorum habitaculis omne fermentum ac fermentatum. *Quicumque* Hebræorum *comederit fermentatum a die primo,* id est ab hora vespertina præfati diei, *usque ad diem septimum* inclusive, quia nec in eo hoc licuit, *peribit anima illa de Israel,* id est, homo hoc faciens, peccabit mortaliter atque damnabitur, nec inter electos computabitur Israelitas, nisi pœnitentiam egerit. Porro primus dies ille fuit dies quartusdecimus primi mensis Hebræorum, et dies septimus fuit dies vicesimus primus ejusdem mensis.

* In

Dies prima erit sancta atque solennis, id est deputata actibus sacris ad agnum paschalem spectantibus. Incepitque illa solennitas a vespera primæ diei, in qua agnus immolabatur. *Et dies septima eadem festivitate venerabilis* erit, qua dies prima. Illam tamen celebritatem pro magna parte agebant in exterioribus et carnalibus quibusdam eminentiis, ut in ornato vestitu, lautisque refectionibus, juxta illud in Esdra : Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum. Dies enim Domini sanctus est. (II Esdr. viii, 10.) Fuit namque lex illa grossa et figuralis, non perfecta et spiritualis, sed juxta capacitatem populi et congruentiam temporis data. Propter quod ait Apostolus : Nihil ad perfectum adduxit lex. (Hebr. vii, 19.) *Nihil operis* servilis et exterioris *facietis in eis* per vos ipsos, neque per vestros ministros, *exceptis his quæ ad vescendum pertinent,* id est ad præparationem ciborum. Ex his

Digitized by Google

elicitur, quod diebus intermediis poterant A operari, ut in Scholastica fertur historia. Patet quoque ex his, quod sabbati celebritas strictius servabatur quam ista, quantum ad cessationem ab opere. Unde et si solennitas ista venit in sabbato, non licuit in ea cibaria parare. *Et observabitis azyma,* id est esum azymorum panum, septem diebus, ut patuit. *In eadem enim ipsa die,* videlicet die quintadecima primi mensis, ad quam diem pertinebat vespera præcedentis diei, quia ab illa vespera cœpit, ut dictum est, *educam exercitum vestrum,* B id est vos ipsos per modum exercitus congrue adunatos ac ordinatos, *de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationibus vestris,* id est, diem celebrabitis vos et posteri vestri tempore opportuno per successiones generationum vestrarum, *ritu perpetuo.* Tamen, ut dicunt Catholici et Hebræi, quemadmodum dispensatum fuit cum Israelitis, quod non circumcidebantur quamdiu fuerunt in deserto, ita et in observatione hujus præcepti, C ita quod in deserto non leguntur Pascha hoc celebrasse nisi semel, videlicet in anno secundo egressionis ab Ægypto, ut infra habebitur. Nempe quamdiu fuerant in deserto, satis memores erant egressionis illius, idcirco ob illam commemorandam rationabiliter fuit dilata celebratio illa.

Primo mense, qui dicitur Aprilis vel Martius apud nos, et Nisan apud Judæos, *quartadecima die mensis* hujus *ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam :* forsitan exclusive, quia dies illa D vicesima prima terminabatur in exordio vesperæ suæ, quæ et pertinuit ad diem sequentem. *Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris :* id est, hoc jubeo, ut non solum non manducetur, sed neque exsistat in habitaculis vestris. *Qui comederit fermentatum* infra hos septem dies, *peribit anima ejus de cœtu Israel,* sicut expositum est, *tam de advenis quam de indigenis terræ,* hoc est, sive fuerit proselytus, sive natione Hebræus.

Itaque per advenas intelliguntur ad Judaismum conversi. *Omne fermentatum non comedetis. In cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Frequenter legislator unum et idem resumit, ut strictius observetur in memoria et effectu.

Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, scilicet patresfamilias et principales, ad quos pertinebat agnum aut hœdum offerre ; *et dixit ad eos : Ite, tollentes animal per familias vestras,* id est, unusquisque in sua familia principalis, pergat ad domum seu gregem suum, et inde accipiat agnum, si potest, vel hœdum, *et immolate Phase,* id est agnum paschalem, qui transitum Domini repræsentet, juxta sensum præhabitum. *Fasciculumque hyssopi intingite in sanguine, qui est in limine,* id est in sanguine agni vel hœdi oblati, reservato et exsistente in vase circa limen domus, *et adspergite ex eo superliminare et utrumque postem.* Ut tangit Augustinus, sanguis recipiebatur in vase, et vas illud cum sanguine ponebatur juxta limen, quia ex eo liniendi erant postes et superliminare. Unde, ut dicitur, in Hebræo habetur, In catino, id est vase argenteo, in quo recipiebatur sanguis agni oblati. Porro, ad fasciculum requiruntur ad minus tres calami colligati, ut fertur. Cur autem tinctio illa fiebat per fasciculum hyssopi, ad litteram dici potest, quod propter munditiam herbæ illius, et reverentiam oblationis ad Dei honorem, vel propter convenientiam proprietatum hyssopi, cum proprietatibus agni, de quibus dicetur sequenti articulo. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.* Cujus causa subjungitur : *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios,* per ministerium angeli. *Quumque viderit,* id est esse cognoverit et approbaverit, *sanguinem in superliminari, et in utroque poste ostii domorum vestrarum, transcendet ostium domus* ipse angelus ; *et non sinet percussorem,* videlicet angelum, *ingredi domus vestras, et lædere :* id est, præcipiet angelo, ut neminem vestrum lædat. Cur Deus

Digitized by Google

præcepit neminem Hebræorum egredi domum suam nocte illa? numquid, ne angelus per errorem aut ignorantiam occideret eum? Non utique. An forsan ideo, ne Ægyptii prope Hebræos commorantes, perciperent et suspicarentur aliquid mali per Hebræos nocturno tempore esse patratum?

Deinde Moyses ad unumquemque loquitur Hebræorum patrum : *Custodi verbum istud,* id est præceptum de oblatione et celebritate paschali, *legitimum,* id est juste impositum, *tibi et filiis tuis usque in æternum,* id est per omne tempus durationis B tuæ, sicut expositum est. *Quumque introieritis terram, quam Dominus Deus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cærimonias istas,* id est ritum istum et modum colendi Deum, observantiasque prætactas figurativas. Verumtamen isti quibus Moyses loquebatur, non introierunt in propria persona terram promissam, quæ et sub conditione fuit eis promissa, videlicet si non demererentur ejus ingressum, sed sub personis eorum, loquitur posteris eorumdem. *Et quum dixerint vobis filii* C *vestri, Quæ est ista religio?* id est, legalis observantia seu veneratio Dei, actusque latriæ ad quam sacrificium pertinet. Solet autem religio pro latria accipi. *Dicetis eis : Victima transitus Domini est :* hoc est, immolatio et celebratio ista paschalis, est memorativa transitus Dei seu angeli ejus ; *quando transivit super domos filiorum Israel,* id est habitacula eorum transiliit, *in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans,* id est habitatores domorum nostrarum ab illa percussione D præservans. *Incurvatusque populus adoravit,* id est, populus Israeliticus, his auditis, gratias egit Deo cum inclinatione, oravitque eum, ut ista impleret.

Factum est autem in noctis medio, in cujus noctis initio comestus fuit agnus paschalis, *percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere,* hoc est, inclusive usque ad A primogenitum cujuscumque infimæ atque vilissimæ mulieris Ægyptiæ, *et omne primogenitum jumentorum,* videlicet primogenitam ovem in grege ovium, primogenitum equum in specie equorum, etc. Et si in domo aliqua non fuit nisi unigenitus, ille fuit percussus : quod et de jumentis sentiendum videtur. Sicque primogenitus non distinguitur nunc contra unigenitum, sed contra secundogenitum, quemadmodum in Evangelio Christifera Virgo scribitur peperisse Filium suum primogeni- *Luc.* II, 7.
tum. Porro secundum doctores, Deus sic ordinavit atque providit, quod in qualibet domo Ægyptiorum, fuit primogenitus aut unigenitus aliquis : quod tamen videtur non parum mirabile in tanto regno. Apparet vero, quod quamvis in aliquibus domibus non fuisset nisi vir unus, vel uxoratus vel non uxoratus, ille fuisset primogenitus domus illius, non quod haberet parentes viventes, sed quia in domo sua nullus senior eo, seu ante ipsum natus exsistens. *Surrexitque Pharao nocte et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus,* id est ceteri Ægyptii ad surgendum dispositi ; *et ortus est clamor magnus in Ægypto :* quia ex dolore plagæ inflictæ, et ex timore plagæ gravioris futuræ, clamabant et ululabant. *Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus,* id est, in qualibet domo habitationis Ægyptiorum, jacuit ad minus unus occisus. Et si in unâ domo habitaverunt plures primogeniti diversorum parentum, erant in una domo plures sic mortui. Quamvis autem occisio seu mors illa fuit secundum Augustinum occulto angelicoque percussu, poterant tamen viventes faciliter aliquo signo cognoscere mortem sic percussorum.

Vocatisque Pharao Moyse et Aaron nocte, ait. Pharao per nuntios Moysen Aaronque vocavit, et sequentia verba per eosdem nuntios protulit eis. Præterea quamvis Deus per Moysen jusserat, ut nullus filiorum Israel egrederetur domum suam in nocte illa, Moyses tamen et Aaron vocati, forsitan ex Dei dispensatione, exierunt ad

Digitized by Google

Pharaonis ministros, aut infra domum manentes, audierunt, alloquebanturque ipsos. *Surgite, egredimini a populo meo et vos et filii vestri. Ite, et immolate Domino sicut dicitis. Oves vestras et armenta assumite, ut petieratis; et abeuntes, benedicite mihi,* id est, gratias agite quod ita licentio vos; vel benedicite mihi, imprecando mihi bona, ne plura flagella super me et subditos meos Ægyptios veniant. *Urgebantque Ægyptii populum* Hebræorum *exire de terra velociter,* scilicet summo mane, *dicentes: Omnes moriemur,* id est, percutiemur ad mortem, sicut primogenita nostra percussa sunt, si isti Hebræi tardaverint apud nos. De hoc tamen non fuit periculum, quia non tenuissent Hebræos secum contra Dei præceptum. Et ut Josephus refert, flebant, veniamque petebant Ægyptii pro eo, quod ita afflixerunt Hebræos.

Tulit ergo populus conspersam farinam, id est aqua permixtam, *antequam fermentaretur:* quia præ festinatione non habuerunt tempus fermentandi; *et ligans* farinam ita conspersam *in palliis,* ne deflueret, *posuit super humeros suos. Feceruntque filii Israel sicut præcepit Dominus Moysi,* id est ipsis per Moysen, et ipsi Moysi ut præciperet eis. *Et petierunt ab Ægyptiis* sibi vicinis, *vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis; et spoliaverunt Ægyptios.* Istud jam sæpe præhabitum est, atque expositum: Et spoliaverunt Ægyptios, id est, divitias istas tulerunt ab eis, non tamen per injustitiam, aut rapinam, aut violentiam aliquam, sed ex commissione divina, quia Dei sunt omnia, et cui vult aufert ea, et cui vult tribuit ea. Ægyptii quoque meruerunt hæc sibi auferri, et filii Israel serviendo Ægyptiis gratis, meruerunt hanc mercedem suscipere. Idcirco non fuit spoliatio proprie, sed per similitudinem quamdam. Unde spoliare sumitur hic extense.

Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, id est, de terra Gessen exeuntes, primo castrametati sunt seu tabernacula sua fixerunt in loco Socoth vocato: qui locus est alius a loco in quo Jacob de Mesopotamia rediens, fixit in terra Chanaan mansionem, quem et Socoth, id est tabernacula, nuncupavit, ut in Genesi legitur; *sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis et mulieribus,* id est, quasi sexcenta millia virorum Hebræorum pedestrium pugnatorum egressa sunt, inter quos parvuli seu pueri qui infra viginti annos erant, et mulieres, computati non sunt. Qualiter autem populus Israel potuit ita multiplicari in Ægypto infra annos quibus ibi morati sunt, discussum est in expositione primi capituli hujus libri. *Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis,* id est, Ægyptii utriusque sexus ultra modum multi, associaverunt se Hebræis. Nam visis tot signis, relicta idololatria, crediderunt in Deum verum, et cum filiis Israel exierunt Ægyptum in solitudinem, quæ altior erat Ægypto in situ: propter quod ascendisse dicuntur. Et vulgus illud, secundum Scholasticam historiam, famulabatur Hebræis. Et multi Ægyptiorum fleverunt, quia tam duri fuerunt Hebræis. *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant,* videlicet primo die suæ egressionis, *et fecerunt ex eo subcinericios panes azymos:* in loco qui dicitur Socoth aut circiter. *Neque enim poterant fermentari* ob temporis brevitatem ipsi panes, seu farinæ conspersæ aut massæ, ex quibus facti sunt panes, *cogentibus exire* ipsos Hebræos *Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram, nec pulmenti quidquam occurrerat præparare,* id est, filiis Israel non vacabat coquere quidquam pulmenti aut confectionis propter importunam illam coactionem exeundi celeriter. De hoc Magister in historiis scribit: Fecerunt subcinericios panes azymos, ex modico tantum tempore coagulatos. His namque usi sunt triginta diebus, nec ultra eis suffecerunt quæ tulerant de Ægypto, licet sub necessitate custodirentur, nec ad satietatem reficerentur ex eis.

Gen. XXXIII. 17.

Digitized by Google

Habitatio autem filiorum Israel, qua A *manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Sic et Apostolus ait lat. III, ad Galatas : Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, etc. Qualiter autem accipienda sit computatio ista, diversi diversimode tradiderunt, quorum computationem B. Augustinus pro magna reprobat parte. Deinde approbat computationem Eusebii Cæsariensis in Chronica sua, incipientis horum computationem annorum ab eo tempore, quo Abraham Deo B jubente egressus est de terra sua, veniendo de Haran ad terram Chanaan, qui tunc XII, 4. erat septuaginta quinque annorum, ut in d. XVII, Genesi patet. Quumque centum esset an- d. XXXV, norum, natus est ei Isaac. Isaac vero vixit annis centum octoginta. Sicque ab exitu Abrahæ de Haran, usque ad mortem Isaac, fuerunt anni ducenti et quinque. Porro in morte Isaac fuit Jacob centum viginti an- d. XXV, norum. Natus est etiam Jacob ipso Isaac sexagenario exsistente. Deinde post annos d. XLVII, decem, quum Jacob esset centum triginta C annorum, ingressus est cum sobole sua Ægyptum. Sicque a præfato Abrahæ exitu, usque ad introitum Jacob in Ægyptum, fluxerunt anni ducenti et quindecim; tuncque Joseph erat triginta novem annorum. Fuit id. XLI, quippe triginta annorum, quando eductus de carcere, præsentatus est Pharaoni. Dein- d. XLIII, de post septem annos fertilitatis, duosque annos inopiæ, Jacob intravit Ægyptum. Joseph quoque post annos illos triginta novem, vixit annis septuaginta et uno, quia d. L, 22, in toto vixit annis centum et decem. D Adjunctis ergo annis septuaginta et uno ad annos ducentos et quindecim prætaxatos, fiunt anni ducenti octoginta sex ; quibus addendi sunt anni centum quadraginta quatuor, quibus populus Israel fuit atque servivit in Ægypto post obitum Joseph : sicque in toto habentur anni quadringenti et triginta. Idcirco non valet quod quidam computationem istam redarguit.

Verumtamen non fuerunt in servitute d. I, 11. illa dura, de qua in primo hujus libri capitulo scribitur, toto tempore post mortem Joseph, quousque egressi sunt ; sed diu post mortem Joseph, quum surrexisset rex Exod. I, 8. qui ignoravit famam et beneficia Joseph, prout in primi expositione capituli patuit. Idcirco quod fertur in textu, Habitatio filiorum Israel in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum, non est intelligendum, quod tanto tempore in Ægypto sint demorati, sed nomine Ægypti designantur et aliæ terræ, in quibus patres eorum, Abraham, Isaac et Jacob peregrinati sunt. Exprimitur tamen in speciali Ægyptus, quia ibidem in majori numero personarum atque annorum sunt commorati, graviusque oppressi, et quia a fine majorique parte solet denominatio fieri. Verumtamen Augustinus ait in textu isto haberi, Incolatus quem incoluerunt in terra Ægypti et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum. Utitur autem translatione Septuaginta interpretum, qui interdum aliquid addiderunt, vel subtraxerunt. Patres vero filiorum Israel, non solum fuerunt coloni et peregrini in terra Chanaan, sed et Abraham et Isaac diu demorati sunt in terra Philistiim, et Jacob in Mesopotamia Syriæ. Porro Josephus scribit : Reliquerunt Hebræi Ægyptum post annos triginta et quadringentos, quam pater noster Abraham venit in terram Chanaan ; post adventum vero Jacob in Ægyptum, anno ducentesimo quintodecimo.

Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, id est, tota multitudo Israeliticæ plebis recte disposita, una die pariter exiit de Ægypto. Itaque sensus non est, quod eadem die, qua patres eorum introierunt Ægyptum, isti egressi sint. *Nox ista observabilis est Domini,* id est, nox in qua Hebræi ab Ægyptiis sollicitabantur exire, et in qua se disposuerunt ad exeundum valde mane, digna et apta est, ut in ea sit Dei celebritas, et cultui ejus vacetur propter beneficia tanta, ne oblivioni tradantur ; *quando,* id est in cujus noctis aurora, *eduxit eos de terra Ægypti. Hanc observare debent om-*

Digitized by Google

nes filii Israel in generationibus suis, id A est, celebrem habere per suas posteritates et successiones. Paschalis enim solennitas incepit a vespere noctem hanc præcedente.

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Hæc est religio Phase, id est, istud quod sequitur, pertinet ad ritum et jussionem comedendi agnum paschalem, videlicet : *Omnis alienigena non comedet ex eo,* id est, nullus a fide et lege Judæorum extraneus, etiamsi sit natione Judæus, ad esum agni hujus est admittendus : quem- B admodum ad sacram communionem nullus scienter admittitur, nisi catholicus. *Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet,* id est, quum fuerit circumcisus, vescetur agno paschali. *Advena et mercenarius non edent ex eo,* nisi prius circumcidantur : sicut nec aliquis potest communicare, nisi fuerit baptizatus. *In una domo comedetur* agnus paschalis, id est, quilibet cum sua familia comedet eum in domo sua, dummodo domestici ejus ad hoc sufficiant. *Nec efferetis de carnibus ejus foras,* id est, non mittetis aliis partem C aliquam agni paschalis assati ; *nec os illius confringetis,* id est, ossa ejus non dissipabitis nec frangetis. Litteralis ratio horum est, quoniam filii Israel in Ægypto hoc modo manducaverunt agnum paschalem, et cum festinatione tanta, quod non habebant tempus frangendi ossa ad quærendum medullam. Unusquisque etiam paterfamilias aut principalis in domo, pro redemptione sua atque domesticorum a percussione angeli, obtulit agnum in sua domo. *Omnis cœtus filiorum Israel faciet* D *illud,* id est, unaquæque familia propriæ domus comedet modo præfato. Sicque, Omnis, sumitur nunc divisive, non penitus collective.

Quod si quis peregrinorum, id est extraneorum a lege vestra, *in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini,* id est legem vestram assumere, et vester concivis fieri per cultus divini et sacramentorum communionem, *circumcidetur prius omne masculinum ejus,* id est universi ejus domestici sexus masculini : quia non satis erat quod ipse circumcidebatur, ad hoc ut de agno paschali vesceretur ; *et tunc rite celebrabit,* id est agnum paschalem edet cum suis, secundum observantiam nunc præscriptam ; *eritque sicut indigena terræ,* hoc est, similis erit natis in Judaismo, et velut Judæus habebitur. *Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ et colono, qui peregrinatur apud vos :* id est, tam intranei seu concives natione Hebræi, quam extranei et tanquam peregrini inter vos habitantes, quantum ad hoc, erunt paris conditionis, et eadem jussione adstricti, quod nullus eorum poterit de agno manducare paschali, nisi prædicta impleverit.

Feceruntque omnes filii Israel, sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron ; et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas, hoc est cum distinctione specialium turmarum quæ inter eos fuerunt. Quamvis enim fuit unus totalis exercitus, tamen speciales cœtus, particularesque tribus ac cunei atque familiæ inter eos fuerunt, qui omnes pariter sunt educti.

Circa præhabita quæritur, an angelus qui percussit primogenita Ægyptiorum, fuit angelus bonus an malus, et utrum fuit unus dumtaxat, an plures.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

SOLUTIO QUÆSTIONUM ISTARUM.

STRABUS ait, et habetur in Glossa : An percussor primogenitorum fuit angelus bonus, an malus, non est necesse inquirere. Quicumque etenim fuit, præcepto Dei obedivit. Sciendum tamen, quod angeli mali permissione aut jussione Dei tales pestes facere solent. Hæc Strabus. Ex cujus verbis elicitur, quod ipse magis sentire videtur, quod fuerit angelus malus, et hoc tenent aliqui. Ad quod primo allegant illud in Psalmo : Misit in eos (utpote in Ægyptios) iram indignationis, iram, indignationem et tribulationem, immissiones per angelos malos. Unde et paulo post ibi subjungitur : Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti. Secundo allegant quod in isto fertur capitulo, Non sinet Dominus percussorem ingredi domos vestras, et lædere. Ex quo inferunt, quod percussor ille libenter intrasset domos Hebræorum ad percutiendum primogenita eorumdem, si Dominus permisisset : ergo et malus fuit. Tertio, idem probatur auctoritate Augustini, qui in expositione Psalmi septuagesimi septimi, in quo habentur verba Psalmistæ præallegata, apertissime dicit, quod fuit angelus malus.

Oppositum hujus probatur, primo ex eo, quod in libro Sapientiæ habetur : Tunc quum primum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei se esse. Deinde subjungitur ibi, qualiter factum sit exterminium illud. Quum enim quietum silentium teneret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exsiliens de cœlo, a regalibus sedibus venit, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus, insimulatum (id est verum et non fictum) imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra. Circa quæ verba multi dicunt, percussionem illam factam per angelum bonum, imo verba illa clarissime contestantur, quod sit facta per bonum Dei ministrum aut exsecutorem divinum. Secundo, idem videtur ex modo loquendi hujus capituli, in quo Dominus clare atque frequenter affirmat se percussurum seu percutientem primogenita Ægyptiorum, ut patuit. Et quamvis ea facere asseratur, quæ facit per angelos malos, præsertim loquendo de malis pœnalibus, non tamen videtur quod in Scripturis in recitatione historica asserat tam clare ac sæpe facturum, quod in isto capitulo asserit se facturum, nisi quod facit per se ipsum aut per angelos bonos. Tertio, idem probatur, quoniam Deus per angelum bonum interfecit exercitum Assyriorum sub rege piissimo Ezechia, ut legitur quarto Regum et secundo Paralipomenon libris. Similiter per angelos bonos evertit Sodomitas, ut in Genesi legitur. In Ezechiele quoque legitur Deus præcepisse angelis bonis percutere habitatores Jerusalem.

Circa hanc quæstionem advertenda sunt verba beatissimi Augustini, in expositione præfati psalmi dicentis : Satis hic expressum est, judicio Dei hæc fieri in illis, puta Ægyptiis, per angelos malos. Itemque, Utitur Deus angelis malis, non solum ad puniendos malos, sicut in istis omnibus, puta Ægyptiis, de quibus loquitur psalmus iste, et sicut in rege Achab, quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate decepit, ut caderet in bello, verum etiam ad probandos et manifestandos bonos. In his verbis videtur Augustinus sentire, non solum percussionem primogenitorum, sed et alias plagas,

Marginal references: ...s. LXXVII, ...bid. 51. ...ap. XVIII, ...id. 14-16. IV Reg. XIX, 35; II Par. XXXII, 21. Gen. XIX. Ezech. IX, 5 et seq. III Reg. XXII, 20.

Digitized by Google

esse inflictas Ægyptiis ab angelis malis. Quod præinductis non consonat, nec videtur posse salvari. Magi namque defecerunt *Exod.* VIII, 18. in tertio signo, ita quod scinifes producere non valebant magica arte et diabolica ope, sicut verterunt aquam in sanguinem, et ranas fecerunt. Nec post tertium illud signum operati sunt aliquid simile signis quæ fecit Deus per Moysen et Aaron, aut per se, hoc est sine ipsorum administratione. Ergo dæmones non fecerunt aliquid simile octo signis et plagis, quibus Ægyptii sunt percussi.

Nec aliquo modo dicendum est, quod Deus per dæmones fecit illa miracula, nec aliquis expositorum hoc dicit, sed per angelos sanctos. Nec ipse Augustinus audet hoc dicere. Siquidem post verba præhabita loquitur : Si per angelos malos Deus illas plagas inflixit Ægyptiis, numquid audebimus dicere, et aquam in sanguinem per eosdem angelos malos esse versam, et ranas per eos esse productas, quorum similia magi Pharaonis per veneficia sua fecerunt : ut angeli mali ex utraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes, secundum judicium et dispositionem justissimi Dei ? Non audeo dicere. Ecce Augustinus non audet dicere, quod Deus per angelos malos induxit duas primas plagas. Verumtamen primogenita asserit per eos percussa, subdendo : Si ea quæ ibi mirabiliter facta sunt, malis angelis tribuere non audemus, habemus quod eis tribuere sine dubitatione possumus, scilicet mortes primogenitorum in hominibus et jumentis. Verumtamen juxta præinducta, probabilius reor, quod sicut ceteras plagas Deus per angelos sanctos produxit ac intulit, ita et istam. Ad quod probandum valent motiva prætacta. Nam et eadem ratio in omnibus plagis his, ad hoc esse censetur. Nempe, cur potius inflixisset percussionem illam primogenitorum per dæmones, quam plagas scinifum, ranarum, muscarum, cynomyiæ, vulnera vesicarum, tonitrua, fulgura, grandines, tenebras, quibus non solum

A primogeniti, sed cuncti Ægyptii generaliter sunt percussi ?

Itaque agnoscendum, quod sicut Scriptura nos docet, Deus quandoque punivit iniquos per angelos sanctos, ut patet de *Gen.* XIX, 1. subversione Pentapolis, et percussione As- *IV Reg.* XIX, 35. syriorum, et in Actibus Apostolorum fertur angelus Dei percussisse Herodem. Quan- *Act.* XII, 23. doque vero hoc fecit per angelos malos, quemadmodum primo Regum asseritur, quod spiritus Dei malus exagitabat Sau- *I Reg.* XVI, 14. lem. Interdum quoque percussit bonos per

B angelos malos, ut patet de Job, et Paulo *Job* I, 12; II, 6. apostolo qui fatetur : Datus est mihi sti- *II Cor.* XII, 7. mulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.

An autem aliquando percussit bonos per angelos sanctos, specialis est quæstio. Quocirca loquitur Augustinus in expositione psalmi præfati : Justos corporalibus pœnis per bonos angelos tentari et probari, non mihi occurrit ; nihilo minus dicere possumus, quod etiam interdum justi per angelos bonos puniti sunt, ut patet circa finem

C secundi Regum de septuaginta millibus ab *II Reg.* XXIV, 15-17. angelo sancto percussis, propter peccatum David in numeratione populi, de quibus David dixit ad Dominum : Isti qui oves sunt, quid fecerunt ? Nec dubium quin multi boni inter illos fuerunt. Supra quoque præhabitum est, quod Dominus oc- *Exod.* IV, 24. currit Moysi in diversorio, et voluit eum occidere : quod fuit per angelum sanctum.

Præterea, ad objecta dicendum, quod illa auctoritas, Immissiones per angelos malos, intelligenda est de pessimis inspirationi-

D bus, quas dæmones immiserunt Ægyptiis, ex quibus tam obstinati et excæcati effecti sunt, quod Deo permittente est factum ; non de inductionibus plagarum et interfectionum, quæ fuerunt mala pœnalia, non culpabilia, et ita fuerunt a Deo directe causaliter. Alia quoque auctoritas, secundum expositionem præhabitam, non militat contra prædicta. Nam, ut divinus Dionysius docet, angeli sancti non audent aliquid agere, nisi juxta legem eis a Deo præfixam : idcirco per id quod dicitur,

Digitized by Google

Non sinet percussorem ingredi, etc., non datur intelligi quod percussor ille optavit Hebræos percutere, sed quod Deus ei præfixit, quid et qualiter ageret, quemadmodum secundo Regum legitur Deus angelo percutienti jussisse, Cesset manus tua, etc. (Reg. xxiv,) At vero in his quæ non spectant directe ad fidem, nec ab Ecclesia determinata sunt, ipsemet Augustinus dicit, non accipi sufficiens argumentum ex sola allegatione ecclesiasticorum doctorum, sed in talibus licet viris eruditis tenere, quod rationi et Scripturis consonantius arbitrantur.

Insuper, circa secundæ quæstionis solutionem possent valde multa difficilia atque subtilia introduci de motu, loco, et operatione angelorum, de quibus doctores super secundum Sententiarum, et in Summis suis tractant diffuse : de quibus nunc supersedendum opinor. Scriptura autem hæc loquitur, quasi percussor de domo in domum transierit, percutiendo primogenita hominum et brutorum ; sed juxta doctores, angelus est in loco definitive, et illic est ubi operatur, nec ei debetur locus

A punctalis. Verum ad quæ virtus sua activa se potest extendere ad agendum, in eo est loco, vel esse potest. Potest autem se virtus angelica in longum et latum extendere pariter ad agendum : sed in quantum, quis novit? Ex verbis autem libri Sapientiæ introductis apparet, quod fuit unus tantum percussor. Quod si naturalis potestas angeli unius, non potuit se simul extendere ad percutiendum uno momento aut una horula, universa primogenita regni tam magni, tamen per supernaturalem Dei potentiam potuit hoc. Angelus autem qui

B populum Israeliticum pro peccato David percussit, successive hoc fecit a mane usque ad vesperam. Porro in Ezechiele leguntur multi angeli missi ad percutiendum Jerusalem : quod tamen in visione imaginaria sic fuit ostensum. (Ezech. ix, 5.)

Postremo, juxta eos qui dicunt percussionem primogenitorum esse factam ab angelo malo, dicendum esset, quod fuerunt dæmones multi percutientes, sicut et Augustinus allegat ac tenet. Hæc sine præ-

C judicio et incauta assertione sint dicta.

ARTICULUS XXII

SPIRITUALIS ET MYSTICA EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI ELUCIDATIO.

DIXIT *Dominus ad Moysen : Mensis iste, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Recte mensis ille primus in mensibus anni jussus est esse, in quo agnus paschalis oblatus est, imo in quo Christus unigenitus Dei, pro mundi salute est immolatus ; decuitque illo in mense typicum agnum offerri, et per ejus oblationem populum Israeliticum a corporali et Ægyptiaca servitute educi ac liberari, in quo Christus agnus Dei verus, universitatis salvator, elegit Deo Patri (…nn. i, 29.) in cruce offerri, ac genus humanum a diabolica servitute, a jugo peccati, a dam-

D natione inferni eruere. *Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum.* Quamvis pro totius mundi salute unus dumtaxat oblatus sit verus Agnus, nihilo minus Dominus jussit unumquemque patremfamilias inter Hebræos sumere et offerre, occidere atque comedere agnum cum suis : quia sic mortuus est Christus pro omnibus, ut et pro singulis mortuus sit et oblatus. Unde et unusquisque sic debet passionem Christi attendere, et ei gratus exsistere, quasi pro se solo sit crucifixus. Ad quod insinuandum dixit Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semet- (Galat. ii, 20.)

Digitized by Google

ipsum pro me. Circa quod ait Chrysostomus : Hic est effectus servi fidelis, ut quod pro omnibus gestum est, quasi pro se solo reputet factum. Porro, quod agnus jubetur decimo die tolli et quartodecimo immolari, hoc signat, quod passio Christi figuratur in lege, quæ propter Decalogum per decem significatur, et in exordio evangelicæ legis impletur : quæ lex per quartumdecimum diem exprimitur, quoniam Decalogo quatuor Evangelia addit, et per quatuor mundi partes copiose diffusa est. *Sin autem minor est numerus,* etc. Sic quilibet Christifidelis videns se Christi beneficia atque mysteria non posse satis mirari, diligere, venerari, proximum suum invitet ad regratiandum secum in omnibus Christo, et ad supplendum proprium imperfectum. Nec enim quispiam valet Christo digne ac plene regratiari, etiam si millies moreretur pro Christo. Quia (ut Climacus ait) aliud est sanguis Dei, aliud sanguis servi. Non quod unius speciei non fuerit sanguis Christi et hominum ceterorum, sed quia incomparabiliter pretiosior est sanguis unigeniti Filii Dei.

Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Per quod Christi illibatissima puritas designatur, in quo fuit totius virilitatis perfectio : qui in tricesimo tertio suæ ætatis anno, quando et cruci appensus est, erat tam purus et innocens, sicut in primo anno, quo ex Virgine natus est. *Juxta quem ritum tolletis et hœdum.* Solet per hœdum peccator intelligi : idcirco Christus, in quantum similitudinem carnis peccati et mortalitatem assumpsit, nec solum ex justis, sed et peccatoribus quoque et peccatricibus mediate humanam assumpsit naturam, significatur per hœdum ; et rursus, quoniam ipse instar hœdi venit saliens in montibus, transiliens colles ; celerrime quoque omne bonum est prosecutus, et regia dignitate, pontificalique potestate quasi duplici cornu fuit munitus. *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam :* quia in Cœna novissima Christus passionem suam

Cant. II, 9.

Matth. XXVI, 20, 21. Joann. XIII, 21.

A apertissime denuntiavit, et suæ immolationis Sacramentum instituit, et Patri sponte se obtulit, dum a Bethania in Jerusalem, extra quam non capiebat perire Prophetam, tanquam ad locum passionis voluntarie est profectus. Ipse quoque in vespera, hoc est in ultima mundi ætate, sustinuit mortem. *Et sument de sanguine ejus, et ponent super utrumque postem.* Per hoc significatum est, quod populus christianus corpus suum et animam fide et commemoratione assidua passionis dominicæ debeat communire, consignare ac custodire, Christumque intus per fidem et caritatem revolvere, ac crucis signaculo frontem armare, ipsumque ore fateri. *Et in superliminaribus domorum :* hoc est, altitudinem mentium, spem supernorum, intentionem et contemplationem cœlestium, debet jugiter in fide et dilectione passionis et sanguinis Christi fundare, intingere, conservare.

Luc. XIII, 33.

B

Et edent carnes nocte illa assas igni : id est, Christifideles corpus Christi in sacramento Eucharistiæ sument, qui igne passionis assatus est, atque ex ardentissimæ caritatis igne se obtulit Patri oblationem et hostiam in odorem suavitatis, et ipse in nocte illa gravissime est afflictus. In cujus etiam noctis exordio se ipsum dedit discipulis manducandum, dicente Apostolo : Dominus noster in qua nocte tradebatur, accepit panem, etc. *Et azymos panes :* id est, exercitiis sinceriter virtuosis, et vitiorum commixtione carentibus, potissime contemplatione divinorum, et meditationibus mysticorum suas reficient mentes ; *cum lactucis agrestibus,* quæ prorsus amaræ sunt, id est cum interna compassione Christi propter nos passi, et cum cordiali contritione ac deploratione præsentis exsilii. Quæ omnia in celebrantibus et communicantibus esse oportet, unde ait Vas electionis : Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

C

I Cor. XI, 23.

D

Ibid. V, 7, 8.

Digitized by Google

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua : hoc est, corpus et sanguinem Christi non carnaliter, neque cum grossa imaginatione adspicietis, neque per philosophicam sapientiam mysteria Salvatoris discutietis ; *sed assum tantum igni :* id est, per illuminationem et fervorem Spiritus Sancti intueri oportet, quidquid de ipso per fidem accipitur, ut per omnipotentiam Dei, incomprehensibilia fieri agnoscamus, per attestationem infallibilium, solique Deo possibilium signorum. *Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis :* id est, universa quæ de Christo proponenda, credendaque sunt, videlicet divinitatis sublimia, et humanitatis declivia, ac ea quæ medio modo se habent, prompta fide et avida mente amplecti debetis. Interiora quoque et mystica, sed et exteriora ejus opera fideli mente apprehendetis, ut sitis in fide integri ac prorsus catholici. *Nec remanebit ex eo quidquam usque mane :* quia nihil de pertinentibus ad mysteria Salvatoris est relinquendum, aut convertendum in dubium. In Sacramento quoque non sunt caro, sanguis, anima et deitas Christi, ab invicem separata, sed totus ibidem continetur ac sumitur Christus. *Si quid residuum fuerit, igne comburetis :* id est, ea quæ fidei sunt, nec comprehendi queunt, omnipotentiæ et infallibili attestationi Spiritus Sancti, qui amor et ignis appellatur, sunt humiliter reservanda ac committenda, ita ut nihil vertatur in hæsi-
t. i, 8. tationem ; sed licet angelus de cœlo evangelizet oppositum, respuatur.

Sic autem comedetis illum : id est, ad communionem sacram ita vos disponetis ac ibitis. *Renes vestros accingetis :* id est, fluxum et desideria turpia restringetis, ut sitis corde et corpore casti, juxta illud
xii,35. Evangelii, Sint lumbi vestri præcincti. *Calceamenta habebitis in pedibus :* id est, gressus actionum vestrarum munietis sanctorum patrum exemplis ; *tenentes baculos in manibus,* id est, crucis vexilla tenentes fide fortissima. Baculi quoque sunt curæ pastorales, sustentamenta virtutum, consolationes supernorum charismatum. *Et comedetis festinanter :* id est, cum omni promptitudine caritatis et agilitate virtutum accipietis sacramenta cœlestia, et exsequemini divina præcepta, mentesque vestras spiritualiter reficietis. *Est enim Phase, id est transitus Domini :* hoc est, per istam refectionem tanquam per salutare viaticum, ire debetis de præsenti exsilio ad beatificam deitatis hujus Agni fruitionem, et in omni bono incessanter proficere, quia nescitis diem et horam. *Matth.* xxv, 13.

Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti, ab homine usque ad pecus. Per terram Ægypti intelligitur omnis natio incredulorum ac perversorum. In quibus Deus primogenita interfecit, quosdam misericorditer convertendo : in quibus primitiva et capitalia vitia dissipavit, ita quod desierunt esse quod erant per culpam, quemadmodum Salomon protestatur, Verte impios, et non erunt; quosdam vero *Prov.* xii,7. juste derelinquendo, in quibus fuit mors culpæ, deinde mors æternæ miseriæ : sicque primogenita magis occidit, quia magnos in hoc sæculo præsertim reliquit, sicut ait Apostolus : Non multi sapientes, non I *Cor.* i, 26. multi nobiles sunt inter vos, sed abjecta mundi elegit Deus. *Et in cunctis diis Ægypti faciam judicia.* Per hoc figuratum est, quod Christus per suos implevit Apostolos, per quorum miracula, fana paganorum destruxit et idola. *Erit autem sanguis vobis in signum.* Quemadmodum enim Hebræi, quorum postes et liminaria erant sanguine tincta, de morte qua Ægyptii perierunt, sunt liberati; sic in Christi fide, et merito suæ passionis ac pretio sanguinis, redimuntur fideles nunc a morte peccati, deinde a morte infernalis supplicii, quibus plagantur increduli et ingrati.

Habebitis autem hunc diem, etc., *solennem.* Christiani quippe Pascha Christi *Ibid.* v,7,8. verissime celebrant, et suam per Christum redemptionem jugiter recolunt. *Septem diebus azyma comedetis.* Septenario universitas designatur. Fideles ergo per omne

Digitized by Google

tempus vitæ præsentis in azymis sinceritatis et veritatis, id est in actibus simplicitatis et innocentiæ, Deo habent servire, et corda sua reficere. *Quicumque comederit fermentatum,* id est, in actibus vitiosis, in operibus duplicitatis et simulationis suam
Prov. II, 14. oblectaverit mentem, juxta illud, Gloriantur quum male fecerint, erit filius perditionis. *Dies prima erit sancta atque solennis :* hæc est dies dominicæ Cœnæ; *et dies septima,* videlicet dies resurrectionis. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent :* hoc est, opera prava et corruptiva vitabitis; actibus vero virtuosis, quibus reficitur anima, eritis tunc summe intenti. *In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum :* id est, universos liberabo electos, et detentos in limbo beatifice illustrabo. Omne *fermentatum non invenietur in domibus vestris:* id est, nulla peccati corruptio, nulla falsa doctrina admittatur a vobis, aut domesticis seu congregationibus vestris. *Qui comederit fermentatum, peribit, tam de advenis quam de indigenis,* id est sive neophytus, sive ab infantia christianus.

Fasciculum hyssopi intingite in sanguine, qui est in limine. Per fasciculum hyssopi, potest intelligi vera humiliatio sui ipsius, ex tribus concepta, videlicet, ex contemplatione excellentiæ Dei, ex consideratione propriæ defectuositatis in naturalibus, atque ex propriarum intuitione culparum. Hæc humiliatio sui est intingenda in sanguine Christi, ne homo ex inspectione propriæ vilitatis et pravitatis desperet, sed ex consideratione et participatione meritorum Christi, et virtute suæ passionis, respiret ac speret in Domino, ac opera bona quæ agit, uniat meritis capitis salvatorisque sui, et sic offerat ea Deo, omne bonum adscribendo eidem. Porro hic sanguis est in limine domus, quia in Baptismo quod est janua sacramentorum, et quasi limen quo in Ecclesiam introitur, præci-
Rom. VI, 3. pue operatur. Quicumque enim baptizati sumus, in morte Christi baptizati sumus, secundum Apostolum. Est quoque sanguis iste in limine domus, quoniam fides et meritum passionis Christi omnibus offeruntur. Recte ergo herba hyssopi purgativa pectoris, oblectativa odoratus, designativa humilitatis, congruit sanguini Christi, qui purgativus est cordium, inductivus odorum spiritualiter dulcium, et totius humilitatis exemplar, præceptor ac doctor. *Nullus egrediatur ostium domus suæ usque mane :* hoc est, celebrantes hoc Sacramentum et communicantes, intra cordis sui arcana debent Deo intendere, distractiones et discursus inanes vitare, et infra ecclesiasticam unitatem persistere, quousque ad lucem gloriæ perducantur.

Quumque introieritis terram quam Dominus daturus est vobis, observabitis carimonias istas. Nullus enim potest Pascha vere atque salubriter celebrare, nisi in militante Ecclesia, non in conventiculis hæreticorum aut schismaticorum. *Et quum dixerint vobis filii vestri, Quæ est ista religio? dicetis eis : Victima transitus Domini est :* id est, quum discipuli aut soboles vestra quæsierit sibi exponi causam cultus christianæ Religionis circa Sacramentum altaris, celebrationumque Paschæ, docebitis eos qualiter Christus immolatus est pa- I Cor. V, 7.
scha nostrum, et qualiter celebritas nostra paschalis, rememorativa est Paschæ legalis : quomodo etiam in Sacramento altaris Christus offertur, et in suo mysterio sacrificatur, ut ejus merita nobis copiosius impertiantur, et Deum pro sua ad nos caritate, pietate et beneficentia, devotius et incessabilius veneremur.

Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, etc. Per hoc quod Pharao et ejus satellites percussionibus victi, compulerunt Dei populum egredi, insinuatur, quod adversarii fidei frequenter sic victi sunt divina virtute, quod a populi christiani prorsus abstinuerunt persecutione. *Tulit ergo populus conspersam farinam,* id est innocentiam et simplicitatem lacrimis devotionis aut pœnitentiæ decoratam et coagulatam. Quæ liganda est *in palliis,* hoc est in interioribus ornatibus cordis; super

Digitized by Google

humeros deferenda, utpote infatigabiliter A exsequenda. *Profectique sunt filii Israel de Ramesse,* quod interpretatur commotio tineæ, *in Socoth,* quod interpretatur tabernacula. Per quod innuitur, quod de instabilitate et inquietudine passionum ac vitiorum, ad tabernacula Domini virtutum dilecta, ad templa et congregationes Sanctorum, ad mansiones cœlestes sit festinandum. *Sexcenta fere millia,* etc. Per quæ ob numeri hujus perfectionem rite intelligitur tota primitiva Ecclesia ex Judaismo conversa, in qua fuit perfectio virtutum B præcipua. Cum qua *vulgus promiscuum innumerabile ascendit,* id est, inæstimabilis multitudo diversarum superstitionum atque sectarum, quæ ex gentilitate conversa, cum electis Judæis ascendit ad virtutum sublimia, et ad regna cœlestia.

Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo : id est, nullus a Christianitate extraneus, ad communionem est admittendus. *Omnis autem servus emptitius circumcidetur:* hoc est, quilibet homo Christi sanguine emptus, est in Baptismo C et in sacramento Pœnitentiæ spiritualiter circumcidendus, et sic comedet Eucharistiæ sacramentum. *Advena et mercenarius non edent ex eo.* Advena potest catechumenus accipi; mercenarius autem, qui non ex caritate, sed ex proprii commodi intuitu videtur facere bona : isti non sunt ad communionem idonei, nec admittendi. *In una domo comedetur :* quia in sola catholica Ecclesia, extra quam nemo salvatur, hoc est in mystica unione cum Christo et ejus fidelibus, sumenda est sacra commu- D nio. *Nec efferetis de carnibus ejus foras :* quia perfidis et iniquis non sunt sacramenta hæc conferenda. *Nec os illius confringetis.* Hoc sacratissimus evangelista Joannes allegat de Christo prædictum, et *Joann.* XIX, 36.
in eo completum. Quamvis enim dictum sit istud ad litteram de agno illo paschali et typico, hoc tamen fuit, in quantum fuit Christi figura : idcirco de Christo principaliter est prædictum, cujus ossa non fre- *Ibid.* 33.
gerunt milites Pilati in crucis patibulo, quamvis extra naturalem compaginem in crucifixione violentissime traxerunt ea, juxta illud Psalmi, Dispersa sunt omnia *Ps.* XXI, 15.
ossa mea. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit :* hoc est, si quis infidelium voluerit effici christianus et civis Ecclesiæ, oportet ut ipse et pertinentes ad eum, in Baptismo ab originali peccato et vitiis aliis emundentur, dummodo ipse poterit illos ad hoc ipsum inducere, sicque erit idoneus salubriter communicare ; *eritque sicut indigena,* id est quasi ex fidelibus natus, et pie tractabitur nec spernetur. *Eadem lex erit indigenæ et colono :* id est, lex evangelica uniformiter est servanda tam Christianis ab infantia atque origine, quam neophytis. Et conformiter sunt ad communionem ac cetera sacramenta aptandi ac inducendi, quia in Christo Jesu omnes sunt unum mysticum corpus, in quo non est *Coloss.* III, 11.
servus nec liber, Judæus et Græcus, Barbarus et Scytha, sed omnia et in omnibus Christus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIII

COMPARATIO DECEM PLAGARUM ÆGYPTI, AD DECEM PRÆCEPTA; ET QUALITER DECEM PLAGÆ ILLÆ, IN ROMANO IMPERIO SUNT IMPLETÆ.

BEATISSIMUS Augustinus ac Rabanus, A decem plagas quibus Ægyptii sunt percussi, reducunt ad præcepta Decalogi, in quantum per decem præcepta curantur ac prohibentur peccata, per plagas illas signata. Etenim prima Ægypti plaga, fuit conversio aquæ in sanguinem. Per aquæ claritatem, insinuatur spiritualis intelligentia Scripturarum, in qua unius veri Dei prædicatur notitia; per sanguinem autem, sensus carnalis. Sicque conversio aquæ in sanguinem, est commutatio spiritualis intelligentiæ in carnalem: cui contrariatur primum B *Exod.* xx, 3-6. præceptum, quod est colere unum Deum. Nam et carnales qui se supra imaginationem elevare non valuerunt, deitatem rebus carnalibus ac vilibus adscripserunt, dicente *Rom.* I, 23. Apostolo: Commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et serpentium. Hæc ergo impietas, primo curatur ac prohibetur præcepto. Secunda plaga fuit ranarum productio. Per ranas, vana designatur loquacitas, fœditasque perjurii: quibus contrariatur secundum præce- C *Exod.* xx, 7. ptum, quod est non assumere nomen Domini frustra, id est non perjurare, nec sine rationabili causa jurare. Quorum utrumque optime vitat, qui a loquacitate et deformitate perjurationis linguam refrenat.

Tertia plaga est scinifum afflictio, quæ fuit molesta punitio et morsio inquieta, per quam sollicitudo mundana, inquietudoque sæculi et pungitiva locutio explicantur. Quæ omnia tertio opponuntur præ- *Ibid.* 8-10. cepto, quod est sanctificatio sabbati, per quod mentis in Deo tranquillitas ostendi- D tur ac jubetur. Qui autem mentem suam in Deo figit, vitia illa in se ipsis afflictiva et inquieta exhorret. Quarta plaga fuit cynomyiarum adductio, per quas inhonoratio significatur parentum. Cynomyia quippe est musca canina. Canes autem suos non cognoscunt parentes. Hinc et catuli eorum cæci nascuntur, per mysticam significationum expressionem. Contra quod quartum est præceptum, Habeas in honore parentes. *Exod.* xx, 12. Quinta plaga fuit mors pecorum, per quam fornicatio, quæ est bestiale vitium, demonstratur: cui quintum præceptum, quod est, *Ibid.* 14. non mœchari, contrariatur. Sexta plaga est ulcera ac vulnera vesicarum, per quæ iracundiæ furor, invidiæ lues, impatientiæ impetus exprimuntur. Quibus omnibus sextum præceptum, videlicet non occidere, *Ibid.* 13 exstat contrarium. Ardent equidem homicidæ insania iræ, quorum si posses animas intueri, plus eas quam corpora vulnerata defleres.

Septima plaga fuit percussio segetum, facta ictibus grandinum, per quam nocumentum furti exprimitur: quod septimo curatur præcepto, quo dicitur, Non furabe- *Ibid.* 15 ris. Octava plaga, corrosio fructuum per locustas, per quam detractio seu falsa testificatio significatur. Contra quod octavo præcepto jubetur, Ne sis testis iniquus. *Ibid.* 16. Nona plaga fuit caligo palpabilis, per quam adulterina concupiscentia sumitur, quæ mentem prorsus evertit et fuscat. Contra quam nonum sonat præceptum, Non con- *Deut.* v, 21. *Exod.* xx, 17. cupisces uxorem proximi tui. Decima plaga fuit communis strages primogenitorum in hominibus et jumentis, per quam omnis inordinata alienarum rerum cupiditas designatur, quæ plurimorum perimit animas, quum omnium radix malorum dica- *I Tim.* vi, 10. tur cupiditas. Contra quam decimo fertur mandato, Non concupisces rem proximi *Exod* xx, 17. tui.

Digitized by Google

Præterea, sicut ait Orosius, et habetur in A Glossa, decem plagæ quibus propter Israelitas Ægyptus est cæsa, comparari possunt decem plagis, quibus Romanum imperium est percussum ob suam tyrannidem in populum christianum. Illa quippe in figura nostri contigerunt. Christiani et Hebræi uni et eidem Deo deservierunt. Et sicut Hebræi fuerunt Ægyptiis subditi, atque ab eis oppressi; sic Romano imperio, adhuc gentili, fuerunt Christiani subjecti, a quibus et gravissimas afflictiones noscuntur perpessi. Pharao decies contradixit Moysi; B Romani imperatores decem edicta contra Christianos dederunt. Ibi diversæ plagæ Ægyptiorum; hic diversæ calamitates Romanorum. In Ægypto primum de puteis atque fluminibus pro aqua sanguis manavit; in Romano imperio sub Nerone undique morientium Romanorum sanguis fluxit, et morbis in Urbe corruptus, bellis quoque in orbe profusus. In Ægypto rana habitatores Ægypti pene exstinxit; in Romano imperio sub Domitiano imperatore effrenati satellites jussu cruenti principis C atque inopia, Romanos cives quasi disperserunt.

In Ægypto tertia plaga, scinifes, hoc est sævissimæ musculæ, quæ media æstate per squalida loca gregatim volant, et homines ac pecora graviter mordent; in Romano imperio tertia plaga sub Trajano excitavit Judæos, qui quum ante dispersi, quasi non essent, quiescerent, repentino calore permoti sunt et crassati; multæque urbes tunc terræ motu eversæ sunt. In Ægypto quarta plaga fuit, muscæ caninæ, D quæ sunt alumnæ putredinis, et vermium matres; in Romano imperio sub Marco Antonino lues seu pestis infusa diversis provinciis, Italiam ac Romanorum exercitum per diversa dispersum, morte dissolutum, putredini dedit ac vermibus. In Ægypto quinta plaga fuit, mors pecorum; in Romano imperio sub Severo persecutore civilibus bellis comminuta ac lacerata sunt viscera Romanorum, et adjumenta rei publicæ, id est plebes provinciarum legionesque militum. In Ægypto sexta plaga fuit, vesicæ turgentes ulceraque manantia; in Romano imperio hæc plaga per Maximini persecutionem crebro intumescens ira atque rancore, est exaltata, non per vulgi occisionem, sed per cædem morientium principum ac potentum, quoniam Maximinus specialiter percuti jussit Ecclesiarum primates, episcopos scilicet, clericos, et magnates.

In Ægypto septima plaga fuit, grando quæ hominibus ac jumentis fuit exitio; in Romano imperio sub Gallo et Volusiano, qui Decio persecutori successerunt, pestis per omnia spatia regni Romani diffusa est, et omne pene genus hominum dedit neci. In Ægypto octava plaga fuit, excitatio locustarum; in Romano imperio excitatæ undique gentes, Romanam urbem cædibus incendiisque vastarunt. In Ægypto nona plaga fuit, palpabiles tenebræ, plus periculi comminantes, quam inferentes; in Romano imperio Aurelio persecutionem promulgante, terribilius fulmen sub ipsius pedibus ivit, ostendens quid faceret tantus ultor, scilicet Deus, si vellet, nisi patiens esset, quanquam infra sex menses interfecti sunt tres imperatores, Aurelianus, Tacitus, et Florianus. In Ægypto decima plaga fuit, primogenitorum occisio, imo et templorum et deorum eversio; sic et in Romano imperio tandem facta est omnium perditio idolorum. Rex Ægypti potentiam Dei probavit, sensit et timuit, ac populum Dei liberum ire dimisit; sic et Romanorum imperator tandem conversus est. In Ægypto populus Dei non est amplius ad servitutem retractus; nec in Romano regno ad idololatriam amplius est coactus. Ægyptiis Hebræos dimissos persequentibus, post decem plagas irruit mare Rubrum. Christianos quoque in hoc sæculo peregrinantes persecutio gentilium manet, donec Christo duce transeamus mare Rubrum, hoc est, ignem judicii evadamus. Porro qui Christianos persequuntur, cum rege suo Antichristo in stagnum ignis *Apoc.* xx, 9, 15.
æterni demergentur.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : SANCTIFICA MIHI OMNE PRIMOGENITUM.

PRÆCEDENTI capitulo descripta est percussio primogenitorum Ægypti ; nunc recitatur quid ex illa percussione sit consecutum. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Sanctifica mihi,* id est, meo cultui, seu honorationi deputa et applica, *omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel :* hoc est omne primitivum inter filios Israel, seu Israelitarum, quod primo de matre sua egreditur, etiamsi post illud alter nullus ex eadem matre nascatur. Sicque primogenitum non distinguitur nunc contra unigenitum, sed contra B secundogenitum, ac deinceps. *Tam de hominibus quam de jumentis,* id est tam primogenita hominum, quam primogenita brutorum. *Mea enim sunt omnia :* hoc est, universa primogenita sunt specialiter mea, quoniam jubeo ea mihi offerri, aut meo cultui applicari, seu ad meum honorem aliquid fieri de eisdem, prout infra in isto habetur capitulo. Vel sic : Locutus est Dominus ad Moysen : Sanctifica mihi omne primogenitum, etc., id est, præcipe mihi sanctificari, seu meo cultui aut honorifi- C centiæ deputari omne primogenitum. Nam quamvis aliqua primogenita redimebantur, et aliqua offerri non poterant, ut primogenita canum, quæ interficiebantur ; aliquid tamen fiebat de eis seu circa ea, ad Dei honorem in commemorationem poten-
***Exod.* xii, 29.** **tiæ atque justitiæ ejus, quas in percussione primogenitorum Ægypti ostendit. Sicque primogenita diversimode sanctificabantur Deo, ut infra magis dicetur. Istud quoque intelligitur totum de primogenitis masculis. De omni etenim fructu primitiva seu D potiora Deo sunt offerenda, et quoniam sola primitiva masculini sexus percusserat in Ægypto.**

A *Et ait Moyses ad populum* Hebræorum : *Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto,* quæ fuit dies quintadecima mensis primi apud eos, scilicet Aprilis aut Martii, sicut in præcedentis capituli expositione præhabitum est ; *et de domo servitutis,* hoc est de ipso regno Ægypti, in quo tanquam in loco et mansione durissimæ servitutis estis morati. Vel, De domo servitutis, hoc est de domibus habitationum vestrarum, quas habuistis in terra Gessen, in quibus domibus habitastis, ut servi Ægyptiorum ; *quoniam in manu forti,* hoc est per magna signa et in fortitudine sua omnipotente, *eduxit vos Dominus de loco isto.* Mementote, inquam, hujus diei tam vos quam posteri vestri : *ut non comedatis fermentatum,* id est panem, in quo fermentum admixtum est, *septem diebus* quibus durat paschalis festivitas. Circa hoc Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem : Præceptum non obligabat ad comedendum azyma, nisi primo die quando comedebatur agnus paschalis ; ceteris diebus sufficiebat abstinere a fermento et fermentato. Cui dicto obviare videtur, quod præcedenti capitulo a Deo jubetur, Septem diebus azyma comedetis. Circa quod dicit glossa interlinearis : Prima dies dicitur Pascha, reliqui dicuntur dies azymorum, quia videlicet azymis panibus in eis vesci oportuit. ***Exod.* xii, 15.**

Hodie egrediemini de Ægypto mense novarum frugum, quæ illo in mense habentur in territoriis illis. In quo etiam mense fiebat de primitiis fructuum novorum oblatio, estque tempus illud ad ambulandum satis conveniens. *Cumque introduxerit te Dominus,* si non demerueris introduci, vel te in posteris tuis, seu posteros tuos pro te, *in terram Chananæi et*

Digitized by Google

Hethæi, etc., *quam juravit patribus tuis*, id est, Abrahæ, Isaac et Jacob cum juramento promisit dare posteritati eorum, *ut daret tibi, terram fluentem lacte et melle*, id est in victualibus abundantem, *observabis* * *hunc morem sacrorum mense isto*, id est, sacros dies paschales et sacrificia eorumdem celebrabis juxta ritum præfatum. *Septem diebus vesceris azymis :* per quod patet veritas verbi contra Rabbi Salomonem inducti; *et in die septimo erit solennitas Domini*, id est, dies septima festi paschalis, erit solennis sicut et prima, ut capitulo patuit præcedenti. *Azyma comedetis septem diebus. Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.*

*brabis

Narrabisque filio tuo in die illo, dicens, id est, domesticis tuis, et soboli atque discipulis causam observantiarum istarum exponens, dicendo : *Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto :* id est, celebritas ista paschalis commemorat et designat beneficia mihi seu patribus meis desuper præstita, quando exivi Ægyptum in propria persona, vel in patribus meis, in quorum lumbis tunc eram secundum rationem seminalem et carnis massam. *Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos*, id est, tam incessabiliter recordaberis horum, ac si esset aliquod corporale indicium in manu tua pro recordatione ligatum, vel coram oculis tuis appensum. Porro Judæi, ut fertur, occasione horum verborum scribunt istud in schedula, quam ligant in manu sinistra sive ad brachium, et aliam schedulam eadem continentem ligant ad caput. *Et ut lex Domini semper sit in ore tuo*, id est, in omni tempore opportuno paratus sis legem hanc Domini confiteri et filios tuos docere. *In manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies :* hoc est, observantiam hanc paschalem omni anno servabis mense primo, sicut præfixum est, a prima die hujus festi usque ad septimum diem.

Quumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam : per quam designantur terræ omnium gentium seu decem nationum, quarum terras Deus promisit Hebræis; *separabis omne quod aperit vulvam*, omne scilicet primogenitum, *Domino*, id est, ab aliis fœtibus discernes illud, tanquam ad Deum specialiter pertinens, *et quod primogenitum* * *est in pecoribus tuis. Quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino*, id est, primogenita masculina Deo repones, offeres, et speciale aliquid circa illud facies ad Dei honorem. Primogeniti quippe Levitarum Deo præcipue offerebantur et consecrabantur lege collata, quia in templo Domino servierunt. Primogeniti aliarum tribuum offerebantur; et oblati, mox redimebantur quinque siclis, ita quod de cetero non erant obligati esse ministri in cultu templi. Ideo sanctificatio et consecratio horum non fuit ita perfecta et propria, ut sanctificatio et consecratio Levitarum. Primogenita demum animalium mundorum immolaticiorum offerebantur, sacerdotumque erant. Primogenita vero animalium immundorum, quæ offerri in sacrificium non valebant, vel commutabantur, ita quod aliud animal mundum aptum immolari offerebatur pro primogenito tali, sicut subjungitur, *Primogenitum asini mutabis ove;* vel occidebantur, propter quod subditur, *Quod si non redemeris, interficies*, id est, primogenitum quod non redimebatur nec mutabatur, mox occidebatur ad Dei honorem : quia Deus hoc jussit, ne aliis usibus deputaretur, quod ipse voluit esse suum, pro memoriali quod primogenita Ægyptiorum necavit, et primogenita Israelitarum de manu percussoris salvavit. Sic ergo primogenita universorum Domino consecrabantur aliquo modo, quia aut offerebantur, aut commutabantur. Et id quod offerebatur pro eis, seu pretium pro quo vendebantur, erat sacerdotum ad sustentationem eorum; aut occidebantur. *Omne autem primogenitum hominis de filiis*

*primitivum

Digitized by Google

tuis, pretio redimes, id est, primogenita inter filios Hebræorum, pretio (scilicet quinque siclis) redimentur, ut dictum est, demptis tamen primogenitis Levitarum.

Deinde in textu describitur causa seu ratio horum, quæ jam evidenter expressa est; et patet textus ex dictis. Sed Moyses eadem multoties repetit, ut ea durissimis cordibus Judæorum firmius inculcaret. Quemadmodum enim lapis aut ferrum non cito recipit formam imaginis imprimendæ, sic corda illa lapidea, imo et ferrea, frequenti repetitione et incussione egebant, ut tandem divina testimonia ac mandata stabiliter retinerent : quod legislatorem eorum non latuit. Non ergo superflua fuit tam frequens repetitio.

Igitur quum emisisset Pharao populum, id est, quum fecisset Hebræos egredi de Ægypto, *non eos duxit Dominus* ad terram promissionis *per viam terræ Philistiim, quæ vicina est Ægypto,* et etiam terræ Chanaan, inter quas directe est situata, ita quod per Philistæos compendiosiori itinere de Ægypto in terram promissionis pertingitur, et econtra. Et quod via illa non sit vehementer remota et longa, inde perpenditur, quod filii Jacob ex terra promissionis in Ægyptum pro victualibus descenderunt; tantaque inde tulerunt, quod suffecit tam in itinere quam in terra promissionis per annum aut circiter, quum tamen asini, non quadrigæ, tulerunt empta. *Reputans, ne forte pœniteret eum, si videret adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum :* id est, ipse Dominus intra se cogitans, et idcirco id faciens, ne forsitan filii Israel dolerent se exisse Ægyptum, si viderent Philistæos sibi occurrere ad pugnandum. Erant equidem Philistæi duri et robustissimi bellatores. Imo Deus certe cognovit, quod in tali casu filii Israel de suo exitu pœniterent, de divino auxilio diffidentes, quemadmodum postea doluerunt, audito ab exploratoribus quales essent habitatores terræ Chanaan. Verumtamen in littera dicitur, Ne forte, non quod in divina præscientia sit aliqua incertitudo, sed ad insinuandum libertatem arbitrii, cui præcognitio nequaquam necessitatem imponit.

Circa hæc quidam scribit duo : Primum est, quod Philistæi erant multi et fortes bellatores, unde Josue et filii Israel non potuerunt eos debellare. Quod non videtur idonee dictum, quoniam sicut Josue et filii Israel debellaverunt Chananæos se multo fortiores, non humana, sed divina virtute, ita eadem virtute potuissent debellare et Philistæos, si Deo sic placuisset. Cur autem Deus non subjecit ipsi Josue et filiis Israel Philistæos in toto, siquidem pro parte subdidit eos illis, habetur in libro Judicum in textu, utpote ut in Philistæis *Judic. III, 2, 4.* experiretur Israelem, an vere timeret Dominum, et ut filii Israel haberent consuetudinem præliandi. Secundum est, Philistæi nondum demeruerunt ita puniri sicut Ægyptii, nec de terra sua expelli, sicut Chananæi. Ideo Dominus noluit quod filii Israel irent per viam terræ Philistiim. Ad quod dico, quod Philistiim erant idololatræ pessimi, quemadmodum Chananæi atque Ægyptii ; nec solum meruerunt temporaliter puniri et expelli, sed et æternaliter condemnari, quod omnem temporalem supergreditur incomparabiliter pœnam : imo Dominus promiserat filiis Israel terram Philistiim, sicut et Chananæorum. Erant enim ex genere Cham, et una decem *Josue XIII.* gentium, quarum terram promiserat Israeli, ut patet in Genesi et in libris Josue ac Judicum manifeste. Quamvis autem omnipotens Deus omnia possit, non tamen vult semper omnipotentiam suam ostendere, sed secundum sapientiæ suæ censuram ac ordinem operatur.

Sed circumduxit filios Israel *per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum.* Nam Deus Moysi prænuntiavit, quod in montem Sinai essent venturi et ibi immolaturi. Ibi quoque voluit eis legem donare. In Ægyptiorum item demersione voluit suam demonstrare justitiam. Dicitur autem mare Rubrum, non quod aquæ sint rubræ, sed quod apparent rubræ propter fundi et la-

Digitized by Google

pillorum ibi jacentium ruborem, ut fertur, et quia terra in ripa est rubra, commisceturque aquæ, propter quod præcipue circa littus rubra videtur. Verumtamen in Hebræo dicitur, mare Suph, id est juncosum sive cannosum, eo quod junci sive cannæ abundent in littore. *Et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.* Quidam dicunt quod Ægyptii accommodaverunt Hebræis arma ad defendendum se a prædonibus, et vasa pretiosa quæ concesserant eis. Alii verisimilius dicunt, quod dicuntur ascendisse armati, quia de supellectili et pretiosis rebus Ægyptiorum eis concessis, erant bene provisi atque muniti. Quam expositionem tangit Hieronymus. Porro Septuaginta transtulerunt, Et quinta generatione ascenderunt filii Israel, etc. In Hebræo habetur, Quinta; et pro explanatione, Septuaginta addiderunt, Generatione. Et possent generationes illæ tam in tribu Levitica, quam in tribu regia Judæ sic accipi. Nam Moyses fuit quintus a Jacob, quoniam Levi, Caath, et Amram, inter eos fuerunt. Similiter Salmon de tribu Juda qui de Ægypto egressus est, fuit quintus a Phares filio Judæ, qui cum ipso Juda intravit Ægyptum. Phares namque genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram vero Aminadab, Aminadab vero Naasson, de quo natus est Salmon.

Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum, eo quod Joseph adjurasset filios Israel, dicens : Visitabit vos Deus, id est, gratiose liberabit posteros vestros de hac terra; *efferte ossa mea hinc vobiscum,* id est, posteros vestros ad hoc obligate. Hæc autem
Gen. l, 24. locutus est Joseph in extremis, ut in Genesi scriptum est, ubi et verba hæc plenius exstant exposita. Circa hæc Magister in historiis scribit : Nilus tunc præter solitum adhuc inundabat terram, in qua erat sepulcrum Joseph. Tunc Moyses scripsit in lamina aurea nomen Domini tetragrammaton, quæ superposita aquæ, natavit usque dum venit et stetit super sepulcrum Joseph ; et effodientes, sustulerunt ossa ipsius, quæ sublata, leguntur eis prophetasse, forte de difficultate itineris. Tamen Hebræi tradunt, quod ovis improvise adstitit, et supernaturaliter locuta est eis. Propter quod vocabant eam ovem Joseph, et diu duxerunt eam secum per desertum, juxta illud, Qui deducis velut ovem Ps. LXXIX, 2.
Joseph. Porro Lyra dicit hæc esse fictitia, quia nec Josephus, nec glossæ Hebraicæ dicunt hoc. Nec verisimile est, quod ossa Joseph fuerint sepulta in campis aut pratis ubi aqua possint inundari. Circa quod dico, quod vir ille authenticus Petrus Comestor, auctor Scholasticæ historiæ, non retulisset præfata, nisi ex Hebræis et scriptis eorum hoc accepisset, vel ex aliis scriptis allegatione condignis. Denique sepulcra etiam divitum et magnatum consueverunt a Judæis fieri in hortis aut campis. Nam et Abraham, Isaac et Jacob cum suis uxoribus in spelunca duplici in agro Ephron Hethæi sepulti sunt, sicut ex Genesi patuit. Joseph quoque ab Arimathæa vir nobilis, corpus Christi sepelivit in sepulcro, quod sibi exciderat in petra sita in horto, ut patet Joannis nonodecimo; et usque in præsens Judæi ita sepeliunt suos in pratis. Aqua autem Nili interdum tam copiose inundat, ut et loca ac monumenta alte et celebriter situata potuerit inundare. Et forte post tot annos sepulcrum Joseph fuit neglectum, aut ab Ægyptiis dehonoratum. Ideo reprobatio illa inepta est.

Gen. XXIII, 19; XXV, 9; XXXV, 27, 29; XLIX, 29-31. Matth. XXVII, 60. Joann. XIX, 41, 42.

Profectique filii Israel *de Socoth, venerunt* * *in Etham, in extremis finibus solitudinis,* id est juxta terminum illius deserti ex una parte, in qua erat propinquum terræ habitabili Ægyptiorum. Unde in Scholastica fertur historia : Etham erat civitas tunc deserta in capite solitudinis, quæ a Josepho dicitur Lithus. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Columnam illam quidam dicunt fuisse unam in substantia, sed duplicem in officio, ita quod ex una parte habuit speciem ignis et lucem : et illa pars luxit

* castrametati sunt

Hebræis tempore noctis ut viam agnoscerent, et sibi a serpentibus præcaverent; ex alia vero parte habuit speciem et officium nubis, quæ obumbravit Hebræos in die, ut et viam monstraret, et contra intensum solis calorem qui ibi abundat, eos protegeret. Hebræi vero (ut fertur) affirmant, quod fuit duplex columna : una nu- A bis, in die apparens, et de vespere abiens; alia ignis, de vespere subintrans, et mane recedens. Hanc columnam angelus movit, ideo Dominus per angelum suum ministrum dicitur eos præcessisse in columna. Quæ etsi obumbravit illos, tamen ex parte sua anteriori extendebatur in tantum, quod pro parte præcessit.

ARTICULUS XXV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI TERTIIDECIMI INTELLECTU.

LOCUTUSQUE *est Dominus ad Moysen: Sanctifica mihi omne primogenitum,* etc. Quemadmodum per primogenita Ægyptiorum occisa, designantur principalia vitia juste damnanda; ita per primogenita Hebræorum a morte præservata, significantur præclariores actiones virtutum, quas Dominus tempore tentationis præservat, ne vincantur a vitiis. Hæ sanctificandæ sunt Domino, id est divinæ pietati ac gratiæ humiliter adscribendæ. Nempe quum nil boni a nobismetipsis habeamus, quanto actiones virtutum fuerint in nobis eminentiores, tanto plus attribuendæ sunt Deo, ex cujus providentia oritur, ut sic vel sic ad virtutum pertingamus profectum ac verticem. Ut ergo primogenita tua consecres Deo, tanto debes esse gratior Deo atque humilior, quanto virtuosior, devotiorque exstiteris, ut cum Apostolo fatearis : Gratia Dei sum id quod sum. (I Cor. xv, 10.) Ista primogenita aperiunt mentis vulvam, quia de cordis fundo ac fecunditate interna nascuntur.

Memento te diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus; ut non comedatis fermentatum. Istud unicuique nostrum committitur. Egressi enim sumus de Ægypto et habitaculo servitutis, quando per veram contritionem opera tenebrarum et errores sæculi, ignorantias B mentis, conversationem carnalem relinquimus; et jugiter Deo regratiari debemus, quod tamdiu nos toleravit in vita iniqua, et non solum distulit damnationis supplicia, sed insuper pro malis reddidit bona, et gratiam conversionis largitus est. Quod utique fecit in manu forti, quum majus sit peccatorem convertere, et rebellem voluntatêm sine coactione salubriter immutare, quam cœlum et terram creare. Denique sæculum istud nequam recte vocatur domus miseræ servitutis, quia in eo C serviunt amatores sæculi principi tenebrarum ac vitiis, et jugo subduntur iniquitatis. Propter quod princeps Apostolorum : Iniqui, inquit, sunt servi corruptionis. (II Petr. II, 19.) Et Christus : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. (Joann. VIII, 34.) Cui servituti opponitur mentis sacra libertas, de qua ait Salvator : Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. (Ibid. 36.) Paulus quoque : Itaque non sumus filii ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. (Galat. IV, 31.) Specialiter vero religiosis incumbit, ut semper grati sint Deo, pro D eo quod de mundo in maligno posito eos (I Joann. V, 19.) abstraxit, atque in claustro constituit. Nec unquam oblivisci debent diei in quo religionem ingressi sunt seu professi, ne a pristino torpescant fervore, sed juxta suæ professionis exigentiam satagant Deo digne servire, ne eis illud in Apocalypsi

Digitized by Google

oc. II, 4. scriptum, a Judice summo dicatur : Habeo adversum te, quod caritatem tuam pristinam reliquisti. Horum itaque memores esse debemus, ne fermentatum edamus, hoc est, ne ad pristinos excessus atque errores ullatenus revertamur. Propter quod a Pe-
Petr. I, 5. tro monemur : Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ tenebris, sed secundum eum qui vocavit vos, et ipsi in omni conversatione sancti sitis. Rursus, domus servitutis est caro ista mortalis, quam exire debemus, passiones ejus et vitia derelinquendo, cœlestia ac spiritualia charismata cupiendo ac contemplando.
n. VIII, 8. Nempe ut ait Apostolus, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Quumque introduxerit te Dominus in terram fluentem lacte et melle, id est, Christo et corpori ejus mystico, quod est Ecclesia electorum, in qua est abundantia spiritualium alimentorum, te incorporaverit, aut ad sacram religionem perduxerit, vel corpus rationi omnino subjectum tibi contulerit, celebrabis *hunc morem sacrorum,* id est, Pascha spiritualiter facies, et Christum in Sacramento cum vera præparatione accipies. *Primogenitum asini mutabis ove.* Per asinum insensata simplicitas et hebetudo atque stoliditas denotatur; per ovem, innocentia et simplicitas bona. Itaque primogenitum asini mutamus ove, quando primordia humanæ stultitiæ et inconsiderationem propriorum periculorum abjicimus, et veram puritatem innocen-
Matth. XVIII, 3. tiamque amplectimur. Nisi enim conversi fuerimus et effecti ut parvuli, non intrabimus regnum cœlorum. Malam ergo et asininam simplicitatem mutemus in simplicitatem columbinam, innocentiamque
d. X, 16. ovinam, ut simus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Unde hor-
tatur et summus Apostolus : Quasi modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite. I Petr. II, 2.
Quod si non redemeris, interficies : id est, si tam perfecte te emendare nequiveris, saltem reproba confitere, et vita pristinas tuas iniquitates. *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes :* id est, opera tua præcipua, rationabilia, ex tuo intellectu et voluntate nascentia, virtute et merito pretiosissimi sanguinis Christi seu passionis ipsius, non propriis viribus, de manu et rabie hostium tuæ salutis, inviolata custodire conaberis.

Igitur quum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, etc. Per hoc significatum est, quod Deus noviter conversos in suæ exordio conversionis frequenter custodit a gravioribus tentamentis, et pie ac dulciter tractat eos, ne victi succumbant, atque ad pristina redeant mala. Quum vero fuerint in virtutibus exercitati, spiritualibus præliis et gravioribus tentationibus eos impugnari permittit. *Et armati ascenderunt filii Israel* de Ægypto. Hoc impletur in nobis, quando per veram contritionem spiritualibus implemur charismatibus Spiritus Sancti, armatura virtutum, opulentia meritorum ; sicque ad excelsa tendimus internorum profectuum ac evangelicæ perfectionis. Tunc Dominus nos præcedit, et viam salutis ostendit per diem, puta in prosperis, per columnam nubis, id est per refrigerationem et irrigationem supernæ illuminationis et unctionis ; atque in nocte, videlicet in adversis, per columnam ignis, hoc est per terrorem divini judicii, itemque infernalis incendii, quorum consideratione in adversis patientiam observamus, nec iter virtutum relinquimus. De horum tamen significatione infra plenius disseretur.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : LOCUTUS EST AUTEM DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : LOQUERE FILIIS ISRAEL.

CAPITULUM istud describit, qualiter A Pharao cum omni suo exercitu filios Israel persequendo penitus periit. *Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, Reversi castrametentur e regione Phihahiroth :* id est, hoc præcipe eis, ut paululum redeant versus Ægyptum, et castra seu tentoria sua collocent ex opposito loci, qui Phihahiroth nuncupatur, *qui est inter Magdalum et mare contra Beelsephon,* id est, qui locus situs est inter urbem nomine Magdalum, constitutam in Ægypti confinio, ad quam B confugerunt Judæi tempore Jeremiæ prophetæ Godolia occiso, et inter locum Beelsephon dictum. *In conspectu ejus castra ponetis super mare,* hoc est, in loco præfato evidenter ponetis turmas vestras ac papiliones circa littus maris Rubri : quatenus Ægyptii mox venturi, putarent eos deviare a recto itinere, et esse in tali loco, quod manus suas non valerent evadere. Denique mare Rubrum in duos sinus seu per duo loca dividitur : unus sinus seu fundus est ab oriente, et Persicus appellatur, quoniam Persæ oram ejus inhabitant ; alter Arabicus dicitur.

Jer. XLI, 17; XLIV, 1.

Dicturusque est Pharao super filiis Israel : Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum : id est, Pharao cognito per exploratores et nuntios suos, quod filii Israel in loco prædicto consisterent, dicet de eis ad populum suum : Jam constituti sunt in tali loco, in terra et solitudine in qua sunt, quod evadere nequeunt ; quia (ut Josephus refert) ex una eorum parte erant asperrimi et immeabiles montes, ex D alia mare Rubrum, nec patuit eis fuga, nisi per viam per quam Pharao fuit contra eos venturus. *Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos,* id est, permittam eum sic indurari et excæcari, quod dolebit de hoc quod permisit vos egredi suam terram, et quasi oblitus præteritarum plagarum, insequetur vos, non attendens nec metuens potentiam atque justitiam Dei quas toties est expertus ; *et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu ejus,* id est, per justam ejus et suorum punitionem et submersionem, meam potentiam ac justitiam tam sublimiter declarabo, quod omnibus innotescent, et famosus ero ac gloriosus reputabor ubique. Unde supra Dominus dixit ad Pharaonem : Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. *Scientque Ægyptii quia ego sum Dominus.* Pharao namque et ejus exercitus per experientiam propriæ punitionis hoc cognoverunt, et qui in Ægypto remanserant, hoc noverunt ex mirabilibus quæ Deus tunc in mari Rubro exercuit. Verumtamen Ægyptiorum cognitio, qua Dei eminentiam dominiumque noverunt, informis fuit et imperfecta, quan- C tum ad eos qui se non emendaverunt ex ea.

Feceruntque ita. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus. Jam ante sciebat populum Hebræorum exisse de terra sua, sed eos redituros putabat, dum expleto trium dierum itinere sacrificassent. Nunc autem percepit a nuntiis suis, qui iter et processum Israelitarum exploraverunt, quod ipsi Israelitæ non disposuerunt se ad redeundum post viam trium dierum, sed quod processerunt ulterius, ideoque proponerent omnino recedere : quod fugam esse reputaverunt Ægyptii. *Immutatumque est cor Pharaonis*

Digitized by Google

et servorum ejus super populo, id est, propositum mutaverunt, et quos egredi compulerunt, nunc ad redeundum cogere cogitabant. *Et dixerunt* ad invicem : *Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis?* quasi dicant, In hoc stulte fecimus ; nam et signa præhabita adscripserunt (secundum Josephum) veneficiis Moysis. *Junxit ergo currum,* id est, proprium suum currum jussit parari sibi, *et omnem populum suum,* id est quosdam de singulis, *assumpsit secum.* In Scholastica historia fertur : Assumpsit secum quinquaginta millia equitum, et ducenta millia peditum. *Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit et duces exercitus.* Secundum Josephum, accepit secum proprios currus trecentos, et totidem ab Ægyptiis. Et quod ait, Quidquid curruum in Ægypto fuit, intelligendum est de electis seu elegantibus curribus, qui in bellicis solent negotiis deservire, et quos expedite quivit acquirere. Et si quæratur, qualiter habebat tot equos, patet responsio ex prædictis. Non enim omnia Ægyptiorum animalia erant grandine interfecta, sed quæ erant in agris relicta.

Quumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, scilicet Hebræorum, quorum etiam vestigia in locis arenosis potuerunt faciliter apparere, *repererunt,* id est a longe viderunt, *eos* esse *in castris,* id est casulis suis, *super mare.* Nondum tamen attigerunt Hebræos ; propter quod subditur : *Omnis equitatus et currus Pharaonis et universus exercitus ejus erat in Phihahiroth contra,* id est ex opposito, *Beelsephon :* de quibus locis jam dictum est. *Quumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, et timuerunt valde :* quoniam rudes erant et imperfecti, non habentes perfectam fidem et spem in Deo, qui toties pugnavit pro eis, et adjutorium suum eis promisit. Atque (ut Josephus addit) erat luctus et gemitus mulierum et infantium, quasi habentium ante oculos mortem, nec evadere potentium. *Clamaveruntque ad Dominum,* invocando ejus auxilium, quia aliqualiter speraverunt in eo ; sed quam modice, constat ex eo quod subditur : *et dixerunt ad Moysen* aspernanter atque ironice et increpatorie : *Forsitan non erant sepulcra,* id est apta loca pro sepultura, *in Ægypto, et ideo tulisti,* id est de Ægypto exire fecisti, *nos, ut moreremur in solitudine,* etc., hoc est, ut nunc in deserto hoc ab Ægyptiis occidamur. Sed cur tantum timuerunt Hebræi, quum essent plus quam in duplo, imo quasi in triplo plures Ægyptiis illis? Respondetur, quod non erant ita periti ad bella sicut Ægyptii, nec equitibus putabant se posse resistere, atque (ut in historiis addit Magister) erant inermes. Nec obstat quod præcedenti habetur capitulo, quod ascenderunt armati : quia secundum probabiliorem expositionem, hoc intelligitur de divitiis Ægyptiorum quas asportabant, non armis proprie dictis. Vel ideo dicuntur fuisse inermes, quia non bene erant armati. *Exod.* XIII, 18.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere Ægyptios carnali et mundano timore ; *state* firmi in fide et spe divini auxilii, *et videte magnalia Domini quæ facturus est hodie,* id est, quæ facere inchoabit hac die. Non tamen die illo ante noctem fuerunt submersi Ægyptii. Sed quid Dominus fecerit illo die pro filiis Israel, paulo post subditur. *Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum,* id est, nunquam post hanc diem videbitis eos vivos in vita præsenti. Tamen die sequenti viderunt eorum cadavera. In die quoque generalis judicii poterunt resuscitatos videre. Ex hac pia et dulci responsione ostenditur mira mansuetudo ac patientia Moysis, qui ad irrationabilem, improbam et ingratam populi sibi subjecti interrogationem, imo potius redargutionem, tam benigne respondit. Siquidem dicere potuisset : Quid invehimini contra me, quasi ego proprio motu vos de Ægypto eduxerim? *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.*

Digitized by Google

Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me ? Per hoc datur intelligi, quod et Moyses clamavit ad Dominum, sed non ita sicut imperfecti Hebræi. Non enim ex animi perturbatione aut diffidentia seu inordinato timore clamavit, nec clamor ejus fuit strepitus oris, sed fervor atque devotio cordis, nec cessavit Dei auxilium invocare, quamvis sciret id mox affuturum. Nam scivit quod Deus vult per orationes obtineri, quod ipse proponit misericorditer dare. Et providentia Dei hoc continet, ut multa per Sanctorum preces adimpleantur. Sic et Christus passione instante oravit pro sui corporis glorificatione, et pro sua clarificatione, pro electorum quoque finali salvatione : quæ omnia certissime scivit futura. Nec Deus increpatorie dixit ad Moysen, Quid clamas ad me? quia non reprehendit quod oravit, sed ex familiaritate. Quasi dicat : Tam familiaris et carus es mihi, ut non oporteat diutius te clamare, quum sim paratus te exaudire. Ideo subditur : *Loquere filiis Israel ut proficiscantur* usque ad ripam maris, deinde per fundum ejus siccatum. *Tu autem eleva virgam tuam,* per quam et alia signa fecisti, *et extende manum tuam super mare* cum virga, *et divide illud,* id est, dividendum designa, et ministerialiter divide illud, quemadmodum alia signa egisti. Moyses quoque meritis suis ac precibus ad maris Rubri divisionem cooperabatur. *Ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum,* id est per arefactum fundum, in quo paulo ante aqua cucurrit.

Joann. XVII, 1.

Tollensque se angelus Domini qui præcedebat castra Israel, quia per motum nubis et ignis præcessit et viam monstravit, *abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis :* id est, angelus se ipsum ac nubem illam transtulit a loco anteriori usque post dorsa Hebræorum, ponensque se inter eos atque Ægyptios ; ideo subditur : *priora,* scilicet loca, *dimittens, post tergum* Hebræorum *stetit* invisibiliter in aere et in nube quam rexit, *inter castra Ægyptiorum et castra Israel,* hoc est inter turmas

A seu tentoria utrorumque. *Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem.* Ex hoc apparentiam habet opinio dicentium, quod columna nubis et columna ignis eadem erat. Videtur enim in textu insinuari, quod eadem columna nubis, quam scilicet angelus tulit secum, fuit tenebrosa atque illuminans : tenebrosa videlicet in ea parte, qua respiciebat Ægyptios ; et illuminans noctem, ex parte qua versa fuit ad Hebræos. *Ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Non quod

B Hebræi optarent ad Ægyptios ire, sed quia Ægyptii appetebant Hebræos subito obruere, et violenter reducere; sed propter interpositæ nubis teterrimam densitatem eos adspicere et aggredi non valebant. Porro qui dicunt duas fuisse columnas, affirmant quod circa noctem adveniente columna ignis, columna nubis more solito non recessit ; sed mansit versus Ægyptios, et columna ignis respexit Hebræos.

Quumque extendisset Moyses manum cum virga *super mare, abstulit illud Dominus,*

C id est, aquas a fundo abstraxit et ab invicem separavit, *flante vento vehementi et urente tota nocte :* qui ventus non divisit mare ; imo vento illo incipiente, divisæ sunt aquæ, post quarum divisionem mansit flans ventus, et suo impetu ac calore desiccans terram fundi, super quam aqua paulo ante cucurrit. Ideo subditur : *et vertit in siccum :* non quod aqua fuit siccata, quum humiditas inseparabilis sit ab aqua, sicut calor ab igne ; sed fundum prius humidum, vertit in siccum, ne si

D maneret lutosus et mollis, esset ad perambulandum ineptus.

Divisaque est aqua. Dicunt nonnulli, quod universi Hebræi per eamdem divisionem et viam divisi maris incesserunt, Moysen ducem sequentes; sicque divisa fuisset aqua in duas partes dumtaxat, inter quas una via apparuit. Probabile namque videtur, quod omnes tribus elegerunt viam incedere, in qua Moysen cernebant præcedere, et quod per alias vias formidassent intrare. Et ista est Hebræorum et multo-

rum Catholicorum positio, quam et in expositione libri Psalmorum magis secutus sum. Alii dicunt, quod factæ sunt ibi duodecim divisiones ac viæ, unicuique tribui una; et quod singulæ tribus per singulas vias, seu unaquæque per suam ingressæ sint. Unde Origenes circa hæc scribit: Audivi a majoribus traditum, quod in ista digressione maris, singulis tribubus Israel singulæ divisiones sint factæ. Quod osten-
.cxxxv, ditur ex eo quod scriptum est, Qui divisit mare Rubrum in divisiones : per quod plures divisiones docentur factæ; atque
.lxvii,28. per illud : Ibi Benjamin junior in stupore, principes Juda duces eorum, principes Zabulon et principes Nephthali. Idem tenet Cassiodorus super illud, Qui divisit mare Rubrum in divisiones. Magister quoque in historiis. Verumtamen illa auctoritas, quæ magis videtur esse pro eis, sic potest intelligi : Qui divisit mare Rubrum in divisiones, id est in duas partes a se invicem divisas. Alii dicunt, quod ibi ponitur plurale pro singulari, quemadmodum in Ge-
en. xlvi, nesi, ubi dicitur : Filii Dan, quum tamen Dan non nisi unum habuerit filium.

Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, id est per medium terræ siccatæ super quam cucurrerat aqua. *Erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva.* Nempe si frigus potest aquæ soliditatem et immobilitatem influere, ut patet in glacie: quanto magis omnipotentia Creatoris, cui omnis creatura ad nutum obedit per ingenitam obedientialem potentiam? *Persequentesque Ægyptii, ingressi sunt post eos.* Quod fuit excæcatio admiranda, et stulta ac impetuosa audacia, quia eorum ratio fuit prorsus obtenebrata.

Circa hæc in Scholastica recitatur historia : Divisum est mare in duodecim divisiones, ut quæque tribus per turmas suas incederet. Et advocans Moyses singulas tribus secundum ordinem nativitatis earum, hortabatur eas ut ipsum præeuntem sequerentur. Quumque Ruben, Simeon et Levi renuissent intrare, tribus Juda primo aggressa est iter post Moysen, per quod meruit regnum. Ægyptii vero videntes quod Hebræi ingressi essent per mare, reputabant eos vesanos; sed quum viderent illæsos abire, ingressi sunt post eos.

Jamque advenerat vigilia matutina, in qua filii Israel jam pervenerunt ad littus, Ægyptii autem adhuc erant in medio maris siccati; *et ecce respiciens Dominus supra castra,* id est exercitus, *Ægyptiorum:* erant enim in illo totali exercitu turmæ distinctæ ac plures, subjectæ diversis ducibus belli; *per columnam ignis et nubis.* Iste respectus, fuit respectus justæ ac rigidæ ultionis : quia ex illa columna descenderunt super Ægyptios fulgura atque tonitrua; imo (sicut ex Josepho Magister in historiis protestatur) intolerabiles imbres et graves tonitruos, coruscationes et lampades injecit Dominus super eos, ex quibus etiam multi occidebantur. Idcirco subjungitur : *interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Ceciderunt enim præcipites. *Dixerunt ergo Ægyptii* nondum occisi, neque adhuc ita præcipitati: *Fugiamus Israelem, Dominus enim,* cui nullus resi- Esth. xiii, 9.
stere valet, *pugnat pro eis contra nos.* Prædicta autem angelico fiebant obsequio.

Et ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam cum virga *super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum. Quumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum. Fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ,* etc., *et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis,* etc., in quo etiam pedites multo velocius fuerunt aquis operti. Circa hoc scribit quidam : Ægyptii ex timore ita erant turbati et stupefacti, quod non currebant ad littus, sed magis contra aquas supervenientes. Quod non videtur idonee dictum. Aquæ enim maris divisi, stabant a littore per quod ingressi fuerunt Hebræi, usque ad locum quo exierunt, per modum murorum consolidatæ et fixæ usque ad exitum Hebræorum. Quibus egressis, cœperunt aquæ ex utraque parte a

Digitized by Google

littore per totum spatium factæ divisionis, ad fundum recidere et deorsum confluere, sicque occurrerunt Ægyptiis, etiam si ad littus confugere conabantur. *Et viderunt* filii Israel *Ægyptios mortuos super littus maris :* mare namque ejecit corpora submersorum ; *et manum magnam,* id est potentem effectum seu ultionem, *quam exercuerat Dominus contra eos.*

Circa hæc asserit Josephus, quod filii Israel incesserunt per fundum maris usque ad littus oppositum, ita quod pertransierunt spatium maris per latum. Porro Hebræi et multi Catholici dicunt oppositum, affirmantes quod quum Hebræi venissent ad extremum montis porrecti in mare, per longam maris viam obliquaverunt montem circumeundo, et ita ad idem littus Ægypti redierunt. Quod probant, quia natura maris est, corpora exstincta ad proximum littus ejicere. Quum ergo mane jacerent corpora Ægyptiorum in eodem littore, in quo scilicet exierunt Hebræi, patet quod idem erat littus ex altera montis parte situm. Mare quoque ibidem est latitudinis tantæ, quod nec Hebræi neque Ægyptii spatio noctis unius tunc fere æquinoctialis, usque ad maris medium transcurrissent. Et nisi corpora Ægyptiorum fuissent projecta ad littus in quo exierunt Hebræi, non potuissent ea videre ex opposita ripa propter distantiam. Insuper in Numeris legitur, quod filii Israel post transitum maris Rubri fuerunt in deserto Etham, et in illo (*Num.* xxxiii, 6, 8.) fuerunt ante transitum maris Rubri. Fuitque illud desertum in extremitate solitudinis (*Exod.* xiii, 20.) versus Ægyptum, puta ad littus ex parte Ægypti, ut patuit capitulo præcedenti. His quoque concordare videtur quod asserit Origenes : Jubetur Moyses virga percutere mare, ut ingredienti populo Dei dehiscat et cedat. Cogitur fluctus in tumulum, et unda in semetipsam repressa, curvatur. Ex quibus videtur, quod maris divisio instar semicirculi ivit ac rediit ad idem littus, tamen ultra montem præfatum. Videtur quoque probabile, quod Ægyptii sint submersi non remote a littore quo intrabant. Non enim nisi ante aliquantulam lucem diei ingressi sunt. Mare autem primo diluculo ad pristinum rediit locum, ut in isto habetur capitulo.

Idcirco quod quidam scribit, ex textu non haberi quod Ægyptii fuerunt propinquiores lateri uni, quam alteri, quando aqua irruit super eos, stare non potest ; nec valet argumentum ejusdem, quo arguit pro Josephi opinione quam sequitur : quoniam in sequenti capitulo legitur, Tulit Moyses Israel de mari Rubro, et ingressi sunt in desertum Sur. Nam ubi nos habemus, desertum Sur, Hebræus textus habet, desertum Etham, ut Magister in historiis dicit, et suo loco dicetur. Rursus, quod (*Exod.* xv, 22.) idem ait, desertum Etham, de quo in Numeris legitur, esse aliud ab eo, de quo (*Num.* xxxiii, 6, 8.) fertur præcedenti capitulo, improbat Rabbi Paulus, quia sic unum illorum fuisset citra mare Rubrum, et aliud ultra : quod non habetur ex littera ; sed textus planius (*Exod.* xiii, 20.) sonat, quod idem sit. Nec inde consequitur, quod Deus reduxit Hebræos ad terram Ægyptiorum, ut arguit quidam : quoniam mare Rubrum fuit propinquum Ægypto, quia Hebræi quamvis fessi et onerati, in tribus diebus pervenerunt ad illud ; et extendebatur usque ad terram promissionis, terminando eamdem secundum plagam orientalem, ut infra legitur. Sicque (*Ibid.* xxiii, 31.) filii Israel transeundo per littus maris, secundum longitudinem ejus, ab Ægypto semper elongabantur. Unde totum illud, exsistens citra et prope mare Rubrum, est unum magnum desertum, cujus pars quædam est desertum Sur, circa quod exierunt Hebræi. Hæc Rabbi Paulus.

Timuitque populus Hebræorum *Dominum,* cujus potentiam atque justitiam in Ægyptiorum demersione, et maris Rubri divisione consideraverunt. Et quidam eorum timuerunt Deum servili, alii initiali, alii filiali timore. *Et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus,* quia divina promissa in sua liberatione et Ægyptiorum plagatione viderunt impleta. Detraxerunt quoque arma Ægyptiorum ad littus ejectorum,

Digitized by Google

quæ (ut dicitur) pretiosiora fuerunt, quam cetera quæ ab Ægyptiis accommodaverunt.

Circa hæc Josephus ait : Nemo discredat factum esse istud miraculum, dum et eis qui cum Alexandro rege Macedonum fue- A runt, Pamphylicum mare divisum sit, et iter præbuit eis, quum ipsis aliud iter non esset, volente Deo per eos destruere principatum Persarum. Hoc testantur omnes qui actus Alexandri conscripserunt.

ARTICULUS XXVII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI INTELLECTU.

L*OCUTUS est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Reversi castrametentur,* etc. Per Pharaonem et ejus exercitum, designatur princeps tenebrarum cum satellitibus suis; per filios Israel, populus christianus; per Moysen, Christus, seu quicumque fidelis prælatus Christi vicarius. Itaque per hoc quod Deus per Moysen jussit filiis Israel, ut redirent versus mare Rubrum, dum eos insecuturus fuit Pharao cum populo suo : figuratum est, quod Deus per prælatos ac prædicatores denuntiat Christifidelibus, ne penitus fugiant a campo et exercitio spiritualis militiæ contra aciem vitiorum ac dæmonum, dum invisibiles hostes insequuntur ipsos fideles ad tentandum, sed opponant se eis. Et *super mare,* id est super fidem gratiamque in Baptismo collatam, se fundent ac figant, imo et super contritionis confessionisque sacramentum et lacrimas pœnitentiæ salutaris : quæ omnia per mare Rubrum signantur.

Dicturus est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Sic invisibiles hostes dum vident fideles terrenis occupationibus aut peccatis carnalibus detineri, et deserto concludi, id est, fragili carne, in qua non habitat bonum, circumdari, æstimant eos suarum rabiem tentationum non posse evadere ; sed cum ingenti præsumptione eos impugnant, qui jam per gratiam Dei reliquerunt Ægyptum, utpote vitiorum et errorum B caligines. Interdum autem contingit, quod fideles adhuc pusilli, videntes sibi imminere graves tentationes ac persecutiones pro justitia, quodammodo doleant se viam apprehendisse justitiæ, et eis per quos conversi sunt, indignentur, dicentes : *Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, et ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine.* Quasi dicant : Nonne in sæculari et pristina vita manendo, poteramus satis cito devenire ad mortem ? Cur ergo, inde nos retraxisti, ut tentationibus et persecutio- C nibus obruamur, atque in hac arcta vita et pœnitentiali horrore, deficiamus sine humano ac divino solatio ? Isti sunt penitus imperfecti, qui ad tempus credunt, et *Luc.* VIII, 13. in hora tentationis recedunt, in tantum, ut melius arbitrentur servire Ægyptiis, hoc est carnalibus vitiis vanitatibusque mundanis, quam mori in solitudine, id est, quam pro justitia gravia pati, et in abstractione ac rigore pœnitentiæ quasi in solitudine vitam finire. Quibus bonus prælatus seu exhortator virtuosus respondet : D *Nolite timere,* inordinata pusillanimique formidine ; *state* per fidem et perseverantiam boni incepti ; *et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie,* hoc est, sapienter pensate, quam gloriose atque magnifice Deus protinus vobis succurret, dummodo sincere confidatis in eo, implorando eum assidue cum omni affectu. Tunc enim sic conteret Satanam sub *Rom.* XVI, 20. pedibus vestris, ut Ægyptios, utpote dæ-

Digitized by Google

mones tentatores, quorum infestationem A nunc graviter fertis, prorsus vincatis, ita ut nunquam de cetero eos conspiciatis taliter sicut modo. *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Vere enim Deus adversarios nostræ salutis expugnat : idcirco non debemus nos inaniter jactare aut reputare, dum tentationibus prævalemus, sed silere humiliter, et gratias Deo referre.

Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me ? Saluberrime ad Deum clamamus, dum cum omni cordis recollectione et sensuum attentione oramus, dum divinæ B pietatis subsidia ardenter optamus, dum ad cœlestia suspiramus. Quod dum agimus, consolatur nos Deus, inspirando quod orationes hujusmodi et sanctæ affectiones exaudiantur ab ipso. Præcipit quoque Dominus bono prælato, ut filiis Israel, utpote ovibus Christi sibi commissis, dicat, quatenus proficiscantur tendendo ad patriam Beatorum per profectum virtutum. *Tu autem,* o prælate prædicator, *eleva virgam tuam,* hoc est, evangelicæ legis doctrinam exalta ac fortiter prædica, *et extende ma-* C *num tuam super mare, et divide illud,* id est, virtutem tui sermonis applica ad declarandum fidelibus efficaciam sacramentorum Baptismi et Confessionis, quorum gratiam cunctis paratam esse doceas tempore opportuno, per quorum virtutem et gratiam prævalent et salvantur electi. Quumque ministri tenebrarum insequuntur fideles, susceptioni Baptismatis aut Pœnitentiæ actibus sacris intentos, superantur ac pereunt virtute sacramentorum evangelicæ legis : per quæ omnia glorifi- D catur Altissimus.

Præterea, sicut angelus cum columna nubis se posuit inter Ægyptios et Hebræos; sic angeli singuli, qui custodes sunt animarum nostrarum, scientes quanta sit dæmonum astutia atque ferocia, quanta item sit insufficientia nostra, interponunt se quasi fidelissimos muros inter illos et nos, reprimendo malignitatem illorum. Ponunt quoque columnam nubis inter illos et nos, quia auxilium gratiæ et protectionis divinæ impetrant nobis : quæ gratia sive protectio, est dæmonibus tenebrosa, nec eam æquanimiter inspicere queunt, sed per invidiam potius pejorantur, seu contabescunt de ea. Nec pro libito suo nos possunt accedere propter interposita ista subsidia.

Denique in vigilia matutina, qua Deo in mentis fervore et contemplationis sinceritate adstamus, respicit Dominus super adversarios nostros. Et sicut Pharao cum universis sibi adjunctis in Rubro periit mari, ita in Baptismo, Christi sanguine consecrato, itemque in Pœnitentiæ sacramento a Christi passione efficaciam suam sortito, pereunt invisibiles adversarii et vincuntur, cum universis tentamentis ac vitiis, ad quæ nos pertrahere nituntur. Frequenter quoque, dum cernunt quod tam gratiosissime adjuvamur a Domino, ad fugam se cohortantur, dicentes : *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quandoque vero rursus sic indurantur, quod de novo præsumunt eos impugnare, a quibus dejecti sunt : sicut de Christo ait Evangelista, quod consum- *Luc.* IV, 13. mata omni tentatione, diabolus recessit ab eo ad tempus : per quod insinuatur, quod postea rediit. Idcirco oportet nos jugiter esse custoditos, sollicitos, spiritualiterque armatos.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : TUNC CECINIT MOYSES ET FILII ISRAEL CARMEN HOC DOMINO.

CONSUETUDO fuit sanctis viris, imo et feminis virtuosis, spiritualia cantica Deo offerre atque componere, pro specialibus beneficiis Dei, et de magnificis ac supernaturalibus ejus operibus. Quod in veteri Testamento potissime servabatur, atque a Moyse initium sumpsisse videtur. Non enim legitur hoc factum ab aliquo ante eum. Hinc loquitur Origenes : Multa legimus cantica facta in divinis Scripturis. Horum tamen omnium primum est istud. Moris quippe Sanctorum est, ubi adversarius vincitur, hymnum congratulationis Deo offerre. In Scholastica quoque fertur historia : Moyses composuit canticum Domino hexametro carmine, quod quia ceteris prius legitur factum, dicitur Canticum canticorum. Quod intelligendum est propter prærogativam antiquitatis. Verumtamen ob mysticorum sensuum profunditatem et elegantiam, dialogus ille amoris a Salomone compositus, canticorum Canticum appellatur.

Tunc, videlicet Pharaone Ægyptiisque submersis, *cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt.* Moyses, Spiritu Sancto illuminante ac dirigente, edidit carmen, deinde docuit hoc filios Israel : sicque pariter cecinerunt, et se invicem ad regratiandum Deo, et ad ejus decantanda præconia, hortabantur ac invitabant, dicentes : *Cantemus Domino,* id est, ad ejus honorem depromamus laudes ipsius ; *gloriose enim magnificatus est,* id est, excellentiam, omnipotentiam atque justitiam suam præclare monstravit, et famam magnificam sibi fecit per signa et mirabilia quæ contra Ægyptios egit, et nunc præcipue in maris Rubri divisione, Ægyptiorum submersione, et nostra eductione ac liberatione. In quibus omnibus suam quoque pietatem et fidelissimam veritatem declaravit in nobis. *Equum et ascensorem dejecit in mare,* id est, equites Pharaonis simul cum ipso eorum rege, et toto ejus exercitu, ac quadrigis eorum præcipitavit ac mersit in mari Rubro, per modum in præcedenti capitulo recitatum. *Exod.* xiv, 28.

Fortitudo mea et laus mea Dominus : hoc est, ipse Deus auctor horum mirabilium, est causa totius fortitudinis meæ in naturalibus atque fortuitis, cujus auxilio contra Pharaonem prævalui. Ipse quoque est laus mea, id est objectum ac materia laudum mearum, quibus eum in se ipso et in suis operibus laudo, non me ipsum. Ex ejus quoque judiciis, signis, effectibusque præclaris materiam habeo copiosam laudis divinæ; imo et si aliquid laude dignum in me est, hujus causa est ipse. Unde circa hæc, Fortitudo mea et laus mea Dominus, ait Glossa, Quia per ipsum fortis sum et laudabilis. Itaque Moyses, quum tot et tanta per eum Dominus perpetrasset, et vir eximius esset coram omni frequentia populi, noluit tamen in se ipso laudari, nec voluit commendare se ipsum, sed Dominum, cui adscribendum noverat esse omne bonum. Sic et sacratissima virgo Maria, quum Mater esset Altissimi facta, non se ipsam, sed Dominum glorificavit, dicendo : Magnificat anima mea Dominum. Et *Luc.* i, 46. Psalmista : In Domino, inquit, laudabitur *Ps.* xxxiii, 3. anima mea. *Et factus est mihi in salutem,* hoc est, potenter et gratiose salvavit me de manu Pharaonis, aliisque periculis. Moysi autem tanquam duci populi, instabat speciale periculum ex Pharaonis tyrannide, nisi Deus eum eripuisset : idcirco hæc singulariter loquitur et decan-

Digitized by Google

tat, quum tamen fuerint communia beneficia Dei, sibi ac Hebræis collata. Nam et hoc ad servum Deo specialiter gratum, devotum, fidelemque pertinet, ut de generalibus beneficiis Creatoris, speciales laudes et grates referat Domino, quasi sint sibi soli condonata ab illo. Itaque Deus in se ipso invariabilis, æternus et non factus, dicitur nobis fieri in salutem, seu refugium ac salvator, absque suæ deitatis mutatione, quando per gratiarum suarum charismata et effectus, subsidium et salutem nobis impendit.

Iste, qui ita pugnavit pro filiis Israel, est *Deus meus:* qui quum sit universorum Deus jure creationis, gubernationis, et conservationis, specialiter tamen est Deus eorum, a quibus præcipue colitur, et ardenter amatur, et quibus ipse præcipua gratiæ dona largitur. Sicque fuit devotissimi ac sanctissimi Moysis Deus. Hinc et Elias oran-
III *Reg.* xvii, 21. do locutus est : Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus.
Philipp. iv, 19. Et Paulus : Deus meus impleat omne desiderium meum in vobis. *Et glorificabo eum,* id est, gloriosum ac famosum, et omni gloria et honore dignum esse eum fatebor, describam, et opere demonstrabo, ei cum omni reverentia obsequendo. *Deus patris mei :* quasi Moyses dicat, Non solum ego per dona gratiæ fidelis sum, sed etiam natione, quoniam Deus verus, qui est Deus meus, fuit et est Deus patris mei. Quod tam de immediato Moysis patre, quam de quolibet sanctorum Patriarcharum, ex quibus duxit originem, accipi potest. *Et exaltabo eum,* id est, corde, ore, et opere per scripta testabor eum solum esse adorandum, et omnibus incomparabiliter digniorem ac altiorem. Qui solus in se ipso perfectionaliter infinitus, incircumscriptibilisque consistit, et universa infinite in omni perfectione ac claritate excedit, et omnis creati intellectus capacitatem interminabiliter superat. Itaque pronomen hoc, Iste, notat hic demonstrationem ad intellectum. Recitat tamen Lyra, quod secundum Hebræos, facit demonstrationem

A ad sensum. Nam dicunt, quod filii Israel transeundo per fundum maris, sensibiliter Deum videbant, atque cum digito demonstrabant ; in quadam tamen similitudine sensibili assumpta, seu repræsentante, quia Deitas sensibiliter nequit videri. Dicunt quoque, quod populus ille tunc clarius vidit Deum, quam postea sancti Prophetæ. Sed istud nec probationem, nec apparentiam habet, præsertim quum populus ille fuit tam duræ cervicis.

Dominus quasi vir pugnator, id est similis viro pugnatori, non nisi justa ac
B fortia prælia exercenti. Alibi autem dicit Lyra, quod in Hebræo non habetur, Quasi; sed translator hoc addidit, ad insinuandum quod Deus dicitur vir pugnator, non quod in eo sit sexus, aut corporeum aliquid secundum deitatis naturam. Unde sic dicitur vir pugnator, quomodo ait Salvator : Ego sum vitis vera, et Pater meus *Joan.* xv, 1.
agricola est. Quod secundum Augustinum intelligendum est per similitudinem, non per proprietatem. *Omnipotens nomen ejus.*
C Hoc intelligi potest tam de nomine nominante, quam de nomine nominato. Siquidem ipse Deus altissimus designatur, et appellatur nomine isto nominante, Omnipotens : sicque Omnipotens, est nominans nomen Dei. Nomen quoque Dei nominatum, id est ipse Deus hoc nomine, Omnipotens Deus, designatus, est realiter prorsus omnipotens. Nam quidquid contradictionem non implicat, et cuicumque ratio entis competere valet, hoc ipse potest. Cui in libro Sapientiæ dicitur : Subest tibi, *Sap.* xii, 18.
D quum volueris, posse. Jeremias quoque ait : Domine Deus, non erit tibi difficile om- *Jer.* xxxii, 17.
ne verbum. *Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare :* quemadmodum præcedenti capitulo dictum est, Respiciens *Exod.* xiv, 24, 25.
Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Siquidem, ut ex Josepho atque Scholastica historia circa hoc tactum est, Dominus projecit super Ægyptios, fundum maris siccatum ingressos, intolerabiles imbres,

Digitized by Google

gravesque tonitruos, coruscationes, ac lampades. Erant ibi currus sexcenti, et quinquaginta millia equitum, ducentaque millia peditum.

Electi principes ejus, quos ipse præ ceteris elegit in duces bellorum, *submersi sunt in mari Rubro; abyssi operuerunt eos.* Abyssus et mare ac pelagus, pro eodem accipi solent. Unde et Jonas : Abyssus, inquit, vallavit me, pelagus operuit caput meum. Sed nunc de aquis ejusdem maris pluraliter dicitur, Abyssi, propter multitudinem partium aquæ profundarum, vel potius propter duas partes maris divisi, quæ ex utroque latere super Ægyptios irruerunt. *Descenderunt in profundum quasi lapis,* quia et corda habuerunt lapidea, omni iniquitate gravata. Iniquitas autem gravat mentem. Propter quod Zacharias ait propheta : Iniquitas sedet super talentum plumbi. Et Isaias : Væ populo gravi iniquitate. Hinc monet Apostolus : Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum.

æ II, 6. — ch. V, 7. — s. I, 4. — br. XII, 1.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; Dextera tua, Domine, percussit inimicum. Solet in Scripturis per dexteram Dei, ejus benignitas seu gratiosa protectio aut succursus intelligi, juxta illud Sapientiæ : Dextera sua teget eos. Et in Job : Operi manuum tuarum porriges dexteram. Interdum per dexteram designatur potestas, juxta illud Job : Confitebor quod salvare te possit dextera tua. Aliquando vero per dexteram Dei significatur ejus æqualitas, seu potior bonitatis ejus fruitio, ut in Psalmo : Sede a dextris meis. Quandoque per dexteram Dei exprimitur rigor divinæ justitiæ, et districta ultio ejus, qua Deus durius percutit : quemadmodum per dexteram homo fortius verberat, quam per sinistram. Sicque in Psalmo accipitur : Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. Pones eos ut clibanum ignis, etc. Sic quoque accipitur modo, quum dicitur : Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, hoc est, rigor seu vis tuæ justitiæ magnifice se ostendit in forti Ægyptiorum punitione, per quam magnificata est, id est, magna esse innotuit, et magna, imo immensa, a multis est reputata. Quæ etiam percussit inimicum, hoc est, Pharaonem principem hostium populi tui in mari exstinxit, imo et ante per decem plagas dure multipliciterque afflixit. Quidam tamen per dexteram Dei, intelligunt unigenitum Filium ejus : de qua expositione in sequenti articulo erit sermo. *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos*.* Gloria Dei hoc loco vocatur ejus majestas : quæ quamvis in se ipsa sit una simplexque, tamen propter suorum diversitatem effectuum, multiplex nuncupatur; quemadmodum et misericordia Dei, secundum illud : Misericordias Domini in æternum cantabo. Et denuo : Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt. Itaque ait : In multitudine gloriæ tuæ, hoc est in majestate tua multiplici per effectum, seu in multis ejus præclaris ac miris effectibus, hoc est per diversa prodigia, contrivisti Ægyptios, tam in terra eorum primogenitos occidendo, quam in mari Rubro tot millia submergendo.

p. V, 17. — XIV, 15. — d. XL, 9. — l. CIX, 1. — l. XX, 9.

* tuos

Ps. LXXXVIII, 1. — Ps. XXIV, 6.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam, id est, justitiæ tuæ vindictam effudisti, quæ consumpsit Ægyptios, sicut ignis stipulam valde velociter, prout de aliis fertur in Psalmo : Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua. Et in Isaia : Sicut devorat stipulam lingua ignis, sic radix eorum quasi favilla erit. *Et in spiritu furoris tui,* id est in impetuoso effectu tuæ justitiæ, *congregatæ sunt aquæ,* id est, partes aquæ divisæ, se recollegerunt super Ægyptios pariter irruendo. Vel, Congregatæ sunt, id est, in partes seorsum quasi consolidatæ. Quod quamvis fuerit pie factum pro Hebræorum evasione, fuit tamen Ægyptiis submersionis occasio.

Ps. LXXXII, 15, 16. — Is. V, 24.

Stetit unda fluens : id est, gurges aquæ ex sua natura mollis ac fluidus, divina vir-

Digitized by Google

tute stetit fixus, ut tellus ; atque ut loquitur Origenes, Soliditatem liquor recepit, et coactus est fluctus in cumulum, ac unda in se ipsam repressa. Nempe si (ut in libro Job legitur) superficies abyssi constringitur frigore, quanto magis, Creatore jubente, undæ ejus figuntur ? Quemadmodum enim in exordio sæculorum Deus præfixit Oceano terminum sui fluxus, ne terram operiat (secundum quod ad Job testatur : Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos) ; sic ex Dei præcepto divisum est mare Rubrum, et partes divisæ steterunt in altum fixæ, adunatæ ex Creatoris imperio. *Congregatæ sunt abyssi in medio mari,* id est intra ripas Rubri maris. Atque in tali divisione et consolidatione undarum fuit magna elevatio earumdem, non tamen egressæ sunt ripam. Præterea, sicut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur : ideo Moyses ex suæ devotionis fervore, et insoliti miraculi admiratione, divinorumque operum novitate et congratulatione, eamdem sententiam multoties repetit sub aliis verbis, quemadmodum et Psalmista, dicendo : Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei ; exaudivit Dominus deprecationem meam ; Dominus orationem meam suscepit.

(Job xxxviii, 30. — Gen. i, 9. Ps. ciii, 9. — Job xxxviii, 8, 10, 11. — Matth. xii, 34. — Ps. vi, 9, 10.)

Dixit inimicus, videlicet Pharao seu quicumque de ejus exercitu : *Persequar* Hebræos, *et comprehendam* eos ; *dividam spolia,* bona eorum diripiendo, et *implebitur anima mea,* id est, juxta desiderium voluntatis meæ eos tractabo ac spoliabo. *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Præcedenti capitulo Pharao et ejus ministri dixisse leguntur : Quid voluimus facere ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis ? Circa quod dictum est, quod Pharao et Ægyptii intendebant filios Israel violenter reducere ad serviendum sibi, ut antea in Ægypto : idcirco non reor, quod nunc voluerint eos omnes occidere, sed quosdam, præsertim principaliores ac ditiores.

(Exod. xiv, 5.)

Flavit spiritus tuus, id est, ventus a te productus, et grandis imbrium fulgurumque tempestas, diffusa sunt super aquas. Vel, Spiritus tuus flavit, id est, ex tua indignatione motæ sunt aquæ, sicut ex flatu pulvis movetur. *Et operuit eos mare ; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui ? quasi dicat, Nullus omnino : quoniam omnis potestas creata, deficit infinite ab increata virtute. Alia translatio habet : Quis similis tui in diis, Domine ? quasi dicat, In his apparet infirmitas falsitasque deorum gentilium, qui suos non potuerunt juvare cultores. Hinc in Jeremia scriptum est : Non est similis tui, Domine ; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium ? Et rursus in Jeremia propheta Deus : Quis similis mei ? et quis sustinebit me ? Et : Quis est iste pastor qui resistat vultui meo ? Verumtamen creaturæ rationales et intellectuales dicuntur Deo assimilari. Joannes quoque apostolus in prima sua fatetur Canonica : Sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Et rursus : Nondum, inquit, apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Verum in his verbis, Quis similis tui in fortibus, Domine ? sumitur simile pro æquali. Nil autem Deo æquale est, imo finiti ad infinitum nulla est comparatio. *Magnificus in sanctitate,* hoc est magna et mira efficiens sancte ac virtuose. Quemadmodum enim Deus dicitur magna facere in sapientia, ita et in sanctitate, quoniam sanctus est in omnibus operibus suis. Hercules autem, Alexander Magnus, Hector Trojæ, et consimiles, fecerunt aliqua magna, non in sanctitate, sed magis in vanitate. *Terribilis,* propter inscrutabilia tua judicia, et ob tuæ rigorem justitiæ, ac metuendos effectus. De quo ait Propheta : Venite, et videte opera Dei, terribilis in

(Jer. x, 6, 7. — Ibid. xlix, 19. — I Joann. iv, 17. — Ibid. iii, 2. — Ps. cxliv, 13, 17. — Ps. lxv, 5.)

Digitized by Google

consiliis super filios hominum. Ideo sanctus Job ait : Deus, cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem. Cogitationem ejus nemo avertere potest : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. In Evangelio quoque Christus ait : Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ignis. *Atque laudabilis,* quia virtuose, sapienter, et irreprehensibiliter omnia agens; *et faciens mirabilia,* juxta illud Job : Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus. Nec solum in supernaturalibus, sed item in naturalibus, et præsertim in operibus gratiæ et gloriæ, Deus mirabilia et incomprehensibilia operatur.

ix, 13. *d.* xxiii, 15. *atth.* x, *b* ix, 10.

Extendisti manum tuam, hoc est, potestatem et æquitatem tuam duxisti in actum, *et devoravit eos terra,* hoc est, Ægyptii ita in profundo maris obruti erant gurgitibus, quasi fuissent absorpti a terra. Verumtamen mox fuerunt ad littus projecti. Dicitur autem manus Dei extendi, quando pœnam infligit, quia Scriptura fatur de Deo more humano, condescendens nostræ infirmitatis capacitati. Unde et in Isaia habetur : In omnibus his non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta. Hinc Satan dixit ad Dominum de Job : Extende paululum manum tuam, et tange carnes ejus et ossa.

. ix, 12. *ob* i, 11; 5.

Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. Deus enim non solum per gratiæ suæ infusionem, sed et per angelum sanctum, et per columnam ignis et nubis, atque per Moysen præcessor et ductor Israeliticæ plebis fuit, quam ex Ægypto redemit. Deinde sanctus Moyses prophetali spiritu plenus, de futuris vaticinans, de eisdem quasi de præteritis propter prophetiæ certitudinem loquens, subjungit : *Et portasti eum,* id est, populum istum gratiose deduces, *in fortitudine tua,* hoc est in omnipotentia tua, cui nihil difficile est; per magna quoque prodigia, ac per protectionem magnificam, qua eos in via defendes; *ad habitaculum sanctum tuum,*

A id est ad montem Sion seu Moria, et ad urbem Jerusalem, ubi Deus elegit sibi templum ædificari, in quo habitare dignatus est, prout secundo et tertio Regum, secundo quoque Paralipomenon libris patet. Porro per hoc quod ait, Portasti eum, insinuatur quod Deus instar piissimi patris ac paterni provisoris, deduxit ac supportavit in multis filios Israel in deserto. Ideo in Deuteronomio, Moyses huic populo est locutus : Portavit te Dominus Deus tuus, sicut portare solet homo parvulum filium B suum. Verumtamen isti, quibus dixit Moyses hæc circa mare Rubrum, propter eorum peccata non introierunt terram promissionis, nisi perpauci ex eis, sed loco eorum ingressi sunt posteri eorumdem.

III *Reg.* viii, 10 *et seq.* *Deut.* i, 31.

Ascenderunt populi, et irati sunt, id est, Amalecitæ et eis adjuncti in deserto, contra hos Hebræos ascendent ad prælian-dum. Timebant enim, quod filii Israel eis nocerent, prout infra recitatur. Quod etiam exponi potest de Sehon rege Amorrhæorum et Og rege Basan, qui contra filios Is- C rael consurrexerunt in via. De rege quoque Edom in libro Numerorum describitur, quod cum infinita multitudine egressus est contra filios Israel. *Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim :* quia percepto qualiter Deus plagasset Ægyptios, et pugnasset pro Israel, inviderunt Hebræis, et timuerunt propriæ pelli, præsertim quum cognovissent qualiter filii Israel expugnaverunt Sehon et Og ac Madianitas.

Exod. xvii, 8. *Num.* xx, 20. *Ibid.* xxxi, 7.

Circa hæc Rabbi Paulus reprehendit Nicolaum de Lyra, dicentem, quod Amale- D citæ irati sunt propter timorem, ne filii Israel invaderent terram eorum. Et addit Rabbi Paulus : Ira enim non consurgit ex timore, sed ex aliis passionibus, scilicet ex tristitia illata cum desiderio ac spe ulciscendi, secundum Philosophum secundo Rhetoricæ. Quocirca dico in primis, quod Lyra non dicit, sicut recitat Rabbi Paulus. Sed ista sunt verba ejus in forma : Amalecitæ irati sunt, timentes ne invaderent terram eorum. Deinde adjicio, quod quamvis Lyra diceret quod ille sibi imponit,

Digitized by Google

scilicet Rabbi Paulus, reprehendendum non esset : quoniam ira non solum ex tristitia, sed etiam ex timore causatur, imo ex desperatione potest oriri. Sunt enim diversæ ac variæ causæ, secundum Aristotelem, Gregoriumque Nyssenum ac Damascenum, prout Thomas in prima secundæ, quæstione 47, pulchre declarat, inter cetera dicens : Motivum seu causa iræ, est aliquid contra placitum irascentis commissum, sive omissum. Ideo quidquid vergit in gravamen alterius, potest in eo iram causare. Qui autem est alteri causa timoris, gravat eum : sicque ille ex tali timore potest iram concipere contra gravantem. Nihilo minus verum est, quod ira magis directe et immediatius ex tristitia quam ex timore nascatur. Denique qui alium ad tantam impellit angustiam, ut quasi desperet se posse evadere, frequenter fit illi occasio, quod acrius contra ipsum sic angustiantem insurgat per iram. Et hoc in bellis accidere solet. Propter quod Abner secundo
II Reg. II, 26. Regum ait ad Joab : Quare non dicis populo, ut omittat persequi fratres suos? An ignoras quam periculosa sit desperatio?

Tunc conturbati sunt principes Edom, videlicet, rex et principes Idumæorum, præ admiratione eorum quæ audierant facta circa Ægyptios, et sibi tale quid posse accidere verebantur. *Robustos Moab obtinuit tremor.* Nam sicut in Numeris legitur, Balac rex Moabitarum convocatis principibus
Num. XXII, 4. Moab et Madian, dixit : Ita delebit hic populus omnes habitantes in terminis nostris, sicut bos solet carpere herbam usque ad solum. *Obriguerunt omnes habitatores Chanaan,* id est, Chananæi ultra Jordanem morantes, in tantum expaverunt ex adventu filiorum Israel, quod timor cordis causavit tremorem in corpore, et membra eorum obrigescere fecit. Hinc in libro Josue asse-
Josue V, 1. ritur : Postquam audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem, et cuncti reges Chanaan, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram Israel donec transierunt, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus. Rahab quoque dixit ad exploratores Israelitarum : Pertimuimus, et elanguit cor nostrum Josue II
ad introitum vestrum.

Deinde divinæ præordinationi congaudens, ait : *Irruat super eos formido et pavor,* ut corde et corpore contremiscant, *in magnitudine brachii tui,* id est ex magnis et mirabilibus tuæ potestatis operibus, quæ fecisti in Pharaone et Ægyptiis, in regibus Sehon, Og, ac Madian, in divisione maris Rubri, et desiccatione fundi Jordanis. *Fiant immobiles,* hoc est, ad resistendum penitus impotentes, *quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti,* hoc est, quousque populus Israeliticus iste tibi peculiaris, et præ ceteris tuo cultui deputatus, perambulet eremum ac Jordanem, veniatque ad terram ei promissam. Et quod ait, Donec, non est sic intelligendum, quasi postea potuerint Israelitis resistere, quamvis hoc tentaverunt, sed victi fuerunt, nisi quod viri Hai semel fuga- Ibid. VII, 5.
verunt filios Israel, et aliquos prostraverunt, ut scribitur Josue septimo. Verum (ut ait Philosophus) quod modicum est, pro nihilo reputatur inter multa et magna.

Introduces eos, puta Hebræos, in terram promissionis, *et plantabis in monte hereditatis tuæ,* hoc est, firmiter eos facies habitare in Jerusalem, et in monte sancto, quem elegisti tibi in hereditatem populi tui. Vel, per montem intelligitur tota terra Chanaan montuosa. Plantabis etiam eos in *firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine,* hoc est, in fortibus urbibus, castris et fortalitiis constitues eos ad habitandum : quæ tua virtute fient. Vel, per firmissimum habitaculum, intelligitur templum et regale palatium, quæ Deo auxiliante per Salomonem sunt facta in monte III Reg. VIII, 1. 13.
Sion, et circa, ut patet tertio Regum. Unde subjungitur : *Sanctuarium tuum, Domine:* quasi dicat, Firmissimum habitaculum id dico sanctuarium, id est templum tuum, Domine; *quod firmaverunt manus tuæ,* id est, sapientia et omnipotentia tua induxit, ditavit et illuminavit Salomonem ad con-

Digitized by Google

struendum hoc templum. Quum enim David voluisset hoc attentare, Dominus dixit per Nathan ad eum : Tu non ædificabis mihi domum, sed Salomon filius tuus. *Dominus regnabit in æternum et ultra.* In Hebræo habetur, In sæculum, id est, per omne tempus veteris Testamenti regnabit specialiter in populo Hebræorum. Et ultra : quia relicto populo illo, ob suam perfidiam, regnat deinceps in populo christiano, in via per fidem usque ad mundi finem, deinde in patria per speciem sine fine in sempiternum. Æternum autem in Scripturis quandoque pro tempore alicujus usque ad vitæ suæ finem accipitur, juxta illud : Erit tibi servus in æternum.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare, id est in profundum maris Rubri siccatum ; *et reduxit super eos Dominus aquas maris. Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.* Istud clarum est ex prædictis. Tamen quod ait, Enim, non denotat causam a priori, quod Dominus regnabit in æternum et ultra, sed potius notat signum hujus rei et causam a posteriori.

Denique, sicut in Scholastica historia recitatur, moratus est populus Israel juxta littus maris Rubri septem diebus, jacentibus ibi cadaveribus Ægyptiorum, et cum tympanis ac musicis instrumentis veniebant singulis diebus ad littus, cantabantque Domino Moysis canticum jam explanatum, viri seorsum, et mulieres seorsum. In cujus rei memoriam, septem diebus paschalibus cantando redimus ad fontes Baptismi. Abstulerunt quoque arma, et cetera quæ eis placuerunt, ab Ægyptiis interfectis atque ejectis.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO ALLEGORICA EJUSDEM CANTICI : CANTEMUS DOMINO.

De Domino nostro Jesu Christo, unico Dei Filio, et ejus mysteriis, canticum istud convenienter exponitur. Christiani igitur attendentes se virtute et meritis Christi a potestate diaboli per Pharaonem designati, atque a jugo vitiorum et servitute peccati vilissima erutos, in voce gratiarum actionis et laudis se invicem cohortentur, et ferventi ex devotione pronuntient : *Cantemus Domino,* creatori ac salvatori nostro propter nos incarnato, qui in femore et vestimento suo habet scriptum, Rex regum et Dominus dominantium. *Gloriose enim magnificatus est,* quemadmodum a Michæa fuit prædictum : Et magnificabitur in medio universæ terræ. Quum enim exinanivisset se, formam servi accipiens, in ipsa forma servili, id est humanitate assumpta, magnificatus est ab angelis qui in ejus nativitate cecinerunt, et ei in deserto ministraverunt. Magnificatus quoque est in miraculis tot et tantis, quod videntes dixerunt : Nunquam sic apparuit in Israel. Magnificatus est item a Patre, qui in baptismo et transfiguratione dixit ad eum : Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Magnificatus est etiam a Spiritu Sancto, qui in specie columbæ descendit et mansit super eum. Quumque factus fuisset Patri obediens usque ad mortem crucis, exaltavit illum Pater, et dedit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Deinde per Apostolorum prædicationem atque miracula, per omnia mundi regna. Estque copiose impletum, quod a Daniele erat prædictum : Filius hominis, scilicet Christus, ad Antiquum dierum pervenit, id est ad Patrem æternum, et ipse dedit ei pote-

statem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.

Equum et ascensorem dejecit in mare. Per equos possunt intelligi universi indomiti christianæ fidei inimici, puta Judæi increduli, ceterique tyranni, quorum ascensores fuerunt diaboli, a quibus instigabantur ad Christianorum persecutionem et Christi blasphemiam: quos Christus post suam in cœlum ascensionem projecit in mare, id est in profundum damnationis tartareæ, quod instar maris inquietum, amarum et suppliciorum fluctibus plenum est. Verumtamen multos illorum misericordissime traxit ad fidem, salubriterque projecit in mare, id est in fontem Baptismi, qui secundum aliam maris proprietatem significatur per mare. Circa hunc locum loquitur Origenes: Sunt equi quos Dominus ascendit, et circumeunt omnem terram. Sunt autem et equi, qui ascensorem habent diabolum et angelos ejus. Judas equus fuit; et quamdiu ascensorem habuit Deum, de equitatu fuit salutis. Etenim apostolus missus, ægris salutem donavit, et sanitatem languentibus præstitit. Sed ubi diabolo se prostravit, ascensor ejus factus est Satanas, cujus habenis ductus, cœpit contra Dominum et Salvatorem nostrum equitare. Omnes ergo qui persequuntur justos et sanctos, equi sunt hinnientes, ascensoresque habent angelos malos: idcirco feroces sunt. Si ergo aliquando videris persecutorem tuum sævientem nimium, scito quia ab ascensore suo diabolo perurgetur. Hæc Origenes.

Fortitudo mea et laus mea Dominus. Joann. XV, 5. Ipse etenim contestatur: Sine me nihil potestis facere. Idcirco ipsum in cunctis laudare debemus. *Et factus est mihi in salutem.* Ibid. X, 15. Ipse etenim dixit: Animam meam Luc. XIX, 10. pono pro ovibus meis. Et rursus: Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. De quo et in Isaia legitur: Is. LIII, 6. Dominus posuit in eo iniquitatem omnium Osee XIII, 4, 14. nostrum. Qui in Osee fatur: Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne! Verumtamen non credentibus et ingratis, carnalibus et iniquis, ipse Christus et passio ejus sanctissima, est occasio gravioris damnationis, petraque scandali et lapis offensionis, I Petr. II, 8. secundum quod justus Simeon prophetavit: Positus est hic, inquiens, in ruinam et Luc. II, 34. in resurrectionem multorum in Israel. *Iste Deus meus.* Christus namque est Deus ve- I Joann. II, 25. rus et vita æterna, ut in prima sua Canonica fatetur Joannes evangelista. De quo et in Isaia prædictum est: Vocabitur nomen Is. IX, 6. ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Unde et in Michæa fertur de eo: Egressus Mich. V, 2. ejus a principio, a diebus æternitatis. Atque in Psalmo: Adorabunt eum omnes re- Ps. LXXI, 11. ges, omnes gentes servient ei. *Et glorificabo eum,* id est, ejus majestatem corde credam, ore confitebor, et conversatione honorare non desinam. Ipse etenim dixit: Beatus est qui non fuerit scandalizatus in Matth. XI, 6. me. Ideo quanto propter me humilior et contemptibilior ac miserabilior factus est, tanto sublimior, honorabilior, et gloriosior est in corde meo. *Deus patris mei.* Omnes etenim patres nostri, viri vere catholici, ejus deitatem sunt fassi: idcirco hos reputo patres meos; non autem hæreticos, qui ejus deitatem non crediderunt, ut Arius, Eunomius, Photinus, Nestorius, Ebion, et Cerinthus. *Et exaltabo eum,* ejus sublimationem ad dexteram Dei Patris recognoscendo.

Dominus quasi vir pugnator. Christus Dominus vere vir fuit, de quo Jeremias prædixit: Novum faciet Dominus super Jer. XXXI, 22. terram: Mulier circumdabit virum. Fuit equidem vir etiam in materno utero Virginali, non utique corporis quantitate, sed omni divinorum charismatum perfectione, omni sapientia et virtute. Fuit item pugnator, qui ad debellandas aereas potestates processit ut gigas. De quo Psalmista Ps. XVIII, 6. prædixit: Dominus fortis et potens, Domi- Ps. XXIII, 8.

Digitized by Google

xi, 21. nus potens in prælio. Ipse quippe fortem
armatum, hoc est diabolum, ligavit, et va-
sa ejus diripuit, quia peccatores salvavit,
secundum quod per Isaiam Pater prædi-
Liii, 12. xit : Dispertiam ei plurimos, et fortium
dividet spolia. *Omnipotens nomen ejus.*
ix, 6. Propterea, sicut jam allegatum est, Isaias
inter sex nomina Christi posuit, Fortis. Et
ipsemet Filius Dei ait : Quæcumque facit
Pater, hæc et Filius similiter facit. Per
quod evidenter insinuat, quod sit æqualis,
imo et ejusdem potestatis cum Patre.

*Currus Pharaonis et exercitum ejus pro-
jecit in mare.* Quemadmodum viri sancti
et veri doctores, idoneique prælati, sunt
currus populi christiani et gregis eis com-
missi, quoniam sua perfectione, pietate,
doctrina, paternaliter ferunt, supportant,
dirigunt ac deducunt proximos suos ad
patriam Beatorum : propter quod non so-
lum currus, sed et aurigæ vocantur, quem-
admodum quarto Regum beatissimi viri
Reg. ii, Elias et Eliseus currus Israel et auriga
xiii, 14. ejus dicuntur ; sic hæresiarchæ, seducto-
res, principes et prælati iniqui, et qui
alios trahunt ad vitia, sunt currus Pharao-
nis, id est diaboli, cujus exercitus sunt
collectio vitiosorum, quos omnes projicit
Christus omnium judex in mare tarta-
reum, ubi moratur Leviathan. *Electi prin-
cipes ejus submersi sunt in mari Rubro :*
xiv, 12. quia angeli tenebrarum qui cum Lucifero
ceciderunt, et qui in hominibus deterio-
res, ac per hoc, diabolo placentiores fue-
runt, simul cum illo jam perierunt, aut
disperibunt, præsertim in die judicii, quum
atth. pariter audient : Ite, maledicti, in ignem
41. æternum. *Abyssi operuerunt eos,* id est
fluctus iniquitatum, quibus repleti sunt.
Descenderunt in profundum quasi lapis.
Nunc enim descendunt in voraginem vi-
tiorum, deinde in infima infernorum.

*Dextera tua, Domine, magnificata est
in fortitudine.* Per dexteram Dei intelligi-
tur Unigenitus Patris æterni, qui etiam
brachium Patris vocatur : nam Pater per
Filium omnia operatur. Sic et Spiritus San-
xi, 20. ctus dicitur digitus Dei, quia per eum Pa-

A ter ostendit nobis omnem veritatem ne-
cessariam ad salutem. Itaque, o Domine
Pater, dextera tua magnificata est in forti-
tudine, id est, Unigenitus tuus magnifica-
tus est vehementer, tam in sua fortitudine
increata, quam in fortitudine sua creata,
suæ humanitati collata. Nam data est ei *Matth.*
omnis potestas in cœlo et in terra. De hac xxviii, 18.
dextera ait Psalmista : Salvavit sibi dexte- *Ps.* xcvii, 1.
ra ejus, et brachium sanctum ejus. De quo
et in Isaia habetur : Paravit Dominus bra- *Is.* lii, 10.
chium sanctum suum in oculis omnium
B gentium. *Dextera tua, Domine, percussit
inimicum,* quia vicit diabolum, sicut in
libro Job continetur : Prudentia ejus per- *Job* xxvi,
cussit superbum ; et obstetricante manu 12, 13.
ejus, eductus est coluber tortuosus. *Et in
multitudine gloriæ tuæ deposuisti adver-
sarios meos.* Quemadmodum Salomon pro-
fitetur, Gloria patris, filius sapiens : quan- *Prov.* xv,
to magis Christus, qui est ipsa Sapientia 20.
increata, est gloria sui Patris ? Itaque Pater
in multitudine gloriæ suæ, hoc est per
multiplicem passionem, per virtutes ac
C merita Filii sui, universos hostes nostræ
salutis dejecit, videlicet spiritum super-
biæ, spiritum fornicationis, spiritum ira-
cundiæ, spiritum cupiditatis.

*Misisti iram tuam, quæ devoravit eos
sicut stipulam,* hoc est, justo judicio ex-
pulisti illos a vasis misericordiæ tuæ, sic-
ut et Christus passione instante fassus
est : Nunc judicium est mundi, nunc prin- *Joann.* xii,
ceps hujus mundi ejicietur foras. Christus 31.
quoque passim depulit dæmones ab obses- *Marc.* i, 34.
sis. Unde dixerunt : Jesu, Fili Dei summi, *Luc.* iv, 34.
D venisti ante tempus torquere nos ? Quod
et per suos copiosissime fecit discipulos,
quibus dixit : Dæmones ejicite. *Et in spi- Matth.* x, 8.
ritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.
Per aquas, populi designantur, juxta il- *Apoc.* xvii,
lud in Apocalypsi : Aquæ multæ, populi 15.
multi. Unde et Ecclesiastes scribit : Mitte *Eccle.* xi,
panem tuum super transeuntes aquas. Con- 1.
gregatæ sunt itaque aquæ in spiritu furo-
ris Dei, quando impiissimi increduli que
Judæi, qui Christum et ejus discipulos gra- *Act.* iv et v.
vissime fuerunt persecuti in Jerusalem,

Digitized by Google

pariter sunt a Romanis obsessi, et miserabilissime cruciati, secundum quod Christus Luc. xix, 41-44. apud Lucam prænuntiavit : Videns etenim civitatem, flevit super illam, dicens : Circumdabunt te inimici tui undique, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Ps. LXVIII, 25. Hinc Propheta prædixit : Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. *Stetit unda fluens :* hoc est, exercitus Romanorum instar undæ copiosus atque discurrens, tunc in gyro Jerusalem fixit gradum. *Congregatæ sunt abyssi,* id est populi Judæorum, *in medio mari,* hoc B est in medio Jerusalem, quæ tunc omni vitiorum inquietudine et infidelitatis amaritudine fuit repleta ; imo ut mare aquis, ita miseriis plena fuit, juxta illud in Threnis : Thren. II, 13. Magna velut mare contritio tua.

Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea ; evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Hoc tam de visibilibus, quam de invisibilibus fidei christianæ atque fidelium hostibus, potest exponi. Visibilis equidem inimicus, videlicet popu- C lus Judæorum incredulus, deinde imperatores Romani, principes judicesque terreni ac perfidi condixerunt ac præsumpserunt se populum christianum penitus deleturos, et spolia ejus juxta propria desideria divisuros. Invisibiles quoque hostes, fidelium animas tentare aut persequi, eorumque spirituales divitias demoliri conati sunt, imo et electos quosque ac sanctos se posse vincere præsumpserunt : contra quos, suos gladios specialiter extraxerunt, ab occultis insidiis in apertas infestationes D et interdum in corporales flagellationes ac læsiones crudeliter erumpendo, ut patuit in sacratissimo abbate Antonio, multisque aliis.

Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare. Nam adspirante Spiritu Sancto, victi sunt invisibiles hostes a famulis Dei. Effusa quoque justa Dei indignatione, perierunt visibiles inimici. Nam super Judæos pervenit ira Dei usque in finem ; sed et tyranni idololatræ defecerunt, et Romanum imperium fidei christianæ se subdidit. Sicque evidenter impletum est, quod in Isaia Christus prædixit : Calcavi eos in Is. LXIII, 3. furore meo, et conculcavi eos in ira mea. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus :* quia in propriarum iniquitatum profluviis, in suarum fluctibus pravitatum damnati sunt. Porro justi, quorum corda per caritatem sursum moventur, et igne Spiritus Sancti in cœlestia elevantur, super has ambulant aquas. Interdum tamen ex fragilitate humana vacillant : quod per Petrum signatum est, cui super aquas ambulanti ac trepidanti locutus est Christus : Modicæ fidei, quare dubitasti ? Hinc Matth. XIV, 31. asserit Origenes : Quis ita beatus est, qui sic tentationum pondus expediat, ut nulla ambiguitatis cogitatio, menti ejus obrepat ? Vide quid magno illi Ecclesiæ fundamento ac solidissimæ petræ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, dicatur a Domino : Modicæ fidei, quare dubitasti ? Hæc Origenes. In quibus verbis antiquus ille et excellentissimi ingenii doctor, magnificum exhibet testimonium auctoritati ac eminentiæ, gloriosissimo archiapostolo Petro collatis a Christo.

Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui ? Fortes fuerunt sancti Apostoli, de quibus cantatur in Psalmo : Dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Ps. XLVI, 10. Nullus tamen eorum æqualis est Christo : imo ab increata ejus perfectione deficiunt infinite, a creata quoque perfectione ineffabiliter valde. Dæmones insuper naturali fortitudine fortes sunt et subtiles ; et qui in idolis habitaverunt, divina potentia se præditos confinxerunt : et tamen Christi virtute sunt dissipati, et idololatria fuit destructa longe lateque, quamvis non in toto ubique. *Magnificus in sanctitate.* Christus in sanctitate magnificus fuit, quia sanctissime vixit, evangelicam legem omni perfectione ornatam proposuit, et suæ sanctitatis virtute innumerabilia egit miracula. *Terribilis,* quoniam omnium constitutus est metuendissimus judex : *atque laudabilis,* quoniam peccatum non fecit. Is. LIII, 9.

nec inventus est dolus in ore ejus ; *et faciens mirabilia :* nam usque in præsens A præclara facit per Sanctos suos miracula. Porro in animabus electorum suorum facit assidue mirabilia vere sublimia, irradiando interius, præcordia inflammando, consolationes supernas infundendo, voluntatem immutando, vitiosos, carnales, vagos et vanos subito ac misericordissime convertendo, et quasi de extremo ad extremum potentissime transferendo, in tantum, ut tales in adolescentiæ flore, in juventutis vigore, universa quæ mundi B sunt deserant, religionem intrantes. O vere mutatio dexteræ Excelsi ! [..LXXVI,]

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Extendit Christus potestatem suam in actum, quando (ut dictum est) vastavit et dispersit Judæos, ita quod in terram absorpti sunt, quia projecti fuerunt in foveas, viliterque sepulti. In cruce [LXV, 2.] quoque extendit manum ad populum non credentem, qui ob suam incredulitatem disperiit. Denique universi carnales et cupidi devorantur a terra, quia terrenis et car- C nalibus rebus jugiter sunt intenti, et in illis figunt spem suam. Ideo sordibus et [ib x, 21,] cupiditatibus suis ipsi deglutiuntur a terra tenebrosa et operta mortis caligine : ubi umbra mortis, et sempiternus horror inhabitat et abundat. *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.* Do- [ann. x,] minus etenim Jesus locutus est : Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas. Ipse est rector et dux populi christiani per inspirationem divinam, per directiones angelicas, per prælatos et prædicatores, per D evangelicam legem, per Sanctorum exempla, signa ac documenta. *Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum :* quia non solum ad militantem, sed item ad triumphantem Ecclesiam, [ebr. XII,] quemadmodum ad Hebræos legitur : Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.

Ascenderunt populi, et irati sunt. Increduli namque Judæi atque pagani, multipliciter se opposuerunt evangelicæ legis prædicationi. *Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.* Per quos designantur gulosi, quia Philistiim interpretantur, potione cadentes. *Tunc conturbati sunt principes Edom,* id est avari et principes cupidorum, quoniam Edom interpretatur, terrenus sive sanguineus. *Robustos Moab obtinuit tremor.* Per robustos Moab intelliguntur superbi, qui specialiter dicuntur et sunt filii diaboli. Moab equidem interpretatur, ex patre. Et talibus ait Salvator : Vos ex patre diabolo estis. [Joann. VIII, 44.] *Obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Chanaan interpretatur, commotio. Per habitatores itaque Chanaan, recte accipiuntur luxuriosi, qui specialiter instabiles corde sunt, vani et stolidi, passionibus variis agitati, nusquam ad Deum sincere erecti. Hi omnes audientes prædicari evangelicam legem, in qua præfata vitia condemnantur, et virtutes oppositæ, scilicet sobrietas, liberalitas, paupertas, humilitas, castitas, edocentur, commendantur, jubentur, irati et conturbati fuerunt. Quumque vidissent legem hanc prævalere, et Romanum imperium esse ei subjectum, expaverunt et contremuerunt. Innumerabiles quoque eorum conversi sunt, qui salubriter timuerunt.

Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui. Hoc accipi potest in bono, ut scilicet ex consideratione excellentiæ Christi, fiant veraciter timorati. Quod si converti noluerint, desuper terreantur, ita ut electos et Christifideles a spirituali profectu ac salutis internæ * nequeant impedire. [* itinere] Idcirco subjungitur : *Fiant immobiles quasi lapis,* quantum ad id quod prætactum est, et ne commune impediant bonum, *donec pertranseat populus tuus, Domine,* videlicet populus christianus, a via atque exsilio pertingendo ad patriam supercœlestem. *Introduces eos, et plantabis in monte hereditatis tuæ.* Hic mons est Ecclesia militans, de quo loquitur Isaias : Erit in novissimis diebus [Is. II, 2.]

Digitized by Google

præparatus mons domus Domini in vertice A montium. Et Psalmista : Mons Dei, mons pinguis; mons coagulatus, mons pinguis. Abundant enim in monte hoc opulentissima et sacratissima virtutum charismata, supernaturalia dona, in quibus radicantur electi. *Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.* Hic etenim mons, est solidissimum habitaculum a Christo constructum, qui dixit : Super hanc petram, videlicet super me ipsum, ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Est quoque hic B mons, *sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ,* quum sit spirituale templum, de quo a Zacharia prædictum est : Ipse ædificabit templum Domino. *Dominus* Jesus Christus *regnabit in æternum et ultra,* sicut Gabriel archangelus Virgini præelectæ ait : Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Et Isaias : Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.

Ps. LXVII, 16. *Matth.* XVI, 18. *Zach.* VI, 12. *Luc.* I, 32, 33. *Is.* IX, 7.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, etc. Istius versiculi sensus patet ex præinductis. *Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.* Filii Israel sunt, veri Christifideles, divina atque cœlestia contemplantes. Isti in medio sæculi hujus, quod est mare turbulentum ac periculosum, de quo loquitur Isaias, Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest : in medio, inquam, hujus maris gradiuntur per siccum, dum sæculi vitiis non fœdantur, neque in aquis concupiscentiæ volutantur ; sed in medio nationis pravæ et perversæ irreprehensibiliter conversantur, lucentes inter illos tanquam luminaria gratiæ, verbum vitæ in se stabiliter continentes, ac Christi vestigia imitantes, atque dicentes cum Sponsa in Canticis : Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Qui autem Ægyptius est, id est carnalis et mente mundanus, et sequitur Pharaonem, consentiendo tentamentis diaboli, fluctibus mergitur vitiorum.

Is. LVII, 20. *Philipp.* II, 15, 16. *Cant.* V, 3.

ARTICULUS XXX

ELUCIDATIO TROPOLOGICA EJUSDEM CANTICI : CANTEMUS DOMINO.

TROPOLOGICUS hujus cantici intellectus, ex præhabitis faciliter elici potest : ideo non nisi breviter tangam illum. Itaque per Moysen, qui per aquam mortem evasit tam in sua infantia, quam in senio suo, intelligi potest quilibet Christifidelis, qui videns se per fontem Baptismi in Christo renatum, et tam illo sacramento quam in Pœnitentia seu confessione sacramentali, de spirituali Ægypto et fluctibus sæculi hujus, de potestate diaboli, de jugo et servitute peccati, de ignorantiarum et errorum caligine erutum, cum gratiarum D actione Domino psallat, aliosque ad regratiandum secum et pro se invitet, dicendo : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est,* animam meam taliter eruendo, ac donis gratiæ decorando, ita ut grata et humili mente dicere queam : Protexisti me, Domine, a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. Et item : Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium. *Equum et ascensorem dejecit in mare :* id est, visibilem ac invisibilem meæ salutis hostem prostravit, dando mihi virtutem resistendi ac prævalendi tentationibus eorumdem.

Fortitudo mea et laus mea Dominus, cui dicere habeo : Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. Et denuo : Laudabo Dominum in

Ps. LXIII, 3. *Ps.* LV, 13. *Ps.* XVII, 30. *Ps.* CXLV, 2.

Digitized by Google

vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero. Et iterum : Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. Absit ergo, ut propriam quæram laudem, gloriamque humanam. *Et factus est mihi in salutem :* quia quum toties recidivaverim, tamque enormiter ipsum offenderim, non tamen juste damnavit me, sed pro malis retribuit bona ; et jam per contritionem salvavit me a morte peccati, et a via meritoque gehennæ, quum tamen multos in æternum damnaverit, qui minus peccaverunt quam ego, ita ut illud sancti regis Ezechiæ dicere valeam : Tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. *Iste Deus meus :* qui quum sit omnium Deus, tamen tanto specialius est Deus meus, quanto gratiosius egit mecum, ita ut dicere mihi incumbat : Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea. *Et glorificabo eum :* quia quo plus peccavi in eum, et quo majorem mihi misericordiam gratiamque exhibuit, eo plus teneor ei esse subjectus et gratus. *Deus patris mei :* Christianus sum enim, filius hominis christiani. *Et exaltabo eum,* ipsum præ omnibus incomparabiliter diligendo, timendo, colendo, quærendo, omnique creaturæ ipsum totis præferendo præcordiis.

Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus, qui hostes animæ meæ ac vitia expugnat in me. Ex me namque perditio mea, in ipso dumtaxat auxilium meum. Nec enim sufficiens sum aliquid cogitare ex me, quasi ex me. Ab ipso plane est omnis tentationum victoria. *Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare,* id est omnes adversarios meæ salutis, ut tactum est. In his ergo *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine. Misisti iram tuam quæ devoravit eos sicut stipulam :* quia per sanctum angelum tuum, zelo justitiæ tuæ accensum, atque in manu sua gladium flammeum tenentem, repulisti frequenter invisibiles hostes meos a me. *Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ :* id est, fluctus tentationum et tribulationum, quibus me sæpius repleverunt, in ipsos redacti sunt, quia ex ipsis non profecerunt finaliter in me, sed sibimet calamitatem tristitiamque auxerunt. *Stetit unda fluens :* id est, gratia Dei exuberans quievit in corde devoto, imo et influxum suum ab indevoto retraxit. *Congregatæ sunt abyssi in medio mari.* Abyssi istæ, sunt exundationes atque profluvia inanium cogitationum et affectionum carnalium, quæ in medio mari, id est corde sæculari et amaro ac turbulento, coacervantur, quousque radio illuminationis supernæ et rore gratiæ dispergantur ac refrenentur.

Dixit inimicus : Persequar et comprehendam. Iste est spiritus malus unicuique ad exercitium datus, qui jugiter intra se cogitat persequi ac vincere animam ejus, cui ad exercitium ac probam est deputatus, ejusque spiritualia bona auferre molitur, et bona ejus proposita, salubres conceptiones, amorosos affectus interficere et auferre conatur ; sed flante Spiritu Dei, succumbit. *Ascenderunt populi, et irati sunt.* Injusti etenim justos persequi non desistunt; et multis non sufficit damnatio propria, imo et alios damnationi secum involvere enituntur. *Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt habitatores Chanaan.* Homines quippe vitiosi, gulosi, avari, superbi, libidinosi, per gentes præfatas signati, ut patuit articulo præcedenti, omni interna tranquillitate privantur, et variis passionibus agitantur : nunc inordinate et stolide metuentes, nunc inaniter præsumentes, nunc illicite gloriantes, nunc culpabiliter contristati, nunc inique concupiscentes, nunc concupiscentiarum suarum incommoda intra se sentientes : qui sunt tanquam pulvis ante faciem venti, et in circuitu ambulant, quos Deus ponit ut rotam, quoniam undique evagantur, nec in Deo eorum corda figuntur. Cetera patent, nec tropologiam exigunt specialem. Ps. i, 4 et xxxiv, 5; xi, 9; lxxxii, 14.

ARTICULUS XXXI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI A LOCO : SUMPSIT ERGO MARIA.

Quoniam non solum viri, sed feminæ A quoque per maris divisi fundum profectæ sunt, congruum fuit ut ipsæ gratias agerent Deo. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron :* habuit enim gratiam prophetiæ, sicut et fratres ejus. Tamen gratia illa fuit major in Moyse ; et forsan etiam fuit major in Aaron, quam in Maria sorore Aaron. Quare potius hic vocatur soror Aaron, quam Moysis ? Dici potest, quod gratia brevitatis solus Aaron exprimitur ; vel quia senior Moyse fuit. Recitat tamen Lyra, quod Judæi reddunt super hoc aliam B causam, dicentes, quod Moyse nondum nato, quando non habuit fratrem nisi Aaron, hæc Maria prophetavit suæ matri, quod paritura esset filium, qui populum Israel liberaret. Sed incertum videtur, quod in ætate illa tam puellari habuisset gratiam prophetiæ. Et si ita fuit, tamen hoc parum facit ad istud, cujus nunc causa inquiritur. *Tympanum in manu sua.* Tympanum enim est musicum instrumentum factum de corio extento, siccato atque firmato, quod sonum emittit percussione pellis ita C extentæ. *Egressæque sunt omnes mulieres post eam :* nam sicut Moyses fuit eminentior inter viros, sic soror sua ob suam sanctitatem et sapientiam inter feminas; *cum tympanis et choris :* non quod unaquæque illarum habuerit tympanum aut chorum, sed aliquæ inter eas. Per mulieres vero etiam puellæ et virgines intelliguntur. Porro chorus nunc sumitur pro musico instrumento, quod fit ex simplici pelle duas cutes habente, per quarum unam inflatur, per aliam reddit sonum. Potest tamen D chorus nunc sumi pro concordi et pacata seu recte disposita societate, quoniam feminæ taliter se habendo sequebantur Mariam.

Quibus præcinebat, dicens : Cantemus Domino hymnum victoriæ, *gloriose enim honorificatus* * *est :* quia per opera præinducta ostendit præclare se super omnia honorabilem esse ; *equum et ascensorem dejecit in mare :* sicut expositum est. An autem hunc versum dumtaxat præcinebat, an et sequentes omnes, aut quosdam, præcise quis novit ? Forsitan præcinebat et alios versus, sed feminæ repetebant primum versum, vel etiam alios singulatim. Itaque simul ore cantabant, et manu in musicis instrumentis ludebant, quemadmodum David consuevit cum sono citharæ vel cum psalte, canere psalmos. Sic igitur illa præcinebat, et aliæ repetebant, sicut in choreis fieri solet. Nam et Durandus in Summa sua dicit eas choros duxisse, et addit quod illa fuit bona chorea. Aliqui quoque dicunt, quod eodem modo præcinebat Moyses viris; non tamen habetur ex textu, quod cum præfatis musicis instrumentis ipse et ceteri viri cecinerunt. Consueverunt autem feminæ Hebræorum scire hujusmodi musicos ludos. Unde et primo Regum habetur, quod mulieres egressæ sunt in occursum Saul regis et David cum tympanis, etc. Quidam præterea dicunt, quod Maria hæc per spiritum prophetiæ cognovit, Deum esse taliter collaudandum in via pro beneficiis post egressum ab Ægypto præstandis : ideo tulit tympanum secum, alias quoque feminas induxit ad asportandum secum præfata musica instrumenta. Sed sive per revelationem hoc præcognovit, sive non, dici potest quod portaverunt secum hujusmodi instrumenta, sicut et alia vasa ac utensilia sua, quasi in Ægyptum non redituræ.

Tulit autem Moyses Israel de mari Rubro, id est, filios Israel fecit inde recedere

* magnificatus.

II Reg. VI, 5.

I Reg. XVIII, 6.

per desertum versus terram promissam. Et ait quidam, quod ideo dicitur, Tulit, quia cum quadam violentia et importunitate fecit eos inde abire, quoniam ex avaritia erant nimis intenti ad Ægyptiorum spolia detrahenda et colligenda. Sed quum filii Israel fuerint plus quam duplo plures, quam submersi Ægyptii, ut patet in expositione præcedentis capituli, potuerunt infra modicum tempus illorum colligere spolia. Imo dictum est, quod septem diebus morati sunt juxta littus maris, venientes quotidie cum tympanis et musicis instrumentis ad littus, cecineruntque Domino canticum Moysis. Ideo propter spolia detrahenda non fecerunt nimiam moram ibidem, nec in eo quod dicitur, Tulit, aliqua violentia aut importunitas denotatur. Nam et capitulo duodecimo dictum est :
od. xii, Tulit populus farinam conspersam. Capi-
id. xiii, tulo quoque tertiodecimo : Tulit Moyses ossa Joseph. In quibus orationibus in verbo hoc, Tulit, nulla violentia aut importunitas importatur. *Et † ingressi sunt in desertum Sur.* Quod qualiter sit intelligendum, diffuse expressum est in præcedentis elucidatione capituli.

Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, sequentes nubis ducatum ; *et non inveniebant aquam.* Nam et raro pluit ibidem. Et si fuerit ibi aqua, ex solis ardore solet siccari. *Et venerunt in Marath,* id est locum quem paulo post sic vocaverunt, sicut patebit ; *nec potuerunt bibere aquas de Marath,* id est, quæ erant in loco illo, *eo quod essent amaræ. Unde et congruum loco nomen imposuit,* vel Moyses, vel populus, *vocans † illud Marath, id est amaritudinem.* Sicque a qualitate imposuit nomen substantiæ. Et quod ait, Vocans illud, sic potest exponi : vocando exprimens nomen loci illius. Porro Mara et Marath, idem est nomen. Mara autem indifferenter significat amaritudinem vel ama-
h. i, 20. rum. Siquidem scriptum est, Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram. Magister autem in historiis dicit : Vocaverunt locum illum

A Marath, ab amaritudine aquæ, vel potius pro amaritudine animi sui. Animæquior namque est sitiens, quando non invenit potum, quam dum inventum gustare non valet. Josephus vero velle videtur, quod aquæ amaritudinem contraxerunt, quia non movebantur ab aliquo, sed stabant semper immotæ. Unde et dicitur : Et vitium capiunt, ni moveantur, aquæ. Dicit equidem ibi fuisse puteum parvum, in quo fuit hæc aqua, et nomine putei intelligit forsitan lacum.

B *Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus ?* In quo patet eorum perversitas, impatientia, ingratitudo, inconsideratio. Debuerunt etenim tantum prælatum, patrem, ac ducem, quem viderunt Deo tam familiarem et carum, cum omni reverentia humiliter interrogare ac alloqui, et sperare in Domino, quem viderunt tanta fecisse pro eis. Murmuraverunt itaque propter potus, non propter cibi, defectum, quia adhuc reficiebant se parce cum cibo ex Ægypto allato. Jumen-
C ta quoque eorum aquæ poculo indigebant. *At ille clamavit ad Dominum,* ferventer orando. Nec impatienter respondit murmuratoribus illis, sed pro malis bona retribuit : quoniam tanta debet esse prælati perfectio, ut sua bonitate et probitate, subditorum malitiam improbitatemque vincat. Verumtamen non omnes filii Israel murmuraverunt, sed vulgares et imperfectiores. *Qui ostendit ei lignum.* Dicunt quidam, quod in eremo illa non erat lignum crescens, sed Deus miraculose illud addu-
D xit. Quod et Augustinus sentire videtur, ut patet in Glossa. In Scholastica quoque historia fertur : Forte miraculose factum est, ut in solitudine, in qua non erat lignum, id est arbor crescens, inveniretur lignum.

Quod lignum *quum Moyses misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt,* id est, dulces atque potabiles factæ sunt. Putant aliqui, quod lignum illud fuit naturaliter dulcorativum aquarum. Ad quod illud Ecclesiastici posset allegari : Nonne a ligno Eccli.
indulcata est aqua amara ? Et loquitur ibi xxxviii, 5.

Digitized by Google

illa scriptura de naturalibus et medicinalibus terræ nascentium proprietatibus. Nempe verbis illis immediate præmittitur : Altissimus de terra creavit medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam. Tamen (ut in Scholastica recitatur historia) Hebræus dicit lignum illud amarissimum exstitisse, et ideo Deum jussisse, ut illud projiceret in aquam amaram, quatenus dum ex additione amari ad amarum, fieret dulce quod fuit amarum, clariusque ostenderetur divina potentia, quia majus erat miraculum. Sed quidquid horum dicatur, constat quod Deus solo imperio poterat aquam illam dulcificare. Ideo propter aliquid mysticum designandum, Origenes et alii putant Deum illud de ligno jussisse. Circa hæc Josephus scribit : Sumens Moyses virgam quam in præsenti habebat, scidit eam in longitudinem ejus per medium, et jecit in puteum, præcepitque fortibus viris ut aquam haurirent, et plurimam haustam prius effunderent, ut ultima remanens diu concussa, potabilis fieret. Verumtamen dictum hoc Josephi non est intelligendum de Moysis virga, per quam fecerat signa, sed de ligno sibi ostenso, in quo fecit incisionem per longitudinem ejus.

Ibi constituit ei præcepta atque judicia : id est, in loco præfato post exhibitionem hujus beneficii atque miraculi, Deus per Moysen dedit ac posuit populo Israel quædam præcepta et judicia, id est judicialia instrumenta seu jussa, per quæ regerentur ad convivendum pacifice ac juste ad invicem. Sicque per præcepta, intelliguntur mandata ad Dei cultum directe spectantia. *Et ibi tentavit eum :* id est, Deus ibidem dedit ista præcepta populo, ut per observantiam aut transgressionem eorum Deus tentaret hunc populum, an vere obediens esset sibi, an non. Tentavit, inquam, non ut ipse cognosceret illud, sed ut innotesceret aliis, ad instructionem vel cautelam eorum, quemadmodum tentavit Abraham, Job, atque Tobiam. Deus autem neminem tentat tentatione ad fallendum tendente, aut ad vitium inclinante.

Gen. xxii, 1, 2. Job i, 12. Tob. ii, 12; xii, 12.

A Sic ergo tentavit populum illum, *dicens* per Moysen : *Si audieris vocem Domini Dei tui,* id est verba divina, auribus cordis et corporis ; *et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius :* qui enim transgreditur unum, fit omnium reus, quia mortaliter peccat ; *cunctum languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te,* id est, nullam infirmitatum et plagarum quas inflixi Ægyptiis, tibi infligam. Quod intelligendum est pro tempore quo B fuerunt in deserto, et quantum ad justos et obedientes, sicut ex verbis immediate præhabitis elucescit : de illis enim nunc loquitur. Unde et fertur in Psalmo : Non erat in tribubus eorum infirmus. Rebelles vero frequenter ac dire leguntur in deserto percussi : de quibus et constat, quod in solitudine obierunt, non utique absque præviis infirmitatibus. Verumtamen Augustinus super illud, Non erat in tribubus eorum infirmus, glossando addit, Sed corpore, non animo. Per quod insinuare et C sentire videtur, verbum illud, etiam de iniquis esse intelligendum. Ad quod dici potest, quod etiam justi, qui inter illos fuerunt, natura fragiles erant, et aliquando peccaverunt, imo et quidam eorum mortaliter, ut patet de Aaron in vituli conflatione et incredulitate ad aquas Contradictionis. *Ego enim sum Dominus salvator tuus,* non solum ex Ægyptia servitute, et Rubri maris devoratione ac gladio Pharaonis, sed item ex servitute diaboli, jugo peccati, damnatione inferni.

Jacob. ii, 10. Ps. cv, 37. Exod. xxxii, 4. Num. xx, 14.

D *Venerunt autem in Elim.* Hoc loco quidam capitulum sequens incipiunt, aliqui vero ibi, Profectique. Venerunt autem *filii Israel* in Elim, id est in locum solitudinis istius sic nominatum. *Ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ, et castrametati sunt juxta aquas :* id est, mansionem et tentoria seu turmas suas ibi fixerunt ad tempus, ob loci amœnitatem et commoditatem : quia et aquæ fluenta, et arborum fructus præbuerunt eis refectionem ; fuitque eis solatium quod juxta

Digitized by Google

numerum duodecim tribuum suarum, repererunt ibi duodecim fontes, sic quod quælibet tribus potuit specialem fontem habere. Attamen Josephus scribit, quod modica fuit aqua in fontibus illis, et quod manibus inde sumebatur, cœnosum erat, inutile et impurum. Idcirco et palmæ erant parvæ staturæ, eo quod non satis irrigabantur ex aquis, nec humor ille sufficiebat ad terram conglutinandam.

Circa præhabita quæritur, quæ fuerunt præcepta in Marath data, quia textus non exprimit ea. Ad hoc Lyra allegat et sequitur Rabbi Salomonem, dicentem : Dominus videns filios Israel in solitudine otiosos, ne per otium laberentur ad deteriora, contulit eis duo præcepta, ut studerent in eis ad intelligendum atque implendum : unum fuit de observantia sabbati, quod plures observationes includit ; alterum fuit de
.m. xix, seq. oblatione vaccæ rufæ, ex cujus cineribus aquæ injectis ac mixtis, aqua lustrationis fiebat, per quam purgabantur immundi, ut in Numeris describitur. Subdidit etiam eis copiam de pertinentibus ad judicia inter eos agenda, quatenus inter se juste conversarentur. Sed contra hæc Rabbi Paulus affirmat : Antiqui Hebræi communiter tenent, quod præceptum de sabbato, et quædam judicialia, data sint in hoc loco, non autem de vacca rufa. Nam de sabbato dicitur sequenti capitulo ante legis dona-
od. xvi, tionem : Videte quia Dominus dedit vobis sabbatum. De judicialibus quoque satis necessarium fuit, quatenus per ea tantus populus regeretur usque legislationem. Sed inter illa præceptum de vacca rufa, fuisset superfluum pro tunc, quousque tabernaculum fieret, et alia sacra, ad quorum ingressum aut tactum requirebatur purgatio immundorum per aquam lustrationis, ut præallegato Numerorum habetur libro.

sus my- is. Insuper, juxta mysticam interpretationem, per Mariam Moysis sororem prophetissam, optime designabatur Deifera atque sanctissima virgo Maria, quæ de liberatione generis humani per Filii sui passionem atque baptismum, jugiter ac devotissime

A cecinit Deo gratiarum præconia cum tympano, id est plenissima suæ mundissimæ carnis cruciformi mortificatione : quam omnes mulieres virginesque devotæ in lege evangelica sunt secutæ cum tympanis, id est corporum suorum refrenationibus, et choris, id est sanctis concordationibus. Imo et quælibet devota anima eam imitari sic debet. Denique, juxta Boetium in primo Musicæ suæ, Omnis musica instrumentalis, fit nervorum tensione, aut spiritus inflatione, aut percussione rei concavæ. Si
B nervorum tensione, vel redditur sonus a superiori, et sic est psalterium ; vel ab inferiori, et ita est cithara. Si spiritus inflatione, aut humano, aut aliunde attracto seu collecto : si humano, vel continuo, et ita est tuba ; aut interpolato, et sic est chorus, per quem designatur concordia vocis et cordis in societate pacata. Si aliunde collecto per folles, sic sunt organa. Si vero sonant percussione pellis extensæ, tympana appellantur. Quæ autem percussione æris cavati, dicuntur cymbala : quæ ad in-
C vicem percussa, sonum reddunt acutum. Itaque, quoniam tympanum fit extensione corii siccati, per ipsum mortificatio carnis signatur. Qui autem Deo vult placitas laudes offerre, necesse habet carnem suam Galat. v, 24. cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, et scandalizantia membra abscindere.

At vero per hoc quod filii Israel post liberationem suam a Pharaone, inciderunt periculum sitis et venerunt in Marath, figuratur, quod fideles post divinorum infusionem charismatum, et consolationem
D Spiritus Sancti, interdum ruunt in gravem tentationem et afflictionem ; nec aquam Marath bibere valent, nisi dulcoretur per lignum, id est, rigorosam et strictam pœnitentiæ refectionem ac fletum nequeunt sustinere, nisi dominicæ passionis et crucis meditatione ungantur, vel contemplatione sapientiæ, quæ significatur per lignum. Tamen per lignum illud missum in aquam, secundum Augustinum, figuratur crucis mysterium : quia per Christi passionem, omnis adversitas facta est non

solum tolerabilis, imo et dulcis Christifidelibus.

Amplius, per promissionem illam filiis Israel factam, quod nullus eorum infirmaretur, si Deo in omnibus obedirent, hoc designatur, quod si Christi præcepta integre observemus, ab omni animarum languore efficiemur immunes. Nec putandum, quod corporalis sanitas promissa sit filiis Israel, tanquam finale principaleque præmium pro divinorum observatione præceptorum : quoniam corporalia et terrena ac transitoria bona, non sunt finis spiritualium bonorum, puta virtutum, virtuosorumque actuum ; ideo nec sunt principalis merces eorum, quum finis sit dignior mediis. Sed sub corporalibus illis bonis, dona spiritualia et præmia æternalia ac superna intelliguntur. Hebræis autem imperfectis ac rudibus, et nondum in fide constabilitis, promittebantur corporalia et terrena, ut per ea ædificarentur in fide, et exspectare discerent invisibilia ac æterna. *Venerunt autem in Elim.* Per Elim, ubi erant duodecim fontes, septuagintaque palmæ, designatur Christi Ecclesia, in qua est duodenarius numerus Apostolorum, qui splendidissimi fontes sunt saluberrimorum documentorum, de quibus accipi potest illud Psalmi : In ecclesiis benedicite Deo Domino *Ps.* LXVII. 27.
de fontibus Israel. Et illud in Isaia : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Is.* XII. 3.
Per septuaginta vero palmas, figurati sunt totidem Christi discipuli, qui in prædicatione evangelicæ legis non mediocriter *Luc.* X. 1
cooperati sunt sanctis Apostolis.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : PROFECTIQUE SUNT DE ELIM.

QUALITER Deus gratiose et miraculose providit populo suo necessaria victui in deserto, recitatur in isto capitulo. *Profectique sunt de Elim.* Nam ut in præcedenti dicebatur articulo, quamvis ibi
Exod. XV, 27. fuerunt duodecim fontes, tamen modica aqua, quæ et impura erat in eis, et fructus arborum ibi inventi, a tanta multitudine fuerunt cito comesti : ideo processerunt, attamen juxta motum columnæ nubis. *Et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai.* Verum, ut dictum est, omnia ista specialia loca, seu partialia deserta diversimode nominata, in uno illo totali deserto, quod est inter Ægyptum et Chanaan, continebantur ut partes. Ibi ergo venerunt *quintodecimo die mensis secundi,* etc., secundum computationem Judæorum, qui a Martio seu Aprili incipiunt menses anni, juxta sensum præhabitum. Et juxta hoc, mensis iste secundus fuit Aprilis vel Maius. Quum ergo de Ægypto egressi sint quintodecimo die mensis primi, ut duode- *Exod.* XII. 18, 51.
cimo capitulo patuit, constat quod tricesimo die ab exitu de Ægypto venerunt in desertum Sin.

Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. Non simpliciter omnis congregatio illa sic murmuravit, sed tam multi in ea, quod ceteri comparative pauci fuerunt. Idcirco in hac computatione pauci illi non reputantur, soletque toti adscribi, quod convenit parti ejus majori. *Dixeruntque filii Israel ad eos.* De mulieribus non fit sermo, quum tamen verisimile sit, quod cum viris vel parentibus suis murmuraverunt, præsertim quum feminæ satis cito impatientes aut pusillanimes fiant ; sed opera principalioris sexus describuntur communius. *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti,* id est, utinam Deus in Ægypto nos occidisset brevi

Digitized by Google

et celeri morte, sicut occidit primogenita A Ægyptiorum! Quasi dicant : Tolerabilior fuisset mors illa, quam tribulatio ista, et
ren. IV, mori ex fame, juxta illud in Threnis : Melius fuit occisis gladio, quam attenuatis fame. Sed ista fuerunt verba diffidentiæ et nimiæ pusillanimitatis, imo et cujusdam desperationis. Non enim attendebant divina promissa, nec in adversis ostenderunt fidem et spem suam in Domino. *Quando sedebamus super,* id est prope, *ollas carnium,* quæ præparabantur nobis ad ignem in ollis. Solet autem Super, pro Prope su- B mi. Unde communiter dicimus : Colonia sita est super Rhenum. *Et comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame ?* In hoc dupliciter mentiebantur. Non enim Moyses et Aaron, sed Deus per eos, imo per columnam nubis, magis autem per angelum nubis illius motorem, duxit eos in eremum illam. Et quamvis Moyses et Aaron hoc aliquo modo fecerunt, non tamen ut eos occiderent fame, sed ob alias rationabiles causas, in C expositione litterali tertiidecimi capituli introductas.

Dixit autem Dominus ad Moysen, qui murmurantibus illis condoluit, et Dominum invocavit : *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo,* id est, materiam ex qua panes conficietis, faciam ex cœlo aereo pro vestra sustentatione in terram descendere, utpote manna : quod tamen angelorum ministerio factum agnoscitur. Bonus et pius Deus murmuranti populo condescendit, quia et aliquam habuerunt murmurandi occasionem, D quia jam fame erant confecti. Nam infra triginta dies in via exactos, consumpserunt quæ ex Ægypto victualia detulerunt, etiam valde parce eisdem utendo, erantque in vastissima et sterilissima eremo, solo visu horribili. *Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies,* id est, quotidie colligat tantum, ut pro illo die sufficiat ei, seu cuique colligenti pro se et sua familia, excepto tamen sabbati die, in quo non licebat colligere. Voluit autem Dominus, ut sine mundana sollicitudine, et absque guloso cupidoque affectu colligerent, utpote tantum, quantum putabant sibi sufficere; nec pro sequenti die colligerent, nisi in sexta die, quia non licuit inde servari in crastinum, quatenus de Dei providentia essent securi. *Ut tentem eum,* id est, idcirco istud præcipio, quatenus ex sequela hujus præcepti experiar, vel potius alios agnoscere faciam, et per modum tentantis me habeam, *utrum ambulet in lege mea, an non.* Quando Dominus dixit hæc, nondum contulerat legem, quæ in monte Sinai data est. Quomodo ergo ait, Utrum ambulet in lege mea ? Et respondendum, quod jam dederat quædam præcepta in Marath, et protinus daturus erat legem concernentem hunc panem seu manna, videlicet quando et qualiter esset colligendus et accipiendus : imo jam aliquid tetigit inde; et paulo post, durante usu mannæ, daturus fuit legem in Sinai. Legem quoque naturalem et circumcisionis præceptum, ac alia quædam mandata, jam ante tradiderat Patriarchis in lege naturæ.

Die autem sexto parent quod inferant, id est, de materia hujus panis congregent, quod in tabernacula seu tentoria sua reponant; *et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies,* videlicet quinque diebus præcedentibus, ut sufficiat pro sustentatione, tam in ipsa feria sexta, quam in septima seu sabbato, quando non licet colligere. Hoc autem quod ait, Et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies, etc., dupliciter potest exponi : Primo, quod sexta feria colligebant duplo plus, quam aliquo die præcedente : et ita videtur intelligere Origenes. Unde et in Glossa ex ejus verbis habetur : In die sexta duplum colligatur in repositione, quantum sufficiat etiam sabbato. Huicque sensui consonat, quod infra in isto continetur capitulo : In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est duo gomor per singulos homines. Secundo, sic illud quod collegerunt sexta feria, miraculose mul-

Digitized by Google

tiplicabatur, ita quod etiam pro sabbati refectione sufficiebat. Sicque non plus collegerunt substantialiter sexta feria quam aliis feriis, sed virtualiter, in quantum illud multiplicabatur in duplum. Quid vero huic expositioni videatur favere, infra capitulo hoc tangetur.

Insuper ex his verbis elicit Origenes, quod manna cœpit dari ac pluere die dominica, utpote prima die hebdomadæ, quam nos ob Christi in ea resurrectionem, appellamus dominicam et festivam. Sic etenim ait : Sexta dies appellatur, quæ ante sabbatum ponitur. Sabbatum autem septima dies est. Quæro ergo, qua die cœperit manna cœlitus dari, et volo comparare dominicam nostram cum sabbato Judæorum. Ex divinis namque Scripturis apparet, quod in die dominica primo datum est manna in terris. Si enim (ut ait Scriptura) sex diebus continuis collectum est, septima vero die, videlicet sabbato, cessatum est, constat quod cœpit dari dominica die. Intelligant ergo Judæi, jam tunc prælatam esse dominicam nostram Judaico sabbato; tuncque fuisse figuratum, quod in eorum sabbato non descendat ad eos gratia Dei. Hæc Origenes.

Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti. Quasi dicat Moyses : Imponitis mihi, quod quasi proprio capite vos induxerim in hunc locum, sed in hora hujus diei vespertina per evidentiam facti, utpote per miraculosam avium adventationem, certius cognoscetis, quia non nisi ex Dei imperio vos hucusque deduxerim. *Et mane videbitis gloriam ejus,* Domini, hoc est, præclaram ejus potestatem conspicietis in miraculoso descensu mannæ, quod cras mane videbitis. Causa quippe in suo cognoscitur et videtur effectu. *Audivi enim murmur vestrum contra Dominum :* quia in Deum et in ejus injuriam redundat murmuratio vestra contra me et Aaron facta, quia ex Dei præcepto in hunc locum vos duximus. Difficultatem tamen quamdam inducit conjunctio illa causalis, Enim. Nam quomodo Moysen audisse murmurationem filiorum Israel contra Deum, est causa quod vespere scient Dominum eduxisse eos ex Ægypto, atque quod mane videbunt gloriam ejus ? Itaque quod ait, Audivi enim, etc., inducitur non tanquam causa beneficiorum tantorum, sed ut causa quod Moyses ista locutus est eis. Aliqui autem textus habent, Audivit enim: sicque sensus est, quod Dominus audivit murmurationem illorum contra Dominum, id est contra se factam. Si autem legatur, Audivi, quæstio est, cur singulariter dicitur, Audivi, quum pluraliter sit præmissum, Dixerunt Moyses et Aaron. Ad quod dici potest, quod Moyses tanquam principalis, de se singulariter ait, Audivi : quia ad eum præcipue pertinebat corripere populum, tanquam ad eorum prælatum. *Nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos ?* Quasi dicant : Quum non simus nisi ministri Dei, cui in vestra eductione et deductione in cunctis obtemperavimus, male agitis contra nos murmurando, et inter vos basse adversum nos colloquendo.

Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere : hoc est, volatilia faciet ad manus vestras venire hora præfata, ut capiatis ac præparetis ea ad comedendum; *et mane panes in saturitate:* hoc est, diluculo diei sequentis invenietis materiam panum, videlicet manna, quousque ad sufficientiam reficiemini; *eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum :* hoc est, querimonias vestras super defectu alimentorum cognovit, idcirco in hoc condescendet misericorditer vobis dando quæ appetistis. *Nos enim quid sumus ? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum,* id est, non solum nec principaliter est contra nos, sed contra eum, cujus vices gerimus circa vos, et ex cujus commissione peregimus ea, propter quæ contra nos murmuratis. Qui enim tali casu murmurat contra suum superiorem, magis murmurat contra Deum, quam contra proprium superiorem. Nam inhonoratio servi, redundat

Digitized by Google

in Dominum. Propter quod vicariis suis ait Salvator : Qui vos spernit, me spernit. Paulus quoque : Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.

(...x, 16.) (...ess. iv, ...)

Dixit quoque Moyses ad Aaron : Dic universæ congregationi filiorum Israel : quæ congregatio magna exstitit et late diffusa, nec bene intelligere poterat simul, nisi vocem tubalem : ideo Moyses commisit ipsi Aaron proferre hæc verba ; *Accedite coram Domino,* id est, divinæ majestatis ubique præsentis et omnia intuentis conspectui vos repræsentate, attendendo ejus incircumscriptam præsentiam, atque ad eam erigendo cor vestrum. Iste fuit modus loquendi in veteri Testamento. Sic namque ait et Samuel primo Regum : Accedite huc coram Domino. Et Psalmista : Accedite ad eum. Aliqui tamen sic exponunt : Coram Domino, id est coram parvo tabernaculo, in quo Dominus Moysi loquebatur, magno tabernaculo, de quo infra habetur, nondum facto. Hinc Magister in historiis scribit : Aiunt Hebræi eos primo habuisse parvum tabernaculum, in quo Dominum consulebant, de quo infra habetur : Tollens Moyses tabernaculum, tetendit illud extra castra. Vel sic : Coram Domino, id est coram columna nubis. Dominus namque in nube illa, et item in tabernaculo illo specialiter fuisse asseritur, in quantum ibi specialiter apparebat, operabatur, aut loquebatur. Ideo coram nube aut tabernaculo accedendo, coram Domino accessisse dicuntur. *Audivit enim,* id est cognovit, *murmur vestrum,* quoniam omnia, nuda et aperta sunt oculis ejus : atque ut scriptum est, Auris zeli audit omnia.

(...eg. xiv, ...) (...xxiii, 6.) (Exod. ...ii, 7.) (...r. iv, 13.) (...p. i, 10.)

Quumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem. Jam in solitudine erant, qualiter ergo respexerunt ad eam ? nisi forte dicatur, quod scribuntur ad solitudinem respexisse, quia ad quamdam ejus partem, oculis eorum oppositam, in qua erat columna nubis, cum speciali diligentia conspexerunt, quia insolitum aliquid ibi apparuit. Unde subjungitur : *Et ecce gloria Domini apparuit in nube,* id est, Deus majestatem suam monstravit in columna nubis, per supernaturalem et inconsuetum quemdam splendorem sensibilem, divinæ præsentiæ repræsentativum. *Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Audivi murmurationes filiorum Israel. Loquere ad eos : Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus ; scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.* Circa hoc loquitur Origenes : Velim scire qualiter Judæi ista dicta suscipiant. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut aut vespere carnes sine panibus comedant, aut mane panes absque pulmenti adjectione manducent ? Et videtur Origenes insinuare, quod ista non valeant ad litteram proprie stare. Nihilo minus dici potest, quod ideo Dominus dixit, Vespere comedetis carnes, quia in vespera diei illius collegerunt comestibiles aves in copia. Ideo quoque disseruit, Mane saturabimini panibus, quia diluculo mox sequente pluit eis manna sufficiens, ex quo panes formabant. Et forsitan in vespera illa quidam illorum præ aviditate gulosa coxerunt avium carnes, comederuntque eas. Nam et quidam eorum adhuc aliquid habuerunt de pane, ut probabile reputatur.

Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix, cooperuit castra, id est, multitudo copiosissima coturnicum, quæ sunt comestibiles volucres, veniens et pervolans mare Rubrum, per latum resedit super domos Hebræorum, et quievit in terra juxta eosdem, ita quod juxta beneplacitum suum aves illas ceperunt. De hoc in Scholastica narratur historia : Ascendens coturnix de sinu Arabico, id est a regione seu loco quodam Arabiæ, ubi præcipue alitur, transcenso medio mari operuit castra. Estque coturnix avis regia, quam Josephus ortygiam vocat, Græci ὀρτυγομήτραν, nos vulgo curleium dicimus, a currendo, quia videlicet frequenter cursitant super terram. Hinc in Sapientiæ libro legitur : Viderunt novam creaturam avium, quum abducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis. In allocutione enim desiderii

(*Sap.* xix, 11, 12.)

ascendit illis de mari ortygometra. Quocirca scribunt expositores : Ortygia est regio seu insula, in qua habitant et abundant coturnices, duobus super terram cubitis volitantes.

Quæritur, cur Dominus prius dedit eis carnes ad manducandum, quam panes. Dici potest, quod adhuc modicum quid habebant de panibus pro vespera illa, nihil autem de carnibus affectatis. Vel, quia in sua querimonia primo nominabant carnes, postea panes, dicendo : Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super B ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate! Iterum quæri potest, cur de carnium defectu murmuraverunt, et earum esum sic affectabant, quum haberent secum tot comestibilia pecora. Ad hoc Augustinus respondet : Cur in eremo carnes desideraverunt, quum de Ægypto cum multis pecoribus exierint, magna quæstio est. Nisi forte dicatur, quod in eremo non fuerant pascua : ideo minor pecorum fecunditas fecit eis parci, ne omnibus eis deficientibus, etiam sacrificiis necessaria C deessent; vel, si quid aliud dici potest, unde solvatur quæstio hæc. Congruentius tamen creditur, quod non desideraverunt eas carnes quæ de pecoribus possunt haberi, sed eas quæ deerant. Rursus asserit Augustinus : Aves illas multi Latine coturnices vocant, quum sit aliud genus, coturnicibus non usquequaque dissimile.

Mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Hoc Lyra exponens, ait : Ros, id est manna ad modum roris congelati. Unde D infra dicitur, quod habuit similitudinem pruinæ, quæ est ros congelatus. Ista est expositio Catholicorum, secundum quam manna cadebat immediate super terram, sicque per rorem vel pruinam designatur hic manna. Deinde subjungit : Rabbi Salomon exponit hunc locum subtilius, dicens quod primo cadebat pruina super terram, et postea manna desuper, et postea ros aliquantulum congelatus desuper, ita quod manna jacuit inter duo illa tanquam mun- A de servatum. Unde in Hebræo habetur : Mane quoque fuit operimentum roris in circuitu castrorum, et ascendit operimentum roris, et ecce in solitudine minutum discoopertum. Sed circa hoc dico, quod multi doctores catholici adstruunt manna fuisse distinctum a rore, et illud cum rore pariter descendisse, præsertim quum scriptum sit in Numerorum libro : Quumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man. Ubi satis evidenter docetur, manna fuisse distinctum a rore. Non ergo oportuit in hac expositione perfidum illum catholicis doctoribus sic præferre. Doctores vero catholici, qui dicunt manna per rorem intelligi, dicunt hoc per similitudinem unius cum alio. Nam et in Scholastica historia dicitur ex Josepho : Mane quum orasset Moyses, ros descendens, illinitus est manibus ejus, quem primo suspicatus est esse imbrem ; sed quum gustasset, sensit mellis dulcedinem, et panem promissum intellexit datum. Et jacuit ros per circuitum castrorum, et erat granum minutum quasi semen coriandri, album in modum pruinæ, et quasi pilo tusum. Hoc est quod in textu subjungitur : *Quumque operuisset* ros *superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum.* Non ait : Apparuit in solitudine minutus, videlicet ipse ros, sed tanquam de re alia loquens : Apparuit, inquit, in solitudine minutum, *et quasi pilo tusum,* etc., id est res quædam minuta, ante incognita, neque visa, et quasi pilo tusa, id est quasi tali instrumento percussa, quoniam erat mundum ac lucidum, quasi fuisset in mortariolo tusum, folliculisque exutum, quemadmodum et a grano frumenti cortex percussionibus amovetur.

Num. xi, 9.

Quod quum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu? quod significat, Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Ideo admirando ita locuti sunt. Neque enim simile quid visum antea fuit, ejusdem videlicet speciei. Si autem fuisset idem quod ros, non sic admirati fuissent. *Quibus ait Moyses : Iste est panis,* id est

Digitized by Google

materia panis ex eo fiendi. Vel nomine panis intelligitur quodlibet alimentum. Manna autem per se fuit aliqualiter refectivum. *Quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Hic est sermo quem præcepit Dominus,* id est cujus significationem jussit a vobis impleri. Unde sermo hic sumitur pro re significata per ipsum.

Deinde præceptum subjungitur : *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita,* id est, pro unoquoque supposito colligatur tantum, sicut continet mensura nomine gomor, quæ secundum Glossam est mensura quinque sextariorum, et ut in fine hujus capituli scribitur, est decima pars ephi, quam mensuram Josephus vocat assarium. Nomina autem et modi mensurarum, apud diversos diversificantur, sicut numismata : ideo latet nos quantitas determinata illius mensuræ, secundum nostrarum maneriem mensurarum. Recitat tamen Lyra, quod secundum Rabbi Salomonem, gomor tenet quantitatem quadraginta duorum ovorum. Alii ex dictis Isidori ac Papiæ nituntur probare, quod gomor continet quartam Parisiensem cum media. *Juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis :* hoc est, unusquisque paterfamilias accipiet omni die tot gomor repleta ex manna, quot sunt in domo sua personæ quæ vescantur hoc pane. Quamvis autem unus naturaliter multo plus manducet quam alter, Deus tamen præfixit universis et singulis eamdem mensuram : quoniam teste Josepho, quemadmodum manna supernaturaliter donabatur, sic supernaturaliter Deus disposuit, ut et fortioribus sufficeret illa mensura, et a debilioribus posset sine excessu consumi, ne fortiores cupiditate gulaque ducti, tam multum et impetuose colligerent, quod debiliores fraudarentur, fieretque inter eos turbatio. Nec his contrariatur quod subditur :

Feceruntque ita filii Israel, et collegerunt, alius plus, alius minus. Quidam enim habuerunt plures domesticos, alii pauciores : ideo unus potuit plus mannæ de terra colligere, alius minus. Sed in hoc servabatur æqualitas, quod pro unaquaque persona æque multum dabatur et reservabatur de manna. Propterea sequitur : *Et mensi sunt ad mensuram gomor :* quia pro unoquoque tantum accipiebatur. *Nec qui plus* de manna *collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat,* hoc est, sibi procuraverat, *reperit minus ; sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt,* hoc est, unusquisque sibi assumpsit præfatam mensuram. Verumtamen sicut Magister in historiis subtiliter tangit, istud dupliciter intelligi potest. Primo, sic quod collecta ex manna, reponebantur in grandes acervos, ex quibus unicuique unum gomor mensurabatur atque dabatur. Secundo, sic quod quantumcumque quis pro se collegerat, tamen veniens domum, non reperit nisi mensuram unius gomor. Et secundum Josephum, quod ultra hoc fuit collectum et reservatum, ad nihil utile fuit in crastino, quoniam vermes et amaritudo illud consumpserant. Porro littera primo intellectui magis consonare videtur. Nam dictum est, Mensi sunt ad mensuram gomor.

Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane, hoc est, nullus vestrum reservet de mensura mannæ unius diei aliquid in diem sequentem. Cujus præcepti causa superius tacta est, ne scilicet solliciti essent de crastino, nec ex tali sollicitudine unus alterum defraudaret in colligendo, sed filialem habendo confidentiam in providentia Dei, et exonerati a cura et requisitione pro sustentatione futura, Deo liberius deservirent. Verumtamen sexta die servabant manna pro die sequenti, ut infra exprimitur. *Qui non audierunt eum,* hoc est, præcepto Moysis jam præfato non obedierunt ; *sed dimiserunt quidam ex eis usque mane.* Et dicunt Hebræi, quod isti erant Dathan et Abiron. Potius autem puto, quod multi fuerunt, quum infra tot centena millia, factum duorum virorum non tantum repularetur. *Et scatere cœpit vermibus, atque computruit* manna sic re-

Digitized by Google

servatum die sequenti. Hoc tamen (ut creditur) non venit ex natura mannæ, imo hoc conservabile fuit ex sua natura ad tempus diutius, sed in detestationem inobedientiæ, gulositatis, ac immoderatæ sollicitudinis reservantium manna, jussit Deus illud ita corrumpi, et ne amplius sic servarent. *Et iratus est contra eos Moyses* ira per zelum, ex caritate, et affectu justitiæ. Nam ut apparet, mortaliter peccaverunt sic reservando contra præceptum. Moyses autem excessum illorum cognovit, vel ex revelatione divina, vel ex revelatione humana.

Colligebant autem mane singuli manna, *quantum sufficere poterat ad vescendum :* puta mensuram gomor. *Quumque incaluisset sol,* id est sole paulutum ascendente, et terram calefaciente, manna *liquefiebat,* (quum juxta ignem induraretur, quod rori non convenit; idcirco non fuit ros) : ideo mane colligebatur, statim quum ros ei admixtus, resolutus et consumptus esset a solis calore. *In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est duo gomor per singulos homines.* Qualiter hoc possit dupliciter intelligi, paulo ante inductum est. Qui autem exponunt hoc sic, quod sexta die non collegerunt plus quam aliis feriis, probant hoc per textum sequentem : *Venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Moysi.* Quod ita exponunt : Principes vulgi admirantes de hoc, quod mensura mannæ sexta die collectæ, fuit in se ipsa sic duplicata miraculose, quod tantum invenerunt in domo, ac si ipsa sexta die duplum collegissent, venerunt et recitaverunt Moysi tantum miraculum. Præterea, qui vellet aliam expositionem tenere, posset hanc litteram aliter explanare, dicendo quod venerunt, nuntiaveruntque Moysi, duplicem quantitatem mannæ se collegisse in sexta die, sicut eis præcepit, ut ab eo audirent, quando et qualiter facerent panes ex duplo illo, et an esset periculum de mannæ putrefactione. Imo, quod iste sit sensus clausulæ hujus, videtur ex verbis sequentibus.

Qui ait eis : Hoc est quod locutus est Dominus : Requies sabbati sanctificata est Domino, id est, quies, qua die septima cessandum est ab operibus atque laboribus, ordinatur ad hoc, ut tunc Deo vacetur ; ejusque cultui dedicatur requies illa, idcirco in ea nihil coquendum est. Unde subjungitur : *cras quodcumque operandum est, facite ; et quæ coquenda sunt, coquite.* Hoc est, ea quæ die crastina, scilicet sabbato, faceretis et coqueretis, nisi præceptum celebrandi sabbatum impediret, facite et coquite sexta die. *Quidquid autem reliquum fuerit,* id est, quod de manna non consumitis, qua die illud collegistis, *reponite usque in mane,* id est, reservate pro die sequenti seu sabbato. *Feceruntque ita ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo,* puta in manna sic reservato, seu in pane formato : quæ formatio seu decoctio fiebat in die sexto, secundum modum qui in Numeris est descriptus, et paulo post tangetur. (Num. XI, 8.) *Dixitque Moyses : Comedite illud hodie.* Istud dixit Moyses in ipsa sabbati die, ut sit sensus : Illud quod reservastis de manna ac alio cibo, a die præcedente usque in hodiernum, manducate hoc septimo die ; *quia sabbatum Domini est :* propter quod reservastis illud in hunc diem, in quo non licet manna colligere, imo nec inveniretur in eo. Ideo subditur : *non invenietur hodie in agro,* id est in terra hujus deserti, in qua quasi in agro aliquid crescit graminis seu herbarum. *Sex diebus colligite,* etc., sicut expositum est.

Venitque septima dies, et egressi de populo, ut colligerent manna, quum tamen esuriem non haberent, nec indigerent colligere, sed superflua sollicitudo, gulositas, aut etiam curiositas incitavit eos ad illum egressum, quatenus experirentur an prolata a Moyse, essent vera, *non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen : Usquequo non vultis,* id est, aliqui ex vobis non volunt, *custodire mandata mea,* quæ vobis præcepi de modo et tempore colligendi, edendique manna, *et legem meam* de

Digitized by Google

sabbati celebritate servanda? *Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum,* id est, diem sabbati celebrari præcepit, et in eo vos quiescere jussit; *et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices. Maneat unusquisque apud semetipsum,* id est, de loco suo non recedat. Unde expositorie subditur: *nullus egrediatur de loco suo die septimo,* id est, ad operandum non exeat, nec usque ad fatigationem conficiat iter, nec sine rationabili causa suæ habitationis exeat septa. *Et sabbatizavit,* hoc est, ab exterioribus quievit operibus, *populus die septimo:* ad recordandum beneficia Dei, specialiter creationis beneficium, atque ad quiescendum in Deo per exercitia devotionis. Sic utique quidam in populo illo sabbatizaverunt, videlicet justi. Alii corporaliter, non spiritualiter, sabbatizabant, qui et per mentis distractionem, inordinatas affectiones, ac alias culpas, a se ipsis longe digrediebantur.

Præterea, sicut fatur Andreas expositor, De manna contulit Deus octo præcepta: Primum, ut unusquisque colligeret manna quantum putaret sibi sufficere, utpote gomor pro quolibet homine. Secundum, ut unusquisque quotidie comederet unum gomor de manna præcise. Tertium, ut mane colligerent. Quartum, ut non reservarent ex manna in crastinum pro aliquo sex dierum. Quintum, ut sexto die colligerent duplum. Sextum, ut sexto die reservarent unum gomor pro sabbato. Septimum, ut illud gomor in sabbato manducarent. Octavum, ut unum vas continens mensuram gomor reservaretur de manna in tabernaculo, ad perpetuam rei memoriam. Itaque, qui in aliquo horum excesserunt, videntur peccasse mortaliter.

Appellavitque domus Israel nomen ejus, Man, id est, Israeliticus populus panem illum cum rore delapsum vocavit Man; quia dum primo viderunt eum, dixerunt: Manhu? quod est quid complexum, id est duæ dictiones, et sonat, Quid est hoc? ita quod MAN, significat, quid; HU autem, hoc. Nam et Josephus sic exponit. Posteriores tamen Judæi dicunt, per Man, significari præparatum (seu rem præparatam) ad comestionem: sicque diceretur panis hic, man, id est res a Deo præparata ad esum. Nos autem vocamus eum manna, id est panem cœlestem. *Quod erat quasi semen coriandri,* id est simile semini illi in figura et quantitate, quoniam parvum fuit atque rotundum; sed in colore differebat a semine illo quod nigrum est. Manna vero exstitit album, sicut in textu subjungitur: *album, gustusque ejus quasi similæ cum melle,* id est, dulcissimi fuit saporis ad instar panis confecti ex simila melle mixta. Simila quippe est delicatissima atque purissima tritici farina. De hoc pane et ejus sapore ac confectione, legitur in Numeris: Erat man quasi semen coriandri *Num.* XI, 7, 8.
coloris bdellii. Circuibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Dicitur autem panis oleatus, in cujus pistratione oleum admiscetur.

Sed quæri potest, si panis ille fuit tam dulcis, cur quidam dixerunt de eo, Anima *Ibid.* XXI, 5.
nostra nauseat, et arida est, super cibo isto levissimo. Respondetur, quod naturalis sapor mannæ, fuit dulcis valde et unicus, utpote talis, ut dictum est. Alius fuit sapor ejus supernaturalis ac multiplex, quem habuit in virtuosis ac justis, quibus sapiebat ut voluerunt. Si enim appetebant refici aliquo genere carnium aut piscium, sapuit eis ut cibus ille optatus: quod fuit ex gratia Dei, meritisque vescentium. Tertius fuit sapor ejus accidentalis, quem habuit in injustis, quibus propter eorum perversitatem fuit insipidus. Verumtamen in Scholastica historia legitur: Quod autem dicitur, quia sapiebat in ore cujusque quod desiderabat, non est multum authenticum. Forsitan ideo dictum est, quoniam liber Sapientiæ, ex quo dictum illud accipitur, non est de numero Scripturæ canonicæ. Verumtamen istud jam satis authenticum est, et viri catholici tenent sic communiter. Unde et Sapiens idem ait:

Digitized by Google

Sap. XVI, 20, 21. Angelorum esca nutrivisti populum tuum, A et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem : substantiam enim tuam, et dulcedinem quam in filios habes, ostendebas : et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. Dicit autem et Josephus, quod locus ille quo manna primum descendit, hactenus rigatur siccis imbribus et hujusmodi rore.

Dixit autem Moyses : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Imple gomor ex B *eo :* hoc est, Dominus mihi jussit, ut faciam mensuram gomor impleri hoc manna ; *et custodiatur in futuras retro generationes,* id est per tempora futura, durante statu et ritu Israeliticæ plebis, *ut noverint panem quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti :* hoc est, quatenus posteri vestri recolant et perpendant, quam gratiose et miraculose nutrivi patres eorum in eremo, ut et grati sint Deo, et roborentur in fide. *Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum,* hoc C est receptaculum aptum : est equidem proprietas Hebræi sermonis, ut quod contentivum est alicujus rei, vas appelletur ; *et mitte ibi man,* id est, manna pone in vase illo, *quantum potest capere gomor,* videlicet mensura sic nuncupata ; *et repone coram Domino,* hoc est in tabernaculo, in quo Dominus specialiter esse et habitare censetur, *ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.* Primo enim posuit manna D illud in urna, imo in aurea urna, ut in historiis ait Magister. Unde in epistola Hebr. IX, 4. ad Hebræos habetur : Urna aurea habens manna.

Denique jam in isto articulo dictum est, quod quando Moyses jussit hæc, fuit ibi tabernaculum parvum ; et in illo, quidam Catholici et Hebræi affirmant, urnam illam cum manna fuisse locatam, quousque magnum tabernaculum fuit constructum. Alii dicunt, quod non fuit positum vas illud cum manna, nisi in tabernaculo magno. Unde quod hic dicitur, intelligunt dictum per prolepsim, id est anticipationem, qua aliquid recitatur quasi antea factum, quum tamen factum sit postea, sicque Augustinus exponit : imo (ut fertur) Hebræi nonnulli testantur, quod Deus non dedit istud præceptum ante magni tabernaculi constructionem in monte Sinai facti, ut infra describitur.

Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis, videlicet toto tempore quo fuerunt in deserto. Ideo subditur : *donec venirent in terram habitabilem. Hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan.* Verumtamen sicut in Glossa ex Augustino asseritur, non est intelligendum quod filii Israel cessaverunt comedere manna, statim ut introierunt habitabiles terras. Transierunt enim per Idumæam ex latere, et per regna Sehon et Og usque Jordanem, in quibus terris usi sunt manna. Additque Augustinus, quod in terris illis potuerunt fortassis uti tam manna, quam alio pane. Transito autem Jordane, et facta circumcisione secunda in Galgalis, celebratoque Pascha, defecit manna die Josue v, 12. sequenti, quum comedissent de frugibus terræ Chanaan, ut habetur in libro Josue.

Postremo, circa hæc recitat Rabbi Paulus, quod inter Hebræos antiquos multum authenticos, fuit disceptatio grandis de manna. Nam quidam eorum, videlicet Rabbi Aquila, dixit manna fuisse panem quo vescuntur et angeli : quod alius nomine Rabbi Ismael reprobavit, dicens angelos non vesci corporeo cibo. Moderni autem Hebræi, ut Rabbi Moyses Gerundensis, et alii, sequuntur primam opinionem, dicentes quod manna fuit lumen divinum incorporatum : sicque filii Israel reficiebantur eodem pane, quo angeli reficiuntur : ii quidem lumine divino non incorporato, Israelitæ autem lumine divino incorporato. Sed ista opinio stulta et rudis est. Si enim per lumen divinum intelligunt lumen increatum æternum, quod Deus est, constat illud non esse incorporatum. Si autem per lumen

Digitized by Google

divinum intelligunt lumen creatum, videlicet lumen gloriæ, aut aliquid tale angelis sanctis infusum sive inhærens, certum est, quod illud non sit substantia, sed accidens quoddam, cui non competit incorporari, neque corporaliter alere et augere. Ideo A Sancti dicunt, quod manna fuit quid corporale, ministerio angelorum formatum in aere. Unde et panis angelorum vocatur, non quod illo vescantur, sed quia ad ejus formationem ac administrationem seu descensum, obsequebantur.

ARTICULUS XXXIII

SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI SEXTIDECIMI ELUCIDATIO.

QUUM venissent filii Israel in desertum B Sin, murmuraverunt contra Moysen propter victualium carentiam, et loci asperitatem atque infecunditatem. Per solitudinem illam, arcta via salutis, conversatio pœnitentialis, claustralis quoque religio designatur. Itaque per carnalium Judæorum murmurationem, figurata est impatientia, indignatio, murmuratio Christianorum modicam fidem habentium, qui adhuc sensualitatem non evicerunt. Isti post arreptum iter salutis, post pœnitentiam inchoatam, aut post religionis ingressum, C tentantur de facili, dum adversitates, irrisiones, persecutiones aut infirmitates eis contingunt, dum non reficiuntur ad libitum, dum fame, siti aut frigore affliguntur, in tantum ut interdum suis superioribus indignentur, aut obloquantur, vel quod pejus est, in faciem injurientur eisdem. Non enim attendunt providentiam Dei, omnia justissime pro suorum electorum salute moderantis ac disponentis. Idcirco in tentatione deficiunt, et propria impatientia superantur. Denique sicut et D Origenes conscribit, quando de intemperie cœli, de infecunditate terræ et arborum, de imbrium raritate, de aliorum prosperitatibus causamur, murmur contra Deum attollimus. Et sicut in filios Israel mur- (*um.* XXI,) murantes, tandem sunt missi igniti serpentes; ita qui in præmissis permanent vitiis, immundissimis traduntur spiritibus et venenatis dæmonibus, qui eos occultis perimunt morsibus. Væ eis qui post conversionem suam ad ollas carnium, id est ad pristinas voluptates et vanitates, de quibus semper lugendum est, rursus adspirant, qui sunt canes reversi ad vomitum. (*Prov.* XXVI, 11.)

Dixit autem Dominus ad Moysen : Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Sic Deus ex sua pietate immensa interdum quasi compatitur ita murmurantibus et aversis, atque per consolationem spiritualem, per visitationem internam, recreat, retrahit, ac roborat eos. Virtuosis autem et in via salutis ac religionis proposito jugiter proficientibus, multo copiosius atque frequentius pluit et infundit hujusmodi manna. Qui dicere possunt : Benedictus Dominus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. (II *Cor.* I, 3, 4.) Itemque : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine. (*Ps.* XXX, 20.) Itaque, per manna potest intelligi divinæ consolationis suavitas, spiritualis dulcedo, affluentia munerum divinorum, prædicatio quoque verbi cœlestis, et potissimum Eucharistiæ sacramentum ; imo ipse Dominus Jesus Christus, qui ait Judæis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem verum. (*Joann.* VI, 32, 48, 59.) Ego sum panis vitæ. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. In hoc pane verissime est omne delectamentum, et omnis saporis suavitas. Iste est panis angelorum, cujus deitate

Digitized by Google

angeli sancti æternaliter et insatiabiliter A
reficiuntur. Iste panis est Lumen divi-
num, Verbum æternum, incorporatum et
incarnatum, quo veri Israelitæ aluntur.
Præterea, salubris doctrina, sacra Scriptu-
ra, verbum salutis, recte vocatur manna
dulcissimum : quo quid dulcius esse po-
Ps. cxviii, 103. test, quum scriptum sit, Quam dulcia fau-
cibus meis eloquia tua? Hinc Jonathas et
veri Hebræi primo Machabæorum libro
I Mach. xii, 9. fatentur : Nos nullo horum indigemus, so-
latio habentes sanctos libros qui in mani-
bus nostris sunt. Toties itaque Deus pluit, B
quoties verba ipsius prædicantur homi-
nibus. Dulcissima autem ipsius pluvia, est
unctio Spiritus Sancti, allocutio ejus in-
terna, illuminatio supernaturalis, qua di-
vina intelliguntur secreta. Unde ait Pro-
Ps. lxvii, 10. pheta : Pluviam voluntariam segregabis,
Deus, hereditati tuæ.

Insuper, quodlibet manna præfatum de-
bemus quotidie quærere mane, juxta illud,
Matth. vi, 33. Quærite primum regnum Dei; et tantum
manducare, id est mente capere, quantum
possumus, ut ad meliora et viciniora sa- C
luti indefesse tendamus. Sexta autem die
duplum oportet colligere, quoniam in pro-
festis diebus debemus nos specialiter præ-
parare ad ea quæ sunt cultus divini, atque
ad sacram communionem, expediendaque
corporalia expedire, ut in sancta festivita-
te solis divinis ac interioribus simus inten-
ti. Quemadmodum autem manna servatum
in diem sequentem computruit, servatum
vero in sabbatum, integrum mansit : ita si
bona agamus amore retributionis terrenæ,
aut intuitu laudis humanæ, pereunt et pu- D
trescunt; si autem propter requiem regni
cœlestis, quæ per sabbatum designatur,
optime conservantur.

*Vespere scietis, quod Dominus eduxerit
vos de terra Ægypti, et mane videbitis
gloriam ejus.* Per Vesperam designatur
sexta et ultima mundi ætas, in qua Filius
Dei venit in mundum per incarnationis
mysterium, de qua ait sanctus Joannes
I Joann. ii, 18. apostolus, Novissima hora est : in qua per
Apostolos toti prædicatum est orbi, qua-
liter Christus nos de hoc sæculo nequam
salvavit. Mane autem videbimus gloriam
ejus, quia in resurrectione futura, et in
exordio, quo eum resuscitati in die æter-
nitatis sumus visuri, videbimus eum clare
et beatifice sicuti est. Potest quoque per
Mane intelligi inchoatio illuminationis su-
pernæ, seu exordium diei gratiæ ac virtu-
tum : in quo Mane videbimus gloriam ejus,
excellentiam suæ divinitatis per donum
sapientiæ contemplando. Rursus, impletum
est istud quasi ad litteram, dum Christo
in cruce defuncto, post innumerabilia quæ
tunc fiebant, eodem die ad vesperam mul-
ti confessi sunt, quia hic homo vere Filius Matth.
Dei fuit. Quod licet a solo Centurione di- xxvii, 54.
ctum legatur, Nicodemus tamen, Joseph Joann. xix,
ab Arimathea, et alii multi utriusque se- 39, 38.
xus ita senserunt, saltem implicite et æqui-
valenter, quamvis in fide nutaverunt. Nam
et omnis turba eorum qui aderant, percu- Luc. xxiii,
tientes pectora sua revertebantur. Mane 48. Marc. xv.
autem tertiæ diei, qua Christus resurrexit, Matth.
majestatem ejus viderunt sanctæ mulieres, xxviii.
quæ ad sepulcrum venerunt, quæ et ange-
los conspexerunt.

*Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
Audivi murmurationes filiorum Israel.*
Timeamus ergo et nos, ne Deus audiat
murmurantes, et impleamus illud Aposto-
li : Neque murmuraveritis, sicut quidam I Cor. x, 10.
illorum murmuraverunt. Unde et Sapiens
præcipit : Custodite vos a murmuratione Sap. i, 11.
quæ nihil prodest, quoniam sermo obscu-
rus non ibit in vacuum. Nempe ut asserit
Augustinus : Nulla re tantum offendit po-
pulus Israel Deum, ut murmurando. Præ-
cipue quoque vitemus, ne contra prælatos
et spirituales patres nostros aliquando mur-
muremus, ne et ipsi juste ac veraciter di-
cant nobis : *Non contra nos est murmur
vestrum, sed contra Dominum,* et ne Deus
illorum injuriam reputet sibi factam, et
horribiliter vindicet eam.

*Vespere comedetis carnes, et mane satu-
rabimini panibus :* quia in ultima mundi
ætate Christi corpore enutrimur, cujus gra-
tia ac virtute generatur in nobis spirituale

Digitized by Google

mane, quum ipse sit Sol intelligentiæ atque A justitiæ, sua præsentia diem gratiæ in anima causans. Nam eo ita præsente, sincera et clara in mente sunt omnia, et tunc panibus saturamur, quoniam pane sacramentali, pane vitæ et intellectus, pane lacrimarum et compunctionis, imo et internæ jucunditatis, pane virtutum, virtuosorumque actuum copiose reficimur. Itaque huic Vespere statim conjungitur istud Mane. Verumtamen in mane diei æternitatis felicius saturabimur, quando replebitur et plene contentabitur in bonis desiderium nostrum. B *Ascendens coturnix, cooperuit castra.* Per coturnicem, avem regiam, pinguem et comestibilem, prope terras volantem, intelligitur Christi regis nostri humanitas, omni divino charismate superplenissima, quæ universas replet ecclesias, et omnium reficit mentes. At vero per hoc quod manna venit cum rore, eratque rotundum, minutum, subtile, album et purum, quid aliud figuratur, nisi quod verbum Dei, gratia, virtutes, et consolationes internæ, sunt spiritualia bona valde subtilia, munda, parva quantitate, C imo magis non quanta, sed magna virtute? Sed et ipsa Christi humanitas et incarnationis mysterium, nonne omni subtilitate, puritate, candore, perpetuitate replentur? Ex quibus unus plus colligit, alter minus, quia unus plus alio proficit atque intelligit. Verumtamen omnes idem suscipiunt Sacramentum, atque eodem in patria perfruuntur objecto. *Quumque incaluisset sol, liquefiebat.* Sic quando Sol sapientiæ, Dominus Deus noster, solus ex se et per se lucens, ac cuncta illuminans, mentes D nostras igne sanctæ dilectionis ac devotionis fervore accendit, omnis recedit duritia cordis, habitusque virtutum fluunt in actum. Et Eucharistiæ sacramentum per suos effectus liquescit in nobis, omnia interiora animæ penetrans, irrigans, atque in compunctionis jucunditatisque fletum resolvens.

(Margin: xv, 3. — xix, 6. — cii, 5.)

Requies sabbati sanctificata est Domino. Maneat unusquisque apud semetipsum. Itaque festis diebus Deo in omni tranquillitate interna vacemus, maneatque unusquisque apud se ipsum, id est, in cordis sui recollectione in Deo, sic figat dispositiones, cordis distractiones abjiciat; orando, meditando, psallendo, communicando, celebrando, contemplando sit stabilis ac sincerus. Spiritualiter equidem communicandum est omni Christiano quotidie. *Iste est sermo quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes.* Per repositionem et conservationem mannæ in aurea urna in tabernaculo et in templo, quid figuratum videtur, nisi quod verum ac divinissimum Manna, Dominus Jesus unigenitus Patris, in Sacramento jugiter in Ecclesia conservatur in repositorio aureo ad perpetuam suæ passionis et dilectionis memoriam, atque ad nostram saluberrimam refectionem? Et ut sciamus, qualiter ipsemet Dominus et Salvator, patres nostros sanctos Apostolos in Cœna novissima refecit hoc pane; deinde quotidie primitivam Ecclesiam, ceterosque fideles usque in præsens.

Filii autem Israel manducaverunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem. Sicque Christifideles per omne tempus vitæ præsentis qua degunt in hac terra, in via reficiuntur dominicis Sacramentis, quousque finito peregrinationis hujus curriculo, terram ultimate promissam, paradisum cœlestem introeant. Nunc enim Christi corpore et sanguine sub velamento sensibilium formarum spiritualiter nutriuntur, et ejus deitatem contemplantur per fidem, ea quoque fruuntur vicibus interpolatis et imperfecte per caritatem nondum perfectam. Porro in patria illa cœlesti ejus humanitatem glorificatam clarissime cernent, cujus intuitu foris reficientur, imo et intus, quantum ad accidentale pertinet præmium. Deitate autem ipsius beatifice perfruentur clare per speciem, quemadmodum repromisit: Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Joann. xiv, 21.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : IGITUR PROFECTA OMNIS MULTITUDO FILIORUM ISRAEL DE DESERTO SIN.

DESCRIPTO ac recitato in præcedenti capitulo, qualiter Deus providit Hebræis de cibo : nunc recitatur, quam miraculose providit eis de potu. *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas,* id est per loca quædam ordinate perambulata, in quibus mansiones fecerunt, quieverunt, seu castrametati sunt. Quæ mansiones in Numeris nominatim exprimuntur, ubi legitur : Castrametati sunt in deserto Sin, unde egressi venerunt in Daphca, profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus, profectique de Alus, in Raphidim fixere tentoria. Itaque duæ mansiones istæ, quæ intermediæ fuerunt inter Sin et Raphidim, in isto non exprimuntur capitulo, quia in eis non contigit populo aliquid specialiter magnum. Sic ergo profecti *juxta sermonem Domini.* Per sermonem Domini, non intelligitur hic (secundum Josephum) alicujus vocis expressio, sed ducatus columnæ, secundum quod stimulus dicitur vox asino, et calcar equo. Sed quoniam Deus jam ante præceperat Moysi, ut tam ipse quam populus sequeretur ducatum columnæ, potest nunc per sermonem Domini jussio seu locutio illa intelligi. *Castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.* In aliis autem locis seu mansionibus aliquid aquæ pro necessitate habuerant. Nam in Marath fuit eis aqua dulcorata, in Elim autem fuerunt duodecim fontes, sed in Raphidim passi sunt specialem potus defectum.

Num. XXXIII, 11-14.

Qui populus *jurgatus contra Moysen, ait,* id est, cum lite seu jurgio locutus est Moysi : *Da nobis aquam ut bibamus.* Non dixerunt humiliter, Orationibus tuis impetra nobis potum, sed tanquam passionati ac duri, valdeque proni ad vitia, ubique ex facili occasione, ad verba impatientiæ, murmurationis ac jurgii proruperunt. *Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me?* Tenebatur enim ex officio eos corripere. *Cur tentatis Dominum?* quasi dicat : Non solum peccatis in me jurgando, sed item in Deum, ipsum tentando. Non enim solum dixerunt verba præmissa, sed (ut infra habetur in isto capitulo) tentaverunt Deum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non? Quum enim debuissent ad divinum auxilium humiliter confugisse, non ita egerunt, sed per murmurationes ac jurgia contra Moysen, voluerunt quasi extorquere necessarium potum, et experiri an Deus provideret eis de potu, sicut jam Moyses eis promiserat quod Deus non desereret eos.

Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, id est propter defectum aquæ, *et murmuravit contra Moysen, dicens : Cur nos exire fecisti de Ægypto, ut occideres nos et liberos nostros ac jumenta siti?* Quare non expresserunt etiam uxores suas atque filias? Sed forsitan expresserunt eas, quamvis Scriptura propter brevitatem non exprimat; vel per liberos subintelliguntur, vel murmuratio ista facta est communiter a viris atque uxoribus. Verumtamen non est putandum, quod omnes viri ibi præsentes, tam perverse locuti sint, sed major pars populi, quæ passionibus suis subjacuit. Attamen quæri potest, cur Deus permisit eos ad tantas inopias devenire, quum essent de regno opulento egressi, et cur non providit eis de quotidiano saltem poculo aquæ, sicut providit eis de manna

Digitized by Google

quotidie. Respondet Andreas, Quia populus A fuit duræ cervicis, subtraxit eis Dominus aliquid necessarii potus, ut in timore manerent. Cibus quoque magis necessarius est quam potus.

Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens : Quid faciam populo huic? id est, qualiter me circa eum habebo? qualiter procurabo ei quo eget? quomodo eum contentabo? *Adhuc pauxillum, et lapidabit me.* Hoc Moyses dixit non asserendo, sed conjiciendo et periculum allegando, ut Dei subventionem celerius impetraret. Et for- B te ex naturali mortis formidine dixit hoc. Nam et vir perfectus et constans, potest mortem irreprehensibiliter formidare naturali timore: quam et Christus sic timuit, tamen sponte.

Et ait Dominus ad Moysen : Antecede populum. Quasi dicat : Tu times aut suspicaris quod te lapidibus obruent, sed non est periculum, quia et quum præcesseris eos, non tangent te violenter. *Et sume tecum de senioribus Israel :* quos ad testificandum de veritate miraculi jam fien- C di, putas magis idoneos; *et virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua.* Si per fluvium intelligatur Nilus, dicitur Moyses fluvium percussisse cum virga, in quantum Aaron fecit hoc ex suo mandato, ut patuit capitulo septimo. Porro si nomine fluvii intelligatur mare Rubrum, illum fluvium Moyses personaliter cum virga percussit, ut supra patuit. (*Exod.* XIV.) *Et vade. En ego stabo ibi coram te,* id est, me ibi esse præsentem ad succurrendum tibi per effectum monstrabo. Vel forsitan angelus in D Dei persona stetit ibi ad auxiliandum paratus. Est equidem specialis chorus angelicorum spirituum, per quorum obsequia fieri solent miracula. *Supra petram Horeb.* Per Horeb Glossa intelligit montem Sinai, qui et mons Horeb vocatur. Sicque petra illa fuisset in pede montis Sinai, quod et Magister in historiis sentit, dicendo : Petra Horeb, pars est montis Sinai. Sed his obviare videtur, quod infra et clarius in Numeris leguntur filii Israel post egressionem a mansione Raphidim, (*Num.* XXXIII, 15.) castra fixisse in Sinai. Ergo adhuc notabiliter distabant a monte illo. Hinc per petram Horeb, quidam intelligunt alium locum ejusdem nominis cum loco pedis montis Sinai, qui et petra Horeb vocatus sit. Vel dici potest, quod pes montis Sinai remote extenditur, et quod petra ista, ob suam ad pedem illum vicinitatem, appelletur hoc nomine. Præterea est et alius locus, petra Oreb nominatus, eo quod Gedeon ibi occiderit principem Madian, nomine Oreb, ut in libro Judicum scribitur. (*Judic.* VII, 25.)

Percutiesque petram cum virga. Refert Lyra, quod Rabbi Salomon asserit quosdam de populo Israel fuisse ita malignos, quod dixerunt per virgam Moysis non potuisse fieri signa, nisi in aliorum perniciem, ut fuerunt plagæ Ægypti : ideo Dominum præcepisse, ut in eductione aquæ uteretur hac virga. Sive autem hoc fuerit verum, sive non, constat quod jam ante Dominus demonstravit per virgam illam posse fieri signa in salutem et subventionem, quoniam Deo jubente Moyses percussit mare Rubrum cum virga ut divideretur, quatenus per fundum ejus transeuntes filii Israel, evaderent manus Ægyptiorum, quemadmodum capitulo quartodecimo continetur. Ideo ratio Rabbi Salomonis non censetur apte inducta. *Et exibit ex ea aqua, ut bibat populus.*

Fecit Moyses ita coram senioribus Israel. Et hoc fuit grande et præclarum miraculum, quod ex re illa tam dura et sicca tantus manavit humor, quod tot millia hominum ac pecorum potabantur ex eo. Nec apparet, quod aliquid petræ resolvebatur in aquam illam, sed quod Creator omnipotens aquam egredientem per creationem produxit in petra quasi in fonte ; et facta fuisse videtur ruptura grandis in petra, ex qua vomebatur hæc aqua. Quod et ipsum erat miraculum, scilicet quod ex percussione cum virga, scissa fuit hæc petra : fuitque aqua illa ad potandum dulcissima, ut Josephus narrat. *Et vocavit* Moyses *nomen loci illius, Tentatio, propter*

Digitized by Google

jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non? Sicque locus ille sortitus est nomina duo, quia jam ante vocatus est Raphidim, et nunc ex eventu vocatur Tentatio.

Venit autem Amalec, id est populus Amalecitarum, *et pugnabat contra Israel in Raphidim,* id est in loco deserti illius non multum remoto a Raphidim. Et quod ait, Pugnabat, per anticipationem est dictum : quia non pugnavit contra Hebræos manu ad manum, ante id quod in textu subjungitur. *Dixitque Moyses ad Josue : Elige tibi viros, et egressus pugna contra Amalec cras.* Unde elicitur quod Josue, electis viris bellicosis ac strenuis, processit obviam Amalecitis in pugnam die sequenti. Dicitque Lyra : Noluit Moyses quod exspectaretur exercitus Amalec, sed quod iretur obviam ei, ne mulieres ac pueri, et timidi qui manserant in castris, nimis terrerentur ac fugerent. Ex quo sequi videtur, quod Josue obviavit Amalecitis antequam accesserunt ad Israel. Cui contrariari videtur quod in Deuteronomio legitur, quemadmodum Amalec extremos agminis Israel, qui lassi residebant, percussit : propter quod Dominus jussit, ut filii Israel tempore opportuno delerent semen et nomen Amalec de sub cœlo. *Deut. XXV, 17, 18.*

Quæritur, cur Moyses præfecit ipsum Josue pugnaturis contra Amalec. Quidam respondent quod ideo, quia prævidit in spiritu quod Josue futurus esset dux populi. Cui dicto obviare apparet, quod in Numeris legitur Moyses mox moriturus orasse : Provideat Dominus hominem qui sit super multitudinem hanc. Et tunc Dominus revelavit ei de Josue, sicque videtur ante nescisse. Alii dicunt quod ideo, quia prophetico spiritu novit ipsum Josue esse, de quo Jacob in benedictione Ephraim dixerat, Inde egressus est pastor. Quod satis redit in idem cum prima responsione. Plane autem dici potest quod ideo, quoniam scivit Josue esse virum justum, fortem, constantem ac bellicosum : unde et merita ejus credidit cooperatura communi triumpho. *Num. XXVII, 16.* *Gen. XLIX, 24.*

Præterea circa hæc asserit Strabus, et habetur in Glossa : Amalec fuit filius Ismael, a quo Amalecitæ, qui et Ismaelitæ, ipsi sunt Sarraceni. Cui assertioni multa objiciuntur. Primo, quoniam in Genesi et primo Paralipomenon legitur, quod Eliphaz primogenitus Esau genuit Amalec. Secundo, quod secundo Regum adolescens qui nuntiavit regi David mortem Saulis, dixit se esse Amaleciten, fuitque adolescens ille, secundum expositores concorditer, filius Doeg Idumæi, et ita natus fuit ex Esau, non ex Ismaele. Tertio, quoniam Josephus secundo libro Antiquitatum affirmat, quod ab Amalec filio Eliphaz, dicti sunt Amalecitæ. Hinc quidam dicit, de Glossa illa Strabi non multum esse curandum. Porro Magister in historiis magis reverenter respondet, quod forte fuerunt sic appellati, et quod ex eis descenderunt forsitan duo populi Amalecitæ vocati. Quæ responsio, quamvis modesta sit, tamen ex Scriptura non habet auctoritatem. Idcirco est tutius sequi responsionem dicentium, quod Amalec iste et populus natus ex eo, descenderunt ab Eliphaz, quia hoc consonantius est Scripturæ canonicæ. *Gen. XXXVI, 12. I Par. I, 36. II Reg. I.*

Ne autem Josue formidaret, et præsentiam Moysis peteret, ait Moyses ei : En *ego stabo in vertice collis :* quod juxta prædicta non potest intelligi de monte Sinai, sed de monte minori, qui Raphidim fuit ; *habens virgam Dei in manu mea.* Quasi dicat : Orationibus te juvabo, per quod plus valeo, quam corporalibus viribus. Sed cur addidit, Habens virgam Dei in manu mea, quasi virga illa potuerit ad triumphum conferre ? Respondetur, quod Moyses voluit se Deo repræsentare, ut prælatum ac principem populi, ut magis exaudiretur pro grege sibi commisso. Ideo tenuit virgam tanquam signum principatus sui in manu, et quia per virgam prævaluit Pharaoni. Cur autem ascendit in verticem collis, nisi quia ex situ hujusmodi loci, magis elevaretur mens ejus ad Deum ? Vel ut in-

Digitized by Google

de conspiceret, qualiter ipsi Josue ac populo suo in bello succederet, sicque oraret pro eis instantius, si indigerent.

Fecit Josue ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec. Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. Assumpsit autem Moyses secum duos illos, tanquam præ ceteris principales, et sibi propinquos ac meliores. Nam Aaron fuit frater suus, Hur autem maritus Mariæ sororis suæ, ut probabilius creditur, et Josephus protestatur. Et item, ut secum orarent, et opem sibi impenderent si necesse esset. *Quumque levaret Moyses manus, vincebat Israel,* id est Josue cum populo suo. *Si autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Non dicitur, quod paululum remisit manus, sed, Si paululum remisisset. Unde videtur, quod interdum præ lassitudine cœperit parumper remittere manus, et tunc filii Israel minus fortiter et Amalecitæ fortius pugnaverunt. Et hoc Deus sic ordinavit ad ostendendum, quod victoria illa dabatur miraculose et gratiose a Deo ; et item, quod oratio Moysis magnæ fuit efficaciæ apud eum, siquidem manibus elevatis oravit ferventius. Sunt et aliæ mysticæ causæ infra tangendæ. *Manus autem Moysis erant graves,* id est fatigatione gravatæ. *Sumentes igitur lapidem* Aaron et Hur, *posuerunt subter eum, in quo sedit,* id est, lapidem posuerunt ei ad sedendum. *Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte.* Ita Aaron sustentavit unum Moysis brachium, quod faciendo, sustentavit et unam ipsius Moysis manum. Aliud brachium ejus vel manum, Hur sustentavit. *Et* sic *factum est, ut manus ipsius non lassarentur usque ad solis occasum :* in quo pugna fuit finita.

Fugavitque Josue cum adjutoribus suis *Amalec et populum ejus,* id est principem belli cum exercitu ejus, *in ore gladii.* Non dubium quin multi de Amalec fuerunt occisi, quoniam Moyse sic elevatis manibus exorante, prævaluit Israel, atque in ipsa fuga fuerunt multi prostrati. De populo autem Josue non videtur aliquis cecidisse, quamvis aliquando fuerat ei difficultas in prælio illo ob causam prætactam. Præterea Josephus scribit, Amalecitas illos fuisse bellicosos, et a circumstantibus conductos ad impugnandum Hebræos. Quod item fecerunt, ne forte Hebræi damnum aut læsionem eis inferrent. Imo secundum Josephum, Amalecitæ incitabant alios ad impugnandum filios Israel. Victisque Amalecitis, filii Israel multa spolia obtinuerunt, et aliis terribiles sunt effecti, et nomen eorum undique divulgabatur, atque ab occisis arma detraxerunt, et nullus Israelitarum corruit, sed innumerabiles de exercitu hostium.

Insuper de præfato Hur aliqui dicunt, quod fuit filius Mariæ sororis Moysis ex Caleph*, eo quod primo Paralipomenon libro dicatur : Mortua uxore, Caleph accepit (* Caleb; I *Par.* II, 19.) uxorem Ephrata, quæ peperit ei Hur ; et dicunt, quod Ephrata illa alio nomine dicebatur Maria. Sed istud satis reprobatur ab aliis, præsertim quoniam vir iste fuit senior quam Caleph. Fuit enim avus Beseleel, sicut infra in textu habetur. Beseleel (*Exod.* XXXI, 2.) autem fuit virilis ætatis in exitu de Ægypto. Nam fuit vir sapiens, et electus a Deo ad construendum tabernaculum. Caleph vero quadraginta fuit annorum quando missus fuit ad explorandum terram, quod fuit tabernaculo jam completo, et ita Hur fuit multum senior eo. Correcti quoque textus primo Paralipomenon non habent (I *Par.* II, 18.) Caleph, sed Caleb : et si habent Caleph, videtur vitium esse scriptorum ; vel alius Caleph erat. Josephus quoque tertio Antiquitatum libro testatur, quod iste Hur fuit maritus Mariæ.

Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monumentum in libro, id est, hanc impietatem Amalec ad perpetuam memoriam describe, quatenus suo tempore a filiis Israel plenius vindicetur ; *et trade* in *auribus Josue,* id est, ei committe ut memor sit horum, ut et ipse idem præcipiat populo tempore opportuno. *Delebo enim memoriam Amalec de sub cœlo,* id est,

Digitized by Google

populum illum tam viros quam mulieres A
1 *Reg.* xv, 3. ac pueros faciam trucidari. Quod primo Regum legitur Deus per Samuelem jussisse Sauli. Sed quomodo verum est istud, quum usque in præsens perseveret memoria Amalec, præsertim dum ista leguntur? Nec omnes Amalecitæ fuerunt deleti, quum et Aman superbissimus fuit de
Esth. iii, 1. semine Agag regis Amalecitarum, ut in libro Esther habetur. Et tempore David
1 *Reg.* xxvii, 8; xxx, 1, 18. fuerunt quamplures Amalecitæ, ut primo Regum ostenditur. Respondendum, quod juxta Scripturas memoria impiorum dici- B
tur deleri a terra, non quod prorsus in hominibus non permaneat, imo nonnullos infames malitia fecit famosos; sed quia non manent, nec sunt memoriæ quæ cedant in bonum eorum, sed magis in detrimentum ac vituperationem. Propter quod
Prov. x, 7. Salomon ait : Memoria justi cum laudibus; nomen impiorum putrescet. Dicitur demum memoria Amalec auferri, non quod posteritas ejus prorsus perierit, sed ob multitudinem peremptorum, et quantum ad ipsos iniquos in sua iniquitate occisos.

Ædificavitque Moyses altare Domino, id est ad Dei honorem, ut super illud hostias laudis et gratiarum actionis Deo offerret pro concessa victoria; *et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea,* id est, ab eventu imposuit nomen illi altari, quod nomen significat tantum, sicut istud complexum, Dominus exaltatio mea : ad insinuandum, quod illo in loco Dominus exaltavit tam Moysen, per ejus preces dando victoriam, quam filios Israel, quos fecit hostibus fortiores; *dicens : Quia manus solii Domini,* id est potestas throni Domini omnipotentis, seu virtus Dei sedentis in throno, *et bellum Dei erit contra Amalec a generatione in generationem :* hoc est, Deus sua virtute et per manum atque exercitum hominum pugnatorum, dejiciet Amalecitas frequenter ac diu, et hoc propter præfatam eorum crudelitatem in Israelem, vel potius, quoniam patrum suorum iniquitates secuti sunt.

ARTICULUS XXXV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEPTIMIDECIMI INTELLIGENTIA.

Ex præsenti capitulo edocemur in pri- C
mis juxta historiam, quod fideles in hac vita multipliciter tribulantur. Per repetitam vero Hebræorum murmurationem et jurgationem contra Moysen, imo et contra Deum, designatur improba nimis ingratorum carnaliumque perversitas, qui etsi interdum experiantur sibi subsidium desuper esse impertitum in una tentatione, tribulatione, penuria, alia tamen eis adveniente, quasi præteritorum Dei beneficiorum obliti, mox indignantur et murmurant; nec discunt ad Deum humiliter D
cum fiducia filiali confugere, sed contra eum et ejus vicarium faciliter concitantur : quorum perversitas, insipientia, ingratitudo longe a nobis sit. At vero Sin interpretatur tentatio, Raphidim autem sanitas judicii. Quemadmodum ergo filii Israel ex deserto Sin ingressi sunt Raphidim, ita qui tentationem devincens, ex eadem bene egreditur, ad sanum pertingit mentis judicium, quia ratio ejus non obscuratur fumo peccati, vitiorum caligine, inquietatione tentationis. Consideremus præterea, quod populo Dei ex terra Ægypti deducto, toties defuit aqua, et quod sola aqua in solitudine sunt potati. Non ergo quæramus delicias, non superfluitatem aut voluptatem in cibis ac potibus. Quod si exiguum nobis pro esu et potu proponitur, æquanimiter toleremus, et dona Dei, licet videan-

Digitized by Google

tur tenuia, gratanter sumamus, pensantes quod tot electi Israelitæ justi, potentes, locupletes et nobiles, dux, pontifexque eorum exiguo aquæ poculo contentabantur. Denique exemplo Moysis, prælati et principes patientiam discant, et quantumlibet improbi et ingrati fuerint eorum subditi, ipsi tamen non cessent pro illis clamare ad Dominum.

Ait autem Dominus ad Moysen : Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israel. Sic Deus præcipit unicuique præsidenti, ut sibi commissis ostendat viam salutis, ducatque eos ad petram qui Christus est, ut aquam bibant sapientiæ salutaris, verbo et opere. Ergo qui præest, antecedat creditum sibi gregem, sicut ad
Tim. IV, Timotheum scribit Apostolus : Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate. Assumere etiam secum debet de senioribus Israel, quoniam eos qui ætate, gradu, scientia, vel auctoritate excellunt, specialiter debet hortari, ut studeant in omni virtute præcedere juniores ac simpliciores, et ut sibi in aliorum directione adsistant.

Percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Per petram Chri-
or. X, 4. stus significatur, dicente Apostolo : Petra erat Christus. Per hoc ergo quod Moyses hanc petram cum virga percussit, atque ex ea egressa est exuberantissima aqua, qua refecti sunt populus ac jumenta : præfigurabatur, quod Deus Pater Filium suum pro omnibus nobis dedit in mortem, sicut per
LIII, 8. Isaiam prædixit : Propter scelus populi mei percussi eum. Propter quod princeps
III, 18. Apostolorum dignissimus ait : Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Christus
LXVIII, quoque in Psalmo ad Patrem : Quem tu percussisti, persecuti sunt. Percussit autem eum cum virga, id est juxta legis et Prophetarum oracula. Potest item per virgam paterna auctoritas, sed et lancea militaris, qua perforatum est sacratissimum Christi latus, seu lignum crucis, signari. Etenim Pater æternus propria auctoritate

A dictavit per Christi passionem redimere genus humanum. Omnia namque operatur secundum propositum voluntatis suæ. Propter quod loquitur : An non licet mihi, quod volo, facere ? Itaque de Christo in cruce vulnerato, suæ caritatis, passionis et obedientiæ merito, toti Ecclesiæ fluxerunt copiosissimi rivuli gratiarum, fluenta sapientiæ, et virtutum charismata. Hinc in Joanne habetur : De plenitudine ejus omnes accepimus. Unde et ipse in Apocalypsi protestatur : Qui sitit, veniat, et accipiat
B aquam vitæ gratis. Biberunt autem ex fontibus Christi non solum homines, id est electi ex Synagoga unius Dei cultores, sed et jumenta, id est ex gentilitate conversi atque carnales ac prædestinati.

Ephes. I, 11. Matth. XX, 15. Joann. I, 16. Apoc. XXII, 17.

Venit autem Amalec, et pugnavit contra Israel. Per Amalec designantur tam visibiles quam invisibiles hostes justorum, qui populum christianum impugnant. Per Moysen vero designantur superiores prælati, qui inferioribus præsidentibus per Josue figuratis injungunt, ut plebes sibi com-
C missas edoceant, qualiter hostibus suæ salutis, præsertim dæmonibus, debeant repugnare. Per hoc quoque quod Moyses in vertice collis oravit, monstratur, quod prælati debeant in virtutum cacumine esse firmati, sicque cum omni instantia et fervore pro inferioribus deprecari, manibus simul cum corde et oculis in cœlum erectis, juxta illud in Threnis : Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Imo et unusquisque taliter debet intercedere pro se ipso, sicque orando tentatio-
D nibus viriliter reluctari. Nempe per hoc quod Moyse manus levante Israel vicit, econtrario autem Amalec, si Moyses manus paululum remisisset : ostensum est, quod virtus tentatoris tanto plus debilitatur, quanto tentatus indesinentius ardentiusque precatur ; quo autem tentatus rarius orat atque remissius, eo tentator plus invalescit. Per idem quoque Dominus declaravit, quam vehementissime subditis prosit oratio assidua simul et fervens ejus qui præest. Ideo bonus subditus studeat suo

Thren. III, 41.

Digitized by Google

prælato placere in Domino, atque instanter, humiliter, ac ſerventer roget prælatum, imo et alios justos, ut jugiter ac ferventer pro se orare dignentur. Verumtamen per hoc quod Aaron et Hur manus Moysis sustentabant : datur intelligi, quod ipsi prælato communi fragilitate circumdato, adstare et cooperari debent viri ad hoc magis idonei, præsertim qui regunt ac præsunt sub eo. Amplius, per hoc quod manus Moysis graves erant, rigor legis suæ insinuatur : qui rigor in novo Testamento per virtutem et caritatem Christi alleviatur. Quæ virtus et caritas per Aaron, qui interpretatur mons fortitudinis, et per Hur qui interpretatur ignis, apte intelliguntur.

Postremo, per hoc quod filiis Israel, transito mari Rubro, a Moyse dictum est, State *Exod.* XIV, 13, 14.
et videte, Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis; eisdem vero post degustationem mannæ et potus supernaturaliter dati, præceptum est contra Amalec ire ad prælium : designatur, quod Dominus incipientes, pusillos, et nondum in virtutibus exercitatos, a tentationibus magnis præservat, quas novit eos ferre non posse; eos vero qui gustaverunt quam dulcis sit Dominus, *I Petr.* II, 3.
et pro consuetudine sensus habent *Hebr.* V, 14.
exercitatos ad discretionem boni ac mali, acrius sinit tentari. Ideo in Ecclesiastico rite docetur : Fili, accedens ad servitutem *Eccli.* II, 1.
Dei, sta in justitia, et præpara animam tuam ad tentationem. Itaque Christi miles ad spiritualem pugnam sit semper accinctus, paratus, idoneus, quoniam tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, *Sap.* III, 6.
et quasi holocausti hostiam accepit illos. Unde et Judith asserit : Omnes qui *Judith.* VIII, 23.
Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt. Hinc loquitur Augustinus : Persevera usque in finem, quia tentatio durat usque in finem. Et si quæras, in quem finem, respondetur, quousque ſinias viam. Origenes quoque : Quum cœperis, inquit, manducare manna, et sapientiæ aquam potare, atque ad interiora spiritualis doctrinæ accesseris, pugnam exspecta, et ad prælium te dispone ac præpara.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVIDECIMI : QUUMQUE AUDISSET JETHRO SACERDOS MADIAN.

QUALITER sanctus Moyses informationem et institutionem accepit, non solum a Deo per angelos, sed item ab homine, naturali, humana, et acquisita prudentia prædito, recitatur in isto capitulo. *Quumque audisset Jethro sacerdos Madian, cognatus Moysis,* id est socer ejus et ei affinis, quoniam filia ejus ſuit Moysis uxor. De quo Jethro et diversis ejus nominibus, et qua- *Exod.* II, 16.
liter ſuit sacerdos in provincia Madian, diffuse dictum est supra. *Omnia quæ fecerat Dominus Moysi :* utpote qualiter prætulit eum Israeliticæ plebi, et quomodo multa et magna mirabilia per eum ſecisset, atque diversis beneficiis ornasset eumdem ; *et Israeli populo suo,* etc. Quod ait, Suo, reſerri potest ad Dominum, et item ad Moysen. Nam populus ille ſuit specialiter populus Dei, tanquam cultor unius veri Dei, et multis specialibus donis desuper decoratus. Fuit quoque populus Moysis, tanquam grex ejus gubernationi ac prælationi commissus. Verumtamen non verisimile, quod Jethro percepit in speciali universa et singula quæ Deus ſecerat Moysi et Israeli, sed in generali multa audivit, et quædam in speciali, videlicet qualiter Deus propter eos plagavit et submersit Ægy-

Digitized by Google

ptios. Unde et paulo post in isto capitulo recitatur, qualiter Jethro ex Moysis relatione inde multa cognovit. *Tulit,* hoc est secum sumpsit ac duxit, *Sephoram uxorem Moysis quam remiserat.* Qualiter Moyses eam remiserit, quum tamen ipsa videatur quasi ex indignatione recessisse a Moyse, require supra in expositione secundi capituli. *Et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gersam,* etc. Istud totum in secundo capitulo continetur, atque expositum est.

Venit ergo Jethro cognatus Moysis, et filii ejus, et uxor ejus ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus, juxta montem Dei. Quomodo verum est istud, quum sequenti capitulo legantur Moyses et populus Israel exisse de Raphidim, et venisse usque ad Sinai montem ? Ergo apparet, quod Jethro venit ad Moysen in Raphidim, non juxta montem Dei, id est non prope montem Sinai : qui vocatur mons Dei, quia elegerat Dominus montem et locum illum ad dandum legem in eo, et ad apparendum ibidem, atque ad faciendum ibi mirabilia multa et magna, ad conferendum quoque hominibus beneficia gratiosa et varia gratiarum charismata. Ad istud quidam etiam inter Hebræos dixerunt, quod istud recitatur hic per anticipationem, ita quod Jethro non venit ad Moysen, nisi postquam filii Israel venerunt in Sinai. Dicuntque aliqui, quod venit lege jam data ibidem. Et apparentiam habet, quod non venit, nisi postquam filii Israel cœperunt in monte Dei notabilem facere moram, non ante, quando erant in assidua loci mutatione. In exordio quoque sequentis capituli innotescit, quod filii Israel venerunt in Sinai in principio tertii mensis, a tempore egressionis ex Ægypto, et ante illud tempus non videtur Jethro venisse, quum esset vir tantæ sublimitatis et grandævæ ætatis. Qui autem vult ordinem sequi historiæ, poterit dicere, quod locus Raphidim non multum distabat a Sinai, ideo fertur venisse ad Moysen prope montem Dei. Quæ tamen solutio non videtur magni valoris, quum in textu aperte dicatur, quod Jethro venit ad Moysen in desertum ubi erat castrametatus juxta montem Dei. Ergo Moyses jam fixerat ibi mansionem.

[*Exod.* XIX, 2.]

Et mandavit Moysi, dicens: Ego cognatus tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea. Probabile est, quod Jethro habuit etiam in comitatu quosdam ministros. Significavit autem Moysi suum adventum, an forsitan complaceret Moysi reditus suæ uxoris, et ut Moyses decenter reciperet socerum suum, uxorem, ac sobolem. *Qui egressus in occursum cognati sui.* Non misit alios in illius occursum, sed personaliter obviam ivit ex caritate et humilitate, et quia cognovit quam venerabilis et prudens vir esset socer suus. *Adoravit, et osculatus est eum.* Moyses adorationem duliæ, quæ debetur sublimibus personis, socero suo exhibuit, venerando eumdem cum inclinatione aut prostratione. Et puto, quod prævenit eum honore. Non enim oblitus fuit beatissimus Moyses pristinæ humilitatis, ex tam admirabili sua sublimatione apud Deum et homines ; sed quo major, eo humilior fuit. Et osculatus est eum, ex amicitia speciali, imo ex spirituali dilectione : de qua osculatione frequenter scribit Apostolus : Salutate invicem in osculo sancto. [I *Cor.* XVI, 20; II *Cor.* XIII, 12.] *Salutaveruntque se mutuo verbis pacificis :* ita quod Jethro non objecit Moysi, quod uxorem suam remiserat, et quod non rediit ad se, nec prædixerat ipsi Jethro quod tamdiu absens maneret.

Quumque intrasset tabernaculum Moysis, *narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni et Ægyptiis propter Israel,* hoc est propter liberationem Hebræorum ex Ægyptiaca servitute, et etiam propter peccata quæ commiserunt Ægyptii in Hebræos ; *universumque laborem qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus,* hoc est angustias et timores, inopiam victualium, difficultatem et asperitatem viarum, ac fatigationes, quas sustinuerunt a die quo exierunt Ægyptum, usque dum venerunt ad montem Dei. Quamvis enim Jethro de his multa jam percepisset, quoniam undique erant vul-

gata, petiit tamen aut appetivit de singulis A plenius informari. Moyses quoque ex devotionis fervore libenter retulit ei omnia ista. Quæ et aptius potuit ei narrare in tabernaculo, quam in via : quoniam Aaron, Hur, multique alii principales ex Israel, venerunt cum Moyse ad recipiendum ipsum Jethro honeste. Hinc in tanto tumultu non fuit aptitudo omnia recitandi.

Lætatusque est Jethro super omnibus bonis quæ fecerat Dominus Israeli, hoc est filiis Israel : per filios Israel intelligendo et filias, seu totam Israeliticam plebem B illam, quam Jethro dilexit propter Moysen, imo potius propter Deum, in quem jam cœpit fidem et devotionem concipere ex tot mirabilibus ejus, ex quibus perpendit idololatriæ vanitatem, et quod soli summo, unique Deo cultus latriæ deberetur. Hinc subditur : *Et ait* Jethro : *Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum et de manu Pharaonis,* etc. *Nunc cognovi quia magnus Dominus super omnes deos :* hoc est, per hos divinæ potestatis effectus, soli Omnipotenti possibiles, C scio quod Dominus quem colunt Hebræi, sit incomparabiliter altior cunctis diis, non solum falsis diis et idolis idololatrarum, sed et cunctis intellectualibus substantiis bonis, quæ per excellentias sibi desuper datas participative dii vocantur. Porro quod subditur, *eo quod superbe egerint contra illos,* refertur ad illud, Benedictus Dominus qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nam ideo eruit Hebræos, quia Ægyptii superbe egerunt contra illos, despiciendo, illudendo, opprimendoque eos quasi bruta D vilissima.

Obtulit ergo Jethro cognatus Moysis holocausta, id est sacrificia, quæ ad divinæ majestatis honorem totaliter incendebantur, ad insinuandum quod vellet de cetero se totum exhibere cultui Dei veri, *et hostias Deo,* id est alia quæcumque sacrificia pro suis peccatis, quæ in paganismo contra verum Deum commisit : sicque fidem suam ore et opere professus est. Si autem quæratur, qualiter licuit viro gentili officium sacerdotale assumere, et Deo talia sacrificia immolare, ad hoc in Scholastica historia respondetur : Augustinus non vult gentilem immolasse Domino, sed Moysen, secundum aliam translationem, quæ habet, Sumpsit Jethro hostias, id est, de oblatis a Moyse ; sumpsit ab eo, et comedit. Et forte Moyses sacrificavit tunc prope montem, sicut prædixerat Dominus. Dicit enim Josephus Jethro venisse circa montem, ubi in rubo multas viderat Moyses visiones. Hæc ibi. Sed hæc verba intricata videntur. Quocirca pensandum, quod Septuaginta sic transtulerunt : Obtulit ergo et sumpsit Jethro socer Moysis holocautomata et sacrificia Domino. Circa quod loquitur Augustinus : Sumpsit, pro Obtulit, posuit. An forte sensus est, ut Jethro ea sumpsisse intelligatur, quæ Moyses intelligitur obtulisse? Legimus autem ipsum Exod. II, 16. Jethro sacerdotem fuisse Madian. Mirum est autem, si ad ejus adventum cœpit Moyses sacrificare, et non potius ipse Jethro, qui jam sacerdos erat, sacrificavit. Ecce in his verbis Augustinus non negat ipsum Jethro sacrificasse.

Itaque advertendum, quod in lege naturæ primogeniti fideles, erant sacerdotes Dei. Quoniam ergo Jethro jam credidit, potuit Deo sacrificare, præsertim si primogenitus fuit. Denique qui ex idololatria inter gentiles convertebantur ad cultum veri Dei, post suam conversionem poterant Deo sacrificare, quemadmodum quarto Regum recitatur de Naaman Syro, qui locutus est Eliseo : Non faciet servus tuus IV Reg. V, 17. ultra holocausta ac victimas diis alienis, nisi Domino. Similiter legitur in libro Jonæ de viris gentilibus, quod visis mirabilibus quæ fiebant in subitanea tempestatis marinæ generatione et cessatione, immolaverunt hostias Deo, et vota voverunt, hoc Jonæ I, 16. est, plura se immolaturos Domino promiserunt. De quibus viris scribit ibi Hieronymus, quod promiserunt se amplius non recessuros a Deo, in quem tunc credere inceperunt. Præterea dici posset, quod Jethro pro tanto dicatur obtulisse holocausta

Digitized by Google

ac hostias Deo, quoniam ea ex quibus fiebant sacrificia illa, dedit Moysi ad offerendum, quemadmodum in Job scribitur Deus præcepisse tribus amicis beati Job, ut sumerent septem tauros, totidemque arietes, et irent ad Job, qui offerret pro eis. Sic et in fine secundi Regum habetur, quod David ædificavit altare Domino, obtulitque holocausta atque pacifica. Postremo, quamvis Jethro dicatur conversus ad cultum Dei, non tamen legitur factus neophytus, nec legitur circumcisus fuisse: idcirco non tenebatur ad Mosaicam legem, sed in lege naturæ potuit salvari cum cultu unius Dei, et fide Christi venturi, sicut tunc multi salvati sunt.

Job XLII, 8. — Reg. XXIV.

Veneruntque Aaron, et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo, hoc est, ut honorarent ipsum Jethro, manducando cum ipso, et congratulando suæ conversioni ac devotioni, et quoniam erat Moysis socer, virque multum notabilis, præsertim quia et ipse Jethro venit ad Moysen, ad congratulandum suæ prosperitati et prælationi. Venerunt ergo ad manducandum cum Jethro panem : per quem in Scripturis quicumque cibus significatur. *Coram Domino.* Circa hoc quærit Augustinus, qualiter factum est hoc coram Domino, quum tunc nondum fuerit tabernaculum factum. Ad quod respondet : Id factum est coram Domino, quod factum est ad ejus honorem. Origenes quoque circa hoc loquitur : Non omnes qui manducant, coram Domino manducant; sed perfecti, qui, sive comedunt, sive bibunt, ad Dei gloriam faciunt. Alii sic exponunt : Coram Domino, hoc est in tabernaculo parvo, in quo Moyses tunc responsa accepit, ut in expositione sextidecimi capituli dictum est plenius. Vel, coram altari ubi Jethro sacrificavit.

Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum, expediendo et discernendo litigantium causas. Porro magistrorum ac judicum est sedere, tanquam majorum. Et item ad innuendum, quod corde tranquillato, passionibusque sedatis, debeant do- A cere ac sententiare : quod per corporalem sessionem significatur. *Qui adsistebat Moysi de mane usque ad vesperam.* Nam uno expedito, alter accessit. Et forsitan quidam adstabant ad audiendum sententias, quamvis probabile sit, quod expediti et nil causæ habentes, removebantur, ut aliis pateret accessus. Verumtamen non apparet, quod sine interpolatione adsistebant per totam diem : alioqui, quando comedissent? Sed tota die adstitisse dicuntur, quoniam omni hora ad hoc vacante adstabant.

B *Quod quum vidisset cognatus ejus, ait : Quid est hoc quod agis in plebe?* quasi dicat, Non est satis laudabile. *Cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam* ad judicandum, quum possis tibi substituere adjutores? Et secundum Josephum, Jethro dixit ista secrete ad Moysen. Moyses vero tanquam vere humilis, omnibus patefecit se ista audisse ac didicisse a Jethro. *Cui respondit Moyses : Venit ad me populus quærens sententiam Dei,* hoc est justum judicium. C *Quumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei et leges ejus,* hoc est, doceam eos regulas juris et mandata judicialia, juxta revelationem divinam. *At ille : Non bonam, inquit, rem facis,* id est, opus hoc judiciale, quo omnibus satisfacere solus conaris, non est satis discrete assumptum a te atque exhibitum. Ideo subditur : *Stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est,* hoc est, indiscreto labore fatigatis vos invicem : illi, tibi causas D proponendo ; et tu, omnes solus determinando. *Ultra vires tuas est* hoc *negotium. Solus illud non poteris sustinere.* Non quod Moyses non fuerit satis sapiens ad discernendum omnia quæ proponebantur, sed quoniam tempus non sufficiebat ei ad proferendum sententias.

Circa hæc quæritur, an Moyses fuit in isto vere reprehensibilis atque culpabilis ; et videtur quod non, alioqui Dominus reprehendisset eum. Respondetur, quod aliquid bonum est, et tamen est omittendum,

Digitized by Google

ut aliquid melius fiat. Itaque quod Moyses fecit ex caritate atque justitia, non sine gravi labore, non videtur fuisse simpliciter malum. Poterat tamen in hoc Moysis opere, aliquis defectus venialis peccati esse admixtus, videlicet indiscretio seu inconsideratio quædam : quod tamen Dominus ei non revelavit, quatenus inde instrueretur a viro gentili. Quod Deus sic ordinavit, ad magnam informationem omnium nostrum, ut infra tangetur. Nam et Augustinus circa hæc ait : Cur Dominus famulum suum, cum quo, et per quem, tanta ac talia loquebatur, permisit ab alienigena informari et admoneri ? In quo Scriptura nos admonet, consilium veritatis non esse spernendum, per quemcumque præstetur. Videndum quoque, ne forte Deus voluerit ibi Moysen ab alienigena admoneri, ubi ipse Moyses posset tentari superbia, quæ in judiciaria potestate solet misceri. Hæc Augustinus. Aliqui vero dicunt, quod factum hoc Moysis non fuit culpabile, sed poterat melius fieri. Id vero quod est minus bonum, comparatione boni melioris dicitur quodammodo malum, videlicet respective, non tamen in se. Quemadmodum etiam minus malum, respectu pejoris, dicitur eligibile aliqualiter, respectiveque bonum.

Sed audi verba mea, id est, increpationem seu admonitionem hanc benevole suscipe, *atque consilia* de agendis in gubernatione populi hujus. Consilium autem proprie dicitur inquisitio de agendis. Unde secundum Damascenum, est ignorantis naturæ. Sed nunc sumitur consilium pro informatione seu dictamine dirigentis. *Et erit Dominus tecum,* id est per gratiam ampliorem, si humiliter acquieveris imperfectiori, in eo quod veraciter dicit. *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent,* id est, inter Deum ac populum tibi commissum sis mediator ; *ut referas quæ dicuntur, ad eum,* hoc est, verba Dei referas populo, vel causas, vota, orationes populi offeras Deo, ejus misericordiam implorando ; *ostendasque populo cærimonias,* id est

A cærimonialia Dei præcepta, observanda in celebrationibus solennitatum et oblationibus sacrificiorum, *et ritum colendi,* hoc est formam et morem servandos in præceptis moralibus, *viamque per quam ingredi debeant,* id est iter salutis, *et opus quod facere debeant,* hoc est, quid quo tempore sit agendum, ut omnia fiant ordinate.

Provide autem de omni plebe viros potentes, id est, diligenter considera, et elige ex populo universo sine personarum acB ceptione, et non solum ex tuis cognatis, viros eminentes, potentes, videlicet nobiles et magnates, qui (ceteris paribus) ad regendum alios sunt aptiores, quatenus sua potestate queant rebelles compescere, magisque timeantur. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Noli quærere *Eccli. vii, 6* fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Et timentes Deum,* filiali timore, aut saltem initiali, ne ex humano timore a via æquitatis recedant ; *in quibus sit veritas* triplex, videlicet veritas vitæ, C doctrinæ, justitiæ ; *et qui oderint avaritiam,* ne per munera corrumpantur. De explanatione autem horum verborum infra diffusius conscribetur. *Et constitue ex eis tribunos,* id est millenarios, utpote principes, quorum quilibet præsit mille viris : unde alia translatio habet, Constitue ex eis super millenos ; *et centuriones,* quorum quilibet præsit centum hominibus ; *et quinquagenarios, et decanos :* ita ut quilibet quinquagenarius princeps præsit quinquaginta, et unusquisque decanus D præsideat decem ; *qui judicent populum omni tempore :* hoc est, quorum principum unusquisque judicet causas eorum qui sibi subjecti sunt, tempore opportuno. *Quidquid autem majus fuerit, referant ad te :* videlicet difficiliores causas, quas discernere nequiverint, vel quæ directe concernebant intelligentiam legis, cujus interpretatio pertinebat ad summum ; *et ipsi minora tantummodo judicent :* sic tamen, quod inter hos principes subordinatio fuit, sicut nunc est inter prælatos

Digitized by Google

Ecclesiæ, ita quod si decanus nequivit determinare causam eorum qui erant sub eo, habebatur recursus ad quinquagenarium; quod si ille nequibat discernere, ascendebatur ad centurionem; deinde si opus fuit, ad tribunum; sicque tandem ad Moysen, quod tamen contigit raro : idcirco non gravabatur. Unde subjungitur : *leviusque tibi sit, partito in alios onere,* id est officio judicandi, quod habet onus annexum.

Si hæc feceris, implebis imperium Dei: hoc est, populum istum convenientius gubernabis secundum injunctum tibi a Deo officium; *et præcepta ejus poteris sustentare; et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace* pectoris, et cum mutua pace expeditis eorum causis, et disceptationibus jam sedatis. Delectat quoque populum, ut superior dignitatem suam communicet aliis per congruos gradus, ne videatur solus velle præesse, aut præsumere quod ipse valeat omnia expedire, sicque elationis, invidentiæ, et præsumptionis redarguatur.

Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. In quo patet profunda et mira humilitas Moysis. *Et electis viris stre-*

A *nuis de cuncto Israel :* non dicitur quod Moyses per se eos elegit, quia ut in Deuteronomio habetur, commisit populo istam electionem; *constituit eos principes populi,* videlicet *tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos,* etc. Approbavit enim electionem populi, et qui potentiores, justiores ac sapientiores reputabantur, pluribus præficiebantur. Putandum est autem, quod Jethro dixit Moysi præinductam increpationem et consultationem seorsum, ex quadam familiaritate et amiB citia speciali : unde et tam confidenter locutus est. Deinde Moyses dixit ad populum ea quæ in Deuteronomio habentur, videlicet : Non possum solus sustinere vestra negotia ac jurgia. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et ponam eos vobis principes, etc. *Dimisitque cognatum suum.* Per quod insinuatur, quod Moyses ex magna dilectione tenuit secum, quamdiu congrue potuit, socerum suum; et tandem redire absolute volentem, dimisit cum caritate et pace, deducens eumdem reverenC ter per aliquod spatium. *Qui reversus,* hoc est redire incipiens, *abiit* a Moyse *in terram suam,* videlicet Madian, relictis apud Moysen conjuge ejus ac filiis.

Deut. I, 13.

Ibid. 12, 13.

ARTICULUS XXXVII

DE TROPOLOGIIS EJUSDEM CAPITULI OCTAVIDECIMI.

QUID per Sephoram Moysis conjugem, et quid per ejus remissionem signetur, præhabitum est. Præterea, virtutes sanctissimi Moysis nobis ex isto capitulo multipliciter commendantur. In primis fervor suæ devotionis, quia narravit socero suo universa mirabilia Dei in Ægypto, marique Rubro, atque in solitudine facta. Discamus ergo et nos tanti Sancti exemplo non inaniter commendare nos ipsos, non proprias jactare virtutes, nec in verbositatibus et vitiosis confabulationibus tem-

D pus expendere, sed mirabilia Dei, beneficia ejus et pietatem, gratiamque ipsius cum omni alacritate ac devotionis ardore intra nos meditari, aliis recitare, ac pro viribus collaudare. Nempe, ut Tobiæ Raphael angelus contestatur, Sacramentum regis abscondere, bonum est; opera autem Dei revelare ac confiteri, honorificum est. Ideo ait Psalmista : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua. Ecclesiasticus quoque asserit : Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mi-

Tob. XII, 7.

Ps. IX, 2.

Eccli. XLII, 17.

Digitized by Google

rabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens, stabilis in gloria sua? Insuper, cum Jethro audiamus mirabilia Dei cum gaudio spirituali, congratulemurque eis quibus Deus misericordiam suam impendit, et super his offeramus Deo sacrificium laudis, hostiam regratiationis, atque in toto corde convertamur ad ipsum.

Cum Aaron quoque et senioribus Israel, discamus comedere et bibere coram Domino, id est virtuose et sobrie cum prævia cibi et potus benedictione et sequente gratiarum actione, vitantes immoderantiam et verborum excessum, atque ad Dei gloriam referentes ipsam refectionem : ut scilicet corpore moderanter refecto, apti simus ad Dei obsequium, et ad omne opus virtutum, in tantum, ut et exteriora ac mechanica opera, ad spiritualem finem ac Dei honorificentiam ordinemus. Circa hæc loquitur Origenes : Non omnes manducant panem in conspectu Dei, sed qui meritis sunt
I Cor. x, 31. probati, et implent illud Apostoli : Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Omne ergo quod faciunt sancti, in conspectu faciunt Dei. Peccator autem fugit a Dei con-
Gen. iii, 10; iv, 14, 16. spectu, quemadmodum Adam post transgressionem abscondit se, et Cain, fratre suo occiso, egressus est a facie Domini. Ego autem amplius locum istum discutiens, video quia qui pleniorem Dei scientiam accipiunt, pleniusque divinis imbuti sunt disciplinis, isti etiam si malum faciunt, coram Deo hoc agunt, quemadmodum ille
Ps. l, 6. qui dixit : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Quid ergo plus habet, qui coram Deo peccat, nisi quod continue pœnitet, et dicit, Peccavi, ignosce mihi? Qui autem discedit a conspectu Dei, nescit converti. Hæc Origenes.

Amplius, ex isto capitulo commendatur nobis laboriositas et patientia Moysis, quia a mane usque ad vesperam sedit, ad decidendum ac mitigandum causas ac jurgia populi. Graviter itaque peccant principes ac judices terræ, qui causas habentibus faciunt tædiosas et irrationabiles moras,

A ludis vanitatibusque intenti. Instruuntur demum ex isto capitulo præsidentes, præsertim prælati ac præsules, ne circa exteriora et lites immoderanter se occupent; sed talia, quantum fieri potest, inferioribus ad hoc aptis committant, ne a melioribus vicinioribusque saluti actibus impediantur, sed vacent divinis, et pro subditorum salute coram Deo negotientur, illisque monstrent verbis et exemplis viam salutis, præcepta Dei, mandata Ecclesiæ, modum spiritualis profectus.

B Præterea hic docemur, quales sint ad prælationem ac judiciariam potestatem eligendi ac promovendi. De quibus in primis fertur in textu, quod debeant esse potentes, ut queant perversos ac rebelles terrere, refrenare, corrigere. Si autem habuerint potestatem sine sapientia atque justitia, datur eis tyrannizandi occasio, et additur oleum igni. Verumtamen ubi nostra translatio habet, Provide viros potentes; alia continet, Provide viros sapientes. Sapientia quippe summe est necessaria judicibus
C ac prælatis. Propter quod, Væ terræ cujus princeps puer est. Et Plato beatam dixit Eccle. x, 16.
rempublicam, cujus rectores sapientiæ student. Et quinto de Civitate Dei asserit Augustinus : Illi qui vera pietate præditi bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nil est felicius rebus humanis, quam si (Deo miserante) habeant potestatem. Verum ut ait sanctus pater Bernardus, rara est hujusmodi avis in terra : ideo si occurrat, injiciendæ sunt manus, ut apprehendatur.

D Secundo, de eligendis et promovendis fertur in textu, quod sint Deum timentes : alioqui cito a veritate recederent æquitatis, et timore periculi vel offensæ humanæ, judicia proferrent injusta. Hinc libro secundo Paralipomenon fidelissimus rex Josaphat legitur dixisse suis judicibus: Videte quid faciatis. Non enim hominum II Par. xix, 6, 7.
exercetis judicium, sed Dei ; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cuncta cum diligentia facite.

Digitized by Google

Tertio dicitur de eisdem, quod in eis sit veritas : veritas, inquam, vitæ, ita ut virtuosi exsistant, ne sint indigni alios judicare. Siquidem indignus est reum dijudicare, qui in eisdem aut majoribus est peccatis, ut ait Ambrosius. Sit quoque in eis veritas doctrinæ, quatenus secundum regulas juris procedant, et rationabiliter instruant partem utramque. Sit item in eis veritas justitiæ, sicut sanctus Job di- (*ob* xxix,) xit : Justitia indutus sum. Nam et Philosophus protestatur, quod judex debet esse quasi animata justitia, et lex viva, ut a vera æquitate nusquam discedat, quia ad ipsum confugiunt homines, quasi ad regulam æquitatis. Hinc in Deuteronomio (*t.* i, 13.) Moyses loquitur : Date ex vobis viros gnaros et sapientes, quorum conversatio probata sit in tribubus vestris ; et ponam eos vobis principes. Quibus etiam ibi legitur (*d.* 16, 17.) præcepisse : Quod justum est, judicate ; sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distantia : ita parvum audietis, ut magnum ; nec accipietis cujusquam personam, quia judicium Dei est.

Quarto dicitur de eisdem, quod odiant avaritiam, ut scilicet non solum non sint avari, sed tam in se, quam in aliis, totis præcordiis avaritiam detestentur. Unde in- (*od.* xxiii,) fra scribitur : Non accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Verumtamen alia translatio habet, Qui oderint superbiam. Superbia namque tanto plus est præsidentibus ac judicibus odienda, quanto eis major est occasio superbiendi : quia in sublimitate quadam se intuentur, eisque plurimi blandiuntur, et magna eis libertas est faciendi quod volunt. Verum, si pensent quod Sapiens habet, formidabunt et humiles erunt. (*p.* vi, 4,) Scriptum est enim ibidem : Data vobis est potestas ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur. Cito et horrende apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet ; et potentes, potenter tormenta patientur. Hinc Ecclesiasticus ait : (*ccli.* ii, 1, 2.) Rectorem te posuerunt ? noli extolli ; esto in illis, quasi unus ex ipsis ; curam illorum habe, et sic considera.

Tales itaque sunt eligendi et promovendi, imo secundum forum conscientiæ tenetur unusquisque eligere meliorem seu digniorem, quamvis secundum forum contentiosum sufficiat, eligere bonum et dignum. Alioqui electio semper posset cassari.

Postremo, in hoc capitulo commendatur nobis gloriosa humilitas, optimaque docilitas divinissimi Moysis, qui dum ad libitum divinis frueretur alloquiis, angelicisque instrueretur dogmatibus, nihilo minus dignantissime sumpsit, promptissime quoque implevit viri gentilis instructionem. Nemo igitur cornua sibi assumat, nullus in suis oculis tam sapiens exstet, ut increpationes et informationes suscipere dedignetur ; imo et ab inferiori dignanter accipiat et gratanter, quidquid vere et salubriter ab illo audierit. Hinc Origenes disseruit : Satiari non possumus intuendo quod scriptum est, quam vehementer nos instruat. Etenim quum prospicio, quod Moyses propheta Deo plenus, cui Deus fa- (*Exod.* xxxiii, 11.) cie ad faciem loquebatur, consilium accepit a Jethro Madian sacerdote, admiratione nimia stuporem mentis incurro. Scriptum est enim : Audivit Moyses vocem soceri (*Ibid.* xviii, 24.) sui. Et non dixit socero suo : Mihi loquitur Deus, et cœlesti sermone defertur ad me, quid agere debeam : et quomodo consilium ab homine suscipiam, et a viro gentili ? Et non quis dicat, sed quid dicat, auscultat. Unde et nos si forte aliquando invenimus aliquid sapienter dictum a gentilibus, non illud spernamus. Quis autem eorum qui præsunt, non dico, si jam aliqua ei a Deo sunt revelata, sed si in legis scientia aliquid meriti habet, dignatur consilium inferioris saltem sacerdotis accipere, nedum dixerim laici, nedum gentilis ? Sed Moyses qui erat præ cunctis hominibus (*Num.* xii, 3.) mansuetus, consilium accepit inferioris, ut et formam daret humilitatis principibus populorum, et futuri sacramenti designaret imaginem. Hæc Origenes.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : MENSE TERTIO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI.

ADVENTUS filiorum Israel in montem Sinai, et præparatio eorumdem ad suscipiendum ibi legem a Domino, describuntur in isto capitulo. *Mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in die hac,* scilicet prima die mensis illius, *venerunt in solitudinem Sinai.* Quemadmodum dictum est, tota eremus illa, fuit una grandis solitudo, seu unum desertum, longe ac late extensum ; sed in diversis partibus suis sortita est diversa vocabula. Circa hæc ait Glossa : Quadragesimo septimo die postquam egressi sunt de Ægypto, primo die mensis tertii, scilicet Junii, pervenerunt ad montem Sinai, ibique peractis duobus diebus, quibus sanctificati sunt, hoc est ad legem suscipiendam purgati ac præparati, die tertio, id est quinquagesimo die ab egressu, videlicet die Pentecostes, legem receperunt. Receperunt eam, inquam, verbo tenus, ut infra patebit. Postea vero receperunt eam in scriptis, puta in tabulis, quum Moyses fuisset cum Domino in vertice montis quadraginta diebus ac noctibus.

Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique tentoria sua fixerunt, eo quod columna nubis quiesceret ibi, *e regione,* hoc est ex opposito, *montis* Sinai. Unaquæque autem tribus atque familia, accepit locum et spatium congruum ad ponendum in eo suum tentorium. Erantque, ut dicitur, aliqui deputati, qui facerent hujusmodi divisionem et assignationem locorum ; atque ut Lyra, Rabbi Salomonem sequens, affirmat, fixerunt tentoria e regione montis ad plagam orientalem, quatenus adorarent Dominum super montem Sinai, vultibus versis ad

A occidentem, quoniam versus occidentem adorabant Judæi. Sed his contradicit Rabbi Paulus, dicens rationem illam esse invalidam : quia Judæi (ut ait) adorabant versus occidentem, quando erant in tabernaculo vel in templo, in quo arca testamenti et propitiatorium erant in parte occidentali ; sed quando erant extra templum, in parte occidentali, respectu templi, adorabant ad orientem : alias orando vertissent terga ad templum, quod valde inconveniens reputant. Unde hodie Hebræi exsistentes in par-
B tibus Europæ, quæ est in parte occidentali respectu Jerusalem, non orant versus occidentem, sed orientem, juxta quod tertio Regum libro Salomon ait : Adorabunt te contra viam terræ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi. Melius ergo cum aliis expositoribus dicitur, quod castrametati sunt e regione montis Sinai circumquaque. Hoc dictum Rabbi Pauli, quantum ad aliqua, verum est ; sed non videtur in toto huic litteræ consonare. Quod enim per circuitum rei
C figitur, non proprie dicitur figi e regione ipsius, sed magis in gyro ejus.

III Reg. VIII. 48.

Moyses autem ascendit in montem ad Deum, id est, partem montis ascendit, in qua Deus fuit per speciales effectus. *Vocavitque eum Dominus de monte,* id est, Dominus in superioribus montis exsistens, vocavit Moysen, jubens ut magis ascenderet. Qui non præsumpsit altius scandere nisi jussus, quia jam ante audivit a Domino circa rubum, Ne appropies huc. Et Josepho teste, mons Sinai tam altus est, tam
D proceros scopulos habet, ut non solum inaccessibilis exstet hominibus, quantum ad altitudinem suam, sed et videri vix queat sine visus labore. Et quum sermo

Exod. III. 5.

Digitized by Google

esset, Deum habitare in eo, terribilis et inadibilis omnibus fuit. Deinde omnia ista ministerio angelorum facta creduntur, ita quod angelus in Dei persona apparens, et vocem sensibilem formans, Moysen est affatus.

Et ait : Hæc dices domui Jacob, hoc est posteritati ipsius Jacob, *et,* pro id est, *annuntiabis filiis Israel. Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis,* hoc est, qualiter eos plagavi propter vos; *quomodo portaverim vos super alas aquilarum,* id est, ex Ægypto vos transtuli, et ab Ægyptiorum impugnationibus vos defendi, sicut aquila portat suos pullos de loco ad locum, et portando eosdem tuetur ne lædantur. Dicitur enim quod portat eos supra proprium dorsum, sicque corpus suum exponit pro
xod. xiv, 20. pullorum defensione : ita et angelus columnam nubis posuit inter Ægyptios et Hebræos, ne Ægyptii impugnarent Hebræos ante transitum maris Rubri, quemadmodum supra patuit. *Et assumpserim mihi,* hoc est, gratiose et pie applicuerim vos cultui meo, ut mihi adhæreatis ad gloriam nominis mei, atque ad vestram salutem.

Si ergo audieritis vocem meam , hoc est, verbis meis obtemperaveritis, *et custodieritis pactum meum,* id est, legem meam vobis nunc dandam, memoriter efficaciterque servaveritis; *eritis mihi in peculium de cunctis populis :* id est, præ ceteris gentibus universis, eritis populus mihi specialiter carus, familiaris, et hereditarius, durante cursu veteris Testamenti, ita quod pascam atque custodiam vos, sicut
. xl, 11. custodit et pascit pastor proprium gregem.
bid. xix, Hinc per Isaiam loquitur Dominus : Hereditas mea Israel. Unde (ut dicitur) in Hebræo habetur, Eritis mihi amicabilitas, ita quod per illud abstractum insinuatur, quam specialissime essent Deo dilecti. Hinc
ut. vii, 6. in Deuteronomio legitur : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Porro peculium appellatur bonum speciale alicui appropriatum. Et ita plebs illa fuit Deo specialiter applicata. *Mea est enim omnis terra :* hoc est, universi habitatores terræ simul cum terra, mei sunt jure creationis et universalis imperii. Ideo possum vos ita conjungere mihi per gratiam. *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale :* hoc est, regnabo in vobis, et reges vobis præficiam, atque in regno vestro erunt sacerdotes mihi devoti, et vos consecrati eritis; *et gens sancta :* quoniam corda vestra virtutibus erunt repleta, et vos meo cultui eritis dedicati.

Hæc jam prædicta, *sunt verba quæ loqueris ad filios Israel.* Itaque Deus antequam legem plebi proposuit, commemoravit ei actus suæ justitiæ circa Ægyptios, et actus suæ misericordiæ circa eos, quatenus Deum timerent ut justum et omnipotentem, eumque diligerent ut pium ac liberalem, atque ut sibi grati consisterent, ac per hoc majora suscipere mererentur. Insuper fecit eis dulcissimam, excellentissimamque promissionem, si de cetero obedirent, ut sic provocarentur ad meliora, et ipsum ardenter diligerent, a quo in dilectione sic erant præventi.

Venit Moyses, et convocatis majoribus natu populi, exposuit eis *omnes sermones quos mandaverat Dominus,* hoc est verba præfata, quæ Deus jussit eis insinuari. *Responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Compuncti enim erant ex verbis piissimis jam prædictis. Itaque ut omnia fierent ordinate, Moyses primo verba Dei retulit superioribus Judæorum, et illi ulterius retulerunt inferioribus, ut sic inferiores assuescerent superiores suos reverenter audire. *Quumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum.* Quod Moyses fecit, non ut Domino ignota denuntiaret, sed ut a Domino aliquid plus audiret, et item, ut suum impleret officium, quoniam mediator fuerat constitutus inter Deum et populum. Et rursus, quatenus bona populi verba coram Domino recitando, gratiam impetraret a Domino ipsi plebi. Juxta quem modum angelus dixit Cornelio centurioni : Oratio tua *Act.* x, 4.
et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in

Digitized by Google

conspectu Dei, ut legitur in Actis. Tobiæ A quoque Raphael angelus : Ego, inquit, obtuli orationem tuam Domino. *Ait ei Dominus : Jam nunc,* id est cito post hæc, utpote tertio die, sicut patebit, *veniam ad te in caligine nubis,* id est in nube caliginosa, *ut audiat me populus loquentem ad te* ex ipsa nube, *et credat tibi in perpetuum :* certi quod ex divina revelatione locutus sis eis. Et quod ait, Ut credat tibi, intelligendum est tam de his qui ibi tunc aderant, quam de posteris eorumdem. Et quamvis multi eorum postmodum ad in- B credulitatem dilapsi sint, Dominus tamen fecit quod in ipso erat, ut et increduli inexcusabiles inveniantur. Qualiter autem istud sit factum, sequenti recitatur capitulo.

Tob. xii, 12.

Cur autem Dominus apparuit Moysi in nube aut nubis caligine, et ex ea locutus est ei ? Respondetur, quod ad innuendum quod ipse Dominus sit cœlestium princeps, cujus magnificentia nubes discurrunt, quæ in aereo cœlo generantur atque moventur ad Dei imperium. Et item ad C insinuandum, quod Deum in hac vita in se ipso clare cernere non valemus, sed (juxta Apostolum) videmus per speculum in ænigmate. Tamen ut Rabbi Paulus hic asserit, quando Dominus venit ad Moysen ad loquendum et apparendum ei dumtaxat, dicitur venisse in nube, non in caligine nubis ; sed quando venit ad loquendum Moysi ex nube coram populo, dicitur venisse in caligine nubis, quoniam Moyses habuit clariorem Dei cognitionem quam populus. Verumtamen an ista proprietas D in hujuscemodi locutione semper servetur, infra patescet.

Deut. xxxiii, 26.

I Cor. xiii, 12.

Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum, sicut jam dictum est. *Qui dixit ei : Vade ad populum, et sanctifica illos,* id est, exhortare et præcipe eis, ut sanctificent se, implendo quæ eis præcipies, utpote a carnalibus abstinendo amplexibus, et spiritualibus actibus insistendo, *hodie et cras ; laventque vestimenta sua :* non quod in vestibus sit macula culpæ, vel quod exteriorem candorem rerum inanimatarum Deus per se aut principaliter curet, sed ut per vestimentorum lotionem corpoream, intelligerent se intus debere spiritualiter lavare et expurgare per conversionem et contritionem mentis ad Deum. Rudi etenim populo dedit Deus præcepta, eis proportionata. *Et sint parati in diem tertium :* ita ut tunc inveniantur per prævia virtutum exercitia dispositi, purgati, devoti ad occurrendum Domino, et ad suscipiendum legem ipsius. *In die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai :* non quod Deus in sua natura mutaverit locum, sed per quosdam effectus mirabiles circa montem Sinai factos, monstravit se aliquid novum operari ibidem, per quod cognoscebatur ibi præsens adesse. Itaque descendet, id est, præsentiam suam in loco inferiori ipso cœlo, monstrabit per effectus magnificos.

Constituesque terminos populo per circuitum montis, *et dices : Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines,* id est partes seu extremitates *illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur,* id est, corporaliter occidetur, imo et spiritualiter interibit, peccando mortaliter per divini violationem præcepti. Istud tamen præceptum ex sua natura fuit præceptum juris positivi, sicut et illud, quod Deus dedit in paradiso primis parentibus de non gustando fructum arboris scientiæ boni et mali : quem fructum comedere, non fuit malum in se, sicut nec tangere montem. Positiva quippe præcepta dicuntur, quæ sunt de rebus ideo debitis aut illicitis, quia jussæ sunt aut prohibitæ fieri ; non autem idcirco jussæ aut prohibitæ fieri, quia ex sua ratione sint moraliter bonæ aut malæ. *Manus non tangent eum,* id est, nullus vestrum manibus suis montem attinget rependo aut innitendo ; *sed lapidibus opprimetur, sive confodietur jaculis,* quicumque montem tetigerit. Hoc autem Deus tam rigorose præcepit, ad innuendum cum quanta reverentia sit accedendum ad ipsum, et ne aliquis cum præsumptione aut curiositate

Gen. ii.

Digitized by Google

Prov. xxv, ad divina se ingerat, quoniam scrutator majestatis opprimetur a gloria. Item ad designandum, quam vehementer deficiat imbecillitas mentis humanæ, ab excellentia et comprehensione majestatis divinæ. *Sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet,* si tetigerit montem, quousque fuerit data tangendi licentia. Nam subditur :

Quum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. Circa hoc Rabanus scribit : Prius prohibet populum in montem ascendere, nunc jubet ut clangente buccina, ascendant in montem, per hoc humanam compescens audaciam, atque ad obediendum invitans, ad designandum, quod ad prædicationis vocem debemus nos ad superna erigere, nec sacramentorum investigationem ex nobis ipsis præsumere, sed Dei vocationem sequi. Alii sic exponunt : Quum cœperit clangere buccina in cacumine montis ab angelo, tunc ascendant in montem, id est ad terminos sibi præfixos accedant, per quod monti appropinquabunt, non tamen transeant ultra terminos ipsos. Sicque per hæc verba non datur eis licentia transgrediendi terminos illos, sed insinuatur quod ante clangorem buccinæ stent aliqualiter remote a terminis illis, et in ipso clangore eosdem accedant: quod nunc vocatur, In montem ascendere, quoniam termini illi erant in pede montis in aliquanto ascensu. Porro, ut Lyra refert, in Hebræo habetur : In protractu buccinæ ascendant. Quod quidam Hebræi exponunt, dicentes fuisse quemdam modum clangendi protensum, qui fuit signum recessus Dei a monte, tuncque licuit populo terminos præstitutos transcendere, atque in montem ascendere.

Quæri potest, cur bestia montem tangens, fuerat occidenda, quum non peccasset in hoc. Respondetur, quod dominus bestiæ in re sua puniebatur, quam a montis contactu non custodivit. Et etiam jussum est hoc, ad incutiendum majorem timorem ac reverentiam divini præcepti ; itemque ob mysticam significationem, ad præfigurandum videlicet, quod homo carnalis indignus est ad divinorum communionem, et ad contemplandum superna.

Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum dispositive, sicut expositum est. *Quumque lavissent vestimenta sua :* ob causas inductas. Non autem jussi sunt nova induere vestimenta, sed per lotionem innovata seu candidata, quia per interiorem lotionem non mutatur anima quantum ad suam substantiam, sed in accidentalibus, et spiritualiter innovatur ac resplendescit. Voluit quoque Dominus in vestibus Hebræorum ostendere speciale miraculum, quia per tantum tempus ac spatium, quo in toto illo deserto fuerunt, non sunt attritæ. *Ait ad eos : Estote parati in diem tertium,* juxta sensum præhabitum, *et ne appropinquetis uxoribus vestris,* per carnalem copulam vel complexum, imo nec per inordinatam affectionem. Quamvis enim copula illa sine peccato fieri queat, tamen ob voluptatem adjunctam, deprimit mentem, et ad devotionem reddit ineptam, vel minus idoneam, etiam ad tempus actu cessante. Decuit quoque eos a carnalibus delectationibus abstinere ad aliquantum tempus, qui ad tantam divinorum speculationem et participationem fuerant admittendi. Certum est etiam, quod populus ille pro maxima sui parte fuit ita carnalis et pronus ad vitia, quod vix cognovit uxores sine admixtione peccati. Est etiam mystica ratio hujus mandati, videlicet quod populus christianus non debet Sacramentum altaris suscipere absque prævia abstinentia a copula etiam conjugali : quanto magis illegitima.

Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat. Circa hoc scribit Lyra : Hic est dies sextus tertii mensis. Quarto enim die ejusdem mensis, dixit eis Moyses verba prædicta, ut Rabbi Salomon dicit. Sicque sexto die hujus mensis fuit lex data. Sed his repugnare videtur, quod ait Glossa : Hic est tertius dies tertii mensis ab exitu Israel de Ægypto. A die ergo quo Pascha *Exod.* xii, fecerunt, videlicet a quartodecimo die pri- 18.

Digitized by Google

mi mensis usque ad diem istum quo data est lex, dies quinquaginta fuerunt : utpote decem et septem dies primi mensis, et dies triginta mensis secundi, qui simul sunt dies quadraginta septem, et tres dies tertii mensis, in cujus tertio die data est lex. Cui computationi magis concordat; quod Magister in historiis scribit ; imo præinducta Glossæ verba consonant prorsus verbis Augustini, vel potius ex verbis ejus sunt sumpta ; concordant et textui. Ideo ita tenendum censetur.

Itaque tertio die valde diluculo, ut in Scholastica historia dicitur, ante solis ortum, id est, antequam sol ipse apparuit per se ipsum, non tamen ante auroram, quia in textu asseritur, Jam mane inclaruerat ; *et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem :* quæ omnia angelico ministerio formabantur. Quumque tonitruum sit exstinctio ignis in nube, seu sonus factus in ea, facile fuit angelo sancto in nube illa formare tonitrua, et inde emittere fulgura. Magnique venti et pluviæ erant ibidem, ut Josephus scribit. *Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Angelus quippe formavit sonum hujusmodi. An tamen per veram tubam, an alio modo sibi placenti, quis novit? Verumtamen Judæi, juxta suarum consuetudinem fabularum, dicunt sonum illum factum per cornu sumptum de ariete pro Isaac immolato. (*Gen.* XXII, 13.) *Et timuit populus qui erat in castris.* In Scholastica historia ex Josepho fertur, quod prædictis terribilibus auditis, putabant et ipsum Moysen ira Dei perisse. Tandem vero Moyses lætus apparuit, et aer serenus cum eo inter ipsos reversus est. Qui dixit ad eos : Hodie non audietis me Moysen, sed illum qui pro vobis percussit Ægyptum, qui dedit viam per mare, panem de cœlo, aquam de petra. Fiant ergo verba Dei vobis amabiliora, quam proprii filii et uxores.

Quumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei, id est, ut se reverenter ac devote præsentarent Deo, super montem Sinai descendenti per modum expositum, *steterunt ad radices montis,* videlicet juxta terminos eis præfixos, non ultra, sed citra eos. *Totus autem mons Sinai fumabat,* præsertim in vertice ejus ubi fumus ascenderat, *eo quod descendisset Dominus super eum in igne,* qui fuit alius a columna ignis, iter monstrantis in noctibus, *et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* Ex quo videtur, quod ignis ille fuit spissus et satis obscurus, non multum subtilis et clarus, quatenus majorem incuteret formidinem duris Hebræis. *Eratque omnis mons terribilis* nimis, propter ea quæ fiebant et apparuerunt in eo. *Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur.* Omnia ista fecit Dominus coram plebe antequam legem dedit, ad demonstrandum suæ omnipotentiam majestatis, ut timeretur : quia lex illa fuit lex timoris et severitatis justitiæ imperfectis collata, qui per timorem et rigorem justitiæ fuerant ad legis observantiam inducendi. Lex vero evangelica, est lex caritatis et pietatis : idcirco a Christo sedente in monte cum serenitate et quiete est data, quia ad eam servandam inducendi sunt homines amore summi boni ac zelo virtutum. De hac re, id est utriusque hujus legis distinctione, multa scribit Apostolus ad Hebræos : Non accessistis, inquiens, ad tractabilem et accessibilem ignem, et ad turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonitum. (*Hebr.* XII, 18, 19.) Ex quibus probatur, quod ibi exstitit etiam turbo, id est vehemens ventus : quod tamen hic non fertur in textu.

Quæri potest, cur Dominus apparebat in igne, imo et in igne hujusmodi, atque in caligine et in nube. Respondetur, quod divina, per proprietates ignis specialiter designantur, in tantum quod et Deus ipse ignis consumens vocatur, (*Deut.* IV, 24.) ut alibi plenius dictum est. Cur autem in igne sic denso, et in caligine atque in nube, jam ante solutum est. Voluit namque Deus in veteri Testamento suæ justitiæ monstrare rigorem, et suæ incutere majestatis horrorem,

Digitized by Google

quatenus et per hoc ostenderet se rerum A humanarum esse provisorem ac judicem : quod a paucis tunc credebatur. Hinc tertio Regum Salomon ait : Dominus dixit ut habitaret in nebula. Pro quo, libro secundo Paralipomenon legitur : Dominus dixit ut habitaret in caligine. Unde et Nahum primo : Dominus, in tempestate et turbine viæ ejus. Porro Judæi dicunt Dominum apparuisse in igne et nube, quoniam ignis et nubes non habent fixam figuram. Idcirco in eis apparuit Dominus, id est per illa, ne Hebræi ad idololatriam proni, haberent B occasionem formandi imagines Dei. Istud tamen non videtur magni valoris, quoniam ignis et nubes satis faciliter possunt formari ac pingi.

Reg.VIII, Par.VI,1. Nahum I,

Moyses loquebatur ad Deum, *et Dominus respondebat ei* tanquam mediatori inter se et populum. *Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus,* scilicet montis, ad designandum quam familiaris et carus exsisteret Domino, et ut ejus verba attentius susciperentur a populo. C *Quo quum ascendisset, dixit ad eum : Descende, et contestare populum, ne forte velint transcendere terminos sibi præfixos ad videndum Dominum,* id est ad inspiciendum curiose aut præsumptuose, qualiter aut in qua forma ego Dominus tibi appareo : quod scire ad eos non pertinet, nec sunt digni ; *et pereat ex eis plurima multitudo,* videlicet omnes qui fecerint hoc, aut consenserint ipsis, quia tales mox occiderentur, et propter suum excessum essent damnandi. *Sacerdotes quoque qui* D *accedunt ad Dominum,* ingrediendo tabernaculum, templum, vel ad altare, offerendo ibidem, ubi Deus specialiter esse asseritur, *sanctificentur,* id est, se ipsos purificent modis prætactis, *ne percutiam* * *eos* plaga mortis corporalis ac spiritualis. Si istud intelligatur de sacerdotibus Leviticæ stirpis atque Mosaicæ legis, per anticipationem est dictum, quoniam sacerdotes hujusmodi nondum fuerant instituti : ut sit sensus, quod sacerdotes tales post suam institutionem non præsumant ad Dominum nisi purificati accedere, nec sua officia indigne explere. Si autem intelligatur de sacerdotibus qui erant in lege naturæ, exponetur de primogenitis Israelitarum, qui officio sacerdotii fungebantur usque ad sacerdotii institutionem Levitici : nam usque ad id primogeniti fuerant sacerdotes. Jam quoque jusserat Dominus primogenitos Israel sibi sanctificari, ut capitulo tertiodecimo continetur. Exod.XIII. 2.

* percutiat

Dixitque Moyses ad Dominum : Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai. Tu enim testificatus es et jussisti, dicens : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. Hoc ultimum verbum Moyses ante non scripsit; cetera clara sunt. Dominus enim jussit Moysi præfigere populo terminos, ultra quos non ascenderent montem. Sed quomodo intelligendum est quod dixit ad Moysen, Sanctifica illum, utpote montem ? Et respondendum, quod sicut templum materiale dicitur sanctificari, dum divino cultui dedicatur, sic Moyses montem Sinai sanctificavit, denuntiando Judæis quod ille mons esset electus et deputatus a Deo ad peragendum in eo multa divina : quoniam ibi apparuit et locutus est Dominus, apparueruntque angeli, data est lex, et varia mysteria sunt expleta. Denique ex verbis jam habitis satis apparet, quod sanctus Moyses tam libenter fuit in vertice montis cum Deo, quod invite descendit. Ideo quasi excusando se de descensu, dicebat : Non poterit vulgus ascendere. Quasi dicat : Jam semel dixi hæc eis ex parte tui. Sed Dominus rursus jubet, Vade, descende, ut repetas populo quæ semel dixisti, quatenus diligentius ea observet.

Cui ait Dominus : Vade, descende. Ascendesque tu, et Aaron tecum, ut sit socius tuus, audiendo ex me præcepta tibi nunc conferenda, quemadmodum hucusque fuit tibi associatus in faciendo prodigia, dirigendoque populum. Verumtamen cito descendit, nec fuit cum Moyse in vertice montis per quadraginta dies, de quibus

Digitized by Google

infra dicetur. *Sacerdotes autem et populus non transeant terminos* sibi præscriptos, *nec ascendant ad Dominum* in vertice montis, *ne forte interficiat illos*. Quod ait, Ne forte, non notat ambiguitatem, sed li- A bertatem in Deo, qui omnia operatur non necessitate naturæ, sed secundum propositum suæ voluntatis atque liberrime. *Descenditque Moyses ad populum, et * narravit eis.* * et omnia

ARTICULUS XXXIX

DE MYSTICO HUJUS CAPITULI NONIDECIMI INTELLECTU.

QUADRAGESIMO septimo die ab exitu de Ægypto, venerunt in Sinai. Certum est, per quadragenarium numerum tempus pœnitentiæ designari; per septenarium vero, septem dona Spiritus Sancti; per montem Sinai, altitudinem contemplandi. Qui ergo vult ad contemplationis apicem pervenire, primo in actibus pœnitentiæ se condigne exerceat, atque in donis Spiritus Sancti quotidie crescere enitatur, quatenus mente jam reformata, gloriam Domini speculetur facie revelata. Denique inter omnes Israelitarum mansiones, mansio in monte Sinai fuit præcipua : quoniam contemplationis quietem summe desiderant veri et spirituales Israelitæ, in quibus dolus non est, non hypocrisis, neque duplicitas, neque calliditas. Siquidem simulatores et callidi provocant iram Dei. (Joann. i, 47. — Job xxxvi, 13.)

Denique, sicut per Moysen Dominus dixit Judæis, *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum :* ita per chorum beatissimorum Apostolorum annuntiavit Christus universis hominibus, qualiter pro eorum salute impugnavit et vicit invisibiles hostes, imo et sæculi vanitates, hominesque perversos, persecutores justorum : de quibus dixit discipulis, In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum; (Joann. xvi, 33.) qualiter etiam sub alis misericordiæ suæ suscepit nos, ad fontem quoque Baptismi, et ad alia ecclesiastica sacramenta nos duxit, et nos ex gentilitate natos assumpsit sibi in populum, oleastrum inserens in bonam olivam, naturalibus ramis relictis. (Rom. xi, 24.) Idcirco si ei grati et obedientes fuerimus, erimus ei populus peculiaris præ cunctis hominibus, efficiemurque ei regnum sacerdotale et gens sancta. Multo enim carior est Christo Ecclesia, quam olim exstitit Synagoga. Numero quoque et merito et omni charismate Spiritus Sancti transcendit Ecclesia ineffabiliter Synagogam. Propter quod in Apocalypsi habetur : Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (Apoc. i, 5.) Princeps quoque Apostolorum : Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. (I Petr. ii, 9.)

Responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Ita et nos in Baptismo abrenuntiavimus omnibus pompis, operibusque diaboli, et universis Dei mandatis obtemperare condiximus : quod item post recidivum in sacramento Confessionis peregimus. Quid igitur nobis incumbit, nisi ut totis viribus ea, ad quæ nos toties obligavimus, impleamus, nec cessemus deflere, quod heu ! tam enormiter ac frequenter ea transgressi sumus? *Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras; laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium.* Sic Dominus jubet prælatis et prædicatoribus in contemplationis exercitio constitutis,

Digitized by Google

ut ab altitudine hujusmodi exercitationis paululum descendentes, ad creditum sibi dominicum gregem festinent, et eum hortando, instruendo, corripiendo, inflammando, sanctificent hodie et cras, hoc est statim sine periculosa dilatione, et non nimis cursorie, sed ad tempus sufficiens, quatenus in die tertio, utpote post veram confessionem et satisfactionem, sint parati Unigenitum Dei in Sacramento suscipere, atque in monte contemplationis Spiritum Sanctum salubriter intueri. *Die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai:* quia post dignam confessionem et satisfactionem idoneam, sanctificata jam mente, Spiritus Sanctus tam evidentia et præclara infundit charismata, ut dubitandum non sit, quin Dominus Deus in hujuscemodi mentem descenderit.

Constituesque terminos populo per circuitum, et dices : Cavete ne ascendatis in montem. Per hoc clarissime designatur, quod nulli licet transgredi mensuram et semitam sibi præfixas, nec incomprehensibilia fidei testimonia comprehendere velle, et suo ingenio ea metiri. Sed cum reverentia et modestia debemus ad contemplanda divina accedere, pensata propriæ capacitatis et defectuositatis materie, ut studeat unusquisque in primis ac maxime ea implere ac possidere, quæ Deus primo ac maxime requirit ab eo, sicque juxta sui status mensuram, et suæ vocationis exigentiam ac gratiam sibi concessam se occupet. Hinc quippe in Proverbiis jubetur :
Prov. xxii. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Et in Ecclesiastico :
Eccli. iii. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Hinc et Sapiens
Sap. ix, 17. inducit : Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de cœlis? Idcirco divinus et sacratissimus Dionysius contestatur in libro de Ecclesiastica hierarchia, quod nullus angelicorum spirituum audet quidpiam agere, nisi juxta legem ei desuper præstitutam.

A *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur :* id est, qui Deitatis altitudinem aut supergloriosissimæ Trinitatis mysterium irreverenter scrutari aut comprehendere velle præsumpserit, aut in Deum altissimum per hæresim, perfidiam, blasphemiamve peccaverit, disperibit. *Lapidibus opprimetur,* id est, efficacissimis argumentationibus atque acerrimis confutationibus convincetur ; *sive confodietur jaculis,* id est, testimoniis Prophetarum et Apostolorum undique constringetur et dejicietur.
B Nempe ut Salomon ait, Verba sapientium sunt quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Eccle. xii, 11. *Manus non tangent eum :* id est, qui adhuc solum activi sunt, nondum contemplationis secretum queunt attingere. *Sive jumentum fuerit, sive homo,* morietur. Per jumentum exprimitur animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; I Cor. ii, 14. per hominem vero potest intelligi, quicumque sola naturali et philosophica sapientia præditus, qui ad contemplanda christianæ fidei sublimia nequaquam ido-
C neus invenitur, et propria præsumptione damnatur, si fidei alta scrutari, et judicare ac reprobare contendit. Unde et Apostolus : Videte, inquit, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum. Coloss. ii, 8. *Quum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem,* id est, dum vox prædicationis cœlestis insonuerit, considerent divina quæ audiunt, secundum mensuram et intellectum Ecclesiæ.

Quumque lavissent vestimenta sua, ait:
D *Ne appropinquetis uxoribus vestris.* Sic et nos Deo volentes occurrere, et eum in thalamo cordis suscipere, debemus vestimenta nostra lavare, id est, per pœnitentiam et confessionem, emendationemque vitæ, omnem vitiorum impuritatem ab operibus nostris atque virtutibus removere, separantes pretiosum a vili, ut simus quasi os Dei, Jer. xv, 19. et impleamus quod Salomon ait : Omni tempore vestimenta tua sint candida. Eccle. ix, 8. Unde et in Apocalypsi Dominus profitetur : Qui non inquinaverunt vestimenta Apoc. iii, 4.

Digitized by Google

sua, ambulabunt mecum in albis. Hinc ei A qui vestes suas ita non lavit, increpatorie *Matth.* XXII, 12. dictum est : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? Denique tempore sacro, quo orationi et communioni est insistendum, pœnitentiæ quoque diebus ab amplexibus decet cessare, quum *I Cor.* VII, 5. dicat Apostolus : Nolite invicem fraudare nisi ad tempus, ut vacetis orationi. Itemque *Ibid.* 29. : Tempus breve est ; superest, ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes. Verumtamen salvo remedio his, qui pro infirmitate sua remedio indigent nu- B ptiali.

Jam advenerat dies tertius, et mane inclaruerat; et ecce cœperunt audiri tonitrua et micare fulgura. Hæc dies tertia, est tempus evangelicæ legis. Nam prima dies, est tempus legis naturæ ; secunda, tempus legis scriptæ. Mane tertiæ diei, est dilucu- *Act.* II, 2. lum diei Pentecostes, quando factus est repente sonus vehemens, replens totam domum in qua primitiva sedit Ecclesia : qua Spiritu Sancto copiosissime adimpleta, cœperunt ab eadem emanare tonitrua C evangelicæ prædicationis, et fulgura comminationum, ac præclara coruscare miracula. Tunc *et nubes densissima* operuit montem, id est copiosa multitudo millium Judæorum, qui tunc repente convertebantur, in quibus fuit mortalis infirmitas, et adhuc obscura cognitio, supervenit primitivæ Ecclesiæ, et baptizabatur ab ea. *Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Clangor ille fuit invictissima atque altisona prædicatio beatissimi Archiapostoli, confundentis et convincentis incredulos. *Ti- D muit populus qui erat in castris.* Tunc enim omnes stupebant et mirabantur, dicentes : Quidnam vult hoc esse ? Atque ut Lucas evangelista scribit, fiebat omni animæ timor. *Act.* II, 43. *Eos* vero qui credebant, *eduxit* chorus Apostolorum *in occursum Dei,* ita quod adventui et infusioni Spiritus Sancti se præparabant. *Steterunt* quoque conversi *ad radices montis,* hoc est in humilibus locis Ecclesiæ.

Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. Tunc certe tota primitiva Ecclesia in monte Sion collecta, præ interiori cordis ardore, verba prædicationis ignita emittebat assidue, eo quod Spiritus Sanctus in igneis linguis descendisset in eam, qui præcordia ejus æstuantissime inflammavit. *Moyses loquebatur, et Dominus respondebat ei.* Sic et bonis ac sanctis prælatis Dominus pie respondet per occultum instinctum et sacras Scripturas, sanctosque angelos. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Sacerdotes etenim evangelicæ legis tanto spiritualius et castius conversari oportet, quanto eorum sacerdotium divinius præstantiusque consistit, et quo dignior est Hostia quam consecrant, tractant, sumunt, et immolant Deo Patri. Quum igitur filii Israel etiam uxorati, jussi sint abstinere a suis uxoribus usque in tertium diem, quando verba Dei fuerant audituri, suscepturique legem : qualis est sacerdotum evangelicæ legis impietas, qui incontinentiæ vitio subjacentes, Christum in Sacramento præsumunt tractare? O quanta est impudentia horum ! et quam infinita damnatio, intolerabilisque punitio imminet eis !

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

I, 22. Crescite, et multiplicamini, 102 A'. *

II, 2. Deus... requievit die septimo ab omni opere suo, 58 A'.

— 4, 5. Istæ sunt generationes cœli et terræ,... et omne virgultum agri antequam oriretur, 60 A.

— 24. Erunt duo in carne una, 341 D'.

VII, 2. De animantibus vero immundis (tolle) duo et duo, 34 A'.

XIV, 13. Nuntiavit Abram Hebræo, 196 C'.

XV, 7. (Ad Abram :) Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, 201 B', 521 D.

XVII, 19. Ait Deus ad Abraham : Sara pariet filium, vocabisque nomen ejus Isaac, 238 C'.

XVIII, 10. Quo audito, Sara risit, 246 A'.

— 20, 21. Clamor Sodomorum... venit ad me, 127 B.

XIX, 11. (Sodomitas) percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, 98 D'.

— 22. Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc, 357 C.

XXI, 30, 33. Ego (Abraham) fodi puteum istum... Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, 306 D'.

XXII, 13. (Abraham) vidit... arietem... quem assumens obtulit holocaustum pro filio, 640 C.

XXIII, 17, 18. Confirmatusque est ager quondam Ephronis,... et omnes arbores... Abrahæ in possessionem, 306 D'.

XXIV, 2. Dixit (Abraham)... : Pone manum tuam subter femur meum, 430 B'.

XLII, 21. Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum (Joseph), 382 C'. *Cf.* 406 D'.

XLVI, 6. (Jacob) venit... in Ægyptum cum omni semine suo, 228 D.

XLVIII, 3. Deus apparuit mihi in Luza, 329 C.

XLIX, 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax, 366 A'.

EXODI.

III, 14. Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum, 521 A'.

VI, 18, 20. Anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres;... anni vitæ Amram, centum triginta septem, 228 D.

XII, 2. Mensis iste, vobis principium mensium, 38 A'.

— 29. Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, 267 D. *Cf.* 571 A.

— 35. Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, 229 C.

XVI, 29. Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, 609 C.

XX, 5. Visitans iniquitatem... in tertiam et quartam generationem, 188 D.

XXIII, 5. Si videris asinum... jacere sub onere, etc. 185 C.

XXIV, 4. Moyses... ædificavit altare ad radices montis, 497 D.

XXXII, 9, 10. Ait Dominus ad Moysen :... Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, 358 A.

XXXIII, 20. Ait (Dominus ad Moysen) :... non... videbit me homo, et vivet, 358 D'.

LEVITICI.

XIX, 26. Nec observabitis somnia, 400 B.

NUMERORUM.

XI, 7. Erat... man quasi semen coriandri, coloris bdellii, 617 B'.

* Per litteras A', B', C', D', designantur divisiones columnæ dextræ; per A, B, C, D, divisiones columnæ sinistræ.

Digitized by Google

XI, 9. Quum... descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man, 614 A'.
XII, 8. (Moyses) non per ænigmata et figuras Dominum videt, 521 A'.
XIV, 18. Qui visitas peccata... in tertiam et quartam generationem, 188 D.
XVI, 26. Recedite a tabernaculis hominum impiorum,... ne involvamini in peccatis eorum, 262 C.
XXI, 5. Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo, 617 C'.
XXII, 28. Aperuit... Dominus os asinæ, 93 C.

DEUTERONOMII.

I, 13. Date ex vobis viros sapientes... ut ponam eos vobis principes, 633 B'.
IV, 24. Dominus... ignis consumens est, 494 B'.
VI, 13. Deum tuum timebis,... ac per nomen illius jurabis, 406 B.
VII, 6. Te elegit Dominus... ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, 637 D.
XIV, 21. Non coques hœdum in lacte matris suæ, 185 B.
XXII, 6. Si... nidum avis inveneris,... matrem... non tenebis, 185 B.
XXXII, 4. Dei perfecta sunt opera, 16 B, 38 A'.

JOSUE.

II, 11. Pertimuimus, et elanguit cor nostrum,... ad introitum vestrum, 598 A'.
V, 1. Non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel, 598 D.
— 12. Defecit... manna postquam comederunt de frugibus terræ, 618 C'.
VIII, 15. Josue... et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, 325 B'.
XIV, 15. Adam maximus ibi inter Enacim situs est, 78 C.
XXI, 41. Dedit... Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat, 291 C.
XXIV, 2. Trans fluvium habitaverunt patres vestri, 206 D'.
— 2. Thare pater Abraham et Nachor, servierunt... diis, 202 B'.

JUDICUM.

I, 1, 2. Quis ascendet ante nos contra Chananæum ?... Judas ascendet, 441 C.
III, 1. Hæc sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, 582 B'.
IV, 10. (Barac), accitis Zabulon et Nephthali, ascendit, etc. 448 C'.
VI, 39. (Dixit Gedeon :) Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens, 299 C.

RUTH.

I, 20. Vocate me Mara (id est amaram), 607 D.
IV, 18-20. Hæ sunt generationes Phares : Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, etc., 229 C'.

I REGUM.

XIV, 36. Accedamus huc ad Deum, 613 B.
XV, 29. Triumphator in Israel... pœnitudine non flectetur, 152 D'.
XVII, 32. Ego... vadam, et pugnabo adversus Philistæum, 441 A'.

II REGUM.

VIII, 14. Facta est universa Idumæa serviens David, 309 B, 321 D.

III REGUM.

VIII, 12. Ait Salomon : Dominus dixit ut habitaret in nebula, 641 A.
XI, 16. Ibi moratus est Joab,... donec interimeret omne masculinum in Idumæa, 309 C.
XII, 20. Constituerunt (Jeroboam) regem super omnem Israel, 434 B'.
XIII, 2. Filius nascetur domui David, Josias nomine, 238 C'.

IV REGUM.

II, 11. Et ascendit Elias per turbinem in cœlum, 143 A.
VI, 18. Percussit... eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisæi, 269 A'.
— 20. Domine, aperi oculos istorum, 98 D'.
VIII, 20. Edom,... constituit sibi regem, 376 A.
XIX, 35. Venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum, etc. 267 D.

I PARALIPOMENON.

II, 18, 19. Caleb vero filius Hesron accepit uxorem... quæ peperit ei Hur, 229 D'.
— 19. Accepit uxorem Caleb, Ephrata, 369 B'.
V, 2. Primogenita... reputata sunt Joseph, 438 C'.

Digitized by Google

II PARALIPOMENON.

III, 1. Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, 287 A'.
VI, 1. Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine, 641 A.

JUDITH.

V, 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est, 206 D.
IX, 2. Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem, etc. 367 B.

JOB.

I, 1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, 195 B', 291 B'.
II, 11. Tres amici Job... venerunt singuli de loco suo ; Eliphaz Themanites, etc. 373 C'.
XXIII, 13. Ipse... solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus, 597 A.
XXXII, 2. Eliu filius Barachel Busites, 291 B'.
XXXVII, 18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi... sunt, 31 C'.
XXXVIII, 7. Quum me laudarent simul astra matutina, 18 A', 148 D.
XLII, 16. Vixit... Job post hæc, centum quadraginta annis, 146 C.

PSALMORUM.

II, 8. Dabo tibi gentes hereditatem tuam, 217 D', 301 A.
VIII, 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, 184 B.
XXIV, 10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, 299 B'.
XXXII, 7. Congregans sicut in utre aquas maris, 39 B'.
— 9; CXLVIII, 5. Ipse dixit, et facta sunt, 16 A.
XXXIII, 6. Accedite ad eum, et illuminamini, 613 B.
XLIV, 8. Unxit te Deus,... oleo lætitiæ, 331 B.
— 17. Constitues eos principes super omnem terram, 321 D.
XLVI, 10. Dii fortes terræ, vehementer elevati sunt, 526 B'.
LXVII, 19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, 441 C'.
LXXI, 17. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, 207 D'.
LXXX, 7. Manus ejus in cophino servierunt, 478 C.
LXXXI, 6. Ego dixi : dii estis, 526 B'.
LXXXIV, 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, 350 C.
LXXXV, 8. Non est similis tui in diis, Domine, 526 B'.
CI, 26. Initio tu, Domine, terram fundasti, 14 A', 21 D'.
CIII, 2, 3. Extendens cœlum sicut pellem : qui tegis aquis superiora ejus, 32 A'.
— 6. Super montes stabunt aquæ, 37 B.
— 31. Lætabitur Dominus in operibus suis, 56 A.
CIV, 17. Misit ante eos virum : in servum venundatus est Joseph, 419 A'.
— 21. Constituit eum dominum domus suæ, 419 B'.
— 37. Non erat in tribubus eorum infirmus, 608 B'.
CV, 4. Visita nos in salutari tuo, 500 C'.
CXVII, 22. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, etc. 450 D'.
CXLIII, 5. Domine, inclina cœlos tuos, et descende, 496 C'.
CXLIV, 9. Suavis Dominus... miserationes ejus super omnia opera ejus, Præf. 473.
— 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, Præf. 473.
CXLVIII, 4. Laudate eum cœli cœlorum, 32 B'.
— 5 ; *vide* XXXII, 9.

ECCLESIASTÆ.

I, 10. Nihil sub sole novum, 68 A.

CANTICI CANTICORUM.

II, 8. (Dilectus meus) venit saliens in montibus, 574 D.

SAPIENTIÆ.

II, 24. Invidia... diaboli mors introivit, 91 D'.
III, 5. Deus tentavit eos, 113 B'.
IV, 10, 11. Placens Deo... raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, 143 D.
X, 7. Fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, 272 B'.
— 7. Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis, 273 A.
— 13. Hæc (sapientia) venditum justum non dereliquit, 419 C'. *Cf.* 450 A.
— 14. In vinculis non dereliquit illum, 450 A. *Cf.* 419 C'.
XI, 17. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, 104 C.

Digitized by Google

XVI, 20. Paratum panem de cœlo præstitisti illis... omne delectamentum in se habentem, 618 A.
XVIII, 13. Cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse, 571 C. *Cf.* 267 A.
— 15. Sermo tuus (Domine)... durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, 571 C. *Cf.* 267 A.
XIX, 11. Viderunt novam creaturam avium; cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis, 613 D'.

ECCLESIASTICI.

XV, 14, 15. Deus ab initio constituit hominem,... Adjecit mandata et præcepta sua, 84 A.
XVII, 1, 2. Deus creavit de terra hominem,... secundum se vestivit illum virtute, 115 C.
— 1, 10. Deus creavit de terra hominem,... justitiam et judicia sua ostendit illis, 84 B.
XVIII, 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, 16 A.
XXXIV, 2. Quasi qui apprehendit umbram,... sic et qui attendit ad visa mendacia, 400 B.
XXXVIII, 5. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? 607 D'.
XLIII, 7. A luna signum diei festi, 41 D'.
XLIV, 16. Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, 143 A'.
— 17. Noe inventus est perfectus, 154 B.
XLV, 1, 6. Dilectus Deo et hominibus Moyses:... dedit illi (Dominus)... legem vitæ, Præf. 3.
XLIX, 17. Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, 449 B.

ISAIÆ.

II, 2. Mons domus Domini... elevabitur super colles, 451 A'.
V, 7. Vinea... Domini exercituum, domus Israel est, 444 C.
VII, 12. Dixit Achaz : non petam, et non tentabo Dominum, 299 C.
XI, 2. Requiescet super eum spiritus Domini, 24 C.
XIX, 20. Clamabunt... ad Dominum... et mittet eis salvatorem, 443 B.
XIX, 25. (Dominus dixit :) Hereditas... mea Israel, 637 D.
XXII, 1. Onus vallis Visionis, 286 B'.
XXXIII, 15. Excutit manus suas ab omni munere, 221 C.
XLII, 4. Legem (Christi)... insulæ exspectabunt, 443 B.
LXIII, 1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, 445 B'.
LXIV, 1. Utinam dirumperes cœlos, et descenderes, 496 C'.
— 4. Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te, 47 B.

JEREMIÆ.

XXXIV, 18. Non observaverunt verba fœderis, 230 D'.

THRENORUM.

I, 15. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda, 445 C'.
IV, 6. (Sodoma) subversa est in momento, 273 A'.

EZECHIELIS.

XVI, 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ : superbia, etc. 261 B.
XVIII, 20. Filius non portabit iniquitatem patris, 188 D.
XX, 25. Dedi eis præcepta non bona, Præf. 3.
XXI, 4. Occidi in te justum et impium, 262 B.
XXVII, 11. Pigmæi, qui erant in turribus tuis, 200 B.
XXXIV, 23. Suscitabo super eas pastorem unum, 450 C'.

DANIELIS.

II, 1. Vidit Nabuchodonosor somnium, 399 D.
— 37. Tu rex regum es, 399 B'.
III, 60. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino, 32 B'.
IV, 1, 2. Ego Nabuchodonosor... somnium vidi, 399 B'.
— 16. Daniel... cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, 399 D'.
V, 29. Jubente rege indutus est Daniel purpura, 399 B'.
VII, 14. Omnes populi, tribus, et linguæ ipsi (Christo) servient, 321 D.

OSEE.

XI, 1. Ex Ægypto vocavi Filium meum, 9 A'.

Digitized by Google

XII, 3. In utero supplantavit (Jacob) fratrem suum, 323B.
XII, 4. (Jacob) invaluit ad angelum,... flevit, et rogavit eum, 359A'.

JOEL.

I, 2, 4. Auribus percipite, omnes habitatores terræ :... residuum erucæ comedit locusta, 554B.

JONÆ.

II, 11. Dixit Dominus pisci, etc. 102A'.

MICHÆÆ.

IV, 8. Tu turris Gregis nebulosa filiæ Sion, etc. 369D'.

NAHUM.

I, 3. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, 641A.

AGGÆI.

II, 8. Veniet Desideratus cunctis gentibus, 443 B, 452B'.

MALACHIÆ.

III, 6. Ego... Dominus, et non mutor, 152B'.

MATTHÆI.

I, 3. Judas autem genuit Phares... Phares autem genuit Esron, 229C'.
II, 13. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, 350C.
IV, 7. Non tentabis Dominum Deum tuum, 299B.
— 13. (Jesus) habitavit in Capharnaum..., in finibus Zabulon et Nephthali, 448C'.
XI, 14. (Joannes) ipse est Elias, 320B.
XIII, 58. Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum, 357D.
XXIII, 35. A sanguine Abel justi, etc. 126C.
XXVI, 52. Omnes... qui acceperint gladium, gladio peribunt, 184C'.

LUCÆ.

I, 13. Elisabeth pariet... et vocabis nomen ejus Joannem, 238C'.
I, 34. Dixit... Maria ad angelum : Quomodo fiet istud? 226B'.
— 78. Visitavit nos oriens ex alto, 500C'.
II, 30. Viderunt oculi mei salutare tuum, 447D'.
IX, 62. Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, etc. 273A.
XVII, 32. Memores estote uxoris Lot, 272D'.
XXIV, 16. Oculi... illorum tenebantur ne eum agnoscerent, 269B'.
— 28. Ipse (Christus) se finxit longius ire, 325 B'.
— 31. Aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, 99C.

JOANNIS.

I, 1. In principio erat Verbum, 14B'.
— 3. Omnia per ipsum facta sunt, 14D.
— 18. Deum nemo vidit unquam, 358D'.
— 31. Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, 238C'.
— 51. Videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis, 329D'.
III, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua.... non potest introire in regnum Dei, 249B.
IV, 5. Venit... in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, 208D.
V, 17. Pater meus usque modo operatur, et ego operor, 16B', 67A.
VIII, 56. Abraham... exsultavit ut videret diem meum : vidit, etc. 254C.
X, 7. Ego sum ostium, 329B'.
— 35. Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, 526B'.
XIV, 6. Ego sum via, 329B'.
XIX, 33. Ad Jesum... cum venissent,... non fregerunt ejus crura, 577A'.
— 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, 85B.
— 36. Os non comminuetis ex eo, 577A'.

ACTUUM.

VII, 2, 3. Deus gloriæ apparuit... Abrahæ cum esset in Mesopotamia,... et dixit ad illum : Exi de terra tua, 204D, 205C.
— 4. (Abraham) habitavit in Charan, 202C.
— 5. Non dedit (Abrahæ) hereditatem in ea, nec passum pedis, 217A, 284C'.
— 14. Joseph accersivit Jacob... et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque, 424A.

Digitized by Google

VII, 22. Moyses... erat potens in verbis, 507 D.
— 25. Existimabat... intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis, 488A.
— 26. (Moyses) apparuit illis litigantibus, et reconciliabat eos in pace, 489A. *Cf.* 488D'.
— 26. (Moyses) litigantibus... dicens : Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum, 488 D'. *Cf.* 489A.
IX, 1. Saulus... spirans minarum et cædis, 455B'.
XIII, 39. In hoc (in Christo) omnis qui credit, justificatur, 226D.
XV, 9. Fide purificans corda eorum, 250B.
— 28, 29. Visum est enim Spiritui Sancto,... ut abstineatis vos... sanguine, et suffocato, 184A.

AD ROMANOS.

IV, 3. Credidit Abraham Deo, 226D.
— 16. Qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, 244A.
— 17. (Deus), cui credidit (Abraham), qui vivificat mortuos, 289A'. *Cf.* 288D.
— 19. Nec consideravit (Abraham) corpus suum emortuum, 246C.
V, 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, 248C'.
— 19. Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, 116C'.
IX, 17. Dicit... Scriptura Pharaoni : ... excitavi te,... ut annuntietur nomen meum in universa terra, 547C.
X, 2. Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, 367A'.

I AD CORINTHIOS.

II, 9. Oculus non vidit,..... quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum, 47B.
X, 4. Petra... erat Christus, 331B.
XV, 41, 42. Stella... a stella differt... sic et resurrectio mortuorum, 225C'.

II AD CORINTHIOS.

I, 23. Ego... testem Deum invoco in animam meam, 406D.
III, 7. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, etc. Præf. 3.
IV, 4. (Christus), qui est imago Dei, 53B.

AD GALATAS.

III, 6. Abraham credidit Deo, 226D.
— 7. Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ, 217C', 244A.
— 17. Post quadringentos et triginta annos facta est lex, 228D', 569A.
IV, 29. (Ismael), qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, 282C'.

AD EPHESIOS.

IV, 8. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, 441C'.
V, 32. Sacramentum hoc magnum est : ego... dico in Christo et in Ecclesia, 85D.
VI, 5. Servi, obedite dominis... cum timore, 183D. *Cf.* 259B'.

AD PHILIPPENSES.

III, 5. (Paulus) de tribu Benjamin, 455B'.

AD COLOSSENSES.

I, 16. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, 14C.

I AD TIMOTHEUM.

I, 13. Qui prius blasphemus fui, et persecutor, 455B'.
II, 14. Adam non est seductus, mulier autem seducta... fuit, 97A', 98A, 116B'.

AD HEBRÆOS.

VI, 13. Abrahæ... promittens Deus,... juravit per semetipsum, 291A.
— 20. Secundum ordinem Melchisedech pontifex factus, 221A'.
VII, 1-3. Hic enim Melchisedech,... qui interpretatur rex justitiæ :... assimilatus autem Filio Dei, 221B'.
— 9. Et Levi, qui decimas accepit, decimatus est, 221D'.
IX, 4. Urna aurea habens manna, 618D.
XI, 11. Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, 245D'.
— 17. Fide obtulit Abraham Isaac,... arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, 288D. *Cf.* 289A'.

Digitized by Google

XI, 21. Jacob, moriens,... adoravit fastigium virgæ, 381 B.
— 27. (Moyses) fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, 489 C, 489 C'.
XII, 16. Ne quis fornicator,... ut Esau : qui propter unam escam vendidit primitia sua, 311 C.
— 16, 17. Esau... non invenit pœnitentiæ locum, 322 B', 325 B'.
— 20. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur, 102 C.
XIII, 2. Hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis, 254 B'.

I PETRI.

II, 6. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, 331 B.
II, 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, 183 D. *Cf.* 259 B'.
III, 1, 6. Mulieres subditæ sint viris suis:... sicut Sara obediebat Abrahæ, 259 B'. *Cf.* 183 D.

II PETRI.

II, 7, 8. Lot... aspectu... et auditu justus erat, 216 B', 274 A.

JUDÆ.

14. Prophetavit... de his septimus ab Adam Enoch, etc. 143 B'.

APOCALYPSIS.

V, 5. Vicit leo de tribu Juda, 442 C.
XI, 3. Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt, 143 A'.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON, fuit triennio major Moyse, 485 A. — Propter vocem « tubalem » et eloquentiam, 507 A', 513 A', datur Moysi in adjutorem et præconem, 508 C', 509 B'. — Quo sensu dicatur propheta Moysis, 526 B'. — Utrum vere propheta, 527 B. — Cur ipse et non Moyses verterit virgam in colubrum, 527 C'. — Mystice, quid significet, 514 B', 518 B.

ABEL, ubi genitus, 121 C'. — Cur sic vocatus, 122 D. — Ejus indoles, et cur elegerit artem pastoralem, 122 C'. — Quo signo Deus ostenderit se accepisse munera ejus, 124 B. — Quomodo a Cain occisus, 125 C'. — Triplicis meriti fuisse creditur, 126 C. — Quo sensu dicatur sacerdos, et primus sacerdos, 126 D. — Vox sanguinis Abel, quid, 127 A. — Allegorice, figura plebis gentilis, 137 C, et Christi, 141 A'.

ABIMELECH, rex Geraræ. Propter Saræ raptum, 277 C', a Domino correptus est, 278 A. — Qualiter benefecerit Abrahæ et Saræ, 280 B. — Quantum vixerit, 312 D'. — Fœdus ejus cum Isaac, 316 A. — Mystice, quid significet, 280 D', 318 A.

ABRAHAM, prius Abram. In Chaldæa natus, 206 C, ex igne salvatus perhibetur, 201 B', 205 C. — De Abræ vocatione : Quando et quoties jussus exire de terra sua, 205 D. Utrum egrediens propositum revertendi in Chaldæam habuerit, 205 C'. — De migratione ejus in Ægyptum : Num diffisus sit de promissione divina, timendo mortem ab Ægyptiis, 209 C. An mentitus sit, dicendo Saram esse sororem suam, 209 D'. Utrum sic exponere uxorem periculo adulterii potuerit, 210 B. Quæ docuerit Ægyptios, 211 D. — Qua via reversus de Ægypto, 215 C. — A nepote suo Lot discedit, 215 D, et promissionem a Deo accipit progeniei prope infinitæ, 217 A, 225 B'. — Confœderatos Sennaar percutit, 220 A. — Quo sensu Deo sit conquestus se filium non habere, 224 C. — Utrum et quando Abræ et semini ejus promissa sit gloria æterna, 225 B', et quando exsultaverit, videns diem Domini, 226 A. — Abræ fides, quomodo reputata ei ad justitiam, 226 C. — De Abræ sacrificio : Cur de tribus trium annorum animalibus, 226 C'; et cur dividenda, 227 B. Sopor irruens in Abram, qualis, 227 A'; et quid in eo audierit, 228 B. Signa tunc Abræ ostensa, utrum vere exstiterint, et qualia, 230 D. — Qualiter, absque peccato, potuerit ducere Agar, 236 C.

« Abraham » sortitur nomen; quare, 243 D'. — Quo sensu pactum Dei cum Abraham dicatur sempiternum, 244 C. — Quid observandum in istis promissionibus Dei ad Abraham, 244 B'. — De apparitione Dei in Mambre : Utrum duplex an simplex, 254 A. Utrum in tribus angelis fuerit Verbum æternum, 254 C. Qui fuerint tres viri ad Abraham divertentes, 254 C'. Eis assurgere volens, Abraham prohibetur, 255 D'. Quo sensu dicatur eos adorasse, 256 C'. Cur tres videns, modo singulariter, modo pluraliter eis loquatur, 257 B. — Abrahæ fervor in exercenda hospitalitate, 255 B', 258 C'. — Intercedens pro Sodoma, 262 B, cur non ausus sit infra decem justos descendere, 263 A', B'. — De tentatione Abrahæ : Quam acerba fuerit, 287 B. Mira ejus obedientia, 287 B'. An mentitus sit, dicendo se cum filio reversurum, 288 A. Utrum filium suum crediderit resuscitandum a Deo, 288 D. Qualem obedientiæ remunerationem acceperit, 291 B. Qualiter promeruerit gentibus benedictionem, 291 D. — Quo sensu dicantur gentes in Abraham benedicendæ, 207 C'; et quomodo asserat Deus se benedicturum his qui benedicunt Abrahæ, 207 B'. — Utrum absque simonia emere sepulturam Saræ potuerit, 294 C, C'. — Utrum calluerit astronomiam, 301 B'. — Cur, mortua Sara, aliam

Digitized by Google

duxerit uxorem, 305 C. — Abrahæ sinus, quid sit, 307 C. — Utrum ei revelata sit Christi passio et hominum redemptio, 454 C.

Allegorice, Abraham dupliciter figura Christi, 212 B. — Vocatio ejus, figura Incarnationis, 212 D, et vocationis gentium, 213 A. — Regressio ejus de Ægypto, figura ascensionis Christi, 217 A'. — Tropologice, vocatio ejus, typus vocationis religiosæ, 214 D'.

ABRAHAMIUM, seu locus sepulturæ Patriarcharum, 431 D. *Vide* Mambre.

ABYSSUS, quid, 23 A'. — Facies abyssi, quid, 24 C'. — Quomodo dicantur tenebræ fuisse super faciem abyssi, 25 D. — Sæpe sumitur pro mari, 595 A, vel materia prima, 59 B'.

ACRISIA, quid sit, et unde oriatur, 269 A', 489 B'.

ADAM. Quid significet hoc nomen, 141 D'. — De ejus creatione : Ubi plasmatus, 78 B, 83 A. Quare extra paradisum factus, 73 C, 83 C. An creatus in gratia, 114 D, et cum scientia rerum ac peritia loquendi, 80 B'. — Sine gratia rectus consistere minime potuisset, 114 B'. — An justitia ejus fuerit donum gratiæ gratificantis, 115 C. — Quas virtutes habuerit, 114 C'. — Quid intersit inter immortalitatem ejus et immortalitatem Beatorum, 73 B'. — Eodem die creatus et lapsus quo conceptus est et mortuus Christus, 120 A'. — Quando in paradisum translatus, 120 C ; et quomodo, 78 C. Munus ejus in paradiso, 78 D. — Cur ei bonum non fuerit esse solum, 79 C'. — Sopor ejus, dum crearetur mulier, qualis, 81 C. Cur in soporem datus ut auferretur ab eo costa, 84 A'. Qualem Dei visionem in hoc somno habuerit, 85 B ; et quid tunc ei fuerit revelatum, 85 C. — Utrum costa ablata, fuerit in eo superabundans, 85 D'. — Utrum, ante lapsum, mulieris officium noverit, 106 A'.

Quot præcepta acceperit a Domino, 83 A', 84 A. — Mera etiam peccasset prohibiti pomi concupiscentia, 116 A. — De Adæ lapsu : Cur uxori tentanti consenserit, 97 A'. Utrum elatione peccaverit, 98 C. Qualis fuerit ejus error in peccando, 98 A' ; et quale proprie ejus peccatum, 116 D'. — Qualiter aperti oculi ejus, 98 A'. — Cur a facie Dei se absconderit, 100 A, C. — Quam irrationabilis ejus excusatio, 101 A. — Adæ pœna, 104 A'. — Unde et quare tunicam pelliceam fecerit ei Deus, 107 A. — Utrum diu manserit in paradiso, 120 D. — Post ejectionem suam valde pœnituit, et religiose vixit, 122 A. — Duas uxores eum habuisse falso autumant Judæi, 121 C. — Utrum post occisionem Abel voverit continentiam, 135 D. — Cujus ætatis, cum genuit Seth, 142 C. — Qualiter dicatur generasse ad similitudinem suam, 142 D. — Ubi sepultus, 293 D', 295 B'. — *Vide plura verbo* Homo. — Mystice, Adæ creatio, figura formationis Christi, 88 A. — Ejectio ejus de paradiso, typus et origo excommunicationis et pœnitentiæ solennis, 112 C. — Alias personam Dei Patris sustinet, 141 B.

ADJURARE aliquem, utrum liceat, 296 D. — Vetus jurandi ritus, manum ponere subter femur adjurantis, unde, 296 A, 430 B.

ADONAI, quid significet, 520 D'. — Qualiter Deus dicatur illud nomen Abrahæ, Isaac et Jacob non revelasse, 520 A'.

ADULTERIUM, quantum abhorruerint gentiles Palæstini, 314 B'. — Utrum ab Ægyptiis gravius homicidio reputatum, 209 A'. — Num quandoque concessum a Deo, 338 D. — Thamar utrum cum Juda commiserit adulterium, et ob hoc meruerit morte puniri, 388 A.

ÆGYPTII, cur nefas censerent cum Hebræis comedere, 411 D. — Cur odissent pastores, 424 D', et Hebræos, 478 A. — Ægyptiorum mos in tractandis mortuis, 466 C. — Ægyptii habitantes in terra Gessen, utrum immunes a plagis, 537 D. — Ægyptiorum abominationes, quæ fuerint, 542 A'. — Mystice, quid Ægyptii, 214 C. ; et qualiter eorum abominationes Deo immolandæ, 544 B.

ÆGYPTUS, quare vocata Mesraim, 193 C'. — A Nilo pendet ejus fertilitas vel sterilitas, 398 B'. — Sterilitatis ejus per septem annos quæ fuerit causa, 419 C'. — Quomodo in ea etiamtum pascua inveniri potuerint, 426 B'. — Mystice, typus gentilitatis, 214 B. — *Adde* Plagæ Ægypti.

AGAR, quæ fuerit, 235 C'. — Superbia ejus et contentio cum Sara, 237 A. — Agar fugienti occurrit angelus, ubi, 237 B', 240 D'. — Utrum angelus ille jam notus Agar, tanquam domus Abrahæ custos, 240 A'. — Cur dicatur Agar vidisse posteriora ejus, 239 D'. — Quanta posteritas Agar, 238 B. — Cur ejecta demum de domo Abrahæ, 282 B. — An eadem ac Cetura, 306 A. — Mystice, figura Synagogæ, 241 B.

AGNUS paschalis, qualis, 561 C. — Cur ab unoquoque patrumfamilias accipiendus, 573 C' ; et per quatuor dies asservandus, 562 D'. — Cur comedendus assus igni, 563 D ; cum azymis panibus et lactucis agrestibus, 563 A' ;

Digitized by Google

renibus accinctis, et festinanter, 564B. — Cur sanguine ejus liniendi postes, 564B'; et qualiter, 566B'. — Mystice, figura est Christi, 574C. — Quo ritu sumendus Agnus mysticus, 574C'; et a quibus, 577B.

AGRICULTURA, an reprobata a Deo, 122D.

ALEXANDER Magnus, per mare Pamphylicum divisum transiit, 591A.

ALIENIGENA a manducatione Paschæ arcendus, 570A. — Qua conditione demum admittendus, 570A'.

AMALECITÆ, unde orti, 374A', 624A'. — Infesti Hebræis in Raphidim, 624A, fugantur prece Moysis, 625D. — Quomodo ultus sit Deus de Amalec, 625D'. — Quo sensu memoria ejus delenda de terra, 626A. — Amalec, quid mystice, 627B'.

AMBROSIUS (S.) episcopus, obdormiens Mediolani, sepulturæ S. Martini Turonensis interfuit, 532D', 533A.

AMBULARE coram Deo et esse perfectum, quid sit, 243C, 252D. — Utrum differant, ambulare coram Deo et sequi Deum, 252A'.

AMMON, unde ortus, et cur sic dictus, 275C'. — Mystice, figura hæreticorum, 277A'.

AMOR eros, intensissimus et pessimus, 364C.

AMRAM, pater Moysis, 485B; quid significet, 525D'. — Qualiter ei prænuntiatus sit filius, 485D. — Quam Deo gratus, 495D'.

AMRAPHEL, rex Sennaar, utrum idem ac Nemrod, 218A.

ANDREAS (Perusinus), Scripturæ expositor, 161C, 408B, 617B, 623A.

ANGELI, quando creati, 65A'. Ubi inveniatur descripta a Moyse eorum creatio, 58D, 65B'. An creati in gratia, 65D. — De natura eorum : Utrum sint materiales, 265C'. Qualiter assumant corpora in quibus apparent, 266D; et in corporibus assumptis manducare et bibere videantur, 266A'. Quomodo uniantur corporibus assumptis, 266C'. Quo sensu dicantur esse et agere in loco, 573B. — Quid possint in materiam, 71A', 530B, et qualia valeant perpetrare miracula, 530C. — Virtutem causarum naturalium multum augere valent, 531C'. — De angelorum illustratione : Quælibet eorum cognitio dies dicitur, 56B'; et duplex est : matutina, sive rerum in Deo ; vespertina, sive rerum in ipsis, 56C, 56D'. — Angelorum nomina quæ sint, 358B'; et cur ea scire homo nequeat, 358A'. — De eorum missione : Uni provinciæ non præest nisi unus angelus, 354D. Utrum aliquando mittantur ad nocendum hominibus, 267C, 571A. Interdum per bonos angelos Dominus justos exercet, 572B'. Modo bonis, modo malis angelis utitur ad correptionem impiorum, 572A'. — Utrum unus angelus, sive bonus, sive malus, universos Ægypti primogenitos simul occidere valuerit, 570D', 573B. — Quomodo angeli nostri nos ab hostibus tueantur, 592A'. — Unicuique angelus malus ad exercitationem datur, 605B'.

Angelorum diversa agendi ratio erga Abraham et Lot, 256B, 258C. — Qui fuerint angeli ad Abraham missi, 256A'; et angeli occurrentes Jacob, 354D. — Angelus luctans cum Jacob non fuit angelus Esau, 359A'. Quis fuerit, 356C'. Cur cum eo sit luctatus, 356D'; et qualiter, 357B. Quo sensu dicatur eum non potuisse superare, 357C; et cur femur ejus percusserit, 357A'. — Angeli ascendentes et descendentes in scala Jacob, quid significent, 329C', 332A. — Cujus angeli super nepotes suos auxilium invocaverit Jacob, 434B. — Angelus occurrens Moysi, cur voluerit eum occidere, 511D', 512C'.

ANIMA Adæ, probabilius cum corpore creata, 71B'; corpori tamen jam organizato infusa, 71C'. Cur dicta flatus et spiraculum vitæ, 71C. — Anima rationalis, utrum e semine veniat, 225B. — Ejus immortalitatem sufficienter insinuat Moyses, 229D, licet quandoque dicat eam interfici, 381C'. — Animæ, post lapsum, quatuor vulnera, 177B.

Anima fidelis, pacem et concordiam diligere debet, 217B'; sperare in Domino, 231D; zelo ardere erga spirituale bonum aliorum, 231C'. — Quo pacto ad apostolatus gratiam ascendere valeat, 232C. — In hac vita varie a Deo exerceri solet, 232B'. — De mystico animæ cum Domino convivio, 264B'. — Qualiter mereatur præservari a peccato, 278B'. — Quomodo se gerere debeat in tentatione, 292A. — Summo zelo custodiæ fidei, spei et caritatis studeat, 360B. — Animæ vestimenta, quæ, 372B. — Diligentis examinis consuetudine multum proficit, 372C. — Sollicite meminisse debet beneficiorum Dei, 584D; gratam se præbere Domino, 574B; et contemnere mundum, 519B'. — Quomodo in hoc mundo ambulet per siccum, 604A'.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

ANIMALIA, qualiter adducta sint ad Adam, 80B. — Cur ea voluerit Deus ab Adam nomen sortiri, 80D. — Utrum universa et singula

Digitized by Google

Adæ præsentata, 80D'. — Animalia venenosa, ante peccatum non erant noxia, 49C', 54B'; sed multiplici de causa postea nocuerunt, 50A. — Carnivoris quænam fuerit esca ante peccatum, 54B, A', et in arca, 161A. — Utrum prolificaverint in arca, 161D. — Quæ, tempore Noe, reputata sint munda vel immunda, 167D'; et cur de mundis multo plura reservata, 168A. — Propter hominem juste puniuntur, 102B. — Cur Deus brutis animantibus locutus perhibeatur, 102A'.

ANNUS diversimode incipitur, 560B. — Peculiaris anni computatio, cur Hebræis imposita, 560B'. — Annus jubilæi, minime a liberatione Lot originem habet, 221D.

ANTICHRISTUS, de qua tribu oriundus; et quo sensu dicatur coluber et cerastes, 447D'.

ANTIPODES homines, an sint, 200C.

APELLES hæresiarcha. Ejus objectiones circa diluvii historiam refelluntur, 158A.

APOLLINARIS hæresiarchæ error de anima, 225B.

APPONI ad populum suum, quid sit, 458A. — Cur ante Abraham nullus sanctorum legatur appositus ad populum suum, 459A. — Angelis apponi, quid sit, 458D'.

AQUA, creatura Dei optima, plura significat, 23D'. — Aquæ super firmamentum, quæ, 31A'. — Utrum aquæ maris, in aliquibus locis, altiores sint quam terra, 36B'. — Qua virtute aves et pisces produxerit, 44D'. — Aquæ, quid mystice significent, 179B, 180C. — Aqua a maledictione terræ immunis, ideo ad abluenda peccata electa, 105D'.

ARABES auctores. Albategni, Albumasar, 146C'. — Alfraganus, 42A', 146C'. — Alkindus, 44C', 147A'. — Averroes, 18B', 19A, C', 41A, 65C, 171A', 318A'.—Avicebron, 21A', 265C'. — Avicenna, 16A', 18C', 44C', 171A.

ARAN, frater Abram, qua morte obierit, 201B'.

ARBOR. *Vide verbo* Lignum.

ARCA Noe describitur, 155A. — Variarum in arca mansionum dispositio, 155D'. — Ubi posita janua, 156D, 159B'. — Quibus cubitis usus sit Moyses in descriptione arcæ, 158B'. — De figura arcæ, 159C, 165B'. — Facile potuit a Noe compingi, 158C'. — Cur per arcam salvare voluerit Deus animalia, 159A. — Quomodo potuerit Noe congregare animalia in arcam, 162A, 168C'. — Quo numero introducta sint, 166C. — Minutæ bestiolæ, quot fuerint in arca, 161A'. — Qualiter cibus et potus eis ministrari potuerint, 161D'. — Quantum intraverit arca aquas diluvii, 177B'. — Ubi requieverit, 174B. — Arcæ dimensiones comparantur corpori humano, 165C. Mensurarum arcæ mystica explicatio, 165D'. — Arcæ mysticæ, id est Ecclesiæ, 163B, quæ mansiones, 163B'; longitudo, 164A; latitudo, 164B; altitudo, 164C; fenestra, 164C; ostium, 164D. — Tropologice, quid sit arca, 166A.

ARIES ab Abraham immolatus, unde sumptus, 290C'. — Quid mystice significet, 293A.

ARISTOTELES, tria omnium increata principia posuisse dicitur, 64C. — Utrum creationem orbis admiserit, 65C. — Liber de Proprietatibus elementorum ei adscribitur, 46C.

ARNON torrens. Scopuli Arnon viam dederunt filiis Israel, 455B.

ASER, filius Liæ, cur sic vocatus, 339B; et quam benedictionem sortitus a patre, 448A'.—Mystice, designat Christum cibum animæ, 463C.

ASSUR, a Nemrod expulsus, 194D, plures urbes ædificavit, 194B'.

AUGURIUM. Ars augurandi quotuplex et quando licita, 415B'. — An veraciter dixerit Joseph, non esse similem sibi in augurandi scientia, 414B', 415D.

AUGUSTINUS (S.), quid senserit de LXX translatione, 6A. — Utrum in hoc præferendus B. Hieronymo, 7B, 8A. — Peculiaris ejus sententia circa cap. I Geneseos, qua per sex dies intellexit sex incrementa in cognitione angelica, 56B; vel sex gradus lucis corporalis, 57B. — Utrum universa distincte et simul in instanti facta crediderit, 57A'; saltem ea quæ per causas secundas produci non valent, 57C'. — Totius Augustini doctrinæ circa ordinem creationis expositio, 59D; et quid de ea sentiendum, 60B'.

AVERROES. *Vide* Arabes auctores.

AVES, cur dicantur nunc ex aqua, 45B, nunc ex humo formatæ, 80A. — Utrum distinxerit Noe inter aves mundas et immundas, 166C'. — Cur in sacrificio Abrahæ non divisæ, 227B. — Allegorice, figurant contemplativos, 63B. — *Cf.* Dies : Opus diei 5ⁱ.

AZYMA, cur in Paschate præcepta, 563A', et quid mystice, 574C'. — Azymorum dies, qui, 565A'; et quo ritu colendi, 565C'.

B

BABEL, quid significet, 198D'. — Turris Babel ædificatio, 197D, et altitudo, 200A'. Divinitus impeditur ejus constructio, 198C'.

Digitized by Google

Mystice, est turris superbiæ, 203 B, et ecclesia reproborum, 203 A'.

BALA, an vere fuerit uxor Jacob, 338 D. — Ejus filii, 338 B'. — A Ruben incestata, 370 C. — Utrum cum Jacob descenderit in Ægyptum, 423 D'. — Mystice, carnem infirmam significat, 347 D.

BALAAM, qui in libro Job dicitur Eliu, primo propheta, deinde divinus, unde ortus, 291 C'.

BATHUEL, quis fuerit, pater an frater Rebeccæ, 298 D, 299 D'.

BDELLIUM, arbor aromatica, 77 D. — Mystice, designat dolorem contritionis, 89 A'.

BENEDICTIO Dei, quid sit, 127 B'. — Cur impertita avibus et piscibus legatur, 47 C'; animantibus terræ non item, 49 C. — Benedictionis varia genera, 207 A'. — Benedictio Jacob ab angelo, qualis, 358 C'. — Quo sensu vocentur benedictiones, vaticinia Jacob in Ruben, Simeon et Levi, 456 A', 457 A.

BENJAMIN, filius Rachel, prius a matre Benoni, dein a patre Benjamin vocatus, 369 A'. — Utrum natus post venditionem Joseph, 380 A'. — Singulariter dilectus a patre, 417 A. — Cur fratres ei non inviderint, 417 A'. — Quare cum præ ceteris honorare Joseph voluerit, 411 B', et postmodum affligere, 413 C. — In sacco ejus scyphus Joseph absconditur, 412 D', et invenitur, 414 B. — Quo sensu, in benedictione Jacob, vocetur lupus rapax, 455 D'. — Mystice, designat Christum, Dei Filium, 465 C, et zelatorem, 465 A'; et apostolum Paulum, 412 C', 373 A', 455 B'.

BERNARDUS (S.), quomodo excitaverit absens Fratres in choro, 533 A.

BERSABEE, quid significet, 284 D. — Hujus vocis variæ etymologiæ, 316 D. — Mystice, puteus Bersabee est fons baptismatis, 285 D'.

BESTIÆ, quæ proprie vocentur, 49 A. — Quomodo, post diluvium, ad insulas transire potuerint, 199 C. — Cur occidenda bestia quæ tetigisset Sinai, 639 D. — Quid mystice, 63 A'.

BETHEL civitas, sive Luza, ubi sita, 331 B. — Dicitur domus Dei et porta cœli, 330 C'. — Abraham tendens tabernaculum inter Hai et Bethel, quid mystice, 213 D'.

BETHLEHEM, cur prius Ephrata, postmodum Bethlehem dicta, 369 B'. — Mystice, vitam monasticam significat, 372 C'.

C

CAIN, extra paradisum genitus, 121 C'. — Ejus nativitas et nomen, 122 B, et vivendi ratio, 122 D'. — Sacrificium ejus, quale, 123 B; et quo signo a Domino reprobatum, 124 C. — Cain in occisione fratris astutia, 125 A', et impudentia, 126 B'. — Cain septem peccata, 129 D. — Quotuplici modo maledictus coram Deo et hominibus, 127 A'. — In tribus gravius quam Adam maledicitur, 129 D'. — Cain desperatio; quid de ea sentiendum, 128 C, 127 C'. — Quale signum impositum ei, 131 B'. — Mors ejus, quomodo et cur septies vindicanda, 129 B. — Ubi demoratus sit post maledictionem suam, 131 D'. — Utrum reapse interfectus sit a Lamech, 130 D, 131 C; an perierit in diluvio, 130 A', 131 D. — Cain indoles, scelera, et inventa, 132 A'. — Mystice, typus est Judaicæ plebis, 137 A, 141 A'.

CAINITÆ, utrum fuerint idololatræ, 133 D', 136 C. — Mechanicis artibus studuerunt, 132 C'; et pessimi facti sunt, 150 A.

CALCEAMENTA solvere debet instar Moysis, 495 C', quicumque ad Deum vult accedere, 502 C'.

CANTICA in gratiarum actionem, sanctis viris olim consueta, 593 A. — Canticum Moysis post transitum maris Rubri, 593 C; quomodo decantatum a filiis Israel, 599 A', 606 A'.

CARO, qualiter corruperit viam suam, 154 D. — Carnis esus, in statu innocentiæ, nullus fuisset, 54 D. — Primo Noe concessus est, 183 B'; quare, 184 B. — Carnem comedere cum sanguine, quid sit, 183 D'. Cur vetitum olim, 184 D. An adhuc prohibitum, 184 C; et quid mystice significet, 190 C'.

CATARACTÆ cœli, id est meatus nubium, 169 D. — Quid mystice, 179 A'.

CECROPS Ægyptius, propter afflictionem patriæ, tempore Moysis, migravit in Græciam, 557 C'.

CETE, pisces ingentes, 46 A'. — De femina ceti stulta Hebræorum fabula, 46 D'. — Mystice quid, 63 C.

CETURA, uxor Abrahæ, an eadem quæ Agar, 306 A, 382 A. — Filii ejus in Arabia consedisse dicuntur, 306 B'. — Mystice, per filios Ceturæ designantur hæretici, 305 C'.

CHAM, filius Noe. Ejus peccatum, 187 D', 188 C', et maledictio, 188 B. — Generationes Cham, 193 C'. — In partitione mundi, Africam obtinuit, 196 B. — Quamdiu vixerit et quæ sint

Digitized by Google

ejus inventa, 196 A'. — Mystice, typus est hæreticorum, 191 D, et Judaici populi, 192 A.

CHANAAN, filius Cham, cur maledictus propter patrem, 188 B ; et qualis ista maledictio, 188 A'. — Quot filii ejus, 195 B ; et quæ possessio eorum, 195 C. — Mystice, habitatores Chanaan sunt luxuriosi, 603 B'.

CHERUBIM, ad custodiam paradisi deputatus, et gladius ejus, quid, 108 C.

CHORUS, instrumentum musicum, describitur, 606 C.

CHRISTUS, qualiter figuratus sit per Patriarchas : 1° Per Adam, 90 A, 137 A, etc. — 2° Per Noe, 162 B, 171 C, etc. Caput et fundamentum Ecclesiæ, 163 C, præ omnibus inventus est justus, 171 D ; et Patris iram mitigavit, 181 D, D'. Haud immerito dicitur agricola, 191 B'. — 3° Per Abraham, 212 B, 217 A', etc. Plenissime benedictus, 213 C, confortatus, 233 B, et remuneratus est a Patre, 233 D. Recte dicitur Abram et Abraham, 251 C ; et centenarius, 251 D'. — 4° Per Isaac, 284 C', 292 C, B', etc. Nascendo risum fecit omnibus, 284 C'. Eum expellere conati sunt impii, obturando puteos Patris ejus, id est Libros V. T., 317 C' ; pro quibus alios fodit, id est Libros N. T. et scripta doctorum, 318 B, C'. — 5° Per Joseph, 384 B, etc. Genitus in senectute Patris, 384 A', a fratribus traditus est, 385 A' ; et emptus a gentilitate, 392 C. Multiplex et omnimoda pulchritudo ejus, 393 D. — 6° Per Judam : Ut catulus leonis ascendit ad prædam, 441 A' ; requievit ut leo, 442 A, A' ; et est exspectatio gentium, 443 B. Oculi Christi, 445 D', et dentes Christi, qui, 446 A. — 7° Per Moysen : A Synagoga quæsitus ad mortem, adoptatus est a gentilitate, 491 B. Defendit et potat universas Ecclesias, 493 A.

Christus mirabiliter magnificatur a Patre, 599 D. — Dicitur dextera Dei, 601 D ; et gloria Dei, 601 B'.

CHRYSOSTOMUS (S.), qualiter exponat primum Geneseos versum, 20 B'.

CIRCUMCISIO. Ejus institutio, 245 A ; ritus, 245 B ; obligatio, 245 D ; causa, 247 B ; utilitas, 247 C ; significatio, 247 B'. — Cur ante legem data, 247 C' ; et potissimum tempore Abrahæ, 248 A. — Cujus efficaciæ in his qui jam deleverant originale, 248 B. — Cur non omnibus hominibus data, 248 C. — Quid de feminis, 248 A'. — An circumstantia octavæ diei fuerit de necessitate circumcisionis, 248 C' ; et cur apposita, 248 D'. — Quid sentiendum de parvulis ante octavam diem defunctis, 249 B ; et an, necessitate cogente, licuerit octavam diem anticipare, 249 C. — In circumcisione nomen imponebatur, 249 D. — Juste reprobatur puer incircumcisus, licet innocens, 245 D, 250 C. — Utrum morte plectendus qui circumcisionem neglexerat, 250 A'. — Quonam instrumento fieri solita, 512 D'.

Circumcisio spiritualis, quæ, et quantum animæ fideli necessaria, 253 C. — Circumcisionis genus triplex, 253 D'.

CIVITAS impiorum, quid sit et quomodo constituatur, 203 A'. — Recte vocatur Babel, 204 A.

CLEMENS (S.). *Vide* Itinerarium.

COELUM. Hujus vocis etymologia, 31 D'. — In primo versu Geneseos, quid significet juxta Augustinum, 17 B ; juxta Chrysostomum, 20 B' ; juxta alios, 17 D'. — Cœlum empyreum, seu locus Beatorum, 18 C, unde dictum, 18 D'. — Cœlum crystallinum, an de natura aquæ, 32 A', 33 B.

Cœlestia corpora, an materia et forma composita, 18 B', 19 C'. — An de natura elementorum, 32 D, 33 C. — Peculiaris de hoc Aristotelis sententia, 33 C'. — Mystice, per cœlum signantur angeli sancti, 60 C.

COLLES, sæpe in Scripturis imperfectos significant, 451 A'. — Quare filii Jacob dicantur colles æterni, 451 B'. — Colles desideraverunt adventum filiorum Israel, 455 B.

COLUMBA, semel et iterum ad Noe reversa, 175 B ; mystice, prædicatores et contemplativos significat, 180 A.

COLUMNA nubis et ignis deducens Israel per desertum, utrum simplex an duplex, 583 D'. — Interposita, salvavit Hebræos ab Ægyptiorum incursu, 588 D.

COMEDERE coram Domino, quid sit, 631 C. — Sic oportet nos manducare et bibere, 634 A.

COMMENTATOR. Ita cognominatur Averroes, 18 B'. *Vide* Arabes auctores.

CONCUBINA, quæ vocetur in Scripturis, 236 B', 307 A. — Quæ fuerint concubinæ Abrahæ, 306 D'.

CONTEMPLATIO. Vita contemplativa figuratur per Isaac, 317 B, et Rachel, 336 D.

Contemplativa anima quomodo corpore suo uti debeat ad conversionem aliorum, 347 B. — Qualiter possit in aliis virtutum varietatem imprimere, 348 C ; et de conversorum a se bonis ditescat, 348 C'. — Quo-

Digitized by Google

modo in solitudine consequi possit beneficia Dei, 360 A'. — A sæcularium conversatione cavere debet, 317 C. — Animæ contemplativæ ordinate ad exteriora accedenti, fideliter subvenit Deus, 425 A'.

CONTRACTUS. Ritus contrahentium antiquus, 230 C', sedulo a Deo observatus cum Abraham, 230 D'.

COR, quid significet, 258 A, 546 C'. — Cor Christi, torrens aquæ vivæ, unde hauserunt Apostoli doctrinam salutis, 318 C.

CORVUS, utrum in arcam redierit, 174 C'. — Moraliter, sæculares significat, 179 D'.

COTURNIX, quid sit, 613 D'. — Prima vice data Hebræis, 613 C'. — Quid mystice, 621 B.

CREATIO, an facta in tempore, 28 A'. — An incepta a tenebris, 27 D', 29 B. — An inter creationem et distinctionem elementorum fuerit aliqua mora, 27 D'. — *Adde* Dies.

CREATURA. Quomodo creaturarum scientia dicatur vesperascere et lucescere, 58 B; et in ea septem creationis dies reperire sit, 58 C. — Creatura intellectualis, etiam integra, sibi relicta, semper prona est ad malum, 181 B'.

CRUX, per manus Jacob cancellatas figurata, 436 D', et per lignum Moysis in Mara, 609 D', Judæis in scandalum versa est, 436 D', nobis in dulcedinem, 609 D'.

CURIOSITAS, animæ valde nociva, sedulo reprimenda est, 367 B'. — *Vide* Dina.

CURRUS Dei, et Pharaonis, quid, 601 B.

CYNOMYIA, quid sit, 541 D'.

D

DÆMONES et Diabolus. Quosdam concupiscentiæ motus valent in homine excitare, 113 C. — Quid possint in materiam, 530 B; et quænam efficiant miracula, 530 D. — An reapse converterint virgas magorum in serpentes, 530 D'. — Eorum celeritas in producendis corporibus, 531 C; et potentia in augenda naturalium causarum virtute, 531 C'. — An tantum valeant in minuta quantum in magna corpora, 540 D. — Invidia præcipue motus est diabolus ad tentandum hominem, 91 D'. — Cur Adam et Christus tentati visibiliter, 92 C; et a quo dæmonum, 92 D. — Multiplex diaboli, sub nomine serpentis, damnatio, 103 B; et cum gloriosa Virgine contentio, 103 C'. — Homines decipiendo damnationis meretur augmentum, 111 D. — Diaboli fraudes in tentationibus, 109 B'. — Dæmonum insidiæ in Ecclesiam, et qualiter refrenentur a Deo, 214 C, C'.

DAMASCUS, servus Abrahæ, conditor urbis Damasci, 225 A; præfigurat Moysen dispensatorem Dei, 233 C'.

DAN, filius Balæ, cur sic dictus, 338 B'. — Quo sensu, in benedictione a patre impertita, 447 C, coluber et cerastes vocetur, 447 A'. — Mystice, Christum Judicem significat, 462 D'.

Tribus Dan minima fuit dignitate, 447 D; prima ad idololatriam declinavit, 447 A'; et ex ea oriturus creditur Antichristus, 447 D'.

DEBORA, nutrix Rebeccæ, sequitur eam in Palæstinam, 300 D'. — In domo Jacob moritur, et sepelitur in Bethel, 368 B'. — Docet nos caritatem et humilitatem, 372 A'.

DESIDERIUS episcopus, ad cujus instantiam Hieronymus translationem fecit Pentateuchi, 8 C. — Epistola Hieronymi ad ipsum, 8 et seq.

DEUS, utrum ignorari possit, 515 C. — Nomen ejus proprium est : ESSE, 498 B'; magis proprium quam DEUS, 499 B; et ante Moysen prorsus ignotum, 500 B. — Quid significent alia nomina Dei : ADONAI, 520 A', ELI vel ELOI, 520 B', et JEHOVAH, 521 C. — Nomen Dei tetragrammaton, quomodo Moysi revelatum, 521 D; et quanto apud Judæos in honore habitum, 521 C, 522 B'. Mira hujus nominis efficacia, juxta Hebræos, 583 D. — Nomen OMNIPOTENS multipliciter Deo convenire ostenditur, 594 C'. — Personarum pluralitatem in Deo satis expresse docet Moyses, 50 A', 65 D'. An quibusdam philosophis innotuerit hæc pluralitas, 539 D'. — Ante Christi adventum, nulla trium Personarum visibiliter apparuisse legitur, 255 C. — Quid sit intelligendum per dexteram Dei, 595 C, 601 D; gloriam Dei, 595 B', 601 B'; posteriora Dei, 240 C, 242 C'. — Quo sensu dicatur esse in loco, 330 D, et qualiter ad eum dicantur levari manus, 549 B. — Quorumdam, dum viverent, non dedignatus est vocari Deus, 352 C'; potissimum Abrahæ, Isaac et Jacob, 434 D, 496 B.

Qualiter æterno Deo conveniant verba temporis præteriti vel futuri, 499 C'. — Cur ei tribuantur tristitia, pœnitudo et alia hujusmodi, 153 B. Quo sensu dicatur : pœnitere, 152 B'; recordari, 173 C, 178 C; tentare, 286 A, 608 D; perdere justum cum impiis, 262 B; decipere vel indurare aliquem, 511 B; exaltasse Pharaonem ad ostendendam fortitudinem suam, 547 B; fabricasse cæcum et sur-

Digitized by Google

dum, 507B'. — Cur Adæ tentationem et similia permiserit, 113D. — Quo fine actus injustos permittat vel causet, 419B; et isti qualiter concurrant ad executionem voluntatis ejus, 547B'.— Quo sensu dicatur non habere similem, 596B'; et regnaturus in æternum et ultra, 599A. — Diversimode protector est animæ, 224A, et peccatoribus vicem rependit, 266C'. — Quantum apud eum valeat consideratio justi, 267A. — Patientiæ Dei varii effectus, 538B'.

Qua forma apparuerit protoparentibus, 100A'; regi Abimelech, 278D; Moysi in Horeb, 494C. — Cur in nube, Moysi in Sinai, 638B; et in igne caliginoso, Hebræïs, 640D'. — Quomodo, loquens hominibus, vocem emittat, 495B. — Quomodo locutus sit Adæ, 84C; Cain, 125B; Moysi, 495A. — Qua forma, ubi et quando locutus ad Abraham, 204C. — Quo sensu legatur deambulasse in horto, 99C'; descendisse ad videndum turrim Babel, 197C', et scelera Sodomitarum, 261A'.

« Dii » vocantur interdum, in Scripturis, prælati et judices, 362C. — Mystice, deos alienos abjicere, quid sit, 372A.

DIABOLUS. *Vide* Dæmon.

DIES, variis modis intelligitur, 27A, 141C, et computatur, 29A. — Quid metaphorice, 56C'; et mystice, 61A'. — Pleni dierum, qui dicantur, 307B. — Cur non uno die Deus condiderit universa, 63D. — Sex dierum opera, utrum facta distincte simul, 16B; an per intervalla dierum, 17C'. — Quænam in his verior sententia, 21A; et quales dies Mosaici, 27C.

Diei primæ opus. Distinctio lucis a tenebris. — Quomodo lux creata sit, 26B'; et divisa a tenebris, 26C'. — Lux ista, juxta quosdam, fuit nubes splendida, 27D, de qua quid sit factum, non constat, 29D, 43B'; juxta alios, fuit natura angelica formata, 27B'. — Cur a luce inceptum distinctionis opus, 28B'; et an inter creationem et distinctionem istam intercesserit mora, 27D'. — Quo potissimum modo tribus primis diebus operata sit distinctio diei ac noctis, 29A'.

Diei secundæ opus. Distinctio cœlestium. —Firmamentum, seu cœlum stellatum, 30D', quo sensu dicatur factum secunda die, 31A. —Sphæra octava, cur dicta firmamentum et cœlum, 31C'; et quomodo dividat aquas ab aquis, 31A', 32A. — Cur aquas posuerit Deus super firmamentum, 34C. — Cur opus secundæ diei non legatur laudatum a Deo, 34A', 37C. — *Vide* Cœlum.

Diei tertiæ opus. Distinctio terrestrium. — Congregatis in unum aquis, 35D, cur arida, vocata sit terra, 35B', et congregatio aquarum, maria, 35C'. — Plantarum creatio : lignum pomiferum, quid, 37D. — Per aquarum congregationem et virentium creationem ablata est duplex terræ informitas, 37C'. — Utrum immediate an mediate a Deo facta sint virentia, 38A. — In quo, juxta quosdam, tertiæ diei opus consistat, 38C'. — Quid retineat aquas in concavitate terræ, 39C. — Plantæ venenosæ, an tertia die factæ, 54A'. — Germinantia terræ, quid mystice, 62B', 87D. — *Vide* Aqua.

Diei quartæ opus. Ornatus cœli. — Quo sensu dicantur stellæ quarta die factæ, 40A'. — Quomodo astra dividant noctem ac diem, 41B; et quam sapienter inducta sit lucis et tenebrarum successio, 41C. — Astra temporum variationes suo adspectu significant, 41D; et suo motu causant, 41B'. — Sol et luna, quamobrem vocentur luminaria magna, 42B. Utrum creata æqualia, 42A'. An animata, 42B'. — Stellæ, utrum moveantur in cœlo, 43B; et præsint diei ac nocti, 43D. — Multiplex siderum influentia in elementis et mixtis, 44C; quin tamen in liberum arbitrium influere valeant, 44B'. — Luminaria cœli, quid mystice, 62D'. — *Conf.* Luna, Sol, Stellæ.

Diei quintæ opus. Ornatus aeris et aquæ. — Avium et piscium creatio, quoad corpus, 45A, et quoad animam, 45B'. — Cur ex aqua facti dicantur utrique, 45B, quum ex quatuor elementis constare debeant animalium corpora, 45C; et cur aves in aqua non remanserint, 45D. — Reptilium diversa genera, 46C. — Utrum passive an active cooperata sint elementa ad productionem animalium, 47A'. — Anima piscium et avium, cur dicta vivens et motabilis, 48B. — Aqua et aer, cur simul ornata animantibus, 48A'. — Aves et pisces, quid mystice, 63B. — *Vide* Aves, Pisces, Reptilia.

Diei sextæ opus.— Animalium terrestrium genus triplex, 48C'. — Bestiolarum varia genera, 49A'; quando creata, 49B'. — Multiplex creaturarum utilitas, 49C'. — Cur major varietas in animantibus terræ quam in avibus et piscibus, 50B. — Animalia omnia propter hominem facta, 50D. — In ordine

Digitized by Google

maxime relucet pulchritudo universi, 55C'. — *Reliqua vide verbo* Homo. *Cf.* Animalia, Bestiæ, Jumenta.

Dies septima. — Quo sensu dicatur Deus perfecisse mundum die septima, 66B'; ab opere suo requievisse, 67C, C', 68D; et diei septimæ benedixisse, 67A'. — Quomodo dies dicatur sanctificatus et benedictus, 68B. — Utrum sanctificatio diei septimæ sit origo requiei Sabbati, 68A'. — Mystice, per diem septimam requies Beatorum intelligitur, 87A, — *Cf.* Sabbatum.

DIGITUS Dei vocatur Spiritus Sanctus, 601D. — Cur inhibuerit magos ne efficerent scinifes, 539C'. — Quid magi confessi sint dicendo : Digitus Dei est hic, 540C'.

DILUVIUM, quando inceperit, 147C, 168D'. — Duplici modo computari possunt CL dies quibus durasse legitur, 170C'. — Quanto aquæ excederint montes, 170A'; et an tunc fuerint montes alti sicut nunc, 170C. — Cur diluvium tantopere cacumina excesserit, 170B. — Naturaliter fieri non potuit, 171A; nec erit amplius, 176D'. — Mystice, figura est baptismatis, 163A'; et ultimæ tribulationis, in fine sæculi, 172B'. — Diluvium particulare fuit in Achaia, tempore Jacob, 340D'.

DINA, quid significet, 340A'. — Dinæ curiositas, 364A; et raptus, 364C. — Mystice, typus est animæ curiosæ, 367A'.

DIONYSIUS Areopagita. Commendatio ejus, 22C. — Quid sentiat de modo creationis, 22A'; de luce primordiali, 22B', 26C, 29A'; de cœlo, 33D; etc.

DIONYSIUS Cartusianus, in pueritia sua greges custodiebat, 333A.

DULIA. Quæ sit virtus, 410D'. — Hujus recensentur exempla, 256C', 294A', 361D, 381B.

E

EBRIETAS, in Scripturis, pro saturitate sæpe accipitur, 412B. — Ebrietas Noe, quid significet, 191D'.

ECCLESIA, varie figurata : 1° Per firmamentum : aquas ab aquis dividit, 61C'; et inconcusse permanet, 62A. — 2° Per Eden : quæ ejus ornamenta, 88D. — 3° Per Evam : e latere Christi educta est, 90A'. — 4° Per arcam Noe : quæ ejus structura, 163B. — 5° Per Saram : recte vocatur Sara et Sarai, 251B'; et soror Christi, 280C'. Quomodo a Deo tractati sint qui eam violare tentaverunt, 280D'. — 6° Per Rebeccam : munificentissime a sponso ornata est, 303B'; et in utero gestat duos populos corrixantes sibi, 312A. — 7° Per Jacob : Synagogæ surripuit primogenita, 326B; et dici valet Domus Dei ac Porta cœli, 332A'. — 8° Per gentem hebraicam : multiplicata est inter gentes, 482B; et a tyrannis vexata, 482A'. — 9° Per filiam Pharaonis : Christum a suis repulsum adoptavit, 491B'. — Etc.

Quomodo facta sit populus Christi peculiaris, 642D.

EDEN, quid sit, 131D'. — Allegorice, significat Ecclesiam, 88D, 140A.

EDOM, multipliciter accipitur, 373D'. — Esau, cur dictus Edom, 310B'. — Mystice, per principes Edom intelliguntur avari, 603A'.

ELIEZER, servus Abrahæ, quomodo agnoverit sponsam Isaac destinatam, 297D. — Utrum peccaverit signum petendo a Deo, 299A. — Figurate, designat Apostolos, 302D.

ELIM, sexta Hebræorum statio in deserto, qualis, 608D'. — Figurat Ecclesiam, 610A'.

ELOHIM, quid significet, et qualiter per hoc verbum pluralitas Personarum in Deo adumbretur, 66A.

ELUCIDARIUM, sive Dialogus de summa totius christianæ theologiæ, 83B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 172, col. 1109.)

ENOCH, utrum mortuus, 143C. — Cur a Deo e terra sublatus, 143B. — Iterum venturus circa mundi finem, 143A'. — Scripsit prophetias, 143B'.

ENOS, quomodo cœperit invocare Dominum, 136C. — An fuerit concivibus suis causa idololatrandi, 136B'. — Mystice, per Enos præsignantur religiosi, 141A.

EPHRAIM, cur sic dictus, 402D. — Quomodo benedictus a Jacob, 433C'; et prælatus Manassæ, 434B', 435C. — Mystice, figura est Ecclesiæ, 436C'.

EPHRATA. *Vide* Bethlehem.

EPHRON Hethæus, an se honeste habuerit erga Abraham, 295A. — Ob sepulcri paterni venditionem, nomen ejus mutatur, 295B.

EQUI Dei, et dæmonis, qui sint, 600A.

ESAU, cur sic dictus, 309A'; et a patre prædilectus, 310D. — Multipliciter peccavit vendendo primogenita sua, 311B. — Quanti ea vendiderit, 311C. — Inconsultum ejus connubium, 316C'. — Dolens, licet imperfecte, de paterna benedictione amissa, 322A', quamdam demum sortitur benedictionem, 323A'.

Digitized by Google

— Multimodis dicitur reprobatus, 325B'. — Revertentem Jacob benigne excipit, 361C'. — Utrum cum Jacob in terra Chanaan habitaverit, 374A. — Mystice, significat iniquos, 312B, et Judaicam plebem, 325D'.

ESDRAS, qui Judæorum libros recuperavit, nonnihil de suo addidisse dicitur, 376C', 525C.

ESTIUS historiographus, 200A. (Apud Eusebium, Præp. Evang. lib. IX, cap. 4.)

EUNUCHI, qui sæpe vocentur, 383D'. — Nullus, nisi eunuchus, fiebat sacerdos Heliopoleos, 401C'. — Quo sensu Putiphar dictus eunuchus, 383B'. — Duorum eunuchorum somnium Joseph interpretatur, 394C'.

EUPHRATES fluvius, paradisum irrigabat, 77B'. — Mystice, designat Evangelium Marci, 89D'.

EVA, cur sic dicta, 106C. — Videtur et ipsa præceptum accepisse, 83B'. — Cur serpentem loquentem non horruerit, 93D. — Evæ triplex tentatio, 95D'. — Quis processus lapsus ejus, 95C. — Utrum reapse dubitaverit de comminatione Dei, 94D, 95B. — Cur serpenti fidem habuerit, 96B. — Evæ peccatum fuit elatio, 96C; et majus Adæ peccato, 116B'. — Quum in ea non permanserit justitia originalis post culpam, 115A', cur de nuditate sua non erubuerit, nisi lapso viro, 116C. — Quomodo facta sit ministra seductionis, 97D. — Ejus duplex punitio, 104A. — *Vide plura verbo* Mulier. — Mystice, Eva repræsentat Ecclesiam, 84C', 90B', et Synagogam, 141B.

EXCUSATIONES peccatorum, semper stultæ, 111A; et nocivæ, 111C.

F

FEMUR, quid significet, 296B; et unde olim mos jurandi, immissa manu subter femur, 296A, 430B'. — Femur Jacob, cur ab angelo percussum, 357B'; et cur femoris nervum non comedant Hebræi, 359A. — Tangere nervum femoris, quid mystice, 360B'.

FIDES, quomodo justificet hominem, 226D. — An et qualiter, ante circumcisionem, valuerit originalem delere noxam in parvulis et adultis, 249A'. — Utrum, præter fidem, aliquid in adultis et feminis requisitum fuerit, 249D'.

FILIÆ hominum. Sic vocantur filiæ Cain, 149C'. — Filiæ Lot, cur de incestu cogitaverint, 274C. Utrum et quantum peccaverint, 274D. Quomodo ex insciente patre concipere potuerint, 274D'. Quid mystice, 277A. — Filia Pharaonis, Moysen salvans ab aquis, 486B', et ab occisione, 487A, multipliciter typus est Ecclesiæ, 491B'. — Filia regis Æthiopum, quomodo Moysen sibi desponsaverit, 487C.

FILII Dei, qui soleant vocari in Scripturis, 148D. — Qui acceperunt filias hominum, non sunt dæmones incubi, 148A'; neque judices et potentes, 149B'; sed filii Seth, 149C'. Quando cœperint in vitia delabi, 149D'; et quo sensu intelligendi sint CXX anni illis ante diluvium præstiti, 150B'. — Filiorum Noe quis primogenitus, 200D'. Quam quisque terræ partem sortitus sit, 196B. Quot gentes ex eis ortæ, 196A.

Filiorum Jacob in Sichimitas dolus, 364C', 365C, injustitia, 365C', et multiplex reatus, 366D. Quomodo tam pauci valuerint urbem subvertere, 366D'. — Eorum invidia et odium in Joseph, 378B'; quem etiam vendunt, 382A'. — Bis descendunt in Ægyptum, 404D, 409A, ubi varie a Joseph probantur, 404D', 412D, etc. Cur procuratori Joseph eos accusanti non restiterint, 413B'. — Filii et nepotes Jacob cum eo Ægyptum ingressi, quot, 423B; et quomodo de numero eorum Moyses cum S. Stephano concordet, 424A. — Cur de arte pastorali commendati, 425A. — In Ægypto filios genuisse non leguntur, 430C. — Corpora sua in Mambre statim post obitum transferri curaverunt, 468D'.

Mystice, per filios Jacob adumbratur Christus, 461C': cibus animarum, zelator, judex, auxiliator, victima et præmium, proficiens et decorus, confessor et victor, doctor, Salvator. *Vide* Aser, Benjamin, Dan, Gad, etc.

FIRMAMENTUM, seu cœlum stellatum, 30D', figura Ecclesiæ, 61C'. *Vide* Dies: Opus diei 2æ.

FLUVII paradisi, qui, 76A'. — Quid mystice, 89A.

FONS irrigans terram a principio, quid, 70B. — Allegorice, Christum significat, 87C'. — Fontes abyssi, quid, 169B. — Mystice, Scribæ et Pharisæi, 179C.

FRAUS, quotuplex, et quando sit vitiosa, 325A'. — Plurima mala ex ea evenire solent, 417C'.

G

GAD, filius Zelphæ, cur sic dictus, 339A. — Quam benedictionem sortitus sit a patre, 448C. — Mystice, significat Christum beatum et auxiliatorem, 463A.

Digitized by Google

GALAAD mons, unde nomen acceperit, 351 B', 353 C. — Quo ritu ibi fœdus inierint Jacob et Laban, 353 B.

GALENUS, de Simplicibus medicamentis, 46 C.

GANGES fluvius; alio nomine dictus Phison, quare, 77 A.

GEHON fluvius, irrigans paradisum, quis, 77 A'. — Mystice, designat Evangelium Matthæi, 89 B'.

GENERI Lot, qui vocentur, 270 D. — Verba ejus contemnentes, perierunt, 270 B', et facti sunt typus incredulorum, 276 B.

GERARA, civitas Palæstinorum, 277 D. — Cur huc declinaverit Abraham, 277 D; et Isaac, 312 C, 313 D.

GERSON, Cancellarius Parisiensis, de Laude scriptorum, 12 A'.

GESSEN terra, ubi sita, 425 A, 427 B. — Immunis fuit a servitute regis, 430 A, et a plagis Ægyptiorum, 534 D', 542 B.

GIGANTES, unde et quando nati, 151 A, B'. — Erant veri homines, non dæmones, 151 C. — Etiam post diluvium multi gigantes recensentur, 152 A; ad quorum generationem sufficiunt causæ naturales, 152 D.

GLADIUS flammeus et versatilis custodiens paradisum, quid sit, 108 C.

GOMOR mensura, quanta, 615 B.

GRATIA Dei interior requiritur ut prosit exterior, 125 D'; et non nisi oratione impetratur, 356 B.

GREGORIUS Nazianzenus (S.). Quanta ejus auctoritas in Scripturis, 65 B'.

H

HAI civitas, quid significet, 213 D'. — Christus ab oriente Hai, quid, 214 A.

HEBER, pater Hebræorum, 195 A', spiritu prophetiæ præditus, 195 D', fertur usque ad Rebeccæ tempus vixisse, 308 C', et ipsum Jacob educasse, 310 C.

HEBRÆI. A quo sic dicti, 196 B'. — Quum ccx tantum annis in Ægypto vixerint, 228 C, quomodo computandi cccc anni peregrinationis eorum, 228 B', 569 A; et a quo numeranda quarta generatio, qua exituri erant de Ægypto, 229 A'. — Mire in ea multiplicati, 476 B, quot exierint inde, 568 A'. — Quomodo potuerint Ægyptios spoliare, 501 C', 568 C; et ascendere armati de Ægypto, 583 A. — Cur a via Philistinorum declinaverint, 582 B. — Utrum trans mare, an tantum per mare ducti sint, 590 A. — Deum in mari vidisse dicuntur, 594 A'. — Eorum statio in Marath, ubi propter aquæ amaritudinem murmurant, 607 C. Qualiter infirmitatibus et morbis fuerint obnoxii, 608 A'. — Statio in Elim, quæ, 608 D'. — Statio in deserto Sin, ubi denuo murmurant propter cibi inopiam, 610 C. Quare tantopere carnes desideraverint, cum greges non paucos haberent, 614 B. — Statio in Raphidim, ubi jurgantur propter aquæ penuriam, 622 C. Cur Deus eis non providerit de potu quotidiano, 622 D'. — Quo ordine ad Sinai castrametati, 636 C. — Qualiter Deus assumpserit Hebræos in populum peculiarem, 637 C. — *Adde* Judæi.

HEBRON civitas, cur prius dicta Arbee, 293 D.

HENRICUS de Hassia, Cartusianus, Augustino anteponens Hieronymum, 7 B, an sequendus, 8 A. *Adde* 79 A', 84 C, 120 C.

HER, primogenitus Judæ. Nequitia ejus et pœna, 386 C.

HERCULES, neptem Abrahæ in matrimonium duxisse fertur, 306 C'.

HEREDITAS Abrahæ, quæ fuerit, 283 A, 284 B', 306 C'. — Hereditas Christi, 233 C'.

HEVILATH terra, quæ et unde sic dicta, 77 B. — Mystice, statum perfectorum significat, 89 D.

HIERONYMUS (S.), quid de LXX translatione senserit, 6 A'. — Utrum in hoc præferendus B. Augustino, 7 B. — Cur sacras Scripturas transtulerit, 9 A. — Fuit Hebrææ linguæ peritissimus, 282 C.

HIPPOCRATES, 346 A.

HIPPOLYTUS (S.) martyr, 328 A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 10, col. 261.)

HIRCUS, ab Ægyptiis cultus, 562 C. — Aliquando Christum figurat, 562 C.'

HOEDUS, utrum licite ad Pascham sumi potuerit, 561 C'. — Quid per hœdum designetur, et cur ad significandum Christum adhibitus sit, 574 C.

HOMICIDIUM, quomodo a Deo vindicandum, 184 D. — Quam abominatum ab Ægyptiis, 209 B'. — Utrum omnem homicidam vi interire contingat, 184 C'.

HOMO. Dignitas ejus ex verbis Dei creantis apparet, 50 C'. — Quomodo dicatur ad imaginem Dei factus, 51 A, sive totius Trinitatis, sive cujuslibet Personæ, 52 B. — Vere imago Dei relucet in anima hominis, 51 C; etiam peccatoris, 51 A'. — An et qualiter factus ad similitudinem increatam et creatam Dei, 52 A'. — Quid intersit inter imaginem et simili-

Digitized by Google

tudinem, 52 C'. — Utrum proprie an improprie homo imago Dei sit, 53 B.

Cur e limo formatus, 70 B', et specialiter a Deo plasmatus legatur, 71 A. — Corpus hominis immediate a Deo formatum fuisse oportet, 71 D. — Illi competit statura erecta, 102 B'; quare, 71 B. — In ætate et robore virili factus creditur, 38 B', 71 D'. — Dei inspiratio in faciem hominis, 70 C. — Imperfecta primi hominis immortalitas, 54 D'. — Cur de eo non legatur quod fuerit bonus, 55 A. — Cur in humano genere unicum factum individuum, 52 D; et an creatum androgynum, 55 B. — Naturaliter homini competit in animantia dominium, 51 B', amissum quidem per inobedientiam Adæ, 51 C', sed Noe et posteris ejus restitutum aliqualiter, 182 C', et quibusdam Sanctis plenarie, 55 A'. — Utrum naturaliter sit homini dominium in alios homines, 183 A.

HOREB, quid sit, et cur vocetur mons Dei, 494 B. — Horeb petra, ubi, 623 D. Cur jussus Moyses eam virga percutere, 623 B'. Quomodo dederit aquam, 623 C. Mystice, Christum significat, 627 C.

HOSPITALITAS, quanti sit meriti, 256 B, 275 D. — Quo zelo a Patriarchis frequentata, 255 B', 258 C', 267 D, 277 D.

HUGO de S. Victore. Citatur liber ejus de Sacramentis, 18 B, 28 C; et liber de Arca Noe, 158 B', 159 A'. *Adde* 165 D', 178 A', 249 C, etc.

HUMILITAS, mirabiliter in Sanctis cum magnanimitate consociatur, 505 A. — Inter prospera maxime necessaria est, 237 A. — Virtutis hujus exempla in Abraham, 216 A, et in Moyse, 494 A, 635 A'.

HUR, quis fuerit, 625 A, B'. — Cur assumptus in montem a Moyse, 625 A. — Manus Moysis sustentans, 625 C, quid significet, 628 A.

HYLE Platonis, seu materia prima, 64 C, videtur quid creatum, 64 C'.

HYSSOPUS, cur adhibitus ad aspersionem sanguinis, 566 C'. — Mystice, figura est humilitatis, 576 C.

I

IDEÆ omnium rerum, in Deo continentur, 35 C. — Ideæ increatæ Platonis, quid sint, 64 C, C'.

IDOLA Ægypti, in nocte Phase contrita esse leguntur, 564 D. — Idola Laban, quæ, 351 C; et cur furata a Rachel, 351 A. — Utrum fuerint idola in domo Jacob, 368 A.

IDOLOLATRIA, probabilius ante diluvium ignota, 133 D'. — Quando inceperit, 136 C.

IDUMÆI. Qui fuerint eorum duces, 374 C'; dein reges, 375 C'; denuo duces, 376 B. — An hæc series a Moyse tota conscripta sit, 376 A'.

IGNIS. Cur hoc elementum non fuerit animantibus ornatum, sicut aer, 46 B. — Cur in igne apparuerit Dominus, 494 D. — Dei proprietates et actiones per ignem præcipue designantur, 494 A', 640 D'.

INCUBI. Dæmones incubos exsistere constat, 148 A', 149 C. — Generare ex se nequeunt, 149 D.

INNOCENTIA. In statu innocentiæ, quis fuisset cibus hominis, 54 C. — Utrum fuisset generatio, 117 B; et quali modo, 117 D. — Utrum omnes genuissent, 117 D'. — Utrum fuisset in arbitrio generantis gignere masculum vel feminam, 346 D; et tot fuissent geniti filii quot filiæ, 346 B. — An pueri nascendo perfectum habuissent robur, 118 A; vel saltem crevissent citius, 118 C. — An nascendo habuissent rationis usum et scientiam concreatam, 118 D. — An in originali justitia nati fuissent, 118 A'; et in gratia confirmati, 118 C'. — An homines successive in cœlum fuissent translati, 119 A. — An fuisset dominium, et quale, 119 C. — Certo fuisset vera societas, vera auctoritas, inæqualitas et subjectio, 119 B'.

INVIDIA, quid sit, 337 C. — Semper comitatur superbiam, 92 A. — Præcipue movit diabolum ad tentandum hominem, 92 B.

IRA, unde nascatur, 597 D'. — Ira Dei, quid sit, 153 A'.

IRIS, signum fœderis inter Deum et homines, 186 A. — Utrum ante diluvium fuerit pluvia et iris, 186 C. — Quomodo indicet diluvium non futurum, 186 C'. — Iris, signum duorum judiciorum, 186 B. — Quadraginta annis ante judicium non videbitur, 186 B. — Mystice, Christi patientis humanitatem significat, 191 B.

ISAAC, haud semel patri suo prænuntiatus, 246 A, D, 259 D, in Geraris natus est, 284 D. — Unde dictus Isaac, 246 A'. — De sacrificio Isaac: Quot annorum fuerit quum immolari jussus est, 289 B'. Cur ad rogum ligatus, 289 A. Ejus fides, 289 C; et obedientia, 289 B'. — Meditationi fuit deditus, 301 C. — Utrum calluerit astronomiam, 301 B'. — Cur, uxore tamdiu sterili, non aliam duxerit conju-

Digitized by Google

gem, 309 D'. — Quando ad Abimelech recesserit, 312 C; et quid ibi ei evenerit, 314 D. — Cur postulaverit carnes ab Esau, priusquam illi benediceret, 319 C. — Quomodo expaverit de dolo Jacob, et quid in ea ecstasi viderit, 322 B. — Mors ejus et sepultura in Mambre, 371 A. — Mystice, optima fuit figura Christi, in nativitate, 284 C', et in sacrificio, 292 B'; et typus contemplativorum, 317 B. Alias Dei Patris personam sustinet, 325 D'.

ISMAEL, quid significet, et cur hoc nomen impositum sit filio Agar, 238 C. — An in utero matris fuerit exstinctus et revivificatus, 238 A'. — Ob feritatem dictus est onager, 239 C. — Qualiter luserit cum Isaac, 282 C. — Ejectus e domo Abrahæ, periclitatur in deserto, 283 D; et ab angelo salvatur, 283 B'. — Ejus progenies, 307 A', et mors, 307 B'. — Utrum sit salvatus, 246 B', 307 B'. — Mystice, per eum designantur Judæi carnales, 252 B, et persecutores, 285 B.

ISRAEL, quid significet, et cur sic vocatus sit Jacob, 358 B. — Israeliticus populus, quamobrem Dei primogenitus dicatur, 511 D. *Vide* Hebræi.

ISSACHAR, cur sic dictus, 340 C. — De benedictione quam sortitus est: Cur dictus asinus fortis, 446 A', D'. Utrum in tribu Issachar multi fuerint doctores, 446 C'. — Mystice, designat Christum præmium et victimam, 462 C.

ITINERARIUM, seu Recognitiones, S. Clementis, 532 C, B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1, col. 1157.)

ITINERARIUM Joannis Mandevillæ, 200 A.

J

JABEL, varias artes invenit, 133 B. — Mystice, typus est cupidorum, 140 B'.

JABOC torrens, quis et ubi situs, 356 B'.

JACOB, sanctificatus in utero creditur, 308 A'. — Qualiter collideretur cum fratre, nondum natus, 308 C, et cur dictus Jacob, 309 B'. — Sapientiam a Melchisedech et Heber didicisse fertur, 310 C. — Absque simonia fratris primogenita emere potuit, 310 D'. — De paterna benedictione subrepta: Non est mentitus asserendo se esse Esau, 320 B, et patris jussa peregisse, 320 C. Qualem acceperit benedictionem, 321 B; et quæ censeantur in ea contineri, 321 C'. Utrum possit excusari a fraude, 322 C', et a culpa, 324 C'. An reapse fuerit benedictus, 325 B. — Somnium ejus in Bethel, 329 A'; et votum, 331 D. — Utrum solus abierit in Haran, 333 D. — De nuptiis ejus: Septem annis servit pro Rachel, 334 A; et in nocte Liam accipit, 334 B'. An septem aliis annis exspectaverit Rachel, 335 C. — Qualiter excusetur de polygamia, 341 A. — Fœdus inter Jacob et Laban, 343 B. Qua arte Jacob comparaverit sibi greges maculatos, 345 A; et quomodo absque peccato hac techna uti potuerit, 346 B'. — De domo Laban fugiens, 250 C', ab ira ejus divinitus salvatur, 251 C'. — Cur tantopere timuerit fratrem suum Esau, 355 C; et quomodo eum venientem placaverit, 356 C, 361 D.

Nimia ejus dilectio in Joseph, 378 D, quo amisso vehementer dolet, 383 C, et recuperato plurimum lætatur, 420 D', 424 A'. — Non sine timore migrans in Ægyptum, 422 B, honorifice a Pharaone suscipitur, 427 C. — Quomodo adjuraverit Joseph ne corpus suum conderet in Ægypto, 430 B'; et cur tantopere in Palæstina sepeliri expetiverit, 431 B. — Quomodo filios Joseph adoptaverit, 432 A', et benedixerit, 433 C'; et quo sensu dicatur nomen ejus invocandum super eos, 434 C. — Ultima verba ejus ad filios, 437 et seq. — Utrum et qualiter universæ terræ possessio semini Jacob promissa fuerit, 451 C', 452 D'. — Utrum clariores revelationes acceperit quam Abraham, 452 A, 454 A. — Quo sensu dicatur appositus ad populum suum, 458 A. — Defunctus aromatibus conditur, 466 A; ab Ægyptiis solenniter defletur, 466 C; et in Mambre sepelitur, 467 A. — Mystice, typus est electorum, 312 A, et Ecclesiæ gentium, 326 B.

JAPHET, inter filios Noe minimus, 188 B, 193 B, 200 C', qua benedictione a patre ornatus, 189 A, et quomodo in tabernaculis Sem habitaverit, 189 A, 192 A'. — Gentes multæ ex eo prodierunt, 193 B. — In partitione mundi, Europam occupavit, 196 B. — Mystice, primævam significat Ecclesiam, 191 A'.

JERUSALEM urbs, a quo condita, et quot nomina habuerit, 331 C.

JESCHA, filia Aran, uxor Abræ, alio nomine Sarai, 201 D'.

JETHRO, socer Moysis, quis fuerit, 489 D'. — Quot nomina sortitus sit, 490 D. — Quomodo et quando inviserit generum suum ad montem Dei, 629 B. — Ad Deum Moysis conversus est, 630 B. — Quo jure victimas Domino

Digitized by Google

immolaverit, 630 D. — Optimum Moysi dedit consilium, 632 C.

JOB, unde ortus, 291 B'. — An rex Edom, 376 B. — Vixit ad minus cc annis, 146 C.

JONITUS, suppositicius filius Noe, post diluvium genitus. Quid de eo sentiendum, 189 B'.

JORDANIS fluvius, unde ortum et nomen habeat, 220 A. — Moraliter, compunctionem significat, 360 C.

JOSEPH, filius Rachel, cur sic dictus, 340 C'. — Cur præ ceteris a patre dilectus, 377 B'. — De quo crimine fratres accusaverit, 377 B. — Multis de causis fratribus odiosus, 378 B, B', ab eis venditur, 382 A'. — Virtutibus et gratia pollet in domo Putiphar, 389 D'. — Ejus invicta castitas, 390 D, et injusta damnatio, 391 C. — Eunuchorum somnia interpretatur, 395 C. — Cur permiserit Deus eum tot adversis premi, 392 A'; et in carcere deseri, 396 C'. — Pharaonis somnia explicat, 398 A'; et toti Ægypto præficitur, 400 D'. — Qua via a futura fame præcaverit, 398 D', 401 D'. — Quomodo fratres ad se venientes probaverit, 404 D', 413 A; et cur, 414 B'. Utrum ei licuerit explorationis illos insimulare, 405 B, et furti, 413 C. Quomodo se fratribus manifestaverit, 418 C. — Patrem cum tota familia arcessens, 419 D', in terra Gessen constituit, 424 D', 427 A. — Ipso providente, possessiones Ægyptiorum subjiciuntur Pharaoni, 428 B'; et quinta fructuum pars regi reservatur, 429 B'.

De benedictione Joseph : Quomodo successerit fratri suo Ruben in duplici primogeniti parte, 438 C'; et nominis sui significationem impleverit, 449 A; quanta ejus pulchritudo, 449 C; quomodo ex eo egressus sit pastor et lapis in Israel, 450 B; quo sensu dicatur benedictio ejus confortata benedictionibus patrum ejus, 451 C, quum reapse minor fuerit benedictio Joseph benedictione Jacob, 454 B'. — Moritur et sepelitur Joseph in Ægypto, 468 C'. — Cur non statim translatus in Hebron, 468 D'. — Ejus ossa divinitus reperta narrant Hebræi, 583 D. — Mystice, significat Christum proficientem, 464 B, et decorum, 464 C, plenissime benedictum, 464 C'.

Spiritualis Joseph, id est Christus, præ omnibus dilectus et ornatus a Patre, 384 A'; a Judæis expulsus, 384 C'; venditus a discipulo, 385 A'; exaltatus in die Resurrectionis, 403 B'; ex uxore gentili, Ecclesia, duos genuit filios, 404 B; et ubique terrarum pascit fideles et Ecclesias, 431 B'.

JOSEPHUS. *Vide* Judæi auctores.

JOSUE, cur præpositus a Moyse exercitui contra Amalec, 624 C.

JUBAL, musicæ artis inventor, 133 C. — Quid mystice, 140 B'.

JUDAS, filius Liæ, unde dictus, 335 D'. — Fratribus suis fuit fortior et sapientior, 382 C; et eis suasit Joseph vendere, 382 C. — Quo jure potuerit Thamar ad mortem mittere, 388 A. Quomodo erga eam peccaverit, 388 D. Quo tempore præfata acciderint, 388 D, 389 B. — Spondet pro reducendo Benjamin, 409 A'; quem in Ægypto pro posse defendit, 416 D. — De benedictione Judæ impertita : Qualiter a fratribus laudandus, 441 A; quomodo, factus leunculus, 441 A', inimicos deprædatus sit, 441 C', et requieverit post victoriam, 442 A; quo sensu sceptrum non auferendum fuerit ab eo, 442 D', 443 B; quo sensu dicatur alligaturus asinam ad vitem, 444 B, et stolam in vino lavaturus, 445 D. — Mystice, designat Christum confessorem et victorem, 461 A'.

Tribus Juda, unde prælata sit ceteris et regnum meruerit, 441 B, 589 D.

JUDAS proditor, de qua tribu ortus, 448 B. — Gravius peccavit desperando quam Christum tradendo, 128 C.

JUDÆI, a quo dicti, 194 D'. — An exspectent delicias carnales in futuro sæculo, 47 A. — Sedulitas eorum in sepultura suorum, 369 C'. — Fabulæ Judaicæ : de primæva solis et lunæ æqualitate, 42 A'; de magnitudine ceti, 46 D'; de primo homine androgyno, 55 B; de contentione uxorum Lamech, 135 C'; de revivificatione Ismaelis, 238 A'; de ariete Abrahæ, 290 C'; de angelo a Jacob devicto, 359 A'; de asino Moysis, 510 C', etc. — Judæi increduli figurati per Cain : Eorum invidia in Ecclesiam, 138 C, reprobatio, 139 B, desperatio, 139 A', signum, 139 D', et vaga in terris peregrinatio, 140 A. — Per Ismaelem : Quomodo omnibus adversentur, 242 A'. — Per Ephraim : Cur sit eis crux in scandalum, 436 D'. — *Vide* Hebræi.

JUDÆI auctores : Josephus historiographus, vir doctissimus, sæpe allegatus, 76 B, 196 B, etc. In pluribus errasse convincitur, 82 C', 121 D. — Philo, disertissimus Judæorum. Citatur liber ejus Quæstionum super Genesim, 196 B'. — Rabbi Aquila (alias Akiba) et Ismael (alias Israel), Talmudistæ, 618 C'. — Rabbi Moyses (Moses Maimonides) 22 A, 37 C,

Digitized by Google

etc.; de Directione perplexorum, 147A', 254B, etc. — R. Moyses Gerundensis (Moses Nahmanides) Glossator, 187B, 437D, 562A, 618C', etc. — R. Salomon (Jarchi, vulgo Rasi), 129C', 148D', 177D', 615B, 636D, 639D'; fuit ineptus Scripturæ expositor, juxta R. Paulum, 177D', 178B, 282D'.

JUDICES, summa cura causas propositas pernoscere tenentur, 261B'. — Cur sedeant judicando, 631D. — Boni judicis dotes, 634B'. — Judicis ordinarii non est pœnam relaxare, 414D'.

JUDITH, quo sensu Sichimitarum cædem laudaverit, 367B.

JUMENTA, quæ vocentur proprie, 48C'. — Mystice, significant obedientes, 63A'.

JURAMENTUM, quotuplex, 406B. — Quando validum, 297A. — An liceat per creaturas jurare, 406B.

JUSTITIA, nunc sumitur pro virtute communi, 153D, 226C; nunc pro speciali, 260B', 343C. — Justus, cur aliquando cum impio percussus, 262B. — Per opera bona meretur a peccato præservari, 278B'. — Ad propitiandum Deum quantum valeat, 267A.

L

LABAN, benigne suscepit Eliezer, 298A', et Jacob, 333B'. — Graviter peccavit substituendo Liam Racheli, 335B. — Quo sensu dicatur benedictus propter Jacob, 342C'. — Pactum ejus cum Jacob, 343B, 344B'. — Fuit vir astutus et cupidus, 333D', 349D, 350A'. — Mansit infidelis, et diu vixisse creditur, 354B.

LACTUCÆ agrestes, cur cum agno paschali comedendæ, 563B', 574D'.

LAMECH, polygamus primus, 132D'. — Quo sensu mors ejus magis adhuc vindicanda quam mors Cain, 134C. — Quomodo Cain occiderit, 135B. — Mystice, typum gerit lascivorum, 140B'.

LAMECH, pater Noe. Virtutes ejus et prophetia de filio suo, 144C.

LEO, ad designandum modo Christum, modo diabolum, assumitur, 562D. — Quomodo Christus accubuerit ut leo, 442A; et ad prædam ascenderit ut catulus leonis, 441A'. — De leonis catulo tribus diebus dormiente, 442A'.

LEVI, filius Liæ, unde dictus, 335C'. — De benedictione Levi, 439D. — Scelus ejus in Sichimitas, quam exsecrabile et maledictum, 439B'; quomodo dispersus sit in Israel, 440A, D'; et qua de causa ita mulctatus, 440C. — Spiritualiter, infideles Levitas ac sacerdotes præfigurat, 461B.

Tribus Levi cur electa in ducatum populi, 525C'. — Ad eam translatum est sacerdotium Ruben, 438C'. — Levitæ, quam acriter Christo adversati sint, 440B'.

LEX naturalis, quid sit, et quid ei censeatur contrarium, 341B.

Lex Moysis, quo die data populo, 639D', et quo apparatu, 640B. — Cur Hebræi jussi lavare vestimenta, 638D, 639A'; non tangere montem, 638C'; triduanam servare continentiam, 639B'. — Dicitur lex vitæ, et ministratio mortis, lex timoris, 3. — An etiam internum peccati actum prohibuerit, 116A. — Cur tam diversimode datæ : lex vetus in Sinai, lex nova in monte, 640B'. — Spiritualiter, promulgatio legis in Sinai figurat Pentecosten, 644B; et ex ea edocemur : quam caute et modeste in tractandis divinis procedendum sit, 643B; qualiter sint nobis lavanda vestimenta ante susceptionem Dei, 643D'; quanta a sacerdotibus novæ legis requiratur castitas, 644C'.

LIA, subdole tradita Jacob, 334B', a peccato excusari nequit, 335B. — Quando et ubi sepulta, 457C'. — Mystice, designat vitam activam, 336D; et nos docet qui sint quatuor activæ vitæ filii, 337B, et quod animæ activæ aliquoties vacandum sit contemplationi, ut inde magis fecundetur, 347D'.

LIGNUM. Multiplex utilitas et virtus lignorum paradisi, 75D. Mystice, quemcumque fidelem significant, 88B'. — Lignum vitæ, quare sic dictum, 74C'; et cujus virtutis, 74D'. Homini post culpam vetitum est, 107A', quia etiam tunc potuisset vitam protelare, 107C'. Allegorice, lignum vitæ est Christus, 88D'. — Lignum scientiæ, quid, et cur sic vocatum, 75B'. Pulchrum adspectu, 97A; fuit fortasse ficus, 99B'. Utrum rationis usum valuerit accelerare, 76B; vel per diversitatem saporis, comedenti proprium statum revelare, 76D. Cur vetitum hominibus, 78D'; et quatenus, 79C. Quid mystice, 88D', 109C. — Lignum Moysis in Mara, quale, 607C', 608B. Qua virtute aquas dulcoraverit, 607D'. Mystice, crucem figuravit, 609D'.

LINGUA Adæ, Hebræa fuisse videtur, 80B'; quæ, ante confusionem communis, 196D, permansit in familia Heber, 198D'. — In

Digitized by Google

quo consistat linguarum confusio in Babel, 198 C; et quot loquelæ novæ ortæ sint, 199 B. — Mystice, qualiter confundat Dominus linguam impiorum, 203 D'.

LOCUS, quid sit, 24 A', D'. — Locus Dei, 330 D; locus angeli, 573 B. — Locus aquarum, 39 C; mystice, est ecclesia malignantium, 62 D.

LONGÆVITAS primorum hominum, juxta annos solares computanda, 145 C. — Fuit donum supernaturale, 145 A', licet multæ causæ naturales ad eam conferre potuerint, 145 B'. — Variis de causis fuit tunc necessaria, 145 B', 146 A, 146 B'; et omnibus coætaneis concessa videtur, 147 A'. — Nonnulla longævitatis exempla in posteriori ævo recensentur, 107 C', 146 C.

LOT, Abræ nepos, cur inter pessimos Sodomitas habitare elegerit, 216 A'. — Eximia ejus pietas in exercenda hospitalitate, 267 D. — An et quantum peccaverit, offerendo filias ad stuprum, 268 D'. — Utrum duas tantum habuerit filias, 270 B. — Ab angelis de Sodoma educitur, 270 C'. — Cur prohibitus retrospicere, 271 A. — Quam imperfecte in Domino confisus sit, 271 D, 274 B. — Cujusnam merito Lot liberatus sit, 273 D'. — Insciens et ebrius cum filiabus incestum commisit, 274 D'. — Causa incestus inobedientia ejus, 274 B'. — Ejus historia monemur : quanta sit hospitalitatis gratia, 275 D; quanta cura obsequendum sit inspirationibus gratiæ, 276 B; quantum urbibus expediat justos habere in se, 277 B. — *Vide verbis* Filiæ, Generi, Uxor.

LUNA, cur vocata luminare magnum, 42 C. — Respectu terræ, quanta, 42 D. — Creata creditur plena, 42 C'. — Quid mystice, 62 D'.

LUZA civitas, quæ postea Bethel et Jerusalem, 331 B, unde dicta, 331 C.

LYRA (Nicolaus de), Judæus conversus, Ord. Min., notissimus postillator, 18 A', 19 B, etc. Sæpe, tacito nomine, designatur verbo « Quidam », scilicet quum improbanda est ejus sententia, 34 B', 43 D', etc.

M

MADIAN, filius Abrahæ, 306 B', nomen dedit regioni, 489 C'. — Madianitæ, cur etiam dicti Ismaelitæ, 382 A'.

MAGIA. Ejus inventor, Zoroastres, 196 A'. — Magi Pharaonis, an reapse verterint virgas suas in dracones, 529 C. — Cur frustra tentaverint scinifes producere, 539 A'. — An, plagis edocti, Adonai ut summum Deum agnoverint, 540 C'. — Utrum post tertiam plagam Moysi contradicere destiterint, 541 A'.

MAGISTER in historiis. Sic vocitatur Petrus Comestor. *Vide hoc verbo.*

MAGISTER Sententiarum, 14 D', 27 A, etc., vel absolute, Magister, 25 A', 27 A', etc. His nominibus intelligitur Petrus Lombardus, auctor libri Sententiarum. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191, 192.)

MAHOMETUS, unde suam sumpserit hæresim, 139 C. — Peculiarem Sarracenorum prophetam se finxit, 544 B'. — In Alcorano suo quid censeat de Jesu Nazareno, 139 B; de Abraham, 207 B'; de Ismaele, 246 C'; de magis Ægypti, 541 B'. — Plura ab evangelio Lucæ mutuatus est, 89 D'. — Allegatur libellus disputationis ejus cum Abdia Judæo, 42 A'.

MALEDICERE, quid sit et quibus liceat, 321 A'. — Maledici a Deo, quid, 127 B'.

MAMBRE, amicus Abrahæ, 219 C', nomen dedit valli, 217 C, et urbi Mambre, quæ est Hebron, 370 D'. — Spelunca Mambre, quæ, 295 A'; cur et quomodo ab Abraham empta, 294 B'; et qui sint in ea sepulti, 295 B', 457 B', 468 D'. — Arbor Mambre, quæ, et quousque duraverit, 257 C'. Moraliter, hominis voluntatem significat, 264 D.

MANASSES, cur sic dictus, 402 B. — Illum Jacob benedicendo, 433 D', fratri Ephraim semper postposuit, 434 B', 435 C. — Mystice, personam Synagogæ sustinet, 436 C'.

MANDEVILLA (Joannes de). Itinerarium ejus allegatur, 200 A.

MANDRAGORA, quid sit, 339 D'. — Cur tantopere a Rachel concupita, 339 D'.

MANE et VESPERE, quid ad litteram significent, 27 C; quid quoad cognitionem angelorum, 56 C, et nostram, 58 A; quid quoad actus nostros, 61 B'. — Significantur etiam per Vespere et mane : ultima mundi ætas et resurrectio gloriæ, 620 D, D'; item uterque Christi adventus, 465 C.

MANNA, cur sic dictum, 617 D. — Quid sit, 617 A'. — Utrum a rore distinctum, 614 D. — Cujus saporis, 617 C'. — Dari cœpit die dominica, 612 A; et per XL annos non desiit, 618 B'. — Ritus colligendi manna : Qua mensura congregandum, 615 A, 616 B; cur omnibus hæc mensura præfixa, 615 C; et quid his evenerit qui plus collegerant, 615 D. Cur eodem die consumendum manna, 615 C'. Fe-

Digitized by Google

ria sexta duplum colligere licebat, 611 C', 616 C, quia nunquam datum est die sabbati, 616 A'. De manna octo præcepta, 617 C. — Qualiter et quando reservatum et in arca repositum, 618 B. — Quo sensu dicatur panis angelorum, 618 C'. — Spirituale manna multiplex, 619 C', quomodo a nobis sit requirendum, 620 B; et nobis præstitum, 621 B, per omne tempus vitæ præsentis, 621 C'.

MARA (seu Marath) locus, unde dictus, 607 D. — Aquæ ejus quomodo ab amaritudine sanatæ, 607 D'. — Quæ præceperit Deus populo in Mara, 609 B.

MARE seu Oceanus, quid sit, et quo sensu particularia maria complecti dicatur, 36 B. Qualiter in eo congregentur aquæ, 36 C, 39 C. — Mare Mortuum describitur, 272 D. Vocatur etiam lacus Asphalti, 272 A', et mare Salis, 218 A'. — Mare Rubrum, an vere rubrum, 582 D'. Quomodo divisum a Moyse, 588 D'. — Mare Pamphylicum coram Alexandro apertum, 591 A.

MARIA Virgo, prænuntiatur caput serpentis contritura, 103 C'. — Quomodo confirmata sit in gratia, 118 D', 224 A. — Varie præfigurata per Saram, 284 C', et per Mariam sororem Moysis, 609 D.

MARIA soror Moysis, prophetissa, 606 A. — Non fuit ex obstetricibus Hebræorum, 481 B. — Quomodo suaserit dari Moysi nutricem Hebræam, 486 C'. — Quo ritu cum ceteris fœminis gratias Deo egerit, 606 B.

MARTINUS Polonus, historiographus, Ord. Præd. Citatur ejus Chronica S. Pontificum Imperatorumque, ac de septem ætatibus mundi, 146 D.

MATERIA, utrum detur in cœlestibus, 18 B', 19 B'. — Utrum creata informis vel sub aliqua forma, 18 D', 19 D'. — De materia triplex opinio, 18 B'. — Tres ejus proprietates, 59 A'.

MATHUSALEM, omnium longævissimus hominum, quando obierit, 143 D'. — Propter obitum et deplorationem ejus, per septem dies dilatum est diluvium, 168 C.

MATRIMONIUM, primis parentibus benedicendo, Deus instituit, 53 B'. — Commendabile est, licet virginitate inferius, 340 D. — An naturaliter sit unici cum unica, 341 B. — Matrimonii triplex finis, 341 D. — Nuptiæ secundæ non damnandæ, 306 A, ut patet exemplo Abrahæ, 305 C. — Connubium inter patruum et neptem, tempore Abrahæ nondum prohibitum, 202 A'. — An regibus consuetum olim a novis conjugibus per annum abstinere, 210 A'.

MELCHISEDECH, quid sonet, 221 B', 222 C'. — Quis fuerit, 221 D, 222 C. — Quo sensu dicatur sine genealogia, 222 C. — Quousque vixerit, 308 C'. — Excellentia ejus et præconium, 221 A'. — Oblatio ab eo facta, 220 A'. — Cur sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, 221 D'.

MENSIS primus, quis apud Hebræos, 560 C; apud Christianos, 560 C.

METHODIUS (S.) martyr, episcopus Tyrius. Revelatio ei facta circa primos homines, 132 B, causas diluvii, 150 A, et futuram Ecclesiæ persecutionem per Sarracenos, 239 B'. — An credendum narrationi ejus de Jonito, filio Noe, 189 A'. — *Adde* 147 C, B', 152 A. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 18, col. 9.)

MINERVA, quæ, et quando vixerit, 340 D'. — Quas artes invenerit, 187 D'.

MIRACULUM, in quo consistat, et a quo possit effici, 530 B. — Indifferenter fit a bonis et a malis, 239 A. — Quomodo discernantur miracula divina a præstigiis diaboli, 532 B. — Quid sentiendum de nonnullis dæmonum portentis, 532 B'. — *Cf.* Signum.

MOAB, unde ortus, et cur sic dictus, 275 B'. — Mystice, reprobos significat, 277 A', et superbos, 603 A'.

MONSTRUM. Descriptio monstri cujusdam in Britannia, 55 D. — Monstruositas in creaturis, unde oriatur, 507 B'. — Monstruosorum hominum varia genera quæ perhibentur, an sint et unde veniant, 199 A'.

MONTES et colles, sæpe ad litteram Sanctos et prælatos significant, 451 A'. — Quid mystice, 179 C'.

MORIA mons, ubi, et quid in eo evenerit, 287 A, D, 329 B.

MORS, quotuplex, 79 A'. — Mors Patriarcharum, post diluvium, usque ad Thare, cur taceatur, 202 C. — Quandonam liceat mortem appetere, 324 D. — Mortuos tractandi ritus apud diversas gentes, 466 C.

MOYSES, a quo et quando natus, 484 D. — Qualiter promissus patri suo, 485 C; expositus in flumine, 485 C'; repertus et adoptatus a filia Pharaonis, 485 D', 486 D, et vocatus Moyses, 486 A'. — Grandiusculus Pharaoni præsentatur, 486 D'. — Moysis pulchritudo et primum connubium, 487 C. — Quo jure occiderit Ægyptium, et an peccaverit, 487 B'.

Digitized by Google

— Pharaonis iram effugiens, 489 A', in Madian accipit uxorem, 490 B'. — Ei oves pascenti Dominus apparet, 494 C, et nomen suum manifestat, 498 A'. — De Moysis missione : Quænam fuerit, 497 A, 500 B', 508 D', et quibus signis confirmata, 497 B, 505 D. Num dubitaverit se a Deo posse curari, 508 D. Quo sensu dixerit : Mitte quem missurus es, 508 C'. — A Jethro veniam petit revertendi in Ægyptum, 510 C. — Cur in itinere impetitus ab angelo, 511 D', 512 C'. Quomodo ab Hebræis receptus, 513 C. — Trium dierum licentiam absque mendacio rogare potuit, 515 D'. — Quo sensu labiis incircumcisus dicatur, 523 C'; an fuerit lingua impedita, 487 B, 506 D', 507 B, aut voce gracili, 524 A. — Quomodo constitutus Pharaonis Deus, 526 D, D'. — Ad salvandum populum, mare Rubrum dividit, 588 C', aquas Mara dulcorat, 607 D', et de petra Horeb educit fluenta, 623 C'. — Imminente prælio, cum virga Dei ascendit in montem, 624 C'; et, eo manus elevante, Amalec fugatur, 625 B. — Moysen indiscrete judicia exercentem, 631 D, D', cur a gentili corripi et doceri Deus ordinaverit, 632 A. — Inter Deum et populum mediator fuit, 637 D'. — Moysis encomium, 3. — Scripta ejus gentiles interpretari volentes divinitus puniuntur, 11 B'.

Allegorice, multifariam figurat Christum, 491 B, 492 D, 513 D'; manus ejus leprosa, humanitatem Salvatoris, 514 B. — Tropologice, docet nos parare animam illuminationi supernæ, 502 B'; per viam trium dierum quærere Dominum, 504 A; Ægypti spolia auferre, 504 B'; mirabilia Dei audire et narrare, 633 D, et consilia recipere, etiam ab inferioribus, 635 B'.

MULIER. Ejus creatio, 81 B'. — An recte dicta virago, 81 D'. — Cur in paradiso formata, 83 C; de viro, 84 D'; et de costa viri, 85 B. — Quomodo de parva costa potuerit efformari, 85 B'. — Cur dicatur ædificata, potius quam formata, 86 B. — Quoad corpus tantum de viro sumpta est, 82 A. — An fuerit filia viri, 86 A. — Quo sensu dicatur homo propter eam relicturus patrem et matrem, 82 C; et caro una cum ea futurus, 82 A'. — Cur prior tentata, 92 A'; et de superbia, 117 A. — Mulieres, quo remedio a noxa originali mundatæ olim, 248 B'. — *Vide* Eva.

MUNDUS, quo mense creatus, 38 D. — Circa mundi originem triplex philosophorum error, 14 B. — Quo sensu dicatur perfectus, 66 B'. — Sæpe in Scripturis nomine mundi designatur populus aliquis aut civitas, 402 B'. — Mundus a Christianis est contemnendus, 469 A', 519 B'.

MUSICA a Jubal inventa perhibetur, 133 C. — Musicorum instrumentorum diversa genera, 609 A'.

N

NACHOR, frater Abræ. Quot ejus filii, 291 A'. — An venerit in Haran et fuerit idololatra, 202 B'.

NEMROD, nepos Cham. Ejus potentia, scelera, 194 B, et regnum, 194 D. — An projecerit Abram in ignem, 201 B'. — An idem atque Amraphel, rex Sennaar, 218 A. — Mystice, figura est diaboli, 203 B'.

NEPHTHALI. Quid sonet nomen ejus, 338 C'. — Quam benedictionem a patre acceperit, 448 A'. — Mystice, designat Christum Verbum et Doctorem, 463 C'.

NILUS, alias Gehon, irrigabat paradisum, 77 A'. — Ex eo pendet Ægypti sterilitas aut fertilitas, 398 B'. — A Moyse percussus, in sanguinem vertitur, 534 C. — Nili cataractæ, quid, 169 D.

NINIVE urbs, a quo condita, et quanta, 194 B'.

NISAN mensis, quisnam, 560 C. — Merito ad ineundum annum electus, 573 C.

NOE, cur sic dictus, 144 C. — An arandi artem invenerit, 144 B'. — Ejus diuturna continentia, 147 C', et virtutes, 153 D. — Frustra pœnitentiam prædicat, 168 A'. — Quanto tempore fuerit in arca, 176 B. — Deus sacrificio Noe placatus, 176 B', ei dominium in animantia restituit, 182 C', et cum eo fœdus pangit, 185 B'. — Cur Chanaan maledixerit, 188 C'. — Utrum post diluvium genuerit filios, 189 A'. — Quam grandævus mortuus sit, 189 C. — Quot viderit gentes e filiis suis ortas, 196 A; quot homines, 196 B'. — Allegorice, multimode fuit figura Christi, 162 B, 171 C, 178 C', 190 A. — *Cf.* Arca.

NOEMA, filia Cain, lanificium invenit, 133 D'. — Moraliter, sensualitatem designat, 140 C'.

NOMEN divinitus impositum esse nondum natis, non nisi septies legitur in universa Scriptura, 238 B'. — Communiter in horum nativitate contigit miraculum, 238 D'. — Nomen nominans et nomen nominatum, quid, 594 C'.

Digitized by Google

NOUS (νοῦς), quid sit in Platonis disciplina, 10B, 11A.
NOX, multipliciter accipitur, 27B. — Cur non intervenisse legatur in diebus Geneseos, 58B. — Mystice, figura est peccati, 61A'.
NUDITAS, in statu innocentiæ et gloriæ, cur ruborem non inducat, 82B'. — Quo sensu dicantur primi parentes suam nuditatem agnovisse, 99B.
NUMERUS binarius reputatur immundus, 34A', et est typus divisionis, 34C', licet nonnunquam accipiatur in bonum, 34B', D'. — Impar autem numerus mundus est, 34B'. — Per numerum senarium significatur perfectio, 59A, sicut et per septenarium, 59C, et per centenarium, 251D'. — In nonagenario vero invenitur imperfectio quædam, 251D'. — Mystica numerorum significatio non spernenda, 59B.

O

OBEDIENTIA, in spiritualibus præliis victoriam confert, 223B'. — Hujus virtutis varia exempla, 287B', 289A', 290A, 505B'.
OBSTETRICES, propter misericordiam Hebræis exhibitam, 478C', benedicuntur a Deo, 479A. — Quantum peccaverint mentiendo, 479C; et an sint salvatæ, 479D, 480C. — Ægyptiæ fuisse videntur, 481A. — Mystice, bonos signant prælatos, 483D'.
ODIUM, quodnam sit peccatum, 379A.
OFFENSA. Vindicare vel condonare offensam, quibus et qualiter liceat, 414B'.
OLIVA. Ramum olivæ unde tulerit columba, 175D. — Mystice, quid significet, 180D.
OLYMPUS mons, quantus, 158C, 170D; et an ante diluvium tam excelsus exstiterit, 170D.
ONAN, filius Judæ. Ejus scelus et pœna, 386C'. — Mystice quid, 389C'.
ONYX lapis, quid sit, 77A'. — Moraliter, fraternam signat caritatem, 89A'.
ORACULUM, quid sit et in quo cum visione et somnio conveniat, 400A'.
ORIGENES, excellentissimus doctor, Petri primatum confitetur, 602B'. — Quanam methodo et ratione Scripturas sacras collegerit, 9A. — Citatur passim.
ORTYGOMETRA, coturnicis species, unde dicta, 613D'.
OVIS, ab Ægyptiis colebatur, 542B'. — Mystice, nonnunquam reprobos figurat, 562A'. — Ovis patriarchæ Joseph, quæ, et quid egerit, juxta Hebræos, 583A'.

P

PAPIAS, grammaticus, 410A, 615C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1437.)
PARADISUS, quotuplex, 73A. — Paradisus terrestris, quando factus, 72C; et quare, 73B, A'. — An fuerit locus corporeus, 72A'. — Ubi situs, 74D, 108B'. — Fuit palatium regium hominis, 73D', immortalitati ejus tuendæ aptissimum, 73D, omni voluptate refertum, 74A, et reliqua terra excelsius, 74B. — Paradisi introitum, post ejectionem Adæ, quid impediat, 108C. — An mansissent in paradiso cum Adam animalia, 120A. — An ultra paradisum sit aliqua hominum habitatio, 120B'. — Mystice, fuit figura Ecclesiæ, 88D.
PARENTES. Eorum phantasia plurimum ad formam fetus confert, 345B', et merita vel demerita filiis prodesse vel obesse possunt, 188D, 495D'. — In parentes peccare, quam grave, 409A'.
PASCHA. Paschalis solennitas, cur a luna pendeat, 41D'. — Quo sensu asseratur in æternum celebranda, 564D'. — Eam non coluerunt Hebræi in deserto, 566B. — Quo ritu agenda, 561A; et a quibus, 570A. — Pascha Christianorum, quamdiu duret, et quid in eo observandum, 575D'.
Paschalis victima, quænam, 561B. — Unica fuit, non duplex, 561A'; et licite ex hœdis potuit eligi, 561D'. *Vide* Agnus.
PASSIONES, quibus ex causis in anima oriantur, 227C'; et quantum mentem excæcare valeant, 110C.
PASTORALIS ars, cur in Scripturis commendata, 425A; et Ægyptiis odiosa, 424D'.
PAULUS apostolus, per Benjamin præsignatus, 412C', quomodo matrem occidisse dici possit, 373A', et lupus rapax vocetur, 455B'.
PAULUS (Rabbi), Judæus conversus, Episcopus Burgensis, 19B, sat pronus ad carpendum Lyram, 146B, 148C', sæpius et ipse carpitur et imperitiæ arguitur, 19A', 86A', 289C', 365C', etc.
PECCATOR, qualiter se abscondat a facie Dei, 110A'. — Mortaliter peccans, quid mereatur, 230C.
PECCATUM abscondit Deum a peccatore, 128B'. — Certam peccatorum mensuram ab uno-

Digitized by Google

quoque Deus tolerare statuit, 230B. — Quidnam sint peccata in cœlum clamantia, 127B; peccata cum voce et cum clamore, 261D; peccata in Deum, 278C'. — Peccatum sæpe causa est et pœna peccati, 278B'. — An liceat minus peccatum facere, ad majus vitandum, 269A. — Primum Adæ et Evæ peccatum nequibat esse veniale, 94C'.

PECUNIA, qualis olim et cur sic dicta, 363A'.

PEDES hospitum lavare, antiquitus usitatissimum, 257A', 267D', 410C'.

PENTAPOLIS, seu regio quinque urbium, 218C. — Ejus amœnitas, 216B, et subversio, 272C. — *Cf.* Sodoma.

PENTATEUCHUS Samaritanorum, quid sit, 125B'. — Pentateuchi divisio, 13B'.

PERFECTIO. Determinatus perfectionis gradus cuique assignatur, quo adepto, moritur homo, 119B.

PETRUS ALFONSI (Moses Sephardi), Judæus conversus, vir doctissimus, 258C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 157, col. 535.)

PETRUS apostolus, persecutionem fugiens a Domino reprehenditur, 210D. — Titubans in fluctibus, quid significet, 602A'. — Per Ruben figuratur, 459C'.

PETRUS COMESTOR, auctor Historiæ scholasticæ, « vir authenticus », 583B'. — Sæpius allegatur, 7C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

PETRUS Lombardus. *Vide* Magister Sententiarum.

PHANTASTICUM hominis dormientis aliquando sub ficticia effigie apparere potest alienis, 532D'; minime tamen a dormiente exire censendum est, 533B.

PHARAO, nomen commune regum Ægypti, 211A, 396A. — Pharao, tempore Abrahæ, ob Saræ raptum castigatur, 211B', et de matrimonio ejus divinitus admonetur, 211D'. — Pharaonis alius, tempore Joseph, somnia, 397A; munificentia in Joseph, 400C', et in domum Jacob, 427A. — Pharao novus, tempore Moysis, quo sensu dicatur ignorasse Joseph, 476A'. Cur Hebræos timere cœperit, 476B'; et quid consilii contra eos excogitaverit, 476D', 478D, 480B', 516C'. Ejus superbia, 515B, pertinacia et induratio, 538B', 541B. Plagis devictus, Hebræos dimittit, 568A; sed, sapienti Dei dispositione, 586B, cum ingentibus copiis eos persecutus, 587B, in mari Rubro submergitur, 589B'. Mystice, typus est diaboli, 483A.

PHARES. Ejus ortus, 388B', et nomen, 388D'. Quid mystice significent, 389A.

PHISON fluvius, irrigans paradisum, quis, et quid sonet, 77A. — Mystice, Joannis Evangelium designat, 89C.

PISCES, cur dicantur ex aqua formati, 45C.— An careant memoria, 49D. — Adæ non videntur fuisse præsentati, 80C'. — A maledictione terræ dicuntur immunes, 105D'; ideo pisces comedisse Christus sæpe legitur, 106A. — Cur in diluvio non deleti, 153A. — Mystice, quid, 63B, 190C. — *Vide* Dies : Opus diei 5æ.

PLAGA. Per eam nonnunquam impedit Deus hominem a peccato, 278B'.

Plagæ Ægypti. — Ia. Aquæ in sanguinem vertuntur, 534C. An omnes, 534C'; etiam terræ Gessen, 534D'. Quamdiu duraverit plaga ista, 535A'; et quid mystice significet, 536C'. — IIa. Ranæ cur et qualiter Ægyptiis immissæ, 537B. Triplex ranarum genus, 537B. Quanta hujus plagæ molestia, 537C', 538D; et qui per ranas spiritualiter designentur, 543A.—IIIa. Scinifes, quidnam sint, 538D'. Utrum Pharaoni prænuntiati, 539B. Cur magi frustra tentaverint eos producere, 539A'; et quorum tropologice sint figura, 543A'. — IVa. Quæ fuerit proprie, 541D', et juxta Josephum, 542C'; et quam congrua puniendis Ægyptiis, 542A. Moraliter, per muscas intelliguntur vitia carnalia, 544A. — Va. Quæ fuerit, 545B; et quænam Ægyptiorum animalia interfecerit, 545C'. Merito inflicta est Ægyptiis, 545D', 551A. Mystice, quid significet, 550D'.—VIa. In hujus plagæ introductione quænam attendenda, 546A. Quæ fuerit, 546A'; et cur in magos acrior, 546B'. Moraliter, quid per eam designetur, 551B. — VIIa. Clementer Pharaoni denuntiatur, 548A'. Quam terribilis, 548C', 550B', et quantum nocuerit Ægyptiis, 549B'. Quæ fuerint jumenta ab ea percussa, 550A'; et quid per eam spiritualiter exprimatur, 551A'. — VIIIa. Locusta, quid, 552C'. Plaga hæc quanta, et utrum gravior quam tempore Joel, 554A. Spirituales locustæ, quid, 556C. — IXa. Tenebræ istæ quam horribiles, 554B'. Quæ fuerit earum causa, 555A; et cur luminaria non accenderint Ægyptii, 555D. Mystice, signant cordis indurationem, 556B'. — Xa. Quinam hic vocentur primogeniti, 567A'. Utrum in fine sæculi major futurus sit planctus quam tunc temporis in Ægy-

Digitized by Google

pto, 558 B. Moraliter, occiduntur primogeniti quum peccata per contritionem delentur, 559 B.

Plagas Ægypti, cur alias per Moysen, alias per Aaron, alias per semetipsum induxerit Deus, 546 C, 527 D'. — An per angelos malos inflictæ, 571 C', 572 C'; saltem primogenitorum occisio, 571 A, 572 C.— Utrum per unum an plures angelos, 573 B. — Decem Decalogi præceptis assimilantur, 578 A; et decem imperii Romani plagis, 579 A.

PLATO. Utrum tria increata rerum principia admiserit, 64 B. — Deum unum, summum, mundi creatorem docuit, 10 C', 64 D; sed Trinitatis assertor perperam habetur, 11 A, 540 A. — Moysis libros cognovit, 25 C', 498 D'. — Nonnulli Platonis errores recensentur : circa mundi animationem, 11 B ; circa spiritum Domini, 24 A, 25 B'; circa habitaculum calodæmonum et cacodæmonum, 48 A; et circa plasmationem hominis, 72 B.

PLATONICI auctores. Apuleius, 10 C', 265 C'.— Plotinus, 11 B, 540 A. — Porphyrius, 265 C', 540 B. — Proclus, 10 D', 11 C, 64 D', 265 C' et passim.

POENA, in hac vita frequenter et non immerito excedit culpam, 130 C, 131 A'. — An semper temporalis pœna ab æterna præservet, 273 D. — Reprobis juxta mensuram doctrinæ, pœnæ mensura retribuitur, 551 D'.

POENITENTIA. Solennis pœnitentiæ ritus, 112 C.

POLYGAMIA, merum reputanda est adulterium, 133 A. — An et quatenus sit contra naturam, 341 D, 342 C. — Cur et qualiter aliquando licuerit, 341 C'; et quid de Patriarcharum polygamia sentiendum, 236 C.

POLYMITA tunica, quid sit ad litteram, 378 A; et mystice, 384 B'.

PRÆCEPTUM. Multa legis Mosaicæ præcepta jam ante legem vigebant, 314 A. — Præcepta quænam data fuerint Adæ, 83 A', 84 A; Evæ, 83 B'; Hebræis in Mara, 609 B. — Præcepti displicentia, quale peccatum, 94 B', D'.

PRÆDESTINATIO Dei, precibus electorum juvari potest, 356 B, 548 A.

PRÆLATUS. An liceat prælati vitia detegere, 192 D'. — Prælatis, etiam malis, Deus secreta frequenter revelat, ad bonum communitatis, 397 A. — Qualiter studiosos prælatos remunerare soleat, 502 B. — De boni prælati officiis : Boni prælati est gregem suum instruere, 372 A, 503 D; afflictis subditis parcere, 519 A'; tentatis auxiliari, 591 C'; exemplum præbere omnibus, 627 A; et pro ovibus sibi commissis orare, 627 C', D'.— Ad prælaturam qui sint evehendi, 634 B'.

PRIMOGENITUS. Prærogativæ primogenitorum, quæ, 310 B'. — Vestes habebant sacerdotales, 319 D'; et offerendi sacrificia munere primitus fungebantur, 630 C'. — Primogenitus Dei filius fuit populus Israel, 511 D. — Primogenitorum consecratio, 580 A, quo ritu adimplenda, 581 A'. — Moraliter, primogenita nostra Deo consecrat humilitas, 584 B. Primogenitum asini quomodo ove mutare valeamus, 585 C.

PROPHETA. Inspiratio Prophetas afficit transitorie, 396 A', et diversimode, 399 D'. — Ex visione et allocutione Dei, eos plerumque vires deficiunt, 506 D'.

PTOLEMÆUS astrologus, stellas non novit universas, 146 C'. — A quo tempore sidera investigare cœperit, 146 D'.

PTOLEMÆUS, rex Ægypti, in captivos Judæos beneficus, 11 D, D', et in templum Domini, 12 A, C; litterarum studiosus, 11 B', 12 A'; potens et religiosus, 12 D; utrum unum Deum coluerit, 10 A'; qualiter Pentateuchi translationem effici curaverit, 11 C, et quare, 12 C.

PUERI, quinam in Scripturis sic vocentur, 289 C', 290 A, D.

PULCHRITUDO corporalis, quæ requirat, 211 A; et quibus adminiculis perseveret, 277 D'.

PUTEUS Videntis, cur sic dictus, 240 D', et ubi situs, 241 A. — Moraliter, sanctam significat Scripturam, 242 C'. — Putei Dei vocantur libri utriusque Testamenti, 317 C'.

PUTIPHAR, herus Joseph, quis fuerit, 383 B'; et quo sensu eunuchus dicatur, 383 C'. — An idem qui socer Joseph, 401 B'. — Moraliter, typus est gentilitatis, 392 C.

PYGMÆI, an inveniantur, et utrum sint homines, 199 A', 200 B.

PYTHAGORAS, sapientis nomen primus respuit, mera philosophi appellatione contentus, 528 C.

R

RABBI, RABBINI. *Vide* Judæi auctores *et* Paulus.

RACHEL, quo pacto Jacob desponsata, 334 A. — Invidia in sororem laborasse videtur, 337 C. — Cur idola Laban furata sit, 351 A. — Pariendo defuncta, 369 D, in Bethlehem sepelitur, 369 B'; idque quare, 433 A. — An ante

Digitized by Google

venditionem Joseph obierit, 380 A; et quomodo Joseph adorasse dicatur, 380 A, 381 B. — Mystice, vitam signat contemplativam, 336 D.

RAYMUNDUS (Martinus) frater, Ord. Præd., auctor Pugionis fidei, 444 A.

REBECCA, fuit in peregrinos benefica, 297 D'; et verecunda, 302 B. — Prima est mulier cujus consensus ad nuptias requisitus legatur, 300 C'. — Quo ad consulendum Dominum se contulerit, 308 B'. — Callide benedictionem Isaac transtulit in Jacob, 319 A', et Jacob ipsum a vindicta Esau subduxit, 324 A, B'. — Quantum conjunctionem cum Chananæis abhorruerit, 324 C. — De Rebeccæ fine quid sentiendum, 371 B. — Sepulta jacet in Hebron, 371 C', 457 B'. — Spiritualiter, typum gessit gentilitatis, 303 D, et Spiritus Sancti, 326 B.

RECESSUS a Deo, quotuplex et quandonam culpabilis, 95 A'.

REMIGIUS Antisiodorensis, Ord. S. Benedicti, Scripturæ expositor, 314 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 131, col. 47.)

REPROBATIO. Suam alicui reprobationem Deus revelare nequit, 127 D'.

REPTILIA, quæ vocentur, 48 C'. — Varia eorum genera, 46 C. — Mystice quid, 63 A'.

RESINA, quid sit, 410 A.

REVELATIO, an et quatenus decursu temporis semper clarior evaserit, 453 C. — Ad revelationes supernas homo per somnum fit aptior, 350 B. — Viris sanctis diversimode impertiuntur, 399 D'; et nonnunquam in propatulo, 556 D'.

RICHARDUS de Mediavilla (de Midletown), Ord. Min. theologus, 533 A. *Adde* 233 A, 253 D'.

RUBEN, filius Liæ, cur ita dictus, 335 A'. — Fratribus obstitit ne occiderent Joseph, 381 C'; et venditionis ejus non fuit particeps, 383 B. — Cum noverca incestum admittit, 370 C. — In benedictione illi impertita, quo sensu dicatur fortitudo et principium doloris Jacob, 437 B'. Quæ ei debebantur, duplex hereditas, 438 C, sacerdotium et regnum, 438 B', ab eo auferuntur, 438 D'. — Ruben et Rubenitæ, cur tam acriter mulctati, 439 B. — Typice, Petrum repræsentat apostolum, 459 C', vel Judaicam plebem, 460 D', vel Christum, Sapientiam æternam, 460 A'.

RUBUS ardens Moysi ostensus, 494 C, quid portenderit, 494 D'. — Spiritualiter, figurat humanitatem Christi, 502 C.

S

SABBATUM, a Deo ipso institutum est, 67 B', 68 C, A', et observatum, 611 C', 616 A', D'. — Sabbatum et festa, quomodo sanctificanda, 620 C, 621 A'. — Mystice, requiem cœlestem præfigurat, 87 A, 620 D.

SACERDOS. In lege naturæ qui fuerint sacerdotes, 126 D, 220 B', 630 C'. — Sub lege scripta, cur conjugium inire permissi, 242 B. — Sacerdotibus magnum debetur obsequium, 429 D; et summa decet eos castitas, 644 C'.

SACERDOTIUM Christi, cur vocetur æternum, 221 C', et secundum ordinem Melchisedech, 221 A', D'. — In duobus legali sacerdotio præstat, 221 D'. — Utro præfiguratum melius, Aaron an Melchisedech sacerdotio, 222 A.

SACRIFICIUM, a quo institutum, 123 D. — Cujus virtutis sub lege naturali vel scripta, 123 D'. — Ad bonum sacrificium quid requiratur, 125 C; et quid sacrificio Cain defuerit, 125 A, D. — In lege naturæ, quorumnam fuerit offerre sacrificia, 630 C'.

SADDUCÆI asserentes animam esse mortalem refelluntur, 381 C', 496 B.

SÆCULUM, in Scripturis multipliciter accipitur, 244 C, 565 C; sicut et « æternum », 107 C', 244 C, A'. Per præcepta « in sæculum » observanda, intelligitur lex Mosaica, 565 D.

SALEM. Urbes duæ sic vocantur, 362 D'. Quid ambæ significent, 362 D'.

SALOMON, corde non mente erravit idololatrando, 98 A.

SAMSON, merito coluber et cerastes dicitur, 447 A'.

SANCTI. Multis ex eis restituta est in feras dominatio, 55 A', 239 B. — Dei consiliarii sunt, 260 D', et adjutores, 553 C'; imo dii quodammodo efficiuntur, 535 C. — Sancti Patriarchæ reputabant se peregrinos in terra, 427 B'. — Qualiter Sancti sibimet minus constantes aliquando videantur, 504 D'. — Sanctos V. T. a venialibus peccatis semper excusare non oportet, 324 D', ut patet de Jacob, 324 C', 334 A', et de Moyse, 497 D'; nec etiam a mortalibus, ut patet de filiis Jacob, 377 C, et de Moyse et Aaron, 497 D'.

SANGUIS. Humanum sanguinem quomodo dicatur Deus a bestiis requirere, 184 D. — Sanguinis esus olim prohibitus, 183 D'. — Vox sanguinis, quid, 127 A. — Moraliter, effundens sanguinem, id est, ad grave peccatum

Digitized by Google

inducens proximum, perit semper, 191 B. — *Cf.* Caro.
SARAI, uxor Abrahæ, mulier eximiæ pulchritudinis, 211 A, 277 D'; a Pharaone rapta, divinitus protegitur, 211 A', 212 A. — Vocatur Sara, idque quare, 245 C'. — Ad promissiones Dei incredula, 259 D, cur non fuerit punita, 260 B. — Denuo rapta, iterum mirabiliter servatur, 278 A. — Quo sensu dici potuerit Abrahæ soror, 279 B'. — Mystice, typus est Ecclesiæ, 241 B, et B. Virginis, 284 C' Sepultura ejus in Hebron religiosam professionem significat, 295 B'.
SARRACENI. Eorum origo, 238 B, feritas, 239 D, futura in orbem dominatio, 239 B'. — Unde circumcisionis et ablutionum morem acceperint, 544 D; et qua ætate circumcidantur, 247 A'.
SATUM mensura, quanta, 258 D.
SATURNUS planeta, cur ceteris frigidior, 33 B.
SCRIPTURA SACRA, varie figuratur per fluvios paradisi, 89 B; per puteum Agar, 242 C'; per puteos Isaac, 317 C', 318 B, C'; et per manna, 620 A. — Scripturæ translationes, quot, 5 A. — Interpretatio LXX, a Sancto Spiritu inspirata, juxta Augustinum, 5 B, opus humanum, nonnihil mendosum, juxta Hieronymum, 6 A', semper tamen magnæ in Ecclesia auctoritatis, 6 A, 7 B', et summopere laudanda, 7 C', cur et quomodo facta fuerit, 11 B'. Nonnulla omisisse aut addidisse LXX certum est, 9 C. Cur id egerint, 9 B'. — Origenis labor in Scripturis, 9 A. — Hieronymianæ translationis occasio, 8 C. — Scripturæ variæ partitiones, 13 A. — Ejus obscuritas, 14 C', ad aliquid utilis est, 14 D'. — In ea explananda quomodo procedendum, 15 A, B. — Ejus expositores duobus modis a Spiritu Sancto inspirati sunt, 15 D; et juxta diversam in philosophia institutionem, diversimode eam intellexerunt, 33 C; sed, in his quæ sunt extra fidem, eorum sententia non nisi probabilitatem parit, 33 D, 573 A. — In metaphoricis locutionibus quid sit sensus litteralis, 444 B'. — De numerorum minutiis curare non solet, 201 A. — Ad Scripturarum intelligentiam valde confert philosophicarum notitia scientiarum, 19 D; et assidua meditatio, 481 C.
SEGOR urbs, prius Bala, unde sit dicta Segor, 272 A. — Propter Lot ab excidio Pentapoleos salvatur, 271 D'. — Cur in eam Lot declinare noluerit, 274 B'.
SEIR. Vocis hujus multiplex acceptio, 373 D'.
SEM, filius Noe. Qualiter benedictus a patre, 188 D'. — Quomodo habitaverit Deus in tabernaculis Sem, 192 D. — In partitione mundi Asiam obtinuit, 196 B; et multos genuit filios, 195 D. — Cur nominatus sit Melchisedech, 222 C, C'; et quamdiu vixerit, 308 D'. — Mystice, chorum Apostolorum significat, 191 D.
SEMIRAMIS. *Vide* Minerva.
SENNAAR campus, quid ad litteram, 197 A; et mystice, 203 A. — Reges Sennaar Pentapolim depopulati, 218 A, et ab Abraham profligati, 200 A, quid spiritualiter designent, 222 D.
SEPHORA, uxor Moysis, 490 B', causa fuit cur eum angelus impeteret, 512 B. — Quomodo filium circumciderit, 512 A; cujusnam pedes sanguine tetigerit, 512 C; cui et quo sensu dixerit : Sponsus sanguinum mihi es, 512 C; et quomodo virum deseruerit, 512 B'. — Mystice, gentilitatis Ecclesiam figurat, 493 A, B'.
SEPULTURA. Num liceat sepulturæ jus emere, 249 C, aut sepulcra vendere, 295 B.
SERPENS. Ejus speciem cur elegerit tentator, 91 B; et quomodo per linguam ejus voces efformaverit, 93 C. — Pulcher adspectu fuisse et erectus incessisse creditur, 93 B, 102 C'. — Cur in eum Deus animadverterit, 101 D; et quomodo, 101 B'. — Triplex serpentis culpa et pœna, 102 D'.
SETH. Generatio ejus, 135 C. — Mystice, signat confessores, 140 D', et Christum resurgentem, 141 B'. — Filii Seth, astronomiæ periti, inventa sua columnis insculpsisse perhibentur, 136 C'. In Scripturis vocantur « filii Dei », 149 C'. *Vide* Filii.
SICHEM, filius Hemor, princeps Sichem, 364 B, propter vim Dinæ illatam, 364 C, in dolo cum populo suo interficitur, 366 B. Ob lasciviam vocatur taurus, 440 B'. — Sichem civitas, quomodo jure belli a Jacob acquisita dicatur, 435 B', 436 D; et cur data Joseph, 435 D, 436 B.
SIGNUM, duplici modo accipitur, 41 D. — Sæpe signa dantur non petentibus, 497 C'. An semper propter incredulitatem, 497 D', et nunquam in confirmationem præteriti, 498 B. — An et qualiter liceat ea petere, 299 B. — Signum Cain impositum, quale, 131 B', et quid allegorice designet, 139 D'. — Triplex signum Moysi datum, 505 D, quid spiritualiter significet, 506 D, 513 D'.

Digitized by Google

SIMEON, unde sic dictus, 335B'. — Cur præ cæteris a Joseph in carcerem trusus, 407B'. — De ejus benedictione, 439D. — Scelus ejus in Sichimitas, quam exsecrabile et maledictum, 439B'; quomodo dispersus sit in Israel, 440B, 441A; et qua de causa ita mulctatus, 440C. — Scribæ e Simeon orti semper Christo adversati sunt, 440B', 461B.

SIMULATIO, quotuplex et quandonam vitiosa, 325B'.

SINAI desertum, quodnam, 636A; et quo ordine ibi castrametatus sit Israel, 636C. — Sinai mons, quam sublimis, 636C'; et terribilis dum daretur lex, 640A'. Quo sensu sanctificatus a Moyse dicatur, 641B'.

SODOMA. Sodomitarum iniquitates, 261B, procacitas, 268C, et punitio, 269A'. — Sodomæ et Pentapoleos eversio, 272B, et præsens desolatio, 272D. — Sodomitarum infantes, cur in clade involuti, 273C. — Sodomitæ, an damnati, 273D. — Utra gravior, diluvii an Pentapoleos subversionis pœna, 273A'.

SOL, utrum de natura elementari, 30B. — Cur luminare magnum dicatur, 42B. — Respectu terræ, quantus, 42D. — Mystice quid, 62D'. — *Vide* Dies : Opus diei 4^{m}.

SOMNIUM, quid sit proprie, 400C, et quomodo distinguatur a visione, 400D, et ab oraculo, 400A'. — Somniorum diversa genera, 400B. — Somnium Jacob in Bethel : Quid per scalam, 329B', 331D', et per angelos ascendentes intelligi valeat, 329C', 332A. — Somnia Joseph, 378C', 379B, quomodo sint verificata, 379D'; et ipse Joseph a patre ac matre quando adoratus sit, 381B. — Duplex Pharaonis somnium, quam congruenter dispositum, 398B', et in quibus a somnio Nabuchodonosor differat, 399D.

SPINÆ et tribuli, quæ 3^{a} die creata sunt, 37C', quomodo post culpam germinanda dicantur, 105C. — Moraliter, rebelles concupiscentiæ motus significant, 111B'.

SPIRACULUM vitæ, quid sit, 70D', 71C.

SPIRITUS Domini, qui ferebatur super aquas, non fuit aer, 24A, neque motus primi mobilis, 25A', sed Spiritus Sanctus, 23C', 24C. — Quomodo super aquas ferri perhibeatur, 24A. — Quo sensu dicatur Spiritus Dei non permansurus in homine in æternum, 150D.

STACTE, species myrrhæ, 410A.

STELLÆ. Numerus stellarum an et a quibus cognosci queat, 225D. — An cursus siderum fuerit perfecte declaratus, tempore Græcorum, 146C'. — *Vide* Dies : Opus diei 4^{m}.

STERILITAS feminarum, cur olim maledicta, 342B. — Quantum apud Hebræos et Christianos tempus, ad explorandam fecunditatem, conjugibus detur, 236C'.

STORAX, quid sit, 410A.

STRABUS (Walafridus), monachus Fuldensis, auctor Glossæ ordinariæ, 18C, 23B, 32C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

SUPERBIA, mater invidiæ, 92A, maxime displicet Deo ; ideo diabolus de superbia primos parentes tentavit, 117A.

SYLVESTER (S.) Papa, 496B.

SYNAGOGA, varie figurata : 1° Per Evam : duos Patri æterno filios dedit, 141B. — 2° Per Agar : nascentem despexit Ecclesiam, 241B'; et ob hoc repulsa usque modo, sedet juxta puteum solitudinis, 242A. — 3° Per Esau : ab Ecclesia gentium supplantata, gemitu suo benedictionem meruit temporalem, 327C'. — 4° Per uxorem Putiphar : Christum ad suos errores inclinare conata est, usquedum eum occideret, 393B'. — 5° Per Manassen : Ecclesiæ demum subjecta est, 436C'. — Etc.

T

TABERNACULUM. Urbes Tabernaculorum, Phithom et Ramesses, quæ et cur sic dictæ, 477A'.

TENTATIO, quid sit et quoto sensu accipiatur, 113A', 286A. — Duplex tentationis genus, 112D', et utra sit culpabilis, 113A. — In tentatione Evæ ceterarum forma invenitur, 92B'. — Crebris tentationibus probantur electi, 525D, 628A', quibus eos perturbari non raro contingit, 602A', maxime infirmos, 591B'; et virtuosi est prælati sic afflictis succurrere, 591C'. — In tentationibus pusillanimitatis quid agendum, 371D. — Tentatus quisque lignum Crucis amplexetur, 609C', et ad orationem recurrat, 627C'.

TEREBINTHUS, quid sit, 410A.

TERRA. Hoc nomine in primo Geneseos versu quid intelligatur, juxta Augustinum, 17B, et juxta alios, 18A. — Quo sensu dicatur inanis et vacua, 22D, 24A'. — Quomodo maledicta, 104C'; et quare, 105B. — Aquis diluvii vitiata fuisse perhibetur, 154B'. — Spiritualiter, per terram maledictam significatur lapsa hominis natura, 111B'.

Digitized by Google

THAMAR, an filia Melchisedech, 388B. — Cur e Juda prolem adeo concupierit, 387A'. — Quantum peccaverit, et an gravius quam Judas, 387A', 388D.

THARE, qua ætate Abram genuerit, 201B. — Quis inter filios ejus primogenitus, 201C. — An fuerit idololatra, 202B'; et filios ignem adorare nolentes accusaverit, 201C', 202A.

THERAPHIM, quid sint, 351C; et cur ea furata sit Rachel, 351A.

THERISTRUM, quid sit, 302C, 387D.

TIGRIS fluvius, paradisum irrigabat, 77B'. — Mystice, Lucæ Evangelium designat, 89C'.

TONITRUUM, quid sit, 550B', 640B. — Spiritualiter, hæreticorum clamores significat, 551B'.

TRINITAS haud semel in V. T. adumbrata invenitur, 256D, 265C, 434D, 496B. — An a quibusdam antiquis sit cognita, 539D', vel a ratione cognosci queat, 540C'.

TUBALCAIN, quæ invenerit, 133B'. — Mystice, typus est contentiosorum, 140C'.

TURRIS Gregis, ubi sita, 369D'; et cur sic dicta, 370A. — Moraliter, prælaticam significat potestatem, 372D', vel eremiticam vitam, 373A.

TYMPANUM, musicum instrumentum, 606B, carnis mortificationem designat, 609C'.

U

UBERA. Benedictio uberum, quidnam sit, 451B; et quomodo in Christo compleatur, 464D'.

UR Chaldæorum, quid sit, 201B'.

UXOR, exemplo Saræ, maritum revereri debet, 259B'. — Uxores Noe et filiorum ejus, quæ nomina habuerint, 176A'. Cur arcam seorsum ingressæ, 168B'. Mystice, diversas figurant Ecclesias, 164D'. — Uxor Lot, cur in statuam salis conversa, 272C'; ubi et quando, 273B. Quid de anima ejus, 273C. Mystice, apostatarum figuram præfert, 276B'. — Uxor Putiphar Joseph tentans, 390D, et falso accusans, 391C, typum gerit Synagogæ, 393B'.

V

VENDERE carius aut vilius emere solito pretio, quatenus liceat, 428B.

VICTORINUS Martyr, Petavionensis episcopus, 336D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 5, col. 281.)

VIDUA. Peculiaris olim fuit viduis vestitus, 387C. — Eas summopere dedecet vestium luxus, 387D.

VINUM, in primæva ætate non notum, 187B'; primo post diluvium hominibus concessum est, 188C. — Quomodo in vino stolam suam laverit Christus, 445D.

VIR, tanquam caput mulieris, debet eam corrigere, 260A; ideo sæpe ipsi imputantur uxoris delicta, 512B.

VIRAGO. Quid significet vox illa, et an merito mulieri applicetur, 81D'. — Ecclesia recte virago dicitur, 90D'.

VIRGA Moysis, fuit causa materialis signorum ejus, 509D'. Non est lignum quo aquæ Mara dulcoratæ sunt, 608B. Mystice, plura significat, 536C. — Virgæ Jacob, qua virtute in fetuum colorem influxerint, 345B'; et quid per eas spiritualiter intelligatur, 348D.

VISIO, quid sit proprie, et in quo a somnio et oraculo distinguatur, 400C. — Visionis terra, quæ et cur sic dicta, 286A'.

VISITATIO Dei, quid sit et quotuplici sensu sumatur, 500C'. — Peccatorem in hac vita visitari, misericordiæ est, 150A'.

VITA, quotuplex, 79B'. — An semper omni humano modo sit vitæ consulendum, 210C.

VITIS Noe, quomodo reperta, 187A', et quid mystice significet, 191D', 192B'. — Quomodo Christus ad vitem alligaverit asinam et pullum, 444A.

VOTUM Jacob in Bethel, an licitum; et ad votum quid requiratur, 331A'.

VULTUS, cordis passiones manifestare solet, 124A.

Z

ZABULON, cur ita vocatus sit, 340A'. — Quomodo a patre benedictus, 446D. — Mystice, designat Christum Salvatorem et Deum, 461C'.

ZARA, nondum natus viam patefecit fratri suo, 388B'; unde nomen accepit, 388D'.

ZELPHA, concubina Jacob, 338D'. — Ejus filii, 339A. — Ubi sepulta, 457C'.

ZOROASTRES, magiæ inventor, Cham fuisse dicitur, 196A'.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

Præfatio hujus editionis v
Vita beatæ memoriæ Dionysii Cartusiani XXIII
Elenchus operum ejus XLIX
D. Dionysii Cartusiani protestatio ad Superiorem suum LXXI
Epistolæ B. J. Houghton et Th. Loer. LXXIII
De inventione reliquiarum Ven. Dionysii LXXVI
Ex actis Sanctorum LXXIX
Ad lectorem LXXX

ENARRATIONES

IN QUINQUE MOSAICÆ LEGIS LIBROS.

ENARRATIO IN GENESIM.

Præfatio 3
Articulus I. De variis translationibus Scripturarum veteris Testamenti 5
Articulus II. Quid sentiendum sit circa præhabita. 7
Articulus III. Expositio brevissima prologi beati Hieronymi super Genesim . . 8
Articulus IV. De multiplici distinctione atque divisione totius divinæ Scripturæ. 13
Articulus V. De expositione exordii Genesis, scilicet, In principio creavit Deus cœlum et terram, secundum Augustinum. 13
Articulus VI. De expositione ejusdem verbi, secundum alios Sanctos. 17
Articulus VII. Cui expositionum præinductarum videatur magis esse consentiendum 21
Articulus VIII. Expositio verborum sequentium : Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. 22
Articulus IX. Elucidatio ejus quod dicitur, Fiat lux, usque ad id, Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum 26
Articulus X. Expositio litteræ, in qua describitur opus secundæ diei 30
Articulus XI. Expositio textus describentis opus tertiæ diei. 35
Articulus XII. Elucidatio litteræ, in qua recitatur opus quartæ diei 40
Articulus XIII. Explanatio textus de opere quintæ diei 44
Articulus XIV. Prosecutio expositionis hujus capituli, ab illo loco, Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem. 48
Articulus XV. De expositione hujus capituli secundum Augustinum. 56
Articulus XVI. De spirituali ac mystica hujus capituli expositione 60
Articulus XVII. Solutio quarumdam quæstionum circa capitulum istud. . . . 63
Articulus XVIII. Elucidatio capituli secundi : Igitur perfecti sunt cœli, usque ad illud : Istæ sunt generationes cœli et terræ. 66
Articulus XIX. Prosecutio expositionis hujus capituli ab eo loco : Istæ sunt generationes cœli et terræ. 69
Articulus XX. Elucidatio residuæ partis hujus capituli : Tulit ergo Dominus. . 78
Articulus XXI. Introductio et solutio quæstionum concernentium passum textus istius articulo præcedenti expositum . 83
Articulus XXII. Elucidatio spiritualis ejusdem capituli. 86
Articulus XXIII. Elucidatio capituli tertii : Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. 91
Articulus XXIV. Prosecutio expositionis hujus tertii capituli ab illo loco : Vidit igitur mulier 96
Articulus XXV. Elucidatio residuæ partis hujus tertii capituli : Mulieri quoque dixit Deus 104
Articulus XXVI. Explanatio spiritualis ejusdem capituli 109

Digitized by Google

Articulus XXVII. Introductio et solutio quæstionum concernentium præsens tertium capitulum. 113
Articulus XXVIII. Expositio capituli quarti : Adam vero cognovit uxorem suam. 121
Articulus XXIX. Expositio residuæ partis hujus capituli, ab eo loco quo habetur : Dixitque Cain ad Dominum 128
Articulus XXX. Elucidatio spiritualis et mystica ejusdem capituli 137
Articulus XXXI. Expositio litteralis capituli quinti : Hic est liber generationis Adam 141
Articulus XXXII. Expositio capituli sexti : Noe vero quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet. 147
Articulus XXXIII. Prosecutio expositionis hujus capituli, a loco : Noe vero invenit gratiam coram Domino 153
Articulus XXXIV. De objectionibus infidelium contra prædicta, et de quæstionibus concernentibus præsens capitulum, ac solutionibus earumdem 158
Articulus XXXV. Expositio spiritualis ejusdem capituli 162
Articulus XXXVI. Expositio litteralis capituli septimi : Dixitque Dominus ad eum. 166
Articulus XXXVII. Elucidatio spiritualis ejusdem capituli 171
Articulus XXXVIII. Explanatio litteralis capituli octavi : Recordatus autem Dominus Noe, cunctorumque animantium. 173
Articulus XXXIX. De spirituali intelligentia ejusdem capituli 178
Articulus XL. Declaratio litteralis capituli noni : Benedixitque Deus Noe. . . . 182
Articulus XLI. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 190
Articulus XLII. Explanatio litteralis capituli decimi : Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham et Japhet . . . 193
Articulus XLIII. Expositio litteralis capituli undecimi : Erat autem terra labii unius. 196
Articulus XLIV. Spiritualis explanatio ejusdem capituli 202
Articulus XLV. Expositio litteralis capituli duodecimi : Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua . . . 204
Articulus XLVI. Expositio spiritualis ejusdem capituli. 212
Articulus XLVII. Expositio litteralis capituli tertiidecimi : Ascendit ergo Abram de Ægypto 215
Articulus XLVIII. Elucidatio litteralis capituli quartidecimi : Factum est autem in illo tempore 218
Articulus XLIX. De spirituali ejusdem capituli intelligentia 222
Articulus L. Expositio litteralis capituli quintidecimi : His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram . . 223
Articulus LI. De spirituali sensu ejusdem capituli. 231
Articulus LII. Elucidatio litteralis capituli sextidecimi : Igitur Sarai uxor Abram non genuerat liberos 235
Articulus LIII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 241
Articulus LIV. Elucidatio litteralis capituli septimidecimi : Postquam vero nonaginta et novem annorum esset . . . 243
Articulus LV. Introductio et solutio quæstionum concernentium præsens capitulum septimumdecimum 247
Articulus LVI. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 250
Articulus LVII. Declaratio litteralis capituli octavidecimi : Apparuit autem ei Dominus in convalle 254
Articulus LVIII. De mysticis sensibus, quæstionibus, objectionibus, concernentibus præsens capitulum octavumdecimum . 263
Articulus LIX. Elucidatio litteralis capituli nonidecimi : Veneruntque duo angeli Sodomam vespere 267
Articulus LX. De spiritualibus documentis et sensibus ejusdem capituli 275
Articulus LXI. Declaratio capituli vicesimi : Profectus inde Abraham 277
Articulus LXII. Expositio litteralis capituli vicesimi primi : Visitavit autem Dominus Saram 281
Articulus LXIII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi secundi : Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham . . 286
Articulus LXIV. Expositio mystica ejusdem capituli. 292
Articulus LXV. Expositio capituli vicesimi tertii : Vixit autem Sara centum viginti septem annis. 293
Articulus LXVI. Expositio capituli vicesimi quarti : Erat autem Abraham senex, dierumque multorum. 295
Articulus LXVII. Explanatio spiritualis ejusdem capituli 302
Articulus LXVIII. Explanatio capituli vi-

Digitized by Google

cesimi quinti : Abraham vero aliam duxit uxorem 305
Articulus LXIX. Elucidatio capituli vicesimi sexti : Orta autem fame super terram. 312
Articulus LXX. De spirituali intellectu ejusdem capituli 317
Articulus LXXI. Elucidatio litteralis capituli vicesimi septimi : Senuit autem Isaac, et videre non poterat. 319
Articulus LXXII. De spirituali hujus capituli intellectu 325
Articulus LXXIII. Declaratio capituli vicesimi octavi : Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum 328
Articulus LXXIV. Explanatio capituli vicesimi noni : Profectus ergo Jacob, venit in terram 332
Articulus LXXV. Elucidatio capituli tricesimi : Cernens autem Rachel quod infecunda esset 337
Articulus LXXVI. De spirituali ejusdem capituli intellectu 347
Articulus LXXVII. Elucidatio capituli tricesimi primi : Postquam autem audivit verba filiorum Laban. 349
Articulus LXXVIII. Explanatio capituli tricesimi secundi : Jacob autem abiit itinere quo cœperat 354
Articulus LXXIX. De intellectu spirituali ejusdem capituli 359
Articulus LXXX. Expositio capituli tricesimi tertii : Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau 361
Articulus LXXXI. Expositio litteralis capituli tricesimi quarti : Egressa est autem Dina filia Liæ. 363
Articulus LXXXII. Expositio capituli tricesimi quinti : Interea locutus est Deus ad Jacob 367
Articulus LXXXIII. Spiritualis explanatio ejusdem capituli 371
Articulus LXXXIV. Expositio capituli tricesimi sexti : Hæ autem sunt generationes Esau 373
Articulus LXXXV. Elucidatio litteralis capituli tricesimi septimi : Joseph quum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis. 376
Articulus LXXXVI. De ejusdem capituli mystico sensu 384
Articulus LXXXVII. Elucidatio capituli tricesimi octavi : Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis. 386
Articulus LXXXVIII. Expositio capituli tricesimi noni : Igitur Joseph ductus est in Ægyptum. 389
Articulus LXXXIX. De spirituali hujus capituli sensu 392
Articulus XC. Expositio capituli quadragesimi : His itaque gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi 394
Articulus XCI. Expositio capituli quadragesimi primi : Post duos annos vidit Pharao somnium 397
Articulus XCII. De mystico hujus capituli intellectu 403
Articulus XCIII. Explanatio capituli quadragesimi secundi : Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur . . . 404
Articulus XCIV. Declaratio capituli quadragesimi tertii : Interim fames omnem terram vehementer premebat . . 409
Articulus XCV. Explanatio capituli quadragesimi quarti : Præcepit autem Joseph dispensatori domus 412
Articulus XCVI. Expositio capituli quadragesimi quinti : Non se poterat ultra cohibere Joseph. 417
Articulus XCVII. Elucidatio capituli quadragesimi sexti : Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat. 421
Articulus XCVIII. Elucidatio capituli quadragesimi septimi : Ingressus ergo Joseph, nuntiavit Pharaoni 426
Articulus XCIX. Explanatio capituli quadragesimi octavi : His itaque transactis. 432
Articulus C. Elucidatio capituli quadragesimi noni : Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis 437
Articulus CI. Prosecutio expositionis hujus capituli quadragesimi noni, ab eo loco quo habetur : Filius accrescens. . 449
Articulus CII. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 459
Articulus CIII. Elucidatio capituli quinquagesimi : Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris 465

ENARRATIO IN EXODUM.

Præfatio 473
Articulus I. Expositio litteralis primi capituli : Hæc sunt nomina filiorum Israel. 475
Articulus II. Expositio spiritualis ejusdem capituli 481
Articulus III. Elucidatio litteralis capituli

Digitized by Google


secundi : Egressus est post hæc vir de domo Levi 484
Articulus IV. Spiritualis intelligentia ejusdem capituli. 491
Articulus V. Elucidatio litteralis capituli tertii : Moyses autem pascebat oves Jethro. 493
Articulus VI. De spirituali sensu ejusdem capituli 502
Articulus VII. Elucidatio capituli quarti : Respondens Moyses, ait : Non credent mihi. 504
Articulus VIII. Spiritualis explanatio ejusdem capituli. 513
Articulus IX. Elucidatio litteralis capituli quinti : Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron 515
Articulus X. De mystico ejusdem capituli intellectu 518
Articulus XI. Expositio litteralis capituli sexti : Dixit Dominus ad Moysen . . 520
Articulus XII. Expositio capituli septimi : Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus 526
Articulus XIII. De spirituali ejusdem capituli sensu 535
Articulus XIV. Elucidatio litteralis capituli octavi : Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem . . 537
Articulus XV. De spirituali ejusdem capituli sensu. 543
Articulus XVI. Elucidatio litteralis capituli noni : Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem . . 545
Articulus XVII. De spirituali ejusdem capituli intellectu. 550
Articulus XVIII. Expositio litteralis capituli decimi : Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem . . . 552
Articulus XIX. Explanatio capituli undecimi : Et dixit Dominus ad Moysen . . 556
Articulus XX. Elucidatio litteralis capituli duodecimi : Dixit quoque Dominus. . 560
Articulus XXI. Solutio quæstionum istarum. 571
Articulus XXII. Spiritualis et mystica ejusdem capituli elucidatio 573
Articulus XXIII. Comparatio decem plagarum Ægypti, ad decem præcepta ; et qualiter decem plagæ illæ, in Romano imperio sunt impletæ 578
Articulus XXIV. Elucidatio capituli tertiidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Sanctifica mihi. . . 580
Articulus XXV. De spirituali ejusdem capituli intellectu. 584
Articulus XXVI. Expositio litteralis capituli quartidecimi : Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel 586
Articulus XXVII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 591
Articulus XXVIII. Elucidatio capituli quintidecimi : Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino 593
Articulus XXIX. Expositio allegorica ejusdem cantici : Cantemus Domino . . . 599
Articulus XXX. Elucidatio tropologica ejusdem cantici. 604
Articulus XXXI. Prosecutio expositionis hujus capituli a loco : Sumpsit ergo Maria. 606
Articulus XXXII. Explanatio capituli sextidecimi : Profectique sunt de Elim . . 610
Articulus XXXIII. Spiritualis ejusdem capituli elucidatio. 619
Articulus XXXIV. Declaratio litteralis capituli septimidecimi : Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin. 622
Articulus XXXV. De spirituali ejusdem capituli intelligentia. 626
Articulus XXXVI. Expositio litteralis capituli octavidecimi : Quumque audisset Jethro sacerdos Madian 628
Articulus XXXVII. De tropologiis ejusdem capituli 633
Articulus XXXVIII. Declaratio litteralis capituli nonidecimi : Mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Ægypti . 636
Articulus XXXIX. De mystico hujus capituli intellectu 642
Index locorum S. Scripturæ 647
Index analyticus 655

Emendanda. Pag. 58 A, lin. 6 : quinto, *lege* quarto ; — 112 C, lin. 7 : Fiat... Fit ; — 228 D', lin. 5 : forte... sorte.

Dubia. Pag. 27 D, lin. 4 : quam dicunt, *forsan* quum dicunt ; — 66 A', lin. 2 : potestatem... potestatum ; — 155 A', lin. 11 : tecta... tecti ; — 160 B', lin. 7 : tantam... tantum ; — 179 C, lin. 2 : aliis... illis (in 1ª edit.) ; — 459 A', lin. 12 : propter hoc... propter hos ; — 499 D, lin. 11 : esse... ex se ; — 606 C, lin. 12 : cutes... cicutas (ita apud Migne) ; — 643 C, lin. 5 : materie... manerie (in 1ª edit.).

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102006597
Digitized by Google